
Digitized by Google



BIBLIOTECA ... VITT. EMAN.
Digitized by Google

MONVMENTA DOMINICANA

Breuiter in Synopſim collecta,

DE FIDIS OBSEQVIIS

A B

ORDINE PRAEDICATORVM

SANCTAE DEI ECCLESIAE

vſque modò præſtitis.

SCRIPTORE

P.M.F. VINCENTIO MARIA FONTANA


De Melide Nouocomen. Diœc. eiuſdem Ordinis.

DICATA

SANCTISSIMO D. NOSTRO

CLEMENTI DECIMO

PONT. MAXIMO.



ROMAE, Typis & Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſij, Anno Iubilæo M. DC. LXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
CLEMENTI X.
PONTIFICI MAXIMO

BEATISSIME PATER.

MVltùm intereſt, quo quis animo ſuorum *Obſequiorum* proferat *Monumenta*. Sunt enim (cenſore Hilario *) qui *Gloriam ſibi ex verbi virtute præſumunt in doctrina prophetiæ, & dæmoniorum fuga,* (* Can. 6. in Matt.) *& iſtiuſmodi operum virtutibus, dicentes: nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* At horum inani faſtui breuiſſimè reſpondet Dominus: *numquàm noui vos.*

Sunt ex aduerſo, qui nullo vanitatis aucupio, nulla iactantiæ cacoëthe ſimpliciter, ac reuerenter Hero ſuo commemorant quid, quantumque ex debito, ac fide præſtiterint in eius Obſequium. Hinc nuſquàm video reprehendi fidele par Seruorum, quorum alter duobus, alter quinque talentis à Domino receptis totidem ſe ſuperlucratum fuiſſe palàm ediſſerebat. * Innocenter ambo geſtorum exponebant (* Matt. 25. 20.) hiſtoriam; placuit ingenuus vtriuſque candor, & ſimplex in reddenda ratione veracitas, quia nulla in verbis tumebat arrogantia. Hac mente ipſimet *conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant.* Vbi opportunè ſuggerit Theophylactus: (* Marci 6. 30.) *Diſcamus & nos, cum in miniſterium aliquod mittimur, non elongari,*

& vltra commiſſum officium non efferri, ſed mittentem viſitare, & renunciare ei omnia quæ egimus & docuimus.

Inde eſt Beatiſſime Pater, quòd præſens Volumen, atque cum eo pleraque mei Ordinis erga Apoſtolicam Sedem *Obſequia* in breue compendium redacta præſumam Sanctitatis Veſtræ offerre conſpectui; & ſi vmquam in Obſequiorum commemoratione attendendus eſt animus, hìc ſanè ab omni iactantiæ ſuſpicione me facile abſoluet tum ſtyli ſimplicitas, tum offerentis candor, & adgeniculata humilitas. Si vbique idem forent *oſtenſio, & oſtentatio*, nec Serui qui talenta acceperant, nec Apoſtoli qui ſuorum geſtorum ſeriem Domino referebant, calumniam tumidæ vanitatis euaderent. Scio quis præceperit, *cum feceritis omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* * Numquàm hæc modeſta confeſſio ab ore, numquàm à corde, ſeu meo, ſeu meorum elongabitur.

* Lucę 17.

Denique ſic eſto, laborarit, ſudarit, alſerit à quatuor & vltra ſeculis Prædicatorum Ordo in S. R Eccleſiæ fido Obſequio, at quantulum id eſt ad aceruos ingentium beneficiorum, ac talentorum, quibus iugiter à Throno Apoſtolico locupletatus fuit? Vel ea ſola, quæ in ipſum congeſſit Paterna Sanctitatis Veſtræ Clementia, propemodùm ſuperabunt poſteritatis fidem, nec ijs pro dignitate recenſendis vlla ſufficiet pagina.

Suſcipe igitur Beatiſſime Pater hanc rudem Opellam, quam totius mei Ordinis communi nomine ad infimam ſolij Apoſtolici crepidinem demiſsè acclino, ſit ea non præteritorum dumtaxat *Obſequiorum* qualecumque *monumentum*, ſed & futurorum pignus ac fide-iuſſor. Interim Diuina Bonitas militanti Suæ Eccleſiæ Sanctitatem Veſtram diutiſſimè ſeruet incolumem, ac felicem, prout ſuo omniumque ſuorum obſequentiſſimo voto precatur

Sanctitatis Veſtræ pedibus humillimè prouolutus

F. Io: Thomas de Rocaberti Prædicatorum Ord. Mag. Generalis.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CVM Pontifices Maxx. de Dominicana Religione ſermonem adſtruunt, Amice Lector, illam, Vineam Domini Sabaoth electam, eiuſque inclytos filios, palmites ipſius eſſe dicunt, qui fructuum vbertate, & Militantem, & Triumphantem Eccleſiam impinguantes, odore ſuaui propriarum virtutum, ſanctæque conuerſationis Eccleſiæ oues, & Paſtores, etiam Maximos, recreare ſatagunt: Ita Gregorius IX. Innocentius IV. Clemens IV. Bonifacius VIII. plurimique alij Pontt. Maxx. profitentur: & benè, & magnificè. Quales verò ſint hi fructus, audi enarrantem Alexandrum IV. & mirare.

Alexander Papa IV. ad futuram rei memoriam.

COEleſtis ille Agricola, Summus Author fidei, pracipuuſque protector Sacrum Fratrum Pradicatorum Ordinem, quaſi lignum fertile in Eccleſia paradiſo inſeruit, vt delectaret amænitate, & vbertate ſatiaret, & fructuum ſuauitate mulcèret. Hoc itaque ſpecioſum, fæcundum, ac dulce lignum, imbre ſuperno irrigatum pulchra, plurima, ac dulcia poma profert; quorum odore, ac ſapore confortantur, & conualeſcunt debiles, varijſque detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vita ligno mortales homines, carnis infirmitatibus pragrauati, pabulum ſalutis inueniunt, & internam ſuſcipiunt ſoſpitatem. Huius inquam ligni perceptâ fragrantia vndique ad libamen ipſius concurrunt innumeri profeſſores fidei, qui aſſiduè illo perfruentes, & eius ſalutaribus fructibus conueſcentes, de ipſius pragustata dulcedine miniſtrant & ipſi alijs ſuauia libamina ſalutis. Hac eſt illa generoſa plantatio, qua ramos ſuos vndique expandens, flores plurimos honoris, & honeſtatis, fructuſque vberrimos doctrina profert, & virtutis, & odorem Sancta, & laudabilis conuerſationis longè, latèque diffundit. Hic eſt Ordo Sacer Pradicatorum honeſtate floridus, praclarus ſcientia, virtute fæcundus à Sede Apoſtolica meritò approbatus; qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuerſationis, ſapientia dono, & virtutis merito dignoſcitur ſpecialiter inſignitus. Huius Sacri, clari, conſpicui, & approbati Ordinis Fratres, ſacrarum ſcripturarum ſtudijs inſtanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis officijs, & orationibus inceſſanter intendunt, atque Euangelica pradicationi ardenter inſiſtentes, lumen diuina doctrina, vbique per orbem diffundunt. Hi ſunt viri doctrina clariſſimi, qui contemplationi cæleſtium feruenter inuigilant, & pia vita ſtudio ſine intermiſſione deſudant. Hi ſunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in pradicatione potentes, quorum labia gratia cæleſtis edocuit ad propinandam ſalubrem doctrinam alijs, & commodum, ac profectum animarum Chriſti fidelibus exponen. Vnde vbique per mundum mira ipſorum intonant veluti tuba, ac in omnem terram exis ſonus pradicationis eorum, & vſque ad fines Orbis ſua ſalutifera verba ſonant. Hi ſunt viri praclari conſpicua Religione fulgentes, qui tanquam lucentia Sydera in Eccleſia fundamento ſuit ſplendidiſſimis documentis viam cæleſtis via mortalibus inſinuant. Hi ſunt Phiala aurea plena odoramentis, qui ſua ſacra conuerſatione ſuauiter redolentes, hortantur per hanc alios & inducunt, à ſomno negligentia celeriter ſurgere, & excuſſa prorſus inertia, ad opera lucis, & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo, & hominibus morum honeſtate conſpicui, ſcientia titulis inſigniti, quos aterni Patris benignitas inter plurimas perſonas diuinis obſequijs deputatas pro ſui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda ſalute ſpecialiter elegit, qui ſuum ſemper effectum ad amorem cæleſtium dirigentes, virtutem diuini nominis vbique publicant, & pro Chriſtiana Religionis ampliando cultu, vigili attentione laborant. Hi ſunt qui vitam & merita B. Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriantur in ſola Cruce Domini Ieſu Chriſti; & mundi pompas, ac ſolatia ſpernentes adſolam cæleſtem patriam, & ad paradiſi delicias recta intentione ſuſpirant. Hi ſunt qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes, elegerunt ſub arctiſſima paupertate Deo deſeruire, tanquam nil habentes, & omnia poſſidentes. Hi poſtremò ſunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum cæleſtium reliquerint, ſobriè, iuſtè, piè, & caſtè viuentes ac exilia vita ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, perfectionem euangelicam amplectendo: Vnde clariſſimè conſtat eos in ſtatu perfectionis exiſtere, & per ſua Religionis obſeruantiam, qua quidem ipſius euangelica perfectionis continet formam, in aterna retributionis pramio praecellentem gloriam promereri. (Hi ſunt, tandem qui mori pro Chriſto diligunt, & pati pro iuſtitia delectantur. Subdit Innocentius IV.) Tales, tantoſque fructus in Eccleſia promanantes mirati Pontifices Maxx. Chriſti in terris Vicarij, Prædicatoribus ipſis Catholicam fidem, vt pupillam oculi cuſtodiendam in Chriſtiano orbe tradidère: totque eis in Apoſtolica Curia exercendos nobiles Magiſtratus demandauère: vt in propriarum virtutum prœmium, exantlatorum laborum ſolatium, conſumpti atramenti mercedem, profuſique pro Eccleſia Sancta Dei copioſiſsimi ſanguinis Brauium, ſibi collatos eſſe dicant; & benè dicant. Vale.

APPRO-

APPROBATIONES OPERIS.

TAmetſi ad Monumenta non pertineat aperire, ſed operire quod illatum eſt, attamen huius Operis erudito Scriptori placuit Dominicani Ordinis erga Matrem Eccleſiam filialia *Obſequia* his inſerre *Monumentis*, nec vt lateant ſed vt pateant, ac in apertiſsima luce meridientur. Laudo ingenium; nam quæ Magni Auguſtini * ex M. Varrone * obſeruatio eſt, *Monumentum* inde potiùs nomen ſortitur quod *moneat mentem*, quod memoriam ſepultorum viuis ingerat, quòd geſta Maiorum tacitè commendet obtutui poſteritatis. Adiungit Varro: *Et ideo Monumenta ſecundùm viam*, locis nimirum publicis, frequentibus, & conſpicuis, vt palam vniuerſis præſtent monitoris obſequium. Igitur & hæc Fontanæ *Monumenta obſequioſa* tali fungantur officio, quo Lectoris mentem moueant; nec enim aliqua vel continent vel oſtentant, quàm quæ apta ſint monère ſalubriter virtutum ſtudioſos, mouère animos ad piam illuſtrium Obſequiorum imitationem. Proinde & hæc iudico digna locari *ſecundùm viam*, exponi publico, conſpicua fieri vniuerſis. Ita cenſeo Romæ xj. Cal. Aprilis. 1674.

* in Enchirid. c. 108. * lib. 5. de ling. lat.

Fr. Leonardus Hanſen Magiſter Prouincialis Angliæ Ord. Præd.

DE mandato R. P. F. Ioannis Thomæ de Rocaberti Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, legi, quæ legit ex varijs Hiſtoriarum floribus, redolentia Dominicanæ Familiæ pietatem, obſeruantiam, fidem, longanimitatem, exantlatos labores, effuſum ſanguinem, Adm. Reu. P. Magiſter F. Vincentius Maria Fontana, cuius calamum ſelectè perſtringentem obſequia à Fratribus noſtris præſtita in S. Matrem Eccleſiam; ſicut, illius dextera animante, Apem quamdam argumentoſam duxerim, ità opus, Aluearium dixerim, in quo mella ſunt congeſta è Fortibus egreſſa; vt deguſtantes cæteri, ſuauiter ad proſecutionem ſapiant, incaleſcant. Quare fauum hunc typorum torculari comprimere, perutile: ſed, vt vnà Summorum Pontificum Regum, Primatuum princeps gratianimi virtus propaletur, qua emula charitate, generoſa manu eoſdem Purpura, Infulis, Cathedris, Honorabilioribus titulis, ac Præfecturis condecorare norunt, neceſſarium fermè adiudicauerim; eò vel maximè, quod mendis minimè ſcateat reſus, quæ aut Catholicum, aut Moralem Philoſophum exacerbent. E Conuentus S. M. S. M. die prima Auguſti 1673.

Fr. Antoninus Iacobucci Ordinis Prædicat. S. Theol. Mag.

Nos Fr. Io. Thomas de Rocaberti Sacræ Theolog. Profeſs. atque Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter.

T*Enore præſentium tibi A. R. P. Magiſtro F. Vincentio Mariæ Fontanæ licentiam concedimus imprimendi librum, à te de mandato noſtrum compoſitum, inſcriptum* Sacra Monumenta Dominicana, Eccleſiæ Sanctæ Dei obſequioſa, *à duobus Patribus Magiſtris iam reuiſum, & approbatum, ſeruatis aliàs de iure ſeruandis. In quorum fidem, &c. Datum in Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam die x. Iulij 1674.*

Fr. Io. Thomas de Rocabertì.

INDEX
CAPITVLORVM.

PARS I. SECVLO I.

CAPVT I.
S. P. Dominico Mag. Generalis I. an.
CAPVT II.
B. Iordano Mag. Generalis II. anno. 1222.
CAPVT III.
S. Raymundo Mag. Generalis III. an. 1237.
CAPVT IV.
Io. Theutonico Magiſter Generalis IV. 1241.
CAPVT V.
B. Humberto Magiſter Generalis. V. 1254.
CAPVT VI.
Ioanne de Vercellis Mag. General. VI. 1264.
CAPVT VII.
Munione Zamor. Mag. General. VII. 1285.
CAPVT VIII.
Stephano Biſuntino Mag. Gener. VIII. 1292.
CAPVT IX.
Nicolao Taruiſiuo Mag. Gener. IX. 1296.
CAPVT X.
Alberto Clauario Mag. Generalis. X. 1300.
CAPVT XI.
Bernardo Gallico Mag. General. XI. 1301.
CAPVT XII.
Aymerico Placentino Mag. Gen. XII. 1304.
CAPVT XIII.
Berengario Toloſan Mag. Gen. XIII. 1312.

PARS II. SECVLO II.

CAPVT I.
Herueo Britanno Mag. Gener. XIV. 1318.
CAPVT II.
Barnaba de Vercellis Mag. Gen. XV. 1324.
CAPVT III.
Vgone Campano Mag. Gener. XVI. 1333.
CAPVT IV.
Ghurardo Domaro Mag. Ord. XVII. 1342.
CAPVT V.
Petro de Palma Mag. Gener. XVIII. 1343.
CAPVT VI.
Guarino de Giaco Mag. Gener. XIX. 1346.
CAPVT VII.
Ioannes Morlandino Mag. Gen. XX. 1249.
CAPVT VIII.
Simone Lingonienſe Mag. Gen. XXI. 1352.
CAPVT IX.
Elia Toloſano Mag. General. XXII. 1367.
CAPVT X.
Raymundo de Capua Magiſter Generalis. XXIII. 1380.
CAPVT XI.
Thoma de Firmo Mag. Gen. XXIV. 1401.
CAPVT XII.
Leonardo de Datis Magiſter Generalis. XXV. 1414.

PARS III. SECVLO III.

CAPVT I.
Bartholomæo Texerio Magiſter Generalis. XXVI. 1426.
CAPVT II.
Petro Roehim Mag. Gener. XXVII. 1450.
CAPVT III.
Guidone Flamochetto Magiſter Generalis. XXVIII. 1451.
CAPVT IV.
Martiali Auribello Mag. Gen. XXIX. 1453.
CAPVT V.
Conrado Aſtenſe Mag. Gener. XXX. 1462.
CAPVT VI.
Martiali Auribello reſumpto. 1465.
CAPVT VII.
Leonardo de Manſuetis Magiſter Generalis. XXXI. 1474.
CAPVT VIII.
Saluo Caſſeta Mag. Generalis. XXXII. 1481.
CAPVT IX.
Bartholomæo de Comatijs Magiſter Generalis. XXXIII. 1484.
CAPVT XI.
Ioachino Turiano Mag. Gen. XXXV. 1482.
CAPVT XII.
Vincentio Bandello Magiſter Generalis. XXXVI. 1501.
CAPVT XIII.
Ioanne Claree Mag. Gen. XXXVII. 1507.
CAPVT XIV.
Thoma de Vio Mag. Gen. XXXVIII. 1608.

PARS IV. SECVLO IV.

CAPVT I.
Garſia de Loayſa Mag. Gen. XXXIX. 1518.
CAPVT II.
Franciſco Silueſtro Mag. Gener. XL. 1525.

CA-

CAPVT III.
Paulo Butigella Mag. General, XLI. 1530.
CAPVT IV.
Ioanne de Fenaria Mag. Gen. XLII. 1532.
CAPVT V.
Auguſtino Recuperato Magiſter Generalis. XLIII. 1539.
CAPVT VI.
Alberto Caſaus Mag. Gener. XLIV. 1542.
CAPVT VII.
Franciſco Romeo Mag. Gener. XLV. 1546.
CAPVT VIII.
Stephano Vſuſmaris Mag. Gen. XLVI. 1553.
CAPVT IX.
Vincentio Iuſtiniano Magiſter Generalis. XLVII. 1558.
CAPVT X.
Seraphino Caballo Mag. Gen. XLVIII. 1571.
CAPVT XI.
Paulo Conſtabili Mag. Gener. XLIX. 1580.
CAPVT XII.
Sixto Fabro Magiſter Generalis. L:
CAPVT XIII.
Hipolito Maria Beccaria Magiſter Generalis. LI. 1589.
CAPVT XIV.
Hieronymo Xauierro Magiſter Generalis. LII. 1601.
CAPVT XV.
Auguſtino Galamino Magiſter Generalis. LIII. 1608.
CAPVT XVI.
Seraphino Sicco Mag. General. LIV: 1612.
CAPVT XVII.
Nicolao Rodulphio Mag. Gener. LV. 1628.
CAPVT XVIII.
Thoma Turco Mag. Generalis. LVI. 1644.
CAPVT XIX.
Ioanne Baptiſta de Marinis Magiſter Generalis. LVII. 1650.
CAPVT XX.
Ioanne Thoma de Rocaberti Magiſter Generalis. LVIII. 1670:

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capiſucchius Sacri Palatij Apoſtoliei Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm Sanctiſs. D. N. VRBANVS Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeù Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quacunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo eo ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholica Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Digitized by Google



FR. VINCENTIVS MARIA FONTANA
Sac. Theol. Mag. *Annor. LXIV.*

PARS I.
DE OBSEQVIIS PRAESTITIS
Seculo I.

DOMINICANAM enarrationem de obſequijs, nobilibuſq; ſeruitijs à Patribus Prædicatorum Ordinis S. Matri Eccleſiæ, atq; Apoſtolicæ Sedi, veritatis Magiſtræ præſtitis, contexturi, proteſtamur, nos ea tantùm relaturos, quæ ad noſtram deuenère cognitionem; Nam & hæc, & his longè maiora opportuno tempore Ordinis Annales exhibebunt. Vt clariori autem methodo in hoc opere procedamus, illud in quinque partes, iuxta quinque Ordinis ſecula, diuidendum duximus ſub Capitibus diuerſis, ſecundùm Generalium Magiſtrorum illius variationem multiplicandis, ſub quibus eadem obſequia fuère S. Matri Eccleſię, Apoſtolicęq; Sedi præſtita ab Ordinis fundatione per Sanctum Patrem Dominicum facta ad hæc vſque tempora noſtra, & Annum Iubilæi 1675. excluſiuè. Sit igitur

Caput I.
S. P. DOMINICO Magiſtro Generali.
I.

APoſtolici Prædicatorum Ordinis initia ipſa, nedum incrementa, S. Matri Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi, fuère obſequioſa adiudicata: D. Patriarça Dominico illum propter hoc fundante, *qui appropinquante mundi termino* (vt verbis S. Antonini vtamur) *quaſi nouum ſy-*

dus emicuit, & ex Hiſpaniæ partibus; Villa, quæ Calaroga dicitur, Oxomen. Diæc. ortundus fuit, præſidente Romæ Alexandro III. Imperante autem Friderico I. anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis MCLXX. Cuius nobiliſſimi genitores fuère Felix Guſmanus, & Ioanna de Aza ex primarijs Hiſpaniarum familijs. Cuidam autem Matronæ nobili, quæ de ſacro Fonte infantulum leuarat, viſus eſt per ſomniũ quaſi ſtellam habens in fronte, quæ terram totam ſuo lumine perluſtrabat, quo dignoſceretur pueru m in ſalutem gentium diuinitùs datum eſſe: & quia peccatores per pœnitentiam directurus erat in cœlũ, adhuc infantulus ſæpe lectulo dimiſſo, quaſi iam à carnis delicijs abhorreret, ſuper terram quieſcebat. *Ex S. Antonino, & Maluenda.*

Exacta autem in paterna domo innocẽter infantia, anno ſalutis 1176. ſanctiori diſciplinæ traditus eſt, eccleſiaſtico imbuendus officio ab Auunculo ſuo Archipresbytero; & cum eſſet ingenio docilis, proficiens in diuini cultus inſtitutis, morabatur in Eccleſia, Pſalmos, & Hymnos concinendo, in quibus ſpiritualibus exercitijs vſque ad quintumdecimum ætatis annum ſumma ſpiritus exultatione perſeuerauit. *Maluenda in Annal. Ord.*

Expletis quatuordecim annis, & quintum decimum ingreſſus, ex auunculi Archipresbyteri, vbi iam ſeptennio manſerat, domo diſcedens, maioribus litteris erudiendus, Palentiam à Parentibus miſſus eſt, vbi tunc illuſtriores Hiſpaniçę Academiæ florebant. Ibi fame præualida Hiſpaniam totam vexante, ardore charitatis ſucceníus, libros, omneſque res ſuas vendidit, prętiumq; in pauperes erogauit, ſuo exemplo coetaneos ſtudentes ad idẽ præſtandum prouocando: nec vnà vice tantùm, ſed & altera id ob eandem cauſam fecit, cum Canonicus Regularis eſſet anno 1200. *Maluenda vbi ſupra.*

ANNO verò 1194. cum S. P. ætatis vigeſimum quintum annum eſſet ingreſſus, perfectioris vitæ deſiderio allectus, Canonicorũ Regularium inſtitutum in Oxomẽſi Eccleſia ſub Didaco Azebeto maximarum virtutum Epiſcopo, ſpretis mundi illecebris, amplexatus, ſtatim inter Canonicos, velut ſingulare iubar, emicuit, & de virtute in virtutem mira celeritate progrediens, factus in oratione aſſiduus, in charitate præcipuus, in pietate anxius, omnium in ſe prouocabat aſpectum. Quare à Didaco Epiſcopo ſacris ordinibus initiatus, ad Sacerdotium tandem promotus eſt, quod in an. 1199. reijciunt Authores. *Maluenda vbi ſupra ex Theodorico.*

ANNO 1200. S. P. Dominicus ad Sacerdotium iam promotus munus publicarũ ad populũ ſacrarum concionum, fauente Deo, ſuſcepit, & ſtrenuè exequi incepit trigeſimum agens annum, Chriſti hac in re quoque factus imitator. Quare multi concurrebant ad audiendum verbum, quod procedebat de ore illius, & in lacrymas compuncti, proprias culpas deteſtantes, per ſemitas mandatorum Dei currebant, ſibi in cœlis manſiones preparantes. At cum per decennium à vino abſtinuiſſet, debilitato ſtommaco ob aſſiduas prædicationes, vti modico vino, compulſus eſt à Didaco Epiſcopo ſequente D. Pauli 1. ad Thimot. 5. documentũ dicentis: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomacum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Flamminius in vita S. Pat.

ANNO 1201. cum ſequẽtibus tribus in aſſumpta prædicatione Euãgelij tanto cum ſpiritus ardore, atq; ignitis eloquijs conſumpſit S. Pater, vt innumeros peccatores, Spiritus ſancti gratia cooperante, ad amplexandam ex corde pœnitentiam induxerit, quo exemplo permoti aliqui ex eius ſodalibus Canonicis

Re-

Regularibus, prędicatione aſſumpta, cooperarij fuere eiuſdem in vinea Domini excolenda. *Ex eodem Maluenda.*

ANNO 1205. Didacus Epiſcop. ab Alphonſo Caſtellæ Rege rogatus, inſignem legationem ſuſcepit, qua in Galliam, & Italiam venit, itineris comite aſſumpto S.P. Dominico ſibi chariſſimo, vt ex illius ſocietate ornamentum, & colloquijs ſanctis ſolatium in itinere haberet. At vbi Toloſam ventum eſt, cognoſcētes hæreticorum fraudibus ciues deprauatos, ingemiſcentes ambo, ſpiritu turbati ſunt, Albigenſium impia hæreſi, longè, latèq; ibi mirum in modum graſſante. Quo ex tempore cogitauit Didacus de deponendo ad Pontificios ſacros pedes ſuæ Eccleſiæ regimine, gladio ſpiritus Albigenſibus hæreticis bellum illaturus. *Ex eodem Maluenda.*

ANNO 1206. terminata Regia Legatione, Didacus Romanam Curiam ingreſſus, ad Pontificis Max. Innocentij III. ſacros pedes acceſſit, ſibi commiſſæ Eccleſiæ regimen depoſiturus, vt hæreticorum Albigenſium conuerſioni cum aſſumpto Socio Dominico vacaret; at ille, viri ſanctitate cognita, noluit Oxomenſem Eccleſiam tanto priuare Paſtore; ſed eidem mandauit, vt ad illam quantocius accederet, conſulturus ipſe de hæreticis conuertendis, vel extirpandis. Redire igitur compulſus eſt ad ſuam Eccleſiam, ſuis quidem fruſtratus præcibus, ſed obedientiæ, & charitatis gratia plenus, nec quidquam de ſalutari propoſito remittens. Dum autem Didacus cum S. Patre reuerteretur in Oxomen. ciuitatem ad Ciſtercienſe cœnobium declinauit, vbi per aliquos dies permanens, ſeruorum Dei ſocietate allectus, & ſancta conuerſatione recreatus, Monaſticum habitum induit, duoſque monachos ſecum duxit, de eorum regula, atque viuendi diſciplina edocendus. Profecti igitur ſimul Epiſcopus, S. Pater Dominicus, & duo Monachi, Fratres Petrus de Caſtronouo, & Rodulphus dicti, venerunt in Prouinciam Narbonen. & quidem Didacus diſputauit cum Balduino, & Theodorico filijs perditionis, hæreſiarchis peſſimis; quos confudit, ſed non conuertit; S. Pater verò, & duo Monachi diſputauerunt cum multis hæreticis Albigenſibus, ex quibus aliqui ad catholicam fidem, erroribus abiuratis, conuerſi ſunt. *Maluenda.*

Porro cum in partibus Albigenſium Didacus, & ſocij eius pedites incedentes, Euangelium prædicarent, atque inter Catholicos, & hæreticos ibidem frequentes eſſent diſputationes, ad quas vtriuſque ſexus multitudo conueniebat: factum eſt, vt apud Fanum Iouis celebris indiceretur diſputatio ſub deputatis Iudicibus, quibus ab vtraque parte ipſa fidei aſſertio ſcripta præſentanda foret, vt docebant: Quapropter ſcriptis diuerſis ſuper hoc à Catholicis diligenter libellis, & in commune redactis, mutuaque collatione inter ſe diſcuſſis, libellus, quem S. Pater Dominicus ſcripſerat, communiter, & commendatur præ cœteris, & decernitur præſentandus. Statuta itaque die, & multitudine populi circumſtāte, libelli vtriuſque partis proferuntur in medium. Verùm Iudicibus inter ſe diſcrepantibus, in hanc tandem abière omnes ſententiam, vt libellos vtroſque flammis inijcerent, & quem ab igne non conſumi contingeret, ille veram fidem tenèret. Accenſo igitur in publico foro igne magno, adducitur libellus hæreticorum cum libello B. Dominici, vterque in ignem proijcitur, & ſtatim hæreticorum libellus conſumitur, libello S. Patris ſuper flammas elato, nullaque in parte à voracibus flammis læſo, etiam ſecunda, ac tertia vice in ignem proiecto. Et ſic diuina potentia factum eſt, vt in vno, eodemque libelli ab igne conſeruati, mirando prodigio, & Ortho-

doxæ fidei veritas, & S. Patris, illius auctoris, ſanctitas comprobaretur. *Maluenda ex S. Antonino.*

ANNO 1207. Didacus Oxomen. Epiſcopus ſuam Eccleſiam verſus iter arripuit, in Hiſpaniam reuerſurus, & per Pamiam in Toloſano diſtrictu tranſiens vna cum S. Patre, ibi cum Vvaldéſibus hæreticis publicè diſputarunt, & ille, qui diſputationis Iudex cõſtitutus fuerat, hæreticæ prauitati renuncians, ſe, & ſua omnia in manus Didaci obtulit, & exinde hæreticos omnes impugnare cœpit, Comite Foxenſe in ſua pertinacia, atque hæreſi cum vxore, ac filijs perſeuerante.

Diſputatione peracta, videns cordatus Epiſcopus ibi meſſem multam pro Chriſto, operarios autem paucos, rogauit S. Dominicum, vt ibi in hæreticorum conuerſione cum aliquibus Patribus Ciſtercien. permaneret, quibus & Guillelmum Clareti pro adminiſtratione rerum temporalium ſuo ære prebendarum ſocium dedit, & diſceſſit, pedibus ſuis iter agendo: ac tandem Oxomam perueniens, morbo correptus, aditum inuenit in vitam æternam. Nunciato in Toloſantium partibus Didaci obitu, deficientéque eius charitatiuo ſubſidio, quo alebantur in hæreticorum regionibus Euangelici miniſtri, in ſua Monaſteria ſe recepère cuncti Ciſtercien. Monachi, relicto ſolo D. Dominico, qui in Domino, *qui dat eſcam omni carni*, confiſus, prædicationi impendens operã indefeſſa continuatione, ibidem permanſit, & domum Sororum de Prulliano, ante Ordinis confirmationem, initiauit. *Maluenda.*

Relictus igitur ſolus in Apoſtolico miniſterio Euãgelij Dominicus, ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis, erantq; arma militiæ eius, non carnalia, ſed ſpiritualia, quibus hæreticos confundebat, & conuictos ad abiurandos errores compellabat, quotidianis prædicationibus indefeſſo labore addictus; quòd cum Innocentio Pontifici innotuiſſet, datis Apoſtolicis litteris, eidem præcepit, vt ad expugnandam Albigenſium hæreſim totus incumberet, prout præſtitit, aſſumptis ſibi ad idem miniſterium exequendum ſocijs quibuſdam, Cumque multum proficeret in hæreticorum cõuerſione fauente Deo, cœpit de Ordinis inſtitutione cogitare factus annorum triginta, & octo. Cuius propoſitum fouere Petrus Amelij Narbonen. Archiep. Fulco Ep. Toloſanus, atque Simon Montis Fortij Comes cœperunt; idque vt facilius exequi valeret, decimas, redditus, Caſtra; nec non & Eccleſias ipſi, eiuſque ſequacibus ad eorumdem ſuſtentationem, & alimoniam dedère: Quapropter plures ſcientia, atque zelo promouendæ catholicæ fidei præditi, nec non & ſermone facundi, eidem in prædicationis officio Socij adhæsère; nec aliquis Sociorum aliquo voti vinculo aſtrictus tenebatur, ſed gratis, & magno cum affectu eum, propter ſanctitatis meritum, quod agnoſcebant, ſequebantur: & hæc fuère prima Prædicatorum Ordinis initia. *Maluenda vbi ſup. ex S. Antonino, & Guidone.*

Non referunt Scriptores quot fuerint Socij, qui S. Patri in prædicatione Euangelij, & conuerſione hæreticorum adhæſerint: paucos fuiſſe, omnes teſtantur, cordatos tamen viros, zelum Dei, & ſalutis animarum habentes, pedibus incedentes, ſine pecunia, & panem per domos emendicantes; quòd maximam admirationem, ne dum hæreticis ipſis, verùm & eiſdem fidelibus ingerebat. Concionibus frequentibus, diſputationibus doctiſſimis atque orationibus aſſiduis perditos homines, & à catholica fide deuios maximè, ad ſaniorem mentem reducere conabatur Dominicus: Nec non & ipſi inter ſe ſummo charitatis nexu deuincti, in communem vſum cuncta ſibi data dabant, ſacras

cras vigilias, preces, ieiunia, mirificè frequentantes, atque in omnibus Apoſtolicæ vitæ ſpecimen referentes, D. P. Dominico, velut proprio parenti, in omnibus venerationem, atque obedientiam maximam exhibebant.

Permanſit S. Dominicus in partibus illis annos decem in prædicationis officio, atque hæreſis extirpatione conſumens; cumque fideles quidam, etiam nobiles, filias ſuas hæreticis imbuendas traderent, vt cibum, quem aliunde ob paupertatem conſequi non valebant, haberent, deliberauit Dei ſeruus ſe ipſum venundare, vt ſui pretio puellis illis ſubuenirct, ne in hæreſim cum animæ perditione defluerent, Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti imitator effectus; quòd vtiq; præſtitiſſet, niſi aliter illarum miſeriæ conſultum fuiſſet. *S. Antonin. Maluenda.*

ANNO 1208. Cum Comes Toloſanus Raymundus propter hæreſes, nefandaque ſcelera ſæpius anathemate ab Innocentio Pontifice percuſſus, & propter ſimulatam pœnitentiam abſolutus, tandem Apoſtolicum Legatum Petrum de Caſtronouo Monachum Ciſtercienſem lancea trãſfigi feciſſet, idem Pontifex contra illum, hæreticoſque Albigenſes ab eo protectos, ſacram militiam meritò prædicari voluit, cruceque ſignatos milites arma ſumere mandauit. Pro militum igitur collectione prædicauit D. Dominicus cum ſocijs ſuis, exhortando fideles; vt viriliter decertare vellent contra impios hæreticos, cauſa fidei ſuſcepta. *Maluenda.*

In tanto fidei Catholicæ diſcrimine quantùm laboris, & ſollicitudinis impenderit D. Dominicus cum paucis ſocijs ſuis, admonendo, diſputando, & propugnando illam, infaticabili ſtudio, & ſudore immenſo, non ſilent auctores, qui eius geſta conſcribunt. Neque dubium eſſe poteſt quin maioribus negotijs, quæ hoc anno in ditione Toloſana, ac Narbonen. prouincia aduerſus Albigenſes hæreticos, eorumque Patronum Toloſanum Comitem geſta ſunt, D. Dominicus interfuerit, maiorque rerum pars extiterit, & in predicanda Cruce, & in conſilijs adhibendis pro hæreſi iugulanda, fideque Catholica conſtabilienda, coram Apoſtolicis Legatis. *Maluenda.*

ANNO 1209. Menſe Iunio omnes Crucesignati ex diuerſis partibus Galliæ, mutuo conſilio, ac prouidenti diſpoſitione, congregati ſunt apud Lugdunum, inter quos fuère Petrus Archiep. Senonen. cum Epiſcopis Edunen. Claromonten. & Niuernen. & multis Comitibus, alijſque viris nobilibus geſtantibus omnibus, etiam militibus, crucem in pectore. Audiens igitur Comes Toloſanus multitudinem maximam Crucesignatorum contra ſe venientem, timens ne terras ſuas eſſent occupaturi, diris conſcientiæ ſtimulis agitatus, illi obuiam proceſſit, vſque propè Valentiam, & fingens pacem cum illis, & Eccleſia velle, promiſit pariturum ſe S. Dom. Eccleſiæ, atque Pontifici Max. in omnibus, quibuſdam Caſtris in promiſſorum fidem traditis; nolens tamen ſe, neque filium ſuum obſidem dare. *Maluenda.*

Poſt hæc congregati ſunt apud D. Dominicum multi crucesignati, alijque milites catholici voluntarij vna cum Comite Montisfortis, Simone dicto, viro piiſſimo, ac zelum Dei habente, vt Albigenſes deſtruerent; qui inuidia tabeſcentes, fremebant aduerſus S. Patrem, propriorum malorum auctorem dicentes, phlegmata, lutũ, aliaque vilia in eum iactando. Capti ſunt autem duo ex illis, igne publico conſumendi; cumque eorum alter ad cor rediiſſet, catholicam fidem profitendo, nihilominus Iudices vtrumque concremari mandauère. In ignem igitur coniecti ambo, conſumpto hære-

doxæ fidei veritas, & S. Patris, illius au-ctoris, ſanctitas comprobaretur. *Maluenda ex S. Antonino.*

ANNO 1207. Didacus Oxomen. Epiſcopus ſuam Eccleſiam verſus iter arripuit, in Hiſpaniam reuerſurus, & per Pamiam in Toloſano diſtrictu tranſiens vna cum S.Patre,ibi cum Vvaldéſibus hæreticis publicè diſputarunt,& ille, qui diſputationis Iudex cōſtitutus fuerat, hæreticæ prauitati renuncians, ſe, & ſua omnia in manus Didaci obtulit, & exinde hæreticos omnes impugnare cœpit, Comite Foxenſe in ſua pertinacia, atque hæreſi cum vxore, ac filijs perſeuerante.

Diſputatione peracta, videns cordatus Epiſcopus ibi meſſem multam pro Chriſto, operarios autem paucos, rogauit S. Dominicum, vt ibi in hæreticorum conuerſione cum aliquibus Patribus Ciſtercien. permaneret, quibus & Guillelmum Clareti pro adminiſtratione rerum temporalium ſuo ære prebendarum ſocium dedit, & diſceſſit, pedibus ſuis iter agendo: ac tandem Oxomam perueniens, morbo correptus, aditum inuenit in vitam æternam. Nunciato in Toloſantium partibus Didaci obitu, deficienteque eius charitatiuo ſubſidio, quo alebantur in hæreticorum regionibus Euangelici miniſtri, in ſua Monaſteria ſe recepère cuncti Ciſtercien. Monachi, relicto ſolo D. Dominico, qui in Domino, *qui dat eſcam omni carni,* confiſus, prædicationi impendens operā indefeſſa continuatione, ibidem permanſit, & domum Sororum de Prulliano,ante Ordinis confirmationem, initiauit. *Maluenda.*

Relictus igitur ſolus in Apoſtolico miniſterio Euāgelij Dominicus, ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis, erantq; arma militiæ eius, non carnalia, ſed ſpiritualia, quibus hæreticos confundebat, & conuictos ad abiurandos errores compellabat, quotidianis prædicationibus indefeſſo labore addictus; quòd cum Innocentio Pontifici innotuiſſet,datis Apoſtolicis litteris, eidem præcepit, vt ad expugnandam Albigenſium hæreſim totus incumberet, prout præſtitit, aſſumptis ſibi ad idem miniſterium exequendum ſocijs quibuſdam, Cumque multum proficeret in hæreticorum cōuerſione fauente Deo, cœpit de Ordinis inſtitutione cogitare factus annorum triginta, & octo. Cuius propoſitum fouere Petrus Amelij Narbonen. Archiep. Fulco Ep. Toloſanus, atque Simon Montis Fortij Comes cœperunt; idque vt facilius exequi valeret, decimas, redditus, Caſtra;nec non & Eccleſias ipſi,eiuſque ſequacibus ad eorumdem ſuſtentationem, & alimoniam dedère: Quapropter plures ſcientia, atque zelo promouendæ catholicæ fidei præditi, nec non & ſermone facundi, eidem in prædicationis officio Socij adhæsère;nec aliquis Sociorum aliquo voti vinculo aſtrictus tenebatur, ſed gratis, & magno cum affectu eum, propter ſanctitatis meritum,quod agnoſcebant, ſequebantur: & hæc fuère prima Prædicatorum Ordinis initia. *Maluenda vbi ſup. ex S. Antonino, & Guidone.*

Non referunt Scriptores quot fuerint Socij, qui S. Patri in prædicatione Euangelij, & conuerſione hæreticorum adhæſerint: paucos fuiſſe, omnes teſtantur, cordatos tamen viros, zelum Dei, & ſalutis animarum habentes, pedibus incedentes,ſine pecunia, & panem per domos emendicantes; quòd maximam admirationem, ne dum hæreticis ipſis, verùm & eiſdem fidelibus ingerebat. Concionibus frequentibus,diſputationibus doctiſſimis atque orationibus aſſiduis perditos homines,& à catholica fide deuios maximè, ad ſaniorem mentem reducere conabatur Dominicus: Nec non & ipſi inter ſe ſummo charitatis nexu deuincti,in communem vſum cuncta ſibi data dabant, ſacras

cras vigilias, preces, ieiunia, mirificè frequentantes, atque in omnibus Apoſtolicæ vitæ ſpecimen referentes, D. P. Dominico, velut proprio parenti, in omnibus venerationem, atque obedientiam maximam exhibebant.

Permanſit S. Dominicus in partibus illis annos decem in prædicationis officio, atque hæreſis extirpatione conſumens; cumque fideles quidam, etiam nobiles, filias ſuas hæreticis imbuendas traderent, vt cibum, quem aliunde ob paupertatem conſequi non valebant, haberent, deliberauit Dei ſeruus ſe ipſum venundare, vt ſui pretio puellis illis ſubueniret, ne in hæreſim cum animæ perditione defluerent, Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti imitator effectus; quòd vtiq; præſtitiſſet, niſi aliter illarum miſeriæ conſultum fuiſſet. *S. Antonin. Maluenda.*

ANNO 1208. Cum Comes Toloſanus Raymundus propter hæreſes, nefandaque ſcelera ſæpius anathemate ab Innocentio Pontifice percuſſus, & propter ſimulatam pœnitentiam abſolutus, tandem Apoſtolicum Legatum Petrum de Caſtronouo Monachum Ciſtercienſem lancea trāſfigi feciſſet, idem Pontifex contra illum, hæreticoſque Albigenſes ab eo protectos, ſacram militiam meritò prædicari voluit, cruceque ſignatos milites arma ſumere mandauit. Pro militum igitur collectione prædicauit D. Dominicus cum ſocijs ſuis, exhortando fideles; vt viriliter decertare vellent contra impios hæreticos, cauſa fidei ſuſcepta. *Maluenda.*

In tanto fidei Catholicæ diſcrimine quantùm laboris, & ſollicitudinis impenderit D. Dominicus cum paucis ſocijs ſuis, admonendo, diſputando, & propugnando illam, infaticabili ſtudio, & ſudore immenſo, non ſilent auctores, qui eius geſta conſcribunt. Neque dubium eſſe poteſt quin maioribus negotijs, quæ hoc anno in ditione Toloſana, ac Narbonen. prouincia aduerſus Albigenſes hæreticos, eorumque Patronum Toloſanum Comitem geſta ſunt, D. Dominicus interfuerit, maiorque rerum pars extiterit, & in predicanda Cruce, & in conſilijs adhibendis pro hæreſi iugulanda, fideque Catholica conſtabilienda, coram Apoſtolicis Legatis. *Maluenda.*

ANNO 1209. Menſe Iunio omnes Crucesignati ex diuerſis partibus Galliæ, mutuo conſilio, ac prouidenti diſpoſitione, congregati ſunt apud Lugdunum, inter quos fuère Petrus Archiep. Senonen. cum Epiſcopis Edunen. Claromonten. & Niuernen. & multis Comitibus, alijſque viris nobilibus geſtantibus omnibus, etiam militibus, crucem in pectore. Audiens igitur Comes Toloſanus multitudinem maximam Cruceſignatorum contra ſe venientem, timens ne terras ſuas eſſent occupaturi, diris conſcientiæ ſtimulis agitatus, illi obuiam proceſſit, vſque propè Valentiam, & fingens pacem cum illis, & Eccleſia velle, promiſit pariturum ſe S. Dom. Eccleſiæ, atque Pontifici Max. in omnibus, quibuſdam Caſtris in promiſſorum fidem traditis; nolens tamen ſe, neque filium ſuum obſidem dare. *Maluenda.*

Poſt hæc congregati ſunt apud D. Dominicum multi cruceſignati, alijque milites catholici voluntarij vna cum Comite Montisfortis, Simone dicto, viro pijſſimo, ac zelum Dei habente, vt Albigenſes deſtruerent; qui inuidia tabeſcentes, fremebant aduerſus S. Patrem, propriorum malorum auctorem dicentes, phlegmata, lutū, aliaque vilia in eum iactando. Capti ſunt autem duo ex illis, igne publico conſumendi; cumque eorum alter ad cor redijſſet, catholicam fidem profitendo, nihilominus Iudices vtrumque concremari mandauère. In ignem igitur coniecti ambo, conſumpto

hære-

hæretico; qui reſipuerat, illæſus ex rogo euaſit, ſtupentibus adſtantibus cunctis, quo miraculo multi, abiurata hæreſi, S. Matri Eccleſiæ reconciliati fuere. *Maluenda.*

ANNO 1210. Simō Comes Montisfortis arma contra Albigenſes ſumens cum Cruce ſignatis, adhortante S. Dominico prælia vario marte cum eiſdem geſſit: at cum inualeſcerent hæretici, à Toloſano Comite, alijſque pluribus circumadiacentibus adiuti, de mandato Pontificis prædicata eſt Crux ſacræ militiæ contra eos in Alemania, & Gallia, ab eodem S. Patre, & Socijs, congregataque eſt copioſa crucesignatorum multitudo pro tuenda catholica fide, debellandiſque hæreticis, illam perdere intentantibus. Cum autem Crucesignati, qui ex Gallia venerant, iuſſu Simonis Comitis, qui præliabatur prælium Domini cum lætitia, vineas circum Cabaretium demolirentur, hæreticus quidam ex oppido petraria baliſta vi emiſſo ſaxo magno quendam militem ex noſtris inermem in pectore ſuper Crucem, quam geſtabat, percuſſit, & in terram deiecit; cumque ſocij accurriſſent, putantes eum confractum, & mortuum, ſanus ille ſine vlla prorſus læſione è terra ſurrexit, reſiliente è pectore ſaxo, ac ſi in duriſſimum ſilicem illiſum fuiſſet, quo facto exhilarati catholici milites præliabantur in hoſtes fidei cum lætitia, & cum eis Dux illorum Simon Comes maximè, qui perſequutus eſt iniquos perſcrutans eos: ſimilis factus leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione. Dum autem præliarentur Crucesignati in hoſtes fidei, præibat ante eos S. Dominicus, & Crucifixum ſuper haſtam deferens, milites ad viriliter pugnandum pro cauſa fidei ſuis feruidis exhortationibus illeſus inflammabat. Quare & Caſtrum Alaricum, & Caſtrum Mineruę cum alijs pluribus hoc anno expugnata ſunt ſub glorioſiſſimo Duce Monſortio. *Maluenda.*

ANNO 1211. ex Alemania, vbi fuerat ſuperiori anno Crux in Albigenſes prædicata, venerunt in ſubſidium Montisfortis, atque Catholicorum Leopoldus Dux Auſtriæ, Adolphus Comes de Monte, Villelmus Comes Iuliacenſis, & alij nobiles cum numeroſa multitudine Crucesignatorum, & animo inconcuſſo præliantes, Albigenſium Caſtra ſibi ſubegerunt, quampluribus hæreticis, hæreſim abiurare renuentibus, igne, ac ferro conſumptis. Cum verò in obſidione caſtri Lauarini pallium cuiuſdam Crucesignati militis ab oppidanis hæreticis raptum, in ignem ab eiſdem in Crucis, quæ eidem aſſuta erat contumeliam, iniectum fuiſſet, totum igne conſumptum eſt, Cruce integra, & illæſa permanente, quæ cum iterum, & tertiò in maiorem ignem fuiſſet proiecta, flammas deluſit: hocque prodigium cauſa fuit, vt aliqui ex hæreticis abiurata hæreſi S. Matri Eccleſiæ ſint reconciliati, & Cruce ſuſcepta in eoſdem poſtea arma ſumpſerint. *Maluenda.*

Dum milites cum eorum Duce glorioſiſſimo Simone Monteſortio in haſta, & gladio dimicabant contra hoſtes, eorumque caſtra igne conſumebant, D. Dominicus, & confortabat milites in aſſumpto propoſito præliandi permanere, & hæreticos ipſos gladio ſpiritus oris ſui perſequi non omittebat. Indicta fuit propterea contra hæreticos generalis diſputatio in eorundem confuſionem, ad quam cum Epiſcopus loci illius cum pompoſa ſocietate accedere vellet, monuit eum S. Pater dicens: *Non ſic Bone Paſtor in hæreticos pugnaturus, accedere debes; humilitate potius, alijſque virtutum exemplis ſunt hi conuincendi. Armemus nos igitur deuotis orationibus, ac veræ humilitatis indicia deferentes diſcalceatis pedibus contra eos procedam*

cedamus in nomine Domini. Diſcalceati igitur cũ ad locum certaminis procederent, adfuit quidam hæreticus occultus, & ſe eos per breuiorem ſemitam ad eandem locum ducturum dixit: Duxit illos igitur per viam, ſpinis, atq; vepribus ita conſitam, vt copioſus ſanguis ex ſeruorum Dei pedibus proflueret, qui patientiſſimè tantum dolorem ferentes, in laudem Dei hymnos ſacros canentes ora relaxauère: & hoc facto tantam confuſionem ductori hæretico attulère, vt corde compunctus fraudis venena detexerit, & ſe reconciliari Eccleſiæ popoſcerit. Venientibus autem ad locum diſputationis cuncta proſpere euenère, diſputatione ſumma cum noſtrorum gloriâ, atq; hæreticorum confuſione peracta. *Maluenda.*

Fremebant igitur impij in S. Patrem Dominicum, quem cunctorum malorum auctorem agnoſcebant, & ſtridebant dentibus in eum, cogitantes de eo, de terra viuentium eradando: Dominus autem irridebat eos, nec tradidit illum in manibus eorum, ſed mirandis operibus, ac miraculis ſeruum ſuum venerabiliorem apud omnes reddidit. Contigit igitur, dum Toloſam remearet, tranſeundo fluuiolum, dictum Aregia, eius libros in aquas cadere, qui Deum laudans peruenit ad domum Matronæ cuiuſdam nobilis ſuæ hoſpitatricis, nuncians ei librorum ammiſſionem. Tranſacta tertia die piſcator quidàm in aquam hamo proiecto eoſdem libros ad ſe traxit, putans ſe grandem piſcem axpiſcatum; at ita illibatos, ac ſi in armario fuiſſent maxima diligentia aſſeruati: ſuſcipiens autem illos dicta Matrona, Toloſam ad Seruum Dei ſtatim miſit. *Maluenda.*

Aliud factum mirabile de eodem S. Patre referunt Scriptores. Cum aliquando apud Fanum Iouis coram multitudine maxima auditorum vtriuſque ſexus, tam hæreticorum, quam Catholicorum, perfidiam hæreticorum multipliciter improbaſſet, terminata concione ad illum acceſsère nouem matronæ nobiles, & procidentes ad pedes eius dixerunt: *Serue Dei adiuua nos, ne pereamus: ſi vera ſunt, quæ prædicaſti hodie, ora Dominum Deum tuum, vt tollat velamen à cordibus noſtris, & verum Deum cognoſcamus, & ſaluæ ſimus.* Reſpondit Sanctus: *Conſtantes eſtote, & videbitis quem adoratis.* Et ipſo genuflexo, & orante, ſtatim apparuit inter eas animal magnum, & teterrimum, felicis imaginem præſeferens, quod poſteriorum turpitudinem, quocumque ſe verteret, oſtendebat, atque ex illis fetor intolerabilis exibat: Cumque circa matronas illas quaſi per horã ſe huc, illucque vertiſſet, per funes campanæ aſcendens diſparuit, ipſis matronis ad fidem Catholicam conuerſis, atque in eadem à S. Patre edoctis. *S. Antoninus, & Maluenda.*

ANNO 1212. viriliter dimicantibus cruceſignatis, multa hæreticorum caſtra obſeſſa, in poteſtatem venere Simonis Comitis, in quibus Catholicos liberè viuere poſſe, & S. Dominicum cum ſocijs prædicare verbum Dei ad hæreticorum conuerſionem voluit. Erat vir Dei diuina gratia plenus, apud omnes fama, & extimatione ſanctus acclamatus; inuidebant autem hæretici, illum irridentes, contumelijſq; multiplicibus afficientes. Porrò fidelium omnium deuotio erga illum in dies creſcebat, nec non & Prælatorum Eccleſiaſticorum, qui in illis locis erant, dilectio: quapropter trium Eccleſiarum Cathedralium Epiſcopalis dignitas, nempe Conuenarum, Conſeranenſis, atq; alia in Narbonen. prouincia ei fuit oblata; at ille in humilitate magnus, Chriſti paupertatem regnis, & ſedibus præpoſuit, nec cathedras illas aſcendere voluit: optabat enim liber eſſe ab omnibus curis; vt hæreticis cunctis poſſet ſua ſancta cõuerſatio-

ſatione, ac prædicatione fieri in ſalutem. *Maluenda.*

In Quadrageſima autem apud Carcaſſonam in ædibus Epiſcopi permanſit, diebus ſingulis conciones, & exhortationes ad populum habens, atq; demandatas ſibi Epiſcopi vices omni adhibita cura exequtus eſt, tanquam lucerna ardens, & lucens in caliginoſo loco; vt frigeſcentem charitatem in multorum cordibus inflammaret, & tenebroſam hæreticorum caliginem doctrinæ Euangelicæ luce diſſolueret. Cum autem quadam vice interrogaretur à Religioſo Ciſtercienſe in hunc modum: *Magiſter Dominice nunquam ne habitura ſunt hæc hæreticorum mala finem?* nil Sanctus reſpondit, ſed illo importunius inſtante, tandem dixit: *Finem certè habebit hæreticorum malitia, ſed procul dubio abeſt ille finis; multus interim effundetur ſanguis, & Rex quidam in hoc bello occidetur.* prout contigit; ſequenti enim anno Aragonum Rex arma ferens aduerſus Eccleſiam cæſus fuit, maximo militū etiam ſanguine effuſo. *Maluenda.*

ANNO 1213. Circa feſtum Epiphaniæ Domini Petrus Aragoniæ Rex auxilium affini ſuo Toloſano Comiti laturus, cum valida militum manu Toloſam petijt, habitoque colloquio cum Apoſtolico Legato, & Comite Monfortio de pace ſtabilienda, induciæ dierum octo factæ ſunt, quæ dum colloquium ageretur ab hæreticis, eo adhuc durante interruptæ fuère, excurſionem facientibus ipſis in Carcaſſonenſem agrum, omniaque vaſtantibus. Tandem poſt multa, menſe Septembri initum eſt certamen à Catholicis, eorum Duce Simone Monfortio, cum hæreticis, & Aragonenſibus illorum fautoribus; & cum numero longè minores eſſent catholici milites, aduerſariorumque potentiam pertimeſcerent, Monfortius Dux glorioſiſſimus, in Domino, cuius cauſa agebatur, confiſus dixit illis. *Facile eſt concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis; quoniam non eſt in multitudine exercitus victoria belli; ſed in cœlo fortitudo eſt.* & initum eſt bellum maximum inter eos ad Maurelium, & pugnantibus viriliter, atque ex corde, catholicis, ad 17. millia hæreticorum, & Aragonenſium cæſa ſunt & cū illis Petrus Aragoniæ Rex. *Beluacen.*

Interea dum prælium agebatur, S. Dominicus in caſtro Maureli cum Epiſcopis Toloſano, Nemauſenſe, Vceticen. Lodouen. Biterren. Agaten, & Couenarum, alijſq; Abbatibus, vna cum alijs Religioſis viris, Deum enixè orabant; vt militibus ſuis fieret in adiutorium & ſalutem, alta voce cantantibus Clericis cum ipſis: *Hoſtem repellas longius, pacemq; dones protinus, ductore ſic te præuio, vitemus omne noxium.* At ſanctus Pater, qui inter cæteros ſanctitate, & pietate eminebat, non eſt dubium quin ſuis precibus, atq; exhortationibus, maximè ad victoriam contulerit, ſicuti illorum temporum Annales teſtantur. *Maluenda.*

ANNO 1214 Fama ſāctitatis beati Dominici in dies magis, ac magis per omnium ora volitante, tanta in reuerentia habebatur apud Magnates, & Principes; vt Comes Monfortius ab eo ſummis precibus petierit, & obtinuerit, filiam ſuam baptizari, primogenitiq; nuptias cum filia Delphini Viennen. benedici apud Carcaſſonam. Contraxerat familiaritatem maximam cum D. Patre Comes tunc temporis, quando ipſe materiali gladio pugnans cum hæreticis, eorum caſtra euertebat, atq; ad mortem perſequebatur: Sanctus verò Dominicus, ſpirituali gladio diſputationum, ſacrarumque prædicationum illos ex hæreſum tenebris erucre omni ſtudio conabatur, iejunijs, vigilijs, & diſciplinis ſupplicans Diuinam bonitatem, vt cœcitatem cordis

dis ab eis amouère, atque ad vnitatem fideliũ reducere dignaretur pœnitentes; agebatq; vterq; cauſam Dei, charitatis vinculo inter ſe ambo aſtricti. *Maluenda.*

Carcaſſonæ autem manens D. Dominicus non ſemel inuiſit Iacobum, Petri Aragonum Regis primogenitum, ibidem ſub educatione Simonis Comitis Monfortij permanentem, quem, & documentis chriſtianæ legis, atq; pietatis imbuit, vt ab hæreticorum deliramentis, ac cõſortio ſe alienum conſeruaret. Princeps autem optimæ indolis cognita viri Sanctitate, omnium ore celebrata, auditiſq; eius feruidis concionibus; nec non & patratis miraculis, illum vnicè diligebat, & dilexit, ſimul cum Ordine, Aragonum Rex effectus. *Maluenda.*

Cum gladio ſpiritus oris ſui S. Pater proſequeretur hæreticos, quos ex fetore dignoſcebat, apud Toloſam permanens aliquando, contigit, quoſdam ex illis captos & per eundem Sanctum conuictos; nolentes tamen ad Catholicam fidem reuerti, tradi brachio ſeculari comburendos: cumq; eſſent parato incendio concremandi, figens in illos oculos, vnum ex ipſis, Simonem de Groſſis nomine, Officialibus mandauit, ab incendij exequtione ſuſpendi, & ſibi tradi, ac ſi aliquem prædeſtinationis radium in eodem fuiſſet intuitus; & conuerſus ad eum dixit: *ſcio fili mi, quòd adhuc, licet tardè, eris bonus Catholicus, & Sãctus*, dimiſitq; illum, qui tandem corde compunctus, abiurata hæreſi, & relictis tenebris, non ſolùm ad agnitionem veritatis venit; ſed & Prædicatorum Ordinis habitum ſuſcepit à S. Patre, in quo cum Sanctitatis fama, & vixit, & mortus eſt. Fungebatur autem tunc in Toloſanis partibus contra Albigenſes Inquiſitoris officio S. Pater à Card. Legato in eo munere confirmatus; vnde propria auctoritate mandauit miniſtris iuſtitiæ, vt ſupradictum hæreticum, quem pœnitentem futurum cognouit, non comburerent. Caſtigauit autem Gulielmum Vgotionem hæreticum, & pœnitentem, ſalutaribus pœnitentijs iniunctis pœnitentiũ habitu induit. *Maluenda.*

ANNO 1215. Cum vir mirabilis Dominicus, à Deo in ſalutem animarum mundo datus, vidiſſet magnam, nobilemque Galliæ regionem Albigenſium impietatibus, ac hæreſibus deprauatam, mundumq; omni ex parte deperditum, non niſi verbo Dei, atq; euangelica prædicatione ſanari poſſe, de inſtituendo Prædicatorum Ordine cogitauit, cuius præcipuus finis, & ſcopus eſſet, lingua, calamo, doctrina, atq; prædicatione, Euangelium Chriſti populis annunciare, hæreſes confutare, hæreticos ſacris concertationibus confundere, Catholicam fidem propugnare, & vbiq; gentium propagare. Quapropter alios prioribus addidit ſocios vitæ integitate conſpicuos, pro Euangelij prædicatione, atq; hæreticorum conuerſione aptiſſimos, quos ſecum communi victu Apoſtolicam vitam profiteri voluit. Habebat autem D. Pater ad ſui, & ſociorum ſuſtentationem Eccleſiam Fani Iouis, congruis redditibus locupletatam, cum Caſtro Caſſanuel, ſibi à Comite Montis Fortis collato, cuius erga eum feruebat deuotio, ſpecialiſq; dilectio. De omnibus verò, quæ habebat S. Dominicus, quidquid ſubtrahere poterat, Sororibus Monaſterij de Prulliano impertiri ſtudebat: & talis fuit prima Ordinis Prædicatorum inſtitutio. Manſit autẽ in Toloſanis partibus vſq; ad Lateranen. Cõcilij celebrationẽ. *Beluacen.*

Cum inter turpiſſimos inſanientium Albigentium hæreticorum errores, quos blaſphemo ore impij vomebant, præcipuus ille eſſet, quòd puritatem, integritatemq; Sanctiſſ. Dei Genitricis Mariæ fœdè lacerabant, Meretricem dicentes; S. Dominicus, cui nil poſt Deum cordi magis

Digitized by Google

gis erat, quàm glorioſiſſ. Virginis dilectio, cultus, ac veneratio; in qua mortales cuncti, ſalutem æternam deſiderantes, ſpes ſuas collocant, vehementiſſimo animi dolore affligebatur, cernens tantam hæreticorum audaciam, ac temeritatem, quã compreſſurus, eamdem Sacram Dei Genitricem aſſiduis præcibus interpellabat, etiam lacrymis, vt honorem ſuum, virginalemq; pudicitiam aduerſus blaſphemantes hæreticos tueri, ſibique humili ſeruo ſuo oportunum remedium ad hoc reuelare dignaretur.

Exaudiuit miſericordiæ Regina præces ſerui ſui, ſeque eidem oranti, in aperta viſione, demonſtrauit, monens vt Roſarium omni mentis feruore prædicaret populis, velut ſingulare pręſidium ad euertẽdas hæreſes, vitiaq; extinguẽda. Cœpit igitur incredibili cũ animarum fructu deinceps ſaluberrimum Roſarij inſtitutum à S. Dominico promulgari in Gallia, quem illius fuiſſe authorem Summorum Pontificum Apoſtolicæ litteræ apertè teſtantur: & inter eos Sixtus V. in Bulla: *Dum ineffabilia*. Dat. Romæ die 30. Ianuar. Anno 1588. ſic ait: *Attendentes itaq; quàm Religioni noſtræ fructuoſum fuerit Sanctiſſ. Pſalterij, Roſarij nuncupati, Glorioſæ, ſemperq; Virginis Mariæ almæ Dei Genitricis, inſtitutum per B. Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum authorem, Spiritu Sancto, vt creditur, afflatum, et excogitatum, quantaq; exinde modò prouenerint, & in dies proueniant bona.* &c. Maluenda, qui id in annum hunc 1215. reijcit.

Inſtante Lateranen. Concilij celebratione, cum Epiſcopi, & Prælati præpararent ſe ad illud, nobilis quidam, Petrus Scillanus nomine, Toſolanus Ciuis, ſe, domumque ſuam ſatis amplam, quam Toloſæ incolebat, obtulit B. Dominico, à ſe, ſuiſq; Socijs inhabitandam, vbi S. Pater manſit, & in Religioſorum viuendi ratione omnes ſe conformare cœperũt. Epiſcopus verò Toloſanus Fulco Maſſilienſis vitæ ſanctitate celebris, fideiq; zelator feruidus, qui eumdem Sanctum cum ſocijs vnicè diligebat, de conſenſu Capituli ſextam decimarum ſuæ Eccleſiæ partem ad neceſſaria comparanda, eorumq; congruam ſuſtentationem dono dedit: & tunc omnes cœperunt ſe Religioſorum moribus conformare: hicq; fuit primus conuentus Ordinis. *Humbertus.*

In huius anni fine, nempe Nouembri menſe celebratum eſt magnum illud Generale Lateranenſe Concilium in Vrbe, ad quod B. Dominicus cum Fulcone Toloſano Epiſcopo acceſſit, confirmationem Ordinis procuraturus, cuius ipſe iam fundamenta iecerat apud Toloſam ſuperiori anno. In eodem Concilio coram Innocentio III. Pont. Max. & Patribus contra Ioachimi errores facũdo ore perorauit, atq; Almerici deliramenta doctiſſimis rationibus confutauit, multaq; de Albigenſium hæreſibus retulit, doctiſſimi, & pijſſimi viri ſibi nomine apud Patres Concilij, & Pontificem comparato. *Bzouius in Annal.*

Cum autem terminato Concilio ad Innocentij pedes acceſſiſſet, aduentus ſui in Vrbem cauſam enunciaturus, inſtaſſetq; propterea ſummis præcibus apud eundem pro ſui Ordinis confirmatione, repulſam paſſus fuit à Pontifice; quòd non niſi diuina permiſſione factum eſt; vt nimirum ex ſequenti reuelatione agnoſceret ille, quàm neceſſarius eſſet vniuerſali Eccleſiæ, cui ille præerat, Ordo Religioſorum nouiter erigendus. Nam ſequenti nocte Innocentius, Deo ſibi reuelãte, vidit in ſomnis Lateranen. Baſilicam ſuis compagibus quaſi ſolutam, grauem ruinam minitantem; quòd cum pauens, ac merens coſpiceret, exaduerſo vir Dei Dominicus accurrens, humeris ſuppoſitis eam, ne caderet, ſuſtentabat. Expergefactus illicò Pont. Sacramentumq; conſiderans,

derans; vocato ad ſe Fulcone Epiſcopo, ab eo imformari plenè voluit de perſona, virtutibus, ac viuendi ratione S. Patris eiuſq; Sociorum, & certior factus de zelo, ac ſanctitate tanti viri, & de rebus ab eo, & Socijs in obſequium fidei contra Albigenſes patratis, S. Dominico, cuncta pro voto indulſit, dummodo vnius ex probatis Sacris Ordinibus Eccleſiæ regulam aſſumeret approbatam. Lætus igitur, poſt actas Deo, bonorum omnium largitori gratias, cogitauit de regreſſu Toloſam verſus, cum Fulcone Epiſcopo. *Beluacen.*

Reuerſuro igitur Toloſam S. Patri Dominico, mandauit Pont. vt cum Socijs ſuis murum ſe validum opponeret contra Albigenſes hæreticos pro Eccleſia S. Dei; quòd vt facilius exequi poſſet, de Cardinalium conſilio Inquiſitorem creauit in illos cum facultate ampliſſima puniendi, incarcerandi, tradendiq; ſæculari brachio: pœnitentes verò S. Matri Eccleſiæ reconciliandi; datis Apoſtolicis litteris, quæ fuère publicè lectæ ab eodem S. Patre in ſua Toloſana Eccleſia S. Romani. Fuiſſe verò ipſum primum Inquiſitorem in Eccleſia, apertè teſtatur Sixtus V. in ſua Conſtitutione Apoſtolica, data Romæ anno 1588. pro celebratione feſtiuitatis S.Petri Mart. dicens *Imo verò imitatione accenſus B. P. Dominici, vt ille perpetuis, & concionibus, & diſputationum congreſſibus, officioq; Inquiſitoris, quod ei primum prædeceſſores noſtri, Innocentius III., & Honorius III. commiſerant contra hæreticos mirabiliter ſe geſſit, ita ipſe &c.* Et huiuſmodi inſtitutionem contigiſſe hoc anno teſtatur Paramus.

ANNO 1216. Cum S. Pater Dominicus vna cum Toloſano Epiſcopo Fulcone, Toloſam, ad ibi relictos ſocios inuiſendos, deliberandumq; de ſuſcipienda Regula, perueniſſet, Summi Pontificis decretum eiſdem propalauit, qui erant numero ſexdecim, & inuocata Sancti Spiritus gratia, regulam D. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, ac Prædicatoris egregij, vnanimiter elegère, quibuſdam Conſtitutionibus, ſibi tanquam proprijs, & miniſterio ſuo aptioribus, reſeruatis, ex Præmoſtraten. Ordine ſelectis. Fulco autem S. Dominico, & ſequacibus Eccleſiam S. Romani Toloſæ attribuit, vt dictum eſt ſupra. *Humbertus.*

Cum Romam repeteret S. Pater, vt confirmationem Ordinis ab Innocentio III. conſequeretur, prædefunctum illum inuenit apud Peruſium; quare mœrore conſternatus, quid ſibi cum nouo deligendo Pontifice euenturum foret, ignorabat. Ad orationes igitur, vigilias, ieiunia, ac diſciplinas confugiens, Deum enixè præcabatur, vt daret Eccleſiæ Paſtorem, qui contra hæreticos viriliter inſurgeret, naſcentemque Prædicatorum Ordinem confirmaret. Voti tandem compos effectus eſt; nam electo Pontifice Max. Honorio III. ex nobiliſſima Romana familia de Sabellis, Ordinis, & omnium, quæ voluit, confirmationem impetrauit. Hæc S. Antoninus, qui ſubdit *Sed verè non humana induſtria; imo potens Dei Sapientia, prout voluit, per humilem ſeruum perfecit hæc omnia, ſicut obtinuit Dei Genitricis interceſſio veneranda.* Et Veſpergen. Abbas inquit: *Eo tempore, mundo iã ſeneſcente, exortæ ſunt duæ Religiones in Eccleſia, cuius, vt Aquilæ renouatur iuuentus, quæ etiam à Sede Apoſtolica ſunt confirmatæ, videlicet Minorum Fratrum, & Prædicatorum.*

Facta Ordinis confirmatione, Honorius Pontifex ſcripſit Fratibus Prædicatoribus in Toſolanis partibus commorantibus, mandans illis, vt euangelizando verbum Dei, in hæreticos Albigenſes, eorumq; impiam hæreſim, totis viribus inſurgerent, ſcientes ſe datos fuiſſe coadiutores Apoſtolicæ Sedis contra illius

hoſtes, & in Eccleſiæ columnas ad ſuſtẽtationem illius, ruinam minitantis. *Caſtill. lib. 1. cap. 25*

Stabant eodem anno, & tempore Fratres Prædicatores, quot quot erant, peruigiles, in ſtudio ſcripturæ ſacræ aſſidui, in concionibus ad populum frequentes, in confeſſionibus audiendis immobiles, & in ſalute animarum procuranda indefeſſi, contra hæreticos ore, lingua, calamo, ſudoribus, & ſanguine decertantes, exultabatq; S. Pater, videns filios ſuos ſeruitio Dei totaliter mancipatos. *Caſtill. & Flamin.*

ANNO 1217. Acceptis ab Honorio Pontifice litteris, S. Pater filios ſuos ad prædicandum Euangelium Ieſu Chriſti in Hiſpaniam pro Agarenorum conuerſione miſit, quos publicis, & priuatis congreſſibus conuenientes, nec non & ſacris cõcionibus demulcẽtes, Eccleſiæ filios dedère, proprios errores deteſtantes. Ipſe autem S. Pater filijs ſuis ſe bonorum operum exemplar præbiturus, cogitauit de Maurorũ, aliorumq; gentiliũ conuerſione per Euangelij prædicationem procuranda: quare demandata cura Ordinis P. Mathæo Gallico, qui fuit primus, & vltimus in Ordine Abbas, in Affricam nauigare decreuit prædicationi veræ fidei martirij palmã aſſociaturus; at Deus, qui illum ad maiora Eccleſiæ beneficia conferenda elegerat, noluit eius ſanctum propoſitum exequtioni dari. *S. Antoninus. Maluenda.*

His peractis cogitauit S. Pater de ſuo in Vrbem regreſſu, vt fundato ibidem cœnobio, Romano Populo fieret in ſalutem. Ingreſſus igitur Vrbem, Honorium abſentem inuenit, & apud S. Petrum in Vaticano, nec non S. Marcum pro populi commodo prædicans, Romanorum animos ſibi ſupra modum allexit. Inde ad Ciuitatem Caſtellanam, vbi Pont. erat, digreſſus, Eccleſiam S. Sixti pro ſe, ſuiſq; filijs ad Apoſtolica ſua miniſteria exequenda impetrauit, datis ſequentibus Apoſtolicis litteris.

HONORIVS PAPA III.

Ligna pomifera in Eccleſiæ Paradiſo plantare; ac fouère plantata, iuxta quod ex officij noſtri tenemur debito, cupientes, dilecto filio F. Dominico, & Fratribus ſui Ordinis Eccleſiam S. Xiſti de Vrbe duximus concedendam, ſperantes in Domino, quòd tam ipſe, quàm Fratres ſui poma noua, & vetera, quæ ſponſus legitur ſponſæ ſeruaſſe, miniſtraturi ſint eſurientibus animabus. Dat. apud Ciuitatem Caſtellanam 16. Kal. Ianuarij Pontificat. noſtri anno 3. In hac igitur Eccleſia S. P. Dominicus cum filijs ſuis Sacramenta miniſtrando, confeſſiones audiendo, ſacras conciones ad populum habendo, multos fideles lucratus eſt cœlo. *Odericus Bzou. & in Annal.*

Dum S. Pater in Vaticano templo oraret, gratias agens Deo de tot ſibi collatis beneficijs, apparuerunt illi glorioſi Principes terræ Petrus, & Paulus, à quibus dictum eſt ipſi. *Vade, & prædica Euãgelium; hoc enim tibi à Domino demandatum eſt miniſterium:* ſtatimq; in viſione conſpexit filios ſuos binos, & binos incedentes, per orbem terrarum diffuſos, Euangelium pacis gentibus annunciantes, & lætatus eſt ſupra modum. *Flamminius in vita S. Patris.*

Conſueuit propterea S. Pater Fratres, etiam Nouitios, & tyrones mittere per Ciuitates, & Caſtella ad prædicandum Euangelium, dicebatq; illis: *Ite & fructum facite coram Deo, & hominibus: ad hoc enim miniſterium vocati eſtis; confidite in Deo filij chariſſimi, & proſpera cuncta euenient vobis.* Ibant igitur illi gaudentes, diuini honoris ardore ſuccenſi, peccatorumq; ſalutem ex corde ſitientes, prædicabant

cabant prout Spiritus Sanctus debet eloqui illis. Quadam autem nocte poſt matutias præces perſolutas, S. Pater vocatis ad ſe Nouitijs, præcepit duobus ex eis, vt pergerent ad prædicandum in quoddam Caſtrum Sabinæ, vbi dies feſtus celebrabatur ea die B. Virginis. Diſceſsère è conuentu ſtatim illi, & venientes ad pontum Numentanum, inuenerunt illum aquis merſum propter pluuias antecedentibus diebus è cœlo delapſas; & cum non haberent nauiculam ad tranſitum paratam, dixit maior ex ipſis, qui erat concionaturus. *S. Pater præcepit nobis, vt eamus ad Caſtrum verbum Dei annunciaturi*; & facto ſigno Crucis ſuper aquas, tranſiuit ſuper illas in nomine Domini; quòd cum vidiſſet Socius, etiam ipſe idem præſtitit: Vlterius autem incedentes, venerunt ad locum prædicationis, & petita licentia ab ordinario Presbytero loci, prædicauit Nouitius tanto cum Spiritus ardore, & deuotione, vt ad lacrymas audientes prouocauerit, & ſumpta refectione ad S. Patrem reuerſi ſunt ambo apud Sanctam Sabinam, nunciantes illi, quæ ſibi contigerant in via *Flamin. in vita S. Patris et Maluen. in Annal.*

ANNO 1218. Nunciatis Honorio Pontifici progreſſibus, quos in promotione Catholicæ fidei faciebant Prædicatores, tam in Agarenis apud Hiſpanos conuertendis, quam in Albigenſibus hæreticis in Gallia hæreſim abiurantibus, in fauorem eorundem Apoſtolicas litteras dedit ad omnes Eccleſiarum Paſtores, & Rectores, vt illis aſſiſterent, auxilium, conſilium, & fauorem darent ad aſſumptum Apoſtolicum opus perficiendum. Quibus fauoribus communiti illi, per diuerſas regiones, etiam barbaras, incedentes, & verbū Euangelicū annuntiantes, peccatores ad propriorum ſcelerum deteſtationem, amplexandamq; pœnitentiam; Gentiles ad agnitionem omnipotentis Dei, & hæreticos ad eiurandos errores proprios, adduxère. *Odericus ad an. 1219. num. 54. & 55. Annal. Ord. ad an. 1218. & Bzou. ibid.*

Eodem anno erant in Vrbe Sacræ Virgines, in Monaſterijs, atq; paternis domibus degentes, ſæcularibus rebus, & negotijs implicatæ, viamq; Spiritus ignorantes, quas ad meliorem viuendi normam reducere cogitans Honorius Pont. directioni S. Patris Dominici illas ſubdere decreuit. Reigitur cū Cardinaliū collegio communicata, ex eorūdem voto, de illis in vnū locum transferendis, & includendis ſtabilitum fuit. At quia id exequtioni dare difficilimum iudicabatur propter Parentum potentiam, nobiliumq; protectionem, negotium exequendum S. Patri Dominico commisère, tanquam viro in maximæ ſanctitatis opinione apud omnes conſtituto. Arduum profecto opus, in Domino confiſus, ſuſcepit ille, & cunctis, diabolico æſtu ſuſcitatis contradictionibus in Vrbe, ſedatis, Dominica prima Quadrageſimæ, quæ 12. Kal. Martij contigit, cunctas Vrbis ſacras Virgines in vnum collectas, apud S. Mariam Tranſtiberim, ſolemni proceſſione iſtructa, vna cum B. Virg. Mariæ Sacra imagine, à S. Luca Euangeliſta depicta, ſecum ad S. Xiſtum adduxit, vbi ſub firmiori viuendi ritu, ac clauſura permanentes, ſe bonorum omnium præbuère exemplum. Fratribus aliquibus, ætate, ac moribus præſtantioribus ad earum cuſtodiam conſtitutis; cæteris autem ad S. Sabinam ab Honorio Pont. Ordini conceſſam in locum S. Xiſti, pergentibus. *Odericus num. 51. & Caſtill. p. 1. lib. 1. cap. 31.*

Talibus, ac tantis curis onuſtus S. Pater, prædicationem verbi Dei non omittebat, ſingulis dominicis diebus, atque præcipuorum Sanctorum feſtiuitatibus in principalioribus Vrbis Eccleſijs prædicans, ſalutis animarum ſitientiſſimus,

ad

Digitized by Google

ad quem audiendum Romanus populus cuiuſcumq; ſexus, & ætatis confluebat, fama ſanctitatis eius per omnium ora volitante, quòd trium mortuorum fuiſſet in Vrbe ſuſcitator magnificus. *S. Antoninus, & Maluenda.*

Eodem anno cum Pontificis ædes cõuentui S. Sabinæ, vbi Fratres in paupercula Domo degebant, eſſent vicinæ, egit S. Pater cum illo, vt dum Cardinales in pertractandis negotijs Eccleſiæ in Conſiſtorio eſſent clauſi, aliquis in Pontificia Aula ſacras litteras interpręetaretur, ad murmurationes, vanoſq; Aulicorum ſermones compſcendos. Placuit Honorio conſilium, iuſſitq; illi, vt tale obiret munus, qui D. Pauli epiſtolas ad Romanos, magno auditorum plauſu interpretari cœpit. Atq; adeo hoc pium opus Curiæ placuit, vt deinceps fuerit inſtitutum, ex Prædicatorum Ordine ad hoc ipſum aliquem ſemper aſſumendum fore, nomine ei attributo *Magiſtri Sacri Palatij*, inter quos primus effulſit S. Pater Dominicus tanti Magiſterij auctor, & inſtitutor, quod vſq; in hodiernum diem ex Summorum Pontificum beneuolentia in eiuſdem S. Patris filijs inconcuſsè perſeuerauit, & perſeuerat. *Maluenda in Annal. Ord. an.* 1218.

ANNO 1219. Sacrum Roſarium, à Beatiſſima Virgine Dei Genitrice Maria acceptum, de quo ſupra, S. Pater Dominicus etiam in Vrbe euulgauit incredibili cum animarum fructu. Eſt autem Roſarium, ſiue Pſalterium, ſacra quædam formula præcandi Deum in honorem B. Virg. Mariæ, qua per quindecim ſalutationis Angelicæ decades, interiecta ſingulis oratione Dominica, quindecim præcipua Redemptionis humanæ Miſteria pijs meditationibus percenſentur, ad hæreſes extinguendas, ac vitia tollenda ſingulare præſidium, cuius authorem fuiſſe S. P. Dominicum præter Sixtũ V. ſuprad. Leo X. Pius V. Gregorius XIII. Alexander VII. & Clemens IX. Apoſtolicis diplomatibus profitentur.

Eodem anno ſanctititatis floſculus ſuauiſſimus cœlitibus adiunctus eſt B. Reginaldus de S. Aegidio Sanctiſſimæ Dei Genitricis filius cariſſimus, quem habitu, quo nunc vtimur, donauit, depoſito Canonicorum Regularium altero, cuius corpus poſt 400. annos incorruptum, illæſumq; inuentum eſt. *Maluenda In Annal. Ord.*

ANNO 1220. Certior factus Honorius Papa de vberrimo fructu producto apud Toloſam in Albigenſibus à S. Patre Dominico, filijſq; ſuis, illum Generalem Inquiſitorem, ne dum in Lombardia, vbi ſerpebant hæreſes multæ, atq; Manicheorum maximè, ſed & in Gallia, Hiſpania, atq; Orbe toto Chriſtiano creauit, qui ad indictum Generale Capitulum, primum Ordinis, apud Bononiam celebrandum, accedens, ibiq; conſtitutione edita de carnibus non comedendis, ac de poſſeſſionibus dimittendis, per Lombardiam digreſſus, demandati ſibi Inquiſitoris, munus ſumma cum diligentia, ac vigilantia exercuit, præcipuè contra Manicheorum, atq; Catharorum hæreſibus coinquinatos, ex quibus multos igni adiudicauit, alioſq; ad propriorum deliramentorum deteſtationem adduxit; ac tantum in dementientes hæreticos, illorumq; fautores timorem incuſſit, vt nullus ſe hæreticum profiteri auderet. *Param. lib. 2. & Bzou. in Annal.*

Eodem anno Honorius Pont. mandauit S. Patri Dominico, vt filios ſuos in Hiſpaniam, & Affricam, pro Saracenorum conuerſione ad Catholicam fidem dirigeret; quòd ſtatim ipſe præſtitit deſtinatis illuc Fratribus, doctrina, & moribus ſpectabilibus, qui ſuis prædicationibus, & orationibus copioſam infidelium multitudinem ad Eccleſiam per ſa-

crum

crum baptiſma attraxêre. *Bzou. vbi ſup.*

In Germaniam quoq; Apoſtolica auctoritate miſit S. P. Dominicus P. Conradum Marſpurgenſem Generalem Inquiſitorem, qui, cum demandato ſibi muneri totus incumberet, atq; fideles illos ad euitandas hæreſes hortaretur publicis, ac priuatis ſermonibus, hac peſte inquinatos igne conſumebat, ac ferro perdebat tanto cum zelo, vt exulare ex Germania tota fuerit coactus, de quo infra an. 1228. *Bzou.*

Nocte ea, quæ ad diem 16. Aprilis huius anni decurrit, orta ſunt præclariſſima Eccleſiæ Dei lumina S. Thomas de Aquino, S. Abroſius Sanſedonius, & B. Iacobus Meuania, clamante puero ſequenti mane in plateis: *Ad ſcholas, Ad ſcholas, quia nati ſunt Magiſtri.* Bzouius in Annal. ad an. 1264. num. 15.

ANNO Domini 1221. Congregata ſunt Generalia Ordinis Comitia altera vice à S. Patre Dominico apud Bononiam pro conſtabiliendis conſtitutionibus noſtris, Prouincijs, & Ordine. Fundatis igitur, diuina fauente gratia 60. circiter Conuētibus, diuiſi ſunt in octo Prouincias, ſcilicet Hiſpaniæ, Franciæ, Lombardiæ, Romanam, Prouinciæ, Hungariæ, Angliæ, & Theutoniæ, vt in omnem terram exiret ſonus Prædicatorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. *Ex Act. Capituli.*

Inſuper S. Pater terminato Capitulo, annuente Pontifice, filios ſuos miſit in Scotiam, Hiberniam, Groenlandiam, & Scandinauiam pro prædicatione Euangelij, vt infideles ad Catholicam fidem per ſacrum lauacrum regenerationis, & peccatores per pœnitentiā ad Chriſtum reducerent, quòd maximo cum fructu animarū præſtiterunt illi. *Bzou. nu. 16.*

Præterea S. Pater B. Paulum Hungarū cū B. Sadocho, & tribus alijs Fratribus ſocijs ſuis in Hungariam, adiacenteſq; prouincias, & Regnā direxit, pro Schiſmaticorum, Gentilium, Cumanorumque maximè, ad S. Matrem Eccleſiam conuerſione; qui inter barbaras illas nationes nomen Dei, & Euangelium Ieſu Chriſti portantes, conuentusq; cum Eccleſijs erigentes, Catholicam fidem ibidem propagarunt, multis ex eis ad Ordinem allectis, innumeriſque ad Romanæ Eccleſiæ venerationem adductis, poſt multos exantlatos labores, poſt famem, & ſitim, perſequutiones, vincula, & carceres pro Dei honore toleratos; ita ut Robertus Veſprimien. ad Strigonien. Eccleſiam euectus, ex ſolis Cumanis ad quindecim millia, ſua manu ſacro fonte abluerit. *Caſtillus lib. 1. cap. 55. & Bzou. ad annum 1221. num. 16.*

Eodem anno Honorius Pōtifex de Saracenorum, & Gentilium conuerſione ad Chriſtum ſollicitus, datis Apoſtolicis litteris ad Europeos Antiſtites, illis præcepit, vt ex Fratribus Prædicatoribus in ſuis diœceſibus commorantibus quatuor, vel duos ad minus, ſeligerent, virtutibus, pietate, ac zelo promouendæ catholicæ fidei feruentiores, ad prædicandum infidelibus Euangelium aptos, eoſque in Vrbem mitterent. Hos igitur Pontifex cum Fratribus Minoribus, ad Barbaras nationes, Euangelium Ieſu Chriſti vecturos, priuilegijs multis communitos dimiſit, ad Agarenorum, Gentilium, atq; Schiſmaticorum ſalutem, per ſacrum baptiſma, & venerationem Apoſtolicæ Sedis, procurandam: qui neque laboribus, neq; ærumnis fracti, meſſem copioſiſſimam in Eccleſiæ horrea congregauère. *Bzou. in Annal. num. 7.*

Neq; ſolùm contra prædictos erat Prædicatorum colluctatio cauſa fidei, ſed etiā contra vaferrimos Hæreticos in Gallia, & apud Toloſam præcipuè, graſſantes, catholiciſque infenſiſſimos; quos, cum gladio ſpiritus ſuperare non poſſent, fa-

Digitized by Google

cto ad Pontificem recurſu, hic illis iniunxit, vt ſacram militiam omni ſpiritus ardore contra eos prædicarent, & inſtituerent; idq; promptè exequuti, tantam Militum Ieſu Chriſti (ita enim vocabantur) multitudinem collegerunt, vt hæreticis facti ſint in ruinam, innumerabili eorum copia trucidata, nec non & ſuperſtitibus frænatis. *Bzouius, in Annal. vbi ſup. num. 8.*

Dum hæc præberentur S. Matri Eccleſiæ obſequia à Filijs S. Patris Dominici, ille per Ciuitates, & Caſtella Lombardiæ circuibat, prædicans, & euangelizans regnum Dei, atq; contra hæreticos inquirens, quos ex odore, & aſpectu dignoſcens, condignis ſuplicijs puniebat: Cúq; alios coinquiſitores in principalioribus Lombardiæ Vrbibus inſtituiſſet, Bononiã reuerſus, & vigilijs, ieiunijs, ac laboribus fractus, in morbum incidit; grauiq; capitis dolore, ac dyſinteria vexatus, vltimum vitæ diem ſibi inſtare agnoſcens, ſuſceptis deuotiſſimè Sacramentis, hortatuſq; filios ſuos ad annunciandum Euãgelium pacis inter gentes, quas ad amplexum ſacræ fidei, vitæ cãdore, ac ſacra prædicatione perducere niterentur, die 6. Augusti fælicem animam Creatori reddidit, cum Romæ publicè tres mortuos ſuſcitaſſet, & in numerabiles hæreticorum acies in diuerſis Chriſtiani Orbis partibus, lingua, & calamo profligaſſet; Imò ſupra centum millia Albigenſium hęreticorum ad Eccleſię vnitatem reduxiſſet. Miraculis clarum in Sanctorum Album retulit Gregorius Papa IX. Reate 3. Idus Iulij anno 1234. Pontificatus 8. *Bzou. in Annal. num. 1. & Odericus ibid. ad an. 1215. num. 17. & Script. Ord.*

Sed non omittendum putamus hoc loco factum, memoria dignum, quod hoc anno accidit. Dum in partibus Lombardię eſſet S. Pater Dominicus inquiſiturus contra hęreticos, miſit duos ex filiis ſuis, annunciaturos Euangelium per ciuitates, & Caſtella: qui ad quoddam caſtrum declinantes Dominica die in Quadrageſima, manè ſacrificio peracto, ſacram prædicationem ad populum habuère; eaq; peracta, remanſerunt in Eccleſia, Dominum deprecaturi, vt prolata verba fierent populo illi in ſalutem. Cum verò ingraueſcente die cuncti in ſuas domos ſe recepiſſent, remanſerunt Fratres in atrio Eccleſiæ, expectantes, qui ſibi alimoniæ ſubſidium præſtaret. Sed ecce quidam Ruſticus in Eccleſiam reuerſus, vidit ſeruos Chriſti oſcitantes, & diuinum auxilium attendentes, accurrenſq; ipſe ad domum pręcepit vxoris, vt panem, & vinum emeret pro ſeruis Dei, & piſces in domo exiſtentes coqueret. Reſpondit illa, ſe neq; obulum quidem in crumena habère: ſubdidit vir: excute crumenam, & vide ſi in ea ſint pecuniæ; qua excuſſa, duo denarij, in terram corruère. Lætatus bonus vir, pane, & vino empto, inuitauit Fratres ad prandium, nunciauitq; illis denariorum inuentionem in crumena. Cũ autẽ facta comeſtione, eſſẽt Fratres inde diſceſſuri, qui inter eos erat maior dixit hoſpitario ſuo: *Retribuere dignetur tibi omnipotens Deus bona pro hoſpitalitate, quam nobis exhibuiſti. Vxor tua (quæ ſterilis erat) pariet tibi filios, & crumena, quæ denarios dedit, non deficiet tibi.* Sicq; factum eſt vt Vxor filios pepererit, & crumena, quoties ruſticus excuteret illam, duos denarios dederit ſemper: Factus eſt igitur diues ille in bobus, ouibus, & ſibi neceſſarijs quibuſcumq; & tunc defecerunt denarij de crumena. *Maluenda in Anal. Ord. ſub hoc anno, & Bzouius ibid. num. 16.*

CA-

Caput II.

B. IORDANO SAXONE Magiſtro Generali. II.

ANNO 1222. Electus eſt B. Iordanus in Magiſtrum Generalem Ordinis Pariſijs, terminatiſq; ijs, quæ ad Generalia comitia pro illius incremento ſpectabant, idem B. Iordanus, executurus decreta S. P. Dominici de mittendis Fratribus ad Cumanos, aliaſq: Septentrionales regiones pro eorum conuerſione ad Catholicam fidem, ante quam diſſolueretur Capitulum, in vltima ſeſſione perorauit de adimplendis S. Patris noſtri votis in conuerſione gentium, ac propterea,qui,afflante Deo,vellent ad hoc Apoſtolicum miniſterium aſſumi, veniam facerent proſternendo ſe in terram. Mirabile dictu: ſtatim cuncti, exceptis paucis aliquibus annorum pondere grauatis, ſe in terram proſtrauère, dicente vnoquoq: *Pater ecce ego mitte me*; magna effuſione lacrymarum id repetentes, tantus erat zelus animarum, qui noſtrorum corda inflammabat. Gauiſus eſt ſupra modum nouus Ordinis Magiſter, videns in filijs ſuis tantam promptitudinem ad infidelium conuerſionem, etiam cum euidenti vitæ periculo; & ſelectis ad Apoſtolicum miniſterium aptioribus, miſit illos in cunctas ſeptentrionales regiones,nec non & in orientales, atq; in terram Sanctam, ad quam iam miſſus fuerat Apoſtolicus vir P. Xuronus Mediolanenſis à S. Patre Dominico cum quibuſdam ſocijs, vt in Paleſtina, & Syria Paganorũ conuerſioni incumberet, & conuentus Ordinis conſtrueret: quòd præſtitit ille, multis paganis ſacro lauacro Eccleſiæ regeneratis. Miſſus eſt autem hoc anno in terram Sanctam P. Brochardus de Argentina cum multis ſocijs, qui Damaſci primum conuentum conſtruxère; deinde apud Nazareth, & Bethlehem, atq; in pluribus alijs locis, itaut poſt paucos annos in Paleſtina, noſtra Religio decem, & octo cœnobia haberet ædificata ad prouinciam terræ Sanctæ ſpectantia. *Luſitanus in Chronico & Humbertus de initio Ord. Bzouius in Ann. num. 25.*

Cum inſiſterent gentium conuerſioni apud Cumanos, atq; in Bulgaria, Hungaria, & Sueuia Patres à S. Dominico miſſi, illarumq; barbararum nationum plures ad Chriſtianã fidem perducere ſatagerent, id non niſi cum effuſione maxima ſanguinis præſtitère, ſupra nonaginta ex illis diuerſimodè peremptis. Nam alij gladio trucidati, alij ſagittis, vel lanceis confoſſi, alij ignibus conſumpti, alij iugulati, glorioſo fine in Domino quieuère. *Theodoricus in Chron. Ord. Bzou. in Annal. num. 9.*

Cum Dalmatia, ac Boſina maximis vexaretur erroribus, impijs hæreticis populos ſeducentibus, Honorius Pont. Colonien. Epiſcopum cum valido Cruce ſignatorum exercitu ad illos populos miſit, vt vi ſubacti, aſſumptos errores deteſtarentur; at Cruce ſignatis in fugam datis, atq; ab illis victis, infecta re reuerſus eſt Epiſcopus Coloniam. Quibus Honorio nunciatis,decreuit Boſinenſes, & Dalmatas, quos ferro frænare nequiuerat,gladio ſpiritus ſibi ſubijcere;miſitq; propterea aliquos Prædicatores, qui inculpatæ vitæ exemplo, atq; ſacra prædicatione ad propriorum errorum abiurationẽ illos perducerẽt, quod feliciter præſtiterunt; Deo bonorum omnium datore corda illorum dirigente, templis ab illis prophanatis, ac dirutis in Domum Dei reaptatis *Ferrarius de Reb. Hungar. Prou. Bzou. in Annal. num. 9.*

His Honorio nunciatis, videns ille

vberrimos fructus quotidianos ex Prædicatoribus in S. Matris Eccleſiæ,atq; Apoſtolicæ Sedis maximum commodum promanatos, eiſdem priuilegium conceſſit, ne Eccleſiaſtico interdicto ſubderentur: ſed eodem in vniuerſum promulgato, poſſent ipſi in ſuis Eccleſijs (clauſis tamen ianuis, & excommunicatis, atq; interdictis excluſis) bona fide celebrare, & ſacra facere : dato diplomate Apoſt. Anagniæ 4. Non. Martij. *Bzou. in Annal. nu.* 13.

Conradus Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatus pro Terræ Sanctæ ſubſidio à Pontifice Honorio inſtitutus, ex decreto Pontificio Prædicatores noſtros habuit eiuſdem ſacri belli promotores, & inter illos potior fuit P. Io: Argentoratenſis, quem vniuerſali Eccleſiæ perutilem, quamuis à Biſuntino Capitulo in propriũ Archiepiſcopũ electum, noluit Pont. oblatum honorem ſuſcipere, ſed in aſſumpto Apoſtolico miniſterio perſeuerare, animas cœlo lucraturum *Bzouius. in Annal. Eccleſ. ex Cantipatrano.*

Hoc tempore fuit quidam Ciſtercien. Monachus Monaſterij S. Galgani apud Senas, Iacobus nomine, ſimplicitatis, gratiæ, ac ſanctitatis famæ vir. Contigit vt die quadam Dominica duo ex Prædicatoribus ad Monaſterium illud declinarent, qui eundem Monachum rogauerè, vt pro ſe, & nouo Prædicatorum Ordine oraret. Cum igitur nocte quadam poſt matutinum proces effunderet, & potiſſimè quid pro Fratribus noſtris oraret, neſciret, aparuit illi Dominus dicens, accipe orationes iſtas, & ſic pro Prædicatoribus ora in miſſæ ſacrificio.

In prima Collecta

Corda famulorum tuorum Domine illumina ſancti Spiritus gratia, & ignitũ eis eloquiũ dona, & qui tuum prædicãt verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum noſtrum &c.

Secreta

Famulis tuis Domine verbum tribue gratioſum, & munera oblata ſanctificãs, corda eorum in ſalutari tuo quæſumus viſita. Per Dominum noſtrum &c.

Ad poſt Communionem.

Conſerua Domine famulos tuos Vnigeniti tui corpore & ſanguine ſuſcepto; & tuum nunciantibus verbum, largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominũ, &c.

Factum Põtifici Honorio retulit Monachus, qui orationes approbauit, atq; vt in miſſæ ſacrificio dicerentur, Prædicatoribus indulſit. Porrò fructus maximus in Eccleſia promanauit, cum primùm orationes hæ in Ordine recitatæ ſunt; præſertim (quemadmodum idem Monachus vidit) cum Virgo Sacratiſſima patrocinio Prædicatores iuuaret, neq; ſemel ipſis prædicantibus adeſſet: Aliquado enim coram concionante librum apertum tenere viſa eſt, & verba ſalutis alteri ad aurem dictare, propter quæ idem Monachus Iacobus ſollicitè pro Fratribus Prædicatoribus orabat. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 7.

P. Stephanus Luſignanus Regum Cypri ſanguine ortus, eam Inſulam doctrina, & ſanctitate clarificauit cum aliquibus ſocijs coadiutoribus, qui auctoritate, ſanctitate vitæ, atq; ſacra doctrina pollentes, catholicam fidem ſcriptis, ac diuini verbi prædicatione illuſtrarunt, nec prædicationi finem dedit Luſignanus donec multa in horreis Domini collecta meſſe, ferè nonagenarius raptus eſt ex mortalibus anno 1283. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 15.

Viri inclyti, Humbertus, Rolandus, Moneta, Guarinus, Gualla, & Rahonus cum alijs Ordinem ingrediuntur, qui virtutibus, & prædicatione innumeros peccatores, diabolo deluſo, ad pœnitentiam reuocarunt. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 14.

Hoc

Digitized by Google

Hoc anno cum Eccleſiaſtici Vlyſipon. in ſepeliendis defunctis auaritiam mmam oſtenderent, cunctorum bo›rum defunctorum tertiam, vel ſa͡em, non modicam petentes partem, Vlyſiponenſis populus ad Honoum Pont. recurſum feciſſet; mandauit :e Prædicatoribus noſtris Vlyſiponen. ac linoribus, vt Apoſtolica auctoritate ta:s abuſus ex Eccleſiaſticis eliminarent, romulgando in tranſgreſſores graues :ccleſiaſticas cenſuras; datis litteris Ananiæ XI. Kal. April. Iuſſa Honorij exequentes illi, tantum malum ab Eccleſiaticis eradicauère. *Bzou. num. 2.*

Baitus Cumanorum Princeps, à Prælicatoribus in via Dei edoctus, afflante S. ſpiritu ad Catholicam fidem acceſſit, & ácro lauacro regeneratus, poſt aliquot ınnos animam Creatori reddidit, apud noſtros ſepultura electa *Bzou. num. 7.*

Poſt Baitum traxerunt Prædicatores ad Catholicam fidem alium Cumanorum Ducem, Bembrocum nomine, qui in ea perſeuerans vſq; ad mortem, dum iam iam ſpiritum redditurus eſſet Redemptori ſuo, conuerſus ad Fratres noſtros adſtantes dixit: *Eicite à me Cumanos omnes infideles, video enim circa illos Dæmones teterrimos, & ſubdidit: En adſtant apud me Fratres veſtri glorioſi à Cumanis interempti, expectantes egreſſum animæ meæ, vt eam perducant in vitam æternam.* quibus dictis expirauit. *Bzou. vbi ſup.*

Perſequtiones multas, & malas experti ſunt Patres noſtri in Orientem miſſi; à Mahumetanis, & Gentilibus alijs; nam cū Catholicam fidem inter eos plantare niterentur, Vaferrimi viri Mahumeti impietatem detegentes, ab eiſdem multis modis vexati, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate gratias Deo agebant, à pijs fidelibus in ijs partibus exiſtentibus benigno hoſpitio recreati. *Caſtill. p. 1.*

In Cœlum ſublato S. Patre, inclyti eius filij in Lombardia Conquiſitores in hæreticos aſſumpti, in eodem munere permanſère ex Honorij Pontificis decreto, donec alij in eorum locum fuère ſubrogati Inquiſitores. Apud Mediolanum autem S. Pater Vicarium ſuum in munere Inquiſitionis delegerat dilectiſſimum ſibi B. Monetam de Cremona, qui ſpiritu illius loricatus, tanquam leo rugiens contra hæreticos inſurrexit, tanto cum zelo, & ſpiritu, vt nemini parcendo, etiam in nobiliores Mediolanenſes ciues, hæreticali pice infectos, manus iniecerit. Inter illos autem eminebat quidam Peraldus opibus, diuitijs, ſed vafritie magis, potens, Manicheorum antesignanus, & protector, qui pertimeſcens zelum Apoſtolicum (*audaciam*) aiebat ille, Monetæ, inſidiabatur illi ad mortem; & prætio vitam eius emerat à quodam hæretico perfido, qui ſe illam eidem adempturum ſpoponderat. At hoc Monetæ nunciato, irruit ſpiritus Domini ſuper eum, & aſſumpto in manibus Crucifixo, aliquibus catholicis aſſociantibus, Peraldum cum ſicario captum vinxit in carcere, & peractis peragendis, vtrumq; ſeculari brachio adiudicauit, in publico foro igne conſumendum, maximo hæreticis cunctis timore incuſſo. *Taegius in monum. Ord.*

1 ANNO 1223. S. Raymundus de Penniafort, Iacobo Aragonum Regi à ſacris confeſſionibus, monitu Sacræ Virginis vnà cum S. Petro Nolaſco, atq; eodem Iacobo Rege Ordinem B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum fundauit, cui certas viuendi leges, ab Apoſtolica Sede approbatas præſcripſit, atq; eundem S. Petrum primum Generalem Ordinis Magiſtrum ſuis manibus religioſo habitu indutum creauit, à qua religione fideles captiui inter fidei hoſtes, & libertatem, & ſubſidia maxima percipiunt. *Bzou. in Annal. num. 10.*

2 Honorius Pont. Gregoriū Creſcen-

Digitized by Google

tium Romanum de Latere Apoſtolicum Legatum miſit in Poloniam pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotiis,qui ædem S. Trinitatis Cracouiæ S. Hyacinto pro Ordine in illa firmando in Polonorum maximum commodum conceſſit; & in illa eiuſdem Legati Nepos Iacobus nomine, hoc anno Dominicanæ profeſſioni nomẽ dedit,habitu à S. Hyacintho aſſumpto, cuius imitator egregius effectus, vitæ ſanctitate plurimùm Ordinem illuſtrauit: nam & Crucem Chriſti,& Euangelium inter barbaras nationes portauit. Ruthenos Schiſmaticos S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, Danielem Romanouicium Ruſſorum Ducem ſacro baptiſmate abluit, regioq; nomine, ac diademate dignum fecit, & Epiſcopum primum Roxolanis ab Honorio Papa impetrauit: Poloniæ Principes ad arma capeſſenda contra Tartaros, ac Prutenos Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimos induxit; & Toparchas Voliniæ, Podoliæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Lituaniæ, ac Maſſouiæ diuiniori ſpiritu informauit.Prædicatorum Ordinis Religioſos,& cœnobia vſq; ad Euxinum pontum, Balthicumq; ſinum vna cum S. Hyacintho propagauit, aliaq; in fidei Catholicæ incrementum miranda fecit, quibus ſibi certum iter ad gloriam patefecit. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 4. & ſeqen.*

Diuinæ voluntatis Interpres glorioſiſſimus S. Thomas de Aquino doctor Angelicus Landulpho Comite Aquinate & Theodora Normanna nobilibus parentibus Neapolitanis naſcitur, Catholicam Eccleſiam, atq; Dominicanam Religionem ſua ſapientia illuſtraturus. *Marcheſius, & Caſtillus.*

3 Promota eſt maximè Catholica fides hoc anno,& ſequetibus in prouincia Terræ Sanctæ opera Apoſtolici viri B.Xuroni Mediolanenſis,à S.P.Dominico pro conuerſione gentium in illam miſſi, viri vitæ ſanctitate mirabilis, qui in Paleſtina, & Cypro aliquos conuentus Ordinis cum Eccleſijs conſtruxit. Superueniente verò P. Brochardo Argentinen. cum pluribus ſocijs, & P. Stephano Luſignano, Regum Cypri ſanguine orto, doctrina, & ſanctitate viro clariſſimo, de quo ſupra,ſuperiori anno à B.Iordano Generali Magiſtro illuc miſſis, meſſis multa animarum facta eſt Deo, & multiplicati conuentus ita, vt in Inſula Cypri quadraginta & ſex breui annorum decurſu fuerint conditi. *Bzouius in Annal. num. 25.*

4 Congregatum eſt hoc anno Generale Ord. Capitulum Bononiæ, in quo mandatum eſt cunctis Fratribus vt animarum ſaluti ſancta ſua prædicatione incumberent, & pro Fratribus inter infideles pro illorũ conuerſione laborantibus,ſuas orationes funderẽt;atq; qui ſe à Deo vocatos ad idem ſacrum miniſterium præſtandum agnoſcerent, Magiſtro Ordinis denunciarent. *Ex Act. Capit.*

ANNO 1224. B. Moneta apud Mediolanenſes Inquiſitoris munus exercens, iniquos cum hæreticos ex corde inſectaretur, illiſq; nullo modo parceret; ſed igne, ac ferro conſumeret; animaduertens colluctationem ſuam, & ſuorum Prædicatorum eſſe aduerſus rectores, & principes tenebrarũ harũ potentes in ſermone, ac diuitijs, ſcripſit, atq; euulgauit grande volumen contra deliramenta Catharorum,Manicheorum, Valdenſium, Albigenſium, aliorumq; hæreticorum eiuſdem temporis, quod incipit; *Tempus faciendi Domine. &c.* & prænotatur: *Summa Contra Hæreticos.* opus alijs Inquiſitoribus perutile,ac neceſſariũ, quo retunduntur eorumdem errores, illiuſq; originale in Bibliotecha noſtra Bononien. aſſeruatur. Ob id igitur,& alia contra hæreticos excogitata, B. Moneta hæreticorum odium maximum in ſe, & Ordinem attraxit. *Luſitanus in Biblioth.*

Inua-

Inualeſcentibus nimis in Italia hæreticis, Manichæis maximè; eorum audaciam compreſſurus Honorius Pontifex, cum Friderico Imperatore egit, vt in vtriuſq; Siciliæ Regnis ſacrum Inquiſitionis tribunal erigeretur, ne Catholica Fides ibidem labefactata deficeret; donis, & pecunijs allicere intentantibus hæreticis Catholicos ad eorum ſectam. Erectum eſt igitur ibidem hoc anno ſacrum Inquiſitionis tribunal, datumq; Fratribus noſtris Prædicatoribus, & P. Thomæ Agni de Lentino in Neapolitano Regno, ex Apoſtolico decreto, qui fidei cauſa viriliter ſuſcepta hæreticos in fugam coniecère pluribus ex ipſis igne, ſuſpendio, ac ferro peremptis. *Param, lib. 2. tit. 2.*

In Germania noſtri Inquiſitores contra hæreticos decertabant viriliter, lingua, calamo, diſputationibus, & congreſſibus, igne, ac ferro illos conſumentes; quare ab ipſis non ſemel queſiti ad mortem, diuina fauente gratia illæſi eorum inſidias euasère; quòd cum Imperatori Friderico II. innotuiſſet, in eorum fauorem edictum contra hæreticos ſequenti anno promulgauit, Inquiſitoribus ſub ſua protectione receptis. *Bzouius ibid.*

Recepit B. Iordanus Mag. Ordinis ad habitum Pariſijs adoleſcentem quemdam nobilem optimæ indolis, quem inter cunctos nouitios vnicè diligebat, fructum animarum vberem, quem ſua prædicatione producturus erat, præuidens. Hic, cum paulo poſt Pariſijs diſceſſiſſet B. Iordanus, cœpit tædere, pauère, & meſtus eſſe de aſſumpto habitu, & rigore regularis obſeruantiæ, quem experiebatur in Ordine maximum. Cogitauit igitur de regreſſu ad ſeculum, & cum quadam nocte perſoluentibus Fratribus matutinas preces, clam Eccleſiæ claues ſurripiſſet, ad ianuam illius, ante quam accederet exiturus, tranſiens ante Crucifixi cappellam, genuaflexit, quaſi veniam rogaturus de diſceſſu, pergenſq; ad fores Eccleſiæ, inuenit eumdem Crucifixum, quem antea in capella adorauerat ante illas proſtrantem; & accedens, vt eum inde amoueret, extracta ille è cruce dextra, grauiter nouitium alapà percuſſit, qui corruens ad pedes eius, veniam petijt, & completis, ac terminatis matutinalibus precibus, coram Priore, & Fratribus, culpam ſuam dixit, & quid ſibi contigerat, enarrauit. Manſit igitur toto tempore vitæ ſuæ in Ordine, factus prædicator famoſus, animarumq; fidelium ſitientiſſimus, quarum innumeras per pœnitentiam Chriſto adduxit. *Bzou. in Annal. Eccl. ſub an. 1234. num. 2. & Maluenda in Annal. Ord.*

ANNO 1225. Inquiſitores Apoſtolici noſtri Prædicatores in Germania, adiacentibuſq; regionibus ſedulò, ac diligentiſſimè ſacroſanctum Inquiſitionis munus exercebant inconcuſſo pectore, atq; cum Catholicæ fidei incremento maximo; quapropter Fridericus Imperator promulgato in hæreticos decreto, noſtros Prædicatores, tamquam fidei pugiles, vniuerſis Germaniæ Prætoribus, ac Iudicibus commendans, præcepit vt benignè vbiq; eos reciperent, debitumq; illis præberent obſequium, quatenus Summ. Pont. ſanctionibus, & ſtatutis Inquiſitionis munus obirent. Dato decreto Patauij 22. Febr. quod refert. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 7.*

Honorius Pontifex adhortatione, ac litteris Apoſtolicis ad hoc expeditis, calcar addidit P. Dominico Priori, ac Martino in marochio apud Africam, cæteriſq; eorum ſocijs pro Agarenorum conuerſione laborantibus, eoſq; multis priuilegijs exornauit, præſertim in hæreticos, ſi qui emergerent, ac puritatem Euangelicam inquinare vellent. *Ex epiſt. 385. Honorij Pont. data an. 9.*

Fridericus II. Imperator hoc ipſo anno

Digitized by Google

no apud Patauium conſtitutionem contra hæreticos condidit, cuius poſtmodum Innocentius IV. cum Bonifatio VIII. Pont. in ſua decretali meminit; & non ſolùm contra hæreticos, ſed contra eorum fautores, & receptatores illam euulgauit, qua noſtros Prædicatores hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſub ſua protectione ſuſcepit dicens. *Ad hoc notum fieri volumus Fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum pro fidei negotio in partibus Imperij noſtri contra hæreticos deputatos; cæteros quoq; qui ad hæreticos iudicandos acceſſerint & venerint, niſi aliqui eorum ab Imperio ſint proſcripti; eundo, morando, & redeundo ſub noſtra, & imperiali defenſione ſpeciali recipimus, & quod apud omnes ſub ope & recomendatione fidelium Imperij eſſe volumus inoffenſos; vniuerſitati veſtræ mandantes quatenus, quocumq; & apud quemcumq; veſtrum peruenerint, benignè recipiatis eoſdem, & perſonas eorum ab incurſu hæreticorum eis inſidiantium conſeruantes indemnes, omne conſilium, ducatum, & auxilium impendatis pro tam acceptis coram Deo, negotijs exequendis: hæreticos verò quos oſtenderint ipſi vobis in iuriſdictione veſtra ſinguli capientes, diligenti cuſtodia detinendos, donec poſt Eccleſiaſtica damnationis iudicium pœnam ſubeant, quam merentur.* Bzouius in Annal. num. 7.

B. Io: Salernitanus fundator cœnobij Florentini, S. Mariæ Nouellæ nunc dicti, hæreticorumq; malleus, cum in eorumdem conuerſione die, noctuq; diſputando, prædicando, ac ſuadendo inſudaret, perſequtionesq; multas, & malas ſuſtinendo, irriſiones, contumelias, atq; iniurias libenter pro dilatatione catholicæ fidei pacato animo ferret; laborum ſuorum præmia percepturus migrauit in cœlum, hæreticis propter eius deceſſum exultantibus. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 12.

P. Petrus de Tarantaſia, puer decennis Pariſijs Ordinis habitum ſuſcipit; vt in Sedem Apoſtolicam eundem primus ex noſtris inueheret, maxima cum Dominicanæ Religionis gloria, & exulatione. *Plodius.*

ANNO 1226. Honorius Pont. PP. Prædicatoribus, atq; Minoribus, apud Marochium exiſtentibus pia liberalitate indulſit, vt nō nulla Ordinis ſtatuta, quæ Gentiliū conuerſioni eſſent impedimento, nō obſeruarent; vt barbā ſcilicet, & comam nutrirent, habitum Regularem non deferrent, carnibus, ac lacticinijs veſcerentur, & reliqua intermitterent, quæ ex puris ſtatutis Ord. præbere poſſent. Inſuper eiſdem conceſſit in tota Africa facultatem docendi, baptizandi, confeſſiones audiendi, à cenſuris quibuſcumque Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, abſoluendi, & contra hæreticos, ſi qui emergerent, excommunicationis ſententiam promulgandi, cunctaque exequendi per quæ Euangelium Ieſu Chriſti, vel propagaretur apud Infideles, vel defendi poſſet à perfidis Apoſtatis. *Bzou. in Annal. num.* 5.

Nouis priuilegijs Prædicatorum Ordinem in vinea Domini ſtrenuè laborantem confouère deſiderans Honorius per Apoſtolicas litteras ſanxit, ne Fratres noſtri commiſſiones Apoſtolicas à Legatis quibuſcumq; inuiti, ſuſcipere cogi poſſent; & hoc vt facilius, & in miniſterio S. Inquiſitionis, & in conuerſione gentium ſe exercere valerent. *Maluenda in Annal. Ord.*

S. Ludouico ad Galliæ Regni coronam aſſumpto, atq; ſub Blanchæ Matris diſciplina, Fratrumq; Prædicatorum, ac Minorum conſilio educato datur confeſſarius P. Gaufridus de Belloloco, qui illum talibus ſanctitatis documentis imbuit, vt glorioſiſſimus Chriſti confeſſor ſit effectus, atq; hæreticos, quoad vixit, perpetuò ſit inſectatus. *Maluenda vbi ſup.*

Dan-

Dantur hoc anno Fratribus Prædicabus in Pariſien. Vniuerſitate duæ cadræ; florebant enim, & litteris, & ctitate ibidem, vbi prædicabat B. Iorius in Quadrageſima alternis vicibus n alijs Patribus; & viri præſtantiſſimi pœnitentiam allecti, Ordinis inſtitun amplectebantur, inter quos emicuit Humbertus. *Taegius in monumētis Ord.*

Cum apud Toloſam P. Io: conuentus ſtri Toloſani Supprior per ciuitatem ederet cum vno nouitiorum panem endicantes pro Fratribus, ad domum retici cuiuſdam acceſſiſſent, & panem opter nomen Ieſu Chriſti petijſſent, ſſit hæreticus Nouitium ſcalas conndere, vt panem acciperet, & in illum ſiliens, pugnis peſſimè tractauit, dicens, c ſit veſtra eleemoſyna, iniqui fraterli; accurrens autem P. Io: increpauit ereticum dicens; ***Dominus noſter Ieſus hriſtus, in retributionem tanti facinoris te 'ummet***; ille autem eleuans manum, vt ipſum percuteret, areſactum eſt ſtatim achium eius, & nouitate miraculi perrrefactus procidit in terram ad eorum edes, veniam cum lacrymis petens, proſtatus ſe fidem catholicam amplexuım, ſi priſtinæ ſanitati reſtitueretur: 'unc P. Io: imperauit nouitio, vt illi iam benedictionem in nomine Domini aret, qui ſua ſancta ſimplicitate benediens hæreticum, priſtinæ ſanitati reſtiuit; quo facto, & hæreticus, & vxor, filij, & Domus tota, abiuratis errorius S. Matri Eccleſiæ fuerè reconciliati. *'aegius in monum. Ord.*

Pariſijs congregatur hoc anno Capiulum Generale Ordinis, in quo Mag. Gen. Iordanus denunciauit Fratribus cunlis profectus, quos in via Dei faciebant Prædicatores inter Barbaras nationes, lioſque infideles miſſi, petentes ab eo in niniſterio euangelij coadiutores: nam neſſis multa, operarij autem pauci erant. Quare cum multi ſe promptos ad illud Apoſtolicum miniſterium exhiberent, aptiores ſelectos, in Affricam, Paleſtinam, & Septentrionem cum benedictione Dei, & ſua miſit. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

ANNO 1227. Gregorius IX. poſt Honorium ad culmen Apoſtolicum aſſumptus, Sacrarum Virginum reformationi conſulturus, Sanctimonialibus Diœceſum Patauinæ, Veronen. & Taruiſinæ, à religioſo inſtituto deuijs, reformatores conſtituit Patres Ioachimum S. Mariæ, & Iordanum Priores; nec non & P. Gandulphum Patauinum, vt eas Apoſtolica authoritate viſitarent, corriperent, atque ad religioſam viuendi normam reuocarent, idque ſingulis annis ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ præſtarent: quod illi exequentes, regularis obſeruantia iuxta tenorem regulæ earundem in dictis Monaſterijs fuit reſtituta. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 10.

Cum S. Hyacinthus vnà cum reliquis ſocijs à S. P. Dominico in Vngariam, atque Ruſſiam, Poloniam, Pruſſiam, Lituaniam, adiacenteſque regiones multam animarum meſſem feciſſet, atque in dies faceret, ſub Apoſtolica protectione Pont. Gregorius Pruſſos nouitèr ad catholicam fidem conuerſos recepit hoc anno, gaudens de vberrimo ſpirituali fructu à Fratribus Prædicatoribus in vinea Domini producto. *Bzou. in Annal. Eccleſ. nu.* 11. *&* 12.

F. Guilelmus Legatus de Latere mittitur à Pontifice Max. ad Fridericum Imperatorem, cum litteris propriæ aſſumptionis ad ſummam Cathedram enunciatiuis. Cumq; in Lombardia inter confederatas ciuitates ſeditiones non paruæ contra eundem Imperatorem exortæ eſſent, iniunxit Gregorius Guilielmo, vt pacem inter Fridericum, dictaſq; ciuitates, ac populos reſtitueret, ac conſtabiliret, quæ tandem Brixiæ firmata eſt coram

ram

Digitized by Google

ram Azone Archidiacono, & noſtro P. Rugerio. *Bzouius in Annal. num.* 3. 4. & 5.

Gregorius Pontifex B. Guallam Bergomenſem, virum ſanctiſſimum, ſibiq; notiſſimum, Generalem Inquiſitorem in tota Lombardia creauit. Hic ille fuit, qui defuncto S. Patre Dominico geminas ſcalas vidit, ſuper quas aſcendentes Angeli, animam illius ſanctiſſimam deferebant. S. Patris Dominici igitur zelum imitatus ille, hęreticis omnibus perpetuũ bellum indixit, pluribus ex eis igne conſumptis. Ab eodem Pontifice Gregorio delectus Apoſtolicus Nuncius ad Patauinos, & Taruiſinos inter ſe diſſidentes, conciliandos, ſancito fœdere, pacem eiſdem reddidit dexteritate maxima vſus. Tandem anno 1229. ab eodem Pontifice aſſumptus fuit ad dirigendas oues Chriſti in Eccleſia Brixien. in viam æternæ ſalutis, eiuſdem Eccleſię cura illi demandata, quam ſanctiſſimè rexit annos plures, ouibus ſuis omnibus, omnia factus, vt dicetur infra. *Bzou. ad an.* 1234. *nu.* 5.

Idem Pontifex cum audiſſet copioſam Cumanorum multitudinem opera ſancti Hyacinthi, reliquorumque Sociorum eius ad agnitionem veritatis veniſſe, Strigonienſi Archiep. mandauit, vt eoſdem vicinos Cumanos baptizaret, innungeret, atq; Eccleſias in illorum regionibus ædificaret. *Ex epiſt. eiuſd. Gregor. data anno primo. Bzou. in Annal.*

Cum autem Paſtores Eccleſiæ in Italia negligentiores eſſent, in Lombardia maximè, in paſtorali officio exercendo, Gregorius datis Apoſtolicis literis eos hortatus eſt, vt diligentiores eſſent in ſua paſtorali cura exequenda, ouibuſq; ſibi creditis per viam Dei dirigendis, quod tantò faciliùs illis eſſe ſcribebat Pontifex, quanto maiora auxilia haberent à Fratribus Prædicatoribus, ex quorum (aiebat) approbata Religione copioſus fructus in Dei Eccleſia iam promanaſſe dignoſcebatur. *Bzou. in Annal. num.* 10.

Hoc eodem anno Gregorius Pont. ex noſtris Prædicatoribus, per totum ferè Chriſtianum orbem, præter inſtitutum in Lombardia B. Guallam, in Germaniam ſuperiorem, atq; inferiorem multos Inquiſitores cõtra hæreticorum nequitiã delegauit: *Nulli enim* (vt Ferrarij verbis vtamur) *cenſuit hoc Apoſtolicum munus aptius committi poſſe, quam illius Ordinis profeſſoribus, quem veritatis Ordinem dixère,* eo quod pro veritate fidei dilatanda, & vnitate Eccleſiæ conſeruanda, innumeras calamitates, labores, cædes, atq; ærumnas pertulerint. Inter hos autẽ emicabat, tanquam ſol inter ſydera, B. Gualla in Lombardia, & P. Thomas Agni de Lentino in Neapolitano Regno, qui hæreticos multos igne conſumpsère. *Ferrar. de Reb. Hungariæ Prouinciæ p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1.

Viri præſtantiſſimi ordinem ingrediuntur, qui militantem Eccleſiam plurimùm illuſtrarunt, & inter illos P. Hugo de S. Theodorico Burgundus, qui purpuram ſacram in Ordinem Prædicatorum primus inuexit. *Maluenda in Annal. Ord.*

P. Guidottus de Sexto in Lombardia inferiori Inquiſitor, cum verbo, ferro, & igne contra hæreticos dimicaret, tantum eis incuſſit timorem, vt nullus audèret palam ſe hæreticum profiteri; ex quo factum eſt, vt catholica fides maxima ſumpſerit incrementa in Lombardia, adiacentibuſq; Prouincijs. *Paramus lib.* 2. *cap.* 2.

Ex corporis ergaſtulo ſolutus Honorius Pontifex hoc anno migrauit in aliam vitam, laborum, quos pro Eccleſia S. Dei pertulit, condignum præmium percepturus; qui Prædicatorum Ordinem confirmauit, profeſſores illius vnicè dilexit, & Religionem ipſam encomijs pluribus exaltauit.

In

In Bulla enim. *Qui omnibus ex officio.* ...ncedens Eccleſiam S. Sabinæ adia... ...teſque domos Patribus noſtris ſic fa... ...r. *Vt multorum vtilitati conſulamus, & ...uribus ipſi Fratres prodeſſe poſſint, quo ...ures, tam indigenæ, quam extranei Romam ...ngregantur, &c.*

Idem in alia Bulla. *Quoniam &c.* com...nendãs Prædicatores vniuerſis Eccleſiæ Prælatis, inquit. *Quia abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum: ecce Ordinem dilectorum filiorum Prædicatorum Dominus ſuſcitauit, qui, non quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Chriſti quærentes, tam contra profligendas hæreſes, quàm contra peſtes alias mortiferas extirpandas ſe dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariæ paupertatis, &c.*

Idem in Bulla *Gratum gerimus* &c. Bononien. populo commendans Fratres Prędicatores inquit: *Vix vnquam poteſt obſequium Deo gratum exhiberi, quàm cum Fratribus Prædicatoribus miſericorditer ſubuenitur, qui ſalutem hominum ſitientes, ad hoc haurire geſtiunt aquam in gaudio de fontibus Saluatoris, & eam diuidunt in plateis, non ſolum ad refectionem ſitientium animarum, verùm etiam ad mentium infirmantium antidotum ſalutare, &c.*

Idem in Bulla *Cum qui recipit Profetam &c.* commendans ipſos Prædicatores Epp. & Eccleſiarum Prælatis inquit: *Ipſi paupertatem, & vitam regularem profitentes verbi Dei euangelizationi ſunt totaliter deputati, ſuntq; viri Eccleſiæ Sanctæ pernecеſſarij, pro eo quod adminiſtrant pabulum verbi Dei, &c.* Ex Archiuio Ord.

ANNO 1228. Gregorius Pont. B. Conradum Theutonicum, virum ſalutis animarum ſitientiſſimum, atq; hęreticorum hoſtem accerrimum, in Germaniam Apoſtolicum Inquiſitorem cum auctoritate ampliſſima delegauit, qui perpetuum bellum illis indicens, innumeros ex eis igne, ac ferro afflixit. Tandem pluries ad mortem quæſitus, ab eis crudeliter necatus eſt. Hunc primum in Germania Inquiſitorem fuiſſe dicit Bzouius: verùm ex Conſtitutione, ſeu edicto Friderici Imperatoris, dato an. 1225. apparet Inquiſitores tunc in Germania fuiſſe, quos ſub ſua protectione recepit. *Bzou. in Annal. num.* 8.

Gregorius Pont. in Hungariam Apoſtolicos Miſſionarios plures ex Prædicatoribus direxit, vt Catholicam fidem ibidem conſtabilirent, & alienos ab Eccleſia, ad illius vnitatem perducerent, quòd illi inconcuſſo animo præſtitère. *Ferrar. de Reb. Hungar. Prou. p. 3. lib. 2. cap. 2.*

Confirmatur à Põtifice Gregorio Tertius Ordo S. Dominici, dictus *De Pænitentia*, ex quo fructus ſanctitatis vberrimi in Eccleſia promanarunt. *Maluenda in Annal. Ord.*

Celebrantur hoc anno Generalia Comitia Ordinis Pariſijs ſub B. Iordano, in quibus pro gentium conuerſione, fideiq; catholicæ dilatatione inſtitutæ ſunt quatuor prouinciæ nouæ, nempe Poloniæ, Daciæ, Greciæ, ac Terræ Sanctæ cũ maximo animarum fructu; nam Fratres Prædicatores in eiſdem permanentes, & noua cœnobia fundantes, innumeros Schiſmaticos, atq; gentiles Chriſtiano gregi addidère. *Ex Act. eiuſd. Capit. & Script. Ord.*

Factum mirabile in celebratione Capituli accidit; nam cum vocales ad Capitulum pergerent bini & bini, non in curribus, & in equis, ſed in nomine Domini, ſolo baculo innixi incedentes, adfuit iuuenis, aſpectu nobilis, qui ſe eis ſociauit in via, interrogauitq; qua de cauſa ad Capitulum accederent, & quid in eo eſſet decernendum; ac tandem petijt à duobus ex eis an Fratres ex eo Capitulo eſſent in Hungariam, & Græciam mittendi; quibus reſpondentibus quod ſic; clamans, & eiulans ille, dixit *Maledicti ſitis vos à*

Domino;nam Ordo veſter,confuſio noſtra eſt. & fœtore ſulſuris emiſſo, euanuit ab oculis eorum. Perrexère igitur illi ad Capitulum, & narratis B. Iordano ijs, quæ ſibi acciderant in via, ex eodem Capitulo multi Fratres miſſi ſunt ad prædicandum Euangelium Sanctum in varias Chriſtiani orbis partes, & præcipuè in Hungariam, & Græciam, erecta ibi hoc anno Prouincia. *Caſtill. p. 1. l. 1. ex Teodorico.*

Cum in Hungaria catholica fides à quibuſdam hæreticis nouis deliramentis deturpata paulatim deficere videretur, Gregorius Pontifex Prædicatores, zelum Dei habentes, Inquiſitores in illam cum auctoritate maxima delegauit, quos Epiſcopis,atq; Eccleſiaſticis Prelatis commendatos voluit; vt contra illos procedentes ex officio,condignis ſupplicijs punirent, atq; igne, & ferro tantam peſtem ex Hungariæ Regno extirparent. *Ferrarius de Reb. Hungar. Prou.*

ANNO 1229. Eodem Gregorio Pontifice S. Raymundus de mandato Papæ Decretalium librum euulgauit S. R. E. Maior Pœnitentiarius ab eodem conſtitutus, qui deinde cum Legato de Latere Ioanne Card. Tit. S. Sabinæ ad Iacobum Aragoniæ Regem miſſus, vt cauſam repudiationis factæ propriæ Vxoris cognoſcerent, ad 3. Kal. Maij cum Toletano,atq; Taraconen. Epiſcopis & Priore noſtro Cæſarauguſtano P. Petro de eodem matrimonio, quòd lege conſan. guinitatis vitioſum aſſerebat Iacobus, diſceptarunt, ſententia tandem in fauorem Regis pronuntiata. *Bzou. in Annal. nu. 3.*

S. Hyacinthus abdicato Prouincialis munere, vt gentium conuerſioni facilius vacaret, de Ruthenis, Dacis, Moſcouitis, Tartariſq; vel Idolatria, vel ſchiſmate fœdatis, ad S. Matris Eccleſiæ venerationem adducendis cogitans, Fratrum noſtrorum auxilio fretus, in eaſdem regiones ingreſſus, innumeros catholicæ Eccleſiæ filios dedit, inter quos Danielem Ruthenorum Principem, qui à Pontifice Gregorio Regium diadema promeruit. *Bzou. de Prouin. Polon. cap. 2.*

Ad quoſdam deliteſcentes Albigenſes hæreticos in Gallia pœnitus eradicandos Pontifex Fratres Prædicatores miſit, ampliſſima Apoſtolica auctoritate communitos, qui promulgatis die cœnæ Dominicæ in eos cenſuris, ad exterminium illos igne, ac ferro perduxerunt, maximo timore in cœteros incuſſo. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 5.*

B. Gualla Mediolanēſis Inquiſitor cum Card. Caſtilionèo Mediolanum pro extirpandis hæreticis Manicheis à Gregorio Pontifice mittitur, qui eam Vrbem ingreſſi, coram Mediolanen. Paſtore, comitijs Senatus, populiq; Mediolanen. indictis, duodecim viros elegerunt, quorum terni, & terni cum duobus noſtris Prædicatoribus,& totidem Minoribus ad quatuor vrbis portas ſubſellijs collocatis, hæreticos inquirerent, iudicarent,& condemnarent, plurimis contra eoſdem decretis promulgatis. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 5.*

Idem B. Gualla ad Epiſcopatum Brixien. à Clero aſſumptus, à Gregorio Pont. confirmatur, qui Apoſtolico more populum ſibi creditum gubernans, & per ſemitam diuinorum mandatorum dirigens, in tanta fuit apud Pontificem Max. æſtimatione, vt pro eodem Apoſtolicam legationem pertulerit. Inter Patauinos, ac Taruiſinos dexteritate mirabili fœdus indixit. Pacem inter Guelphos, ac Gibellinos Brixiæ conſtabiliuit, & conatus eſt, vt Fridericus II. in gratiam Pontificis reuocaret. *Vghell. Ital. Sac. tom. 4.*

Gregorius Pont. informatus quòd in Alemania, & Brabantia hæreſes quædam naſcentes in catholicæ fidei detrimentum non modicum ſerperent. Inquiſitores nōnullos litteris Apoſtolicis communi-

ıitos Brabantiæ Duci directis, inci-
ıtibus *Ille humani generis &c*, illuc de-
ıuit, vt eas vigili cura ſtatim carperent,
llerent, atq; eradicarent, ne catholicæ
itatis puritas coinquinaretur: & eoſ-
n Prædicatores commendans ſubdit.
*s eius inſtructi exemplo, qui & duode-
t Apoſtolos, & alios ſeptuaginta duos ele-
, & binos ad prædicandum ante faciem
ım direxit, dictos Fratres contra hæreti-
in Alemaniam duximus deſtinandos,
eoq; tuam nobilitatem rogamus, monemus,
hortamur attentè, ac per Apoſtolica ſcri-
ı mandamus, in remiſſionem peccaminum,
i iniungentes, quatenus ipſos pro reueren-
ı diuina, & Apoſtolicæ Sedis, ac noſtra,
nignè recipias, & honeſtè pertractes, eis
xılium, fauorem, & conſilium taliter im-
ndendo, quòd ipſi commiſſum ſibi officium
equi valeant inoffenſè, & nos ſinceritatis
æ zelum meritò commendare*. Ex Archi-
o Ord.

ANNO 1230. B. Io: Hungarus in Pannoniam à Pont. Max. Gregorio contra hæreticam prauitatem, atq; pro Euangelio Ieſu Chriſti promulgando, mittitur, vbi infatigabili ſtudio populos illos per ſemitam mandatorum Dei lum dirigere conatur, ab eiſdem lapidibus obrutus in ſanguine proprio inuolutus in cœlum conſcendit, poſtquam Epiſcopali dignitate fuiſſet ab eodem Pontifice inſignitus. *Plodius 1. p. lib. 1. de Vir. Illuſtr. Ord.*

Ad compeſcendam hæreticorũ in Italia vaſritiem maximam, Pontifex Fratres Prædicatores per illam totam Apoſtolicos Inquiſitores delegauit, qui igni multos adiudicantes, aliiſq; pœnitentijs affligentes tantam peſtem ex illa fugauère. *Bzou. in Annal. num. 2.*

Idem Gregorius Priori noſtro Conuentus Rhotomagenſis viſitationem Monaſterij S. Audœni, & reformationem Monachorum illius, Ord. S. Benedicti injunxit, quòd ille auctoritate Apoſtolica ſibi tradita ad optatum Pontificis finem perduxit. *Bzou. vbi ſup.*

S. Raymundus de Pennafort aſſumitur à Gregorio Pontifice in proprium confeſſarium, atq; Capellanum, inſtituiturq; Auditor cauſarum ad Sacrum Palatium delatarum, quod munus temporibus noſtris idem eſt ac Sacræ Rotæ Auditor. *Maluenda in Annal. Ord.*

Celebratur à B. Iordano Generale Capitulum Pariſijs, ex quo plures Patres ad id muneris aptiores miſſi ſunt in Terram Sanctam pro gentium conuerſione, ad quam poſtmodum etiam idem Magiſter properauit. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

B. Albertus Magnus S. Thomæ Aquinatis Magiſter in ſingulare Catholicæ Eccleſiæ, atq; noſtræ Religionis decus Dominicanam togam induit Patauij per manus B. Iordani, vbi tunc ſtudijs vacabat. *Bzou. in Annal. Eccl. ad annum 1260. num. 7. Plodius in eius vita. Taeg. in Monum. Ord.*

P. Clarus probatæ vitæ vir, Pontificis maximi Pœnitentiarius Apoſtolicus, ſcripſit aliquot ſpeciales tractatus ad inflamanda corda peccatorum ad pœnitentiam, emoliendaq; illa ad lacrymas, quibus multos peccatores per pœnitentiam ad Chriſtum allexit. *Plod.*

Aſſumitur ad regimen Eccleſiæ Toloſanæ ſuo viduatæ Paſtore, quę hoc tempore Epiſcopali titulo inſignita erat, electus à Capitulo, prout tunc temporis mos erat, P. Raymundus de Fulgario ex Miramonte, ab Apoſtolico Legato in Gallia tunc exiſtente cõfirmatus. Fuit hìc S. Patris Dominici charus diſcipulus, ex quo tanquam virtutum omnium fonte puriſſimo, charitatem, humilitatem, & pietatem hauſit, qui ab eodem Legato inuitatus ad Concilium, in Italiam, cum illo venit, & in componenda inter Angliæ, & Galliæ Reges pace, mandante Pontifi-

ce, plurimum inſudauit, re tandem ad optatum finem perducta. Fratres noſtros ex antiquo in nouum locum, S. Romani, in quo permanent, tranſtulit, copioſo ære, ad fabricam conuentus neceſſario erogato. Sibi commiſſas oues per viam ſalutis, ex corde, direxit, toto tempore quo Toloſanam Eccleſiam rexit, deceſſitq;capularis ſenex, bonis operibus refertus. *Gall. Chriſt. tom.* 1. *Bzou. num.* 1.

ANNO 1231. Cum Fridericus Imperator, non ſolum ferro, & igne, verùm & hæreſi cuncta coinquinaret, vaſtaretq; nec non & bona Eccleſiarum ſacrilega manu diriperet, Gregorius Pont. tantis ſceleribus remedium præbiturus P. Guallam Bergomenſem Apoſtolicum Commiſſarium cum pleniſſima auctoritate in Lombardiam delegauit pro fœderecum Mediolanenſibus, reliquiſq; confœderatis populis, iam ſancito, reiterando contra Fridericum, quòd Mediolani in Archiepiſcopali palatio iuxta Pontificis votum Gualla, maxima dexteritate concluſit, magno cum Eccleſiæ commodo. *Bzou. in Annal. num.* 3.

IdemPontifex Priori noſtro Pariſienſi dedit poteſtatem abſoluendi Magiſtros, & ſcholares Pariſien. à cenſura, in quam ex Roberti Cardinalis Legati Apoſtolici ſtatuto inciderāt occaſione lectionis quorundam librorum naturalium, in Concilio Pariſien. decreto promulgato, prohibitorum. *Bzou. in Annal. num.* 4.

B. Michael Fabra Hiſpanus, cum eſſet Iacobo Aragonum Regi à ſacris confeſſionibus, eundem Regem ad expugnationem Regni Maioricæ non ſemel inflammauit, vt fides catholica ibidem vacillans ſtabiliretur; & cum in veneratione maxima ob vitæ ſanctitatem eſſet apud milites, eoſdem ad ſubeunda pericula in obſequium fidei ſuis exhortationibus, atq; præcibus inflammabat, quibus parta victoria tributa eſt. In Regno quoq; Valentino, cum Valentia à Mauris oppugnaretur, ipſius Michaelis diuinitus in aere apparentis ſpeciem, habitu Ordinis induti, gladium geſtantis, atq; plures hoſtes ſua manu trucidantis, conſpexère. *Bzou. in Annal. Eccleſ. nu.* 3.

In Germania quoq;hoc anno perſequtio valida facta eſt à noſtro B. Inquiſitore Corrado Maſpurgen. contra hæreticos latitantes in populo Dei, in ciuitatibus, & oppidis ſubuertentes, atq; in errorem inducentes orthodoxæ Eccleſię filios, erantque in maximo numero: contra quos ex officio proceſſit ille, & conuictos de annuali cenſu, quē Mediolanū, vbi diuerſarum hæreſum virus ſerpebat, mittebant in eorum ſubſidium, ex canonum præſcripto, igne, ac ferro animaduertit, nemini parcendo; neq; nobilibus ipſis, Imperatoris auxilio fretus. *Bzou. in Annal. nu.* 17.

Gregorius Pontifex fructus vberrimos, quos in peccatoribus, ac populis producebant Prædicatores, verbum Dei euangelizantes, & non quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Chriſti in paupertate maxima, quærentes, conſiderans, Poteſtati, & Conſilio Vrbeuetano ſcripſit Apoſtolicas literas incipien. *Cū Pater familias &c.* vt eoſdem Prædicatores in ſua Ciuitate reciperent, dicens quòd *Pater familias hora vndecima miſit Fratres Prædicatores in vineam Domini Sabaoth ad profligandas ab ipſa demolientes vulpeculas, & ad eam ſollicitudine vigili excolendam.* Ex Archiuio Ord.

Cum duo ex noſtris à B. Iordano prædicatores inſtituti per ciuitates, & caſtella ſuburbana circuirent, euangelizaturi vbique, ad domum optimi viri declinantes, hoſpitio recepti ſunt, & benigniſſimè tractati. Erat in ea domo Pica ad loquendum edocta, domino domus vnicè chara; hæc cum ſequenti mane diſceſſiſſent Prædicatores, à quodam vicino capta, & aſſata, manducata eſt. Domum re-

:rſus ille, non inuenta Pica, cogitans
d Fratres ſubripuiſſent illam, affli-
atur nimis de hoc. Cum verò Prædi-
›res ſequenti die ad domum hoſpi-
tis reuerſi fuiſſent, audiſſentq; factum
:e iacturam, mœrore conſtrati, qui in-
illos erat maior clamauit: *Amica pica
es?* quæ de ventre adſtantis, qui come-
:at, ſtatim perſonuit: *ecce adſum:* maxi-
. illius confuſione, & Fratrum conſola-
ne. *Maluenda in Annal. ſub hoc anno.*

ANNO 1232. Gregorius Pont.
S. Petrum de Verona Mediola-
n. Inquiſitorem conſtituit, ob notiſſi-
ım virtutem, zelum catholicæ fidei di-
andæ, atque inſontem vitam, contra
ıtharos, Manichæos, Patarenos, alioſ-
:e hæreticos, qui in Lombardia vige-
nt, contra quos eodem anno promul-
ıuit edictum; & Mediolani, Comi, at-
ıe Florentiæ viginti annorum ſpatio,
aximo catholicæ fidei incremento ſa-
o Inquiſitionis tribunali præfuit, hære-
corumq; plurimorum impietatem dete-
t, quos igni adiudicatos conſumpſit.
:um verò ſacræ prædicationi indefeſſo
.bore operam daret, plurimi abiuratis
rroribus æterno Deo verum cultum ex-
ibuère. *Bzou. in Annal. num. 6.*

Graſſante bello in Germania inter
ridericum Imperatorem, & Andream
lungariæ Regem, extero milite in Ger-
ıaniam introducto, inualuit ibi nefan-
.um ſodomiæ crimen adeo enormiter,
:t Gregorius Pont. Priori, & Fratribus
²rædicatoribus in Auſtria conſtitutis, per
ᐱpoſtolica ſcripta mandauerit, quòd con-
:ra naturæ temeratores ardenti inſurge-
:ent pectore, concionibus, & pro iudicia-
:io Apoſtolico officio, nomina delin-
quentium nobilium ad Romanam Cu-
riam mittentes, vt in ipſos, tanquam per-
fidos Chriſti inimicos, vltionis Eccleſia-
ſticæ gladius exerceretur. Pontificis man-
data exequentes Prædicatores, tantum
ſcelus eliminauère ex Germania. *Bzou. in Annal. num. 4.*

Cum Viceu. Epiſcopus apud Arago-
niam malè de fide ſentiret, Gregorius
Papa in eum Commiſſarium Apoſtoli-
cum delegauit P. Petrum de Cadireta, vt
de illius erroribus inquireret, quem & Ia-
cobo Aragoniæ Regi plurimùm com-
mendauit, ne ipſe cum Socio aliquod
damnum pateretur in huiuſmodi contra
Epiſcopum inquiſitione. Iuſſa Pontificis
adimpleuit infracto animo P. Petrus, Epiſ-
copumque ſalutaribus catholicę fidei do-
cumentis imbutum, S. Eccleſiæ reconci-
liauit. *Bzou. in Annal. num. 8.*

Cum Tarraconen. prouincia hæreti-
cali vaſritie eſſet infecta, Pontifex Gre-
gorius Apoſtolicam facultatem dedit Ar-
chiep. Taraconen. eiuſque Suffraganeis
Epiſcopis inſtituendi in proprijs Diœce-
ſibus Inquiſitores Fratres Prædicatores,
qui contra hæreticos illos ſeuerè inſurge-
rent, & punirent, dato diplomate apud
Spoletum 9. Kal. Iunij, cuius initium ta-
le eſt. *Gregorius Epiſcopus Seruus Seruo-
rum Dei &c. Declinante iam mundi veſpe-
re ad Occaſum &c.* Recenſetur à Bzouio
in Annal. Eccleſ. hoc anno num. 9. Ad
præſcriptum igitur diplomatis Apoſtoli-
ci plures ex Prædicatoribus conſtituti
ſunt Inquiſitores contra hæreticos, & in-
ter illos S. Raymundus de Penniafort,
qui cum formulam, ſub qua errores abiu-
rarent hæretici, ſcripſiſſet, habuit occaſio-
nem poſtea Pontifex reſcribendi electo
Taraconen. hæc verba: *Et ſuper depre-
henſis in hæreſi, & carceribus, quid ſit te-
nendum, habeas notam F. Raymundi, quam
hic ponimus, quæ incipit Credo &c.* Bzou.
vbi ſup.

In Polonia, & maximè in Ducatibus
Ruſſiæ, Voliniæ, Podoliæ, viciniſque
Prouincijs fidei negotium, atque vnio-
nis Eccleſiarum maxima ſumpſit incre-
menta opera S. Hyacinthi, ſociorumque
Fra-

Digitized by Google

Fratrum noſtrorum, in gentilium, ſchiſmaticorumque conuerſione ſtrenuè laborantium. Quapropter Gregorius Pont. vt ampliori cum auctoritate, & fructu res fidei promouerentur, illis conceſſit, vt quadraginta dies Indulgentiæ de iniunctis pœnitentijs relaxare poſſent eorumdem ſacris prædicationibus adſtantibus; datis Apoſtolicis litteris Idib. Martij incipien. *Dilecto filio Prouinciali Poloniæ, & Fratribus Ordinis Præd. commorantibus in Ruſſia. Vt Fidei noſtræ puritas &c.* Bzou. in Annal. Eccl. num. 12.

Idem Pont. Gregorius P. Iacobo Creſcentio Romano, Prouinciali Poloniæ, & P. Domeſlao ſocio eius commiſit, vt Ruthenorum ſtatum circa creationem Epiſcopi, quem ſibi ab Apoſtolica Sede concedi petebant Rutheni, inquirerent. Qui re diligenter inſpecta, cunctiſque ad Epiſcopi inaugurationem, Diœceſiſque conſtitutionem pertinentibus, exploratis, eidem Summo Pontifici reſcripsère, poſſe ipſum Ruthenis Epiſcopum in eorumdem ſpirituale auxilium, ſacrorumque munerum largitionem præficere. Quibus auditis à Pontifice, dedit Ruthenis primum Epiſcopum B. Gherardum nuper Prouincialem noſtrum Poloniæ. *Bzou. de Rebus Prou. Pol. cap. 2. & 7.*

Conrado Maſſouiæ, atque Henrico Vratislauiæ Ducibus inter ſe digladiantibus occaſione tutelæ Boleslai Principis pueri, cognomento pudici, Gregorius Papa Prouinciali noſtro Poloniæ præcepit, vt prædictos Duces ad pacis, & concordiæ fœdera reuocaret, adhibitis adhoc, quatenus opus eſſet, etiam Apoſtolicis cenſuris, omni appellatione remota. Pontificis deſideria adimpleuit Prouincialis, rebus inter Duces benè compoſitis. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 10.

B. Io: de Vicentia, & P. Iordanus Prior Patauinus cum Cardd. Legatis interfuerunt ex decreto pontificio paci conſtituendæ inter fœderatas ciuitates, & Fridericum Imperatorem, apud Patauium, cum prius Commiſſarius Apoſtolicus ad ciuitates Lombardiæ pro ineunda pace, ab eodem Pontifice delegatus fuiſſet B. Ioannes Vicentinus, vir multorum miraculorum patrator, ac maximarum virtutum: apud populos, quos ſuis concionibus ad pœnitentiam impellebat, habitus in veneratione maxima. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 1. & 2.

Catharorum hæreſi Italiam, & Lombardiam maximè, inficiente, S. Petrus Martyr Mediolanen. Inquiſitor aſſiduis prædicationibus, ignitiſque eloquijs illa infernali pice coinquinatos ad veræ fidei agnitionem perducere ſatagebat, ad quæ audienda innumerabilis fidelium, nec non & hæreticorum multitudo confluebat, & cooperante diuina gratia illorum corda emolliebantur, nec non & viſis miraculis à S. Inquiſitore patratis, errores abiurabant, & catholicam fidem profitebantur. Cum autem multi in ſua pertinacia perſiſterent, inualeſcentes contra eos Inquiſitores Lombardiæ cuncti, aliquos ex eis in vincula coniectos publico igni tradidère, alijs fuga aſſumpta vitæ ſuæ conſulentibus. *Bzou. num. 6.*

Cum duo ex Prædicatoribus, ab Vrbe digreſſi, euangelizaturi eſſent per caſtella verbum Dei, vt peccatores ad pœnitentiam emollirent, ſero nimis ex caſtro quodam diſcedentes, aliud, quod propinquius credebant, petière; at cum declinante die, via eos feſelliſſet, & quam in partem ſe verterent, neſcirent, ad orationem confugientes, adfuit illicò miluus, qui ſuper eos volitans, in vicino arbore fixit pedem: tunc maior ex illis dixit miluo, *Præcipio tibi in nomine Domini, vt dirigas nos in viam, per quam incedimus, ad vicinum caſtrum:* Obediuit animal voci ſeruorum Dei, & ſuper eos volitans, per incognitum callem perduxit vſque ad

ca-

trum, quò tendebant; & accepta ab eis ıedictione, reuerſus eſt in locum ſuum. *Zill. par. 1. lib. 1.*

A NNO 1233. P. Hugonem de S. Theodorico, poſtmodum S. R. Cardinalem cum P. Petro, viro doctiſſio ex noſtris; Aymonem verò & Rolphum ex Minoribus, Conſtantinopo-ı miſit Gregorius Papa Apoſtolicos ꝺocriſarios ad Germanum Patriarcham ɔ vnione Græcæ Eccleſiæ cum Latina, .tis ad eundem Germanum hac de re poſtolicis litteris Laterani 15. Kal. Iuj pontif. 7. Porro illi Patriarcham conniencentes viuis rationibus, efficaciſſimiſıe SS. Patrum, tam Græcorum, quàm atinorum auctoritatibus, id quod caput at negotij, nimirum Spiritum Sanctum Patre, filioq; procedere, efficaſſimè prorunt, ac demoſtrarunt; eamq; fidei def-ıitionem vniuerſo Orienti reliquerunt, ıſo Patriarcha conuicto. *Bzou. in Annal. ꞉ccl. num. 1.*

Non minora præſtitit catholicæ fidei ıcrementa in Ruſia S. Hyacinthus cũ uis ſocijs in gentilium, atq; ſchiſmaticorũ onuerſione intentus, cum Commiſſarij ıpoſtolici munus adimpleret: etenim Haliciam petens Colomannum, & Soloıèam Principes, coniugeſque caſtitatis oto aſtrinxit, Romanoq; Pontifici paere docuit. Leopoli, atque Chiouiæ in niendis Romanæ Eccleſiæ Ruthenis uatuor conſumpſit annos, cœnobiaque)rdinis pro conſtabiliendis in puritate fiei conuerſis ad illam conſtruxit. Inde d Cumanos, Moſcos, & Scytas profectus cum ſocijs, magnos ibi animarum ructus Eccleſiæ collegit. *Bzou. vbi ſup. ıum. 2.*

Nouam hanc fidei plantationem apud Cumanos, atq; Schytas. Illiricoſq; à noſtris Prædicatoribus cum effuſione maxima ſanguinis factam eſſe, indubitatum ſt: namB. Berengarius Cracouien. Epiſcopus deſignatus lancea in dextero latere confoſſus, ſpiritum creatori ſuo reddidit. B. Hadrianus nobili ſex & viginti Fratrũ, corona palis infixorũ ſociatus, glorioſum agonem conſummauit. Triginta & duo alij Fratres apud Bos nam euangeliũ annunciantes, ab hæreticis ligatis manibus, ac pedibus in flumen deiecti sũt, ad quorum gloriam manifeſtandam, per plures annos, die eorum paſſioni ſacra, triginta duo luminaria è cælo deſcendentia in ſubmerſionis loco irradiabant. Ad Boriſthenem fluuium B. Albertus, & Dominicus eius ſocius à Tartaris fuère trucidati, alijs ſocijs in miſerandam captiuitatem adductis. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 4.*

Ad bellicos apparatus ſedandos, qui ratione caſtri Montis Politiani in Aetruria inter Senenſes, ac Florentinos gliſcebant, Gregorius Pont. B. Ioanni Vicentino ſupra relato, atq; Bonomiæ exiſtenti per Apoſtolica ſcripta mandauit, vt Florentiam, ac Senas ſe conferret, pro pace in illis ciuitatibus ſtabilienda: quo Bononienſibus nunciato, tanti viri iacturam pertimeſcentes illi, ad ciuitatis ianuas cuſtodes conſtituère, ne Ioannem ex propria ciuitate egredi ſinerent. Re Pontifici delata, eccleſiaſticis cenſuris Bononienſes ad dimittendum Ioannem compulit, qui Senenſes, ac Florentinos pacis fœdere copulauit. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 9.*

Cum Guido Laca perfidus hæreticus defunctus apud Brixiam, in maximæ ſanctitatis opinione apud populum, (vtpote in abſtinentia cibi & potus inſignis) eſſet. B. Gualla Brixien. Epiſcop. ex noſtris cum P. Inquiſitore eiuſdem diœceſis cognita viri vafritie, oſſa eiuſdem exhumata igni adiudicauit; cumq; flamma eadem in altum elata non læderet, clamorq; populi de eius ſanctitate inualeſceret, cordatus vir B. Gualla, ſacra Epiſcopa-

Digitized by Google

copalia indumenta pro miſſæ ſacrificio præparari iuſſit, illiſque indutus, ac miſſa de B. Virgine inchoata, ſtatim, obſtupeſcentibus cunctis, oſſa in ignem corruentia, illicò concremata ſunt: quo facto incuſſus eſt timor maximus hæreticis, ex quibus plurimi ſuos errores manifeſtantes abiurauère. *Bzou. in Annal. Eccleſ. num.* 11.

Apud Boſnam in Prouincia Hungariæ illius regionis Dux Nicolaus fidem catholicam opera Fratrum Prædicatorum, fuerat amplexatus, & hæreſim circa hæc tempora abiurauerat, atque ſe in catholica fide, & deuotione erga Apoſtolicam ſedem ſpoponderat, dato ad hoc proprio filio obſide inter noſtros Prædicatores. Quare certior factus hoc anno Gregorius de fidelitate eiuſdem, quam Apoſtolicis litteris eidem datis plurimùm commendauit, obſidem filium Chriſtianis legibus à noſtris imbutum Patri reſtituendum Prædicatoribus mandauit, quod ſtatim præſtitère illi. *Bzou. vbi ſupra numer.* 14.

Condormientium hæreſi nefanda in Germania graſſante, qui viros, & fœminas; Iuuenes, ac virgines; pueros, ac puellas vno in loco concludentes ſub tenebris, enormibus luxuriæ peccatis ſexum, atque ætatem contaminabant, Gregorius Pont. tanto ſceleri opportunum remedium prebiturus, ſcripſit hoc anno Imperatori Friderico, Archiepiſcopo Moguntino, & Epiſcopo Hildeſemenſi, vt contra impudicos nebulones arma ſumerent; Priorique Prouinciali noſtro P. Corrado præcepit, vt cum Fratribus ſibi ſubditis ſe ad extirpationem talium hæreticorum toto corde, viribuſque accingerent, pro vt fecerunt, eliminata ex Germania tanta nequitia, ac iniquitate. *Bzou. ibid. num.* 13.

Reuiuiſcentem quoque in Toloſantium partibus Albigenſiũ hæreſim compreſſurus Pontifex, P. Roberto Priori Toloſano per Apoſtolica ſcripta mandauit, vt illuc ſe conferret, hæreticorumque audaciam frænaret, qui plurima caſtra ſuis peſſimis deliramentis infecerant; & implorato S. Ludouici Regis auxilio, ſi opus eſſet, cunctos igne, ac ferro perderet. Acceſſit ad illos Robertus, & multis ad pœnitentiam reductis, alios igni adiudicauit, fugientibus in vicinas prouincias alijs. *Bzou. vbi ſup.*

Miſit quoque Pontifex Carcaſſonam, & ad vicinas ciuitates, in quibus virus Albigenſium hæreſis ſerpebat, P. Petrum Syllanum, virum verè Apoſtolicum, hæreticorum malleum, atque fidum ſocium S. Patris Dominici, ex quo tanquam fonte limpidiſſimo hauſerat cum pietate zelum conuerſionis animarum ad Chriſtum. Miſit quoque in Delphinatum B. Lambertum, & Pontium de S. Aegidio Prouincialem Toloſanum, alioſque Prædicatores, qui ſtrenuè cum hæreticis decertantes, poſt multa mala tolerata, hæreſim proſtrauère, fidelibus, & fide Catholica exaltata. *Caſtil.* 1. *p.*

Celebratur Generale Capitulum Bononiæ à B. Iordano, in quo facta eſt tranſlatio corporis S. P. Dominici ix. Kal. Iunij Feria tertia Pentecoſtes miraculis coruſcantis, cui interfuit cũ Magiſtro Ord. Iordano Archiep. Rauennatẽ, atq; Bononiẽ. Magiſtratus, innumeraque tum Clericorum, tum Ciuium, è vicinis etiam Vrbibus, multitudo, laudantium Deum, qui in Sancto ſuo Dominico ſemper fuit mirabilis. Cuius tranſlationis denunciatio vniuerſo Ordini innotuit à B. Iordano, datis circularibus litteris, quarum tenor talis eſt:

Dilectis in Dilecto Dei filio Fratribus Ord. Prædicatorum Vniuerſis, F. Iordanus eiuſdem Ordinis Humilis Mag. Gen. & Seruus ſalutem, & gaudium ſempiternum.

So-

S*Olet Diuina bonitas ſua in indagabili ſapientia, plerumque bonum differre, non t auferatur, ſed vt dilatum ſurgat vberiùs i tempore opportuno, &c.* Eſt apud Bzou. 1 Annal. num. 5.

Eodem tempore Gregorius Pont. ne ridericus Imperator occaſionem nactus iſſidiorum vertentium inter populos ci- itatum Lombardiæ, ſuper eas irrueret, igumque ſeruitutis illis imponeret, B. oannem Vicentinum Legatum Apo- olicum in Marchiam, & Lombardiam ro pace illis reddenda miſit, eò quòd immam illius eloquentiam, atque in- :edibilem apud populos auctoritatem erſpectam haberet. Itaque Bononia, Pa- uium, ac Veronam progreſſus, pacem ompoſuit, quam multorum Cardd. Le- ationibus, atque auctoritate, Pontifex onſequi non valuerat. Igitur 12. Kal. uguſti apud Veronenſes de conciliatio- e factæ concordiæ tanta cum omnium pprobatione perorauit, vt à populo Dux, c Pater Patriæ Ioannes fuerit acclama- us. *Bzou. in Annal. num. 9.*

Iterum hoc anno ad inſtantiam Impe- atoris mittuntur Prædicatores ad con- ertendos ad fidem Catholicam Agare- os in Neapolitano Regno, apud Pro- inciam Capitaneatæ, & apud Nuceriam naximè, exiſtentes; qui etiam auctori- ate Apoſtolica Gregorij freti, contra eos ualeſcentes, mentem illorum Pagano- um illuſtrauerunt fidei lumine; & erro- e extirpato, Chriſtianam fidem apud il- os, atque alias adiacentes ciuitates plan- arunt. *Bzou. in Annal. Eccleſ. num. 15.*

Multos filios ſuos hoc tempore in mi- itante Eccleſia laborantes, in triumphan- em direxit, vt credimus, Dominicana Re- igio, inter quos recenſentur PP. Tancre- lus in aula Imperatoris Friderici educa- us, Ventura de Verona prædicator fa- noſus, Corradus Germanus Tancredi fra- er, Gulielmus de Monteferrato, & Pau- lus de Venetijs, qui peccatores innume- ros ad pœnitentiam reuocantes, & illis, & ſibi ad gloriam iter præbuère. *Plod. de vir illuſt. Ord. & Luſit.*

Cum B. Corradus in Germaniam In- quiſitor à S. P. Dominico miſſus, ex illa eiectus, atq; iterum illuc à Gregorio Pont. miſſus, vt an. 1228. retulimus, in ſuo exe- quendo munere, nec etiam nobilibus par- ceret, dum in foro publico Chriſti athle- ta in hæreticos ſpiritu max. declamaret, excitato inter eos populari tumultu tru- cidatus, glorioſa ſanguinis effuſione Or- thodoxæ fidei veritatem, etiam miraculis comprobauit: de quo *Bzou. in Annal.*

Hæreſes illius temporis quò magis ti- more Inquiſitionis ſeſe occultabant, eò fi- dentiùs non ſolum in Germania, ſed etiam in vicinis regionibus Galliæ ac Italiæ pro- pagabantur. Vnde ad eas detegendas ac puniendas extraordinario quodam rigore tunc opus fuit, qui paſſim Conrado ſum- mas obtrectationes atque inuidiam pepe- rit. Verùm alia Dei, alia hominum ſunt plerumque iudicia. *In Annal. Eccleſ. an. 1215. num. 6.*

P. Raymundus de Fulgario Toloſanus Epiſcopus, delectus à Gregorio Pontifi- ce pro pace diu deſiderata inter S. Ludo- uicum Regem Galliæ, & Toloſanum Co- mitem in negotio hæreticorum extirpan- dorum, ſtabilienda, pro S. Ludouici, atque Pontificis voto, rem ad optatum finem perduxit; & Pontificia auctoritate innu- meros hæreticos in fugam coniecit, alijs ſeculari brachio comburendis traditis, alijs perpetuis carceribus adiudicatis, nec non & pluribus per pœnitentias ſaluta- res, errores abiurantibus, S. Matri Eccle- ſiæ reconciliatis. *Ferrar. de Reb. Hun- gar. Prouinc. & Gallia Chriſt. inter Ar- chiep. Toloſan.*

B. Bernardus Polonus primus ex no- ſtris Halicien. Epiſcopus cum quorun- dam aliorum Prædicatorum ſocietate mu-

Digitized by Google

nitus, Ieſu Chriſti Euangelium inter barbaras nationes portaſſet, multoſque ex ipſis per ſacrum Baptiſma Eccleſiæ filios dediſſet, à Schytis captus, verberibus, multiſque calamitatibus vexatus, tandem ſerra per medium diſſectus, proprio in ſanguine volutatus, ad Chriſtum, regem Martyrum, & Dominum, celeri pede properauit. *Bzou. in Annal. num.* 4.

ANNO 1234. Gregorius Pontifex fama miraculorum S. Patris Dominici permotus, præmiſſa ex ritu Eccleſiaſtico inquiſitione de vita, virtutibus, ac miraculis eiuſdem, Sanctorum Catalogo illum ſolemni ritu 3. Id. Iunij inſcripſit. *Bzouius in Annal. Eccleſ. num.* 1.

Idem Pont. in Lombardia P. Guidottum de Sexto Inquiſitorem inſtituit, qui adeo viriliter iniunctum ſibi Apoſtolicum munus exercuit, vt magna ex parte hæreticos profligauerit, plurimis igni adiudicatis, atque eorum bonis iuxta ſacras ſanctiones fiſco incorporatis. Tantum propterea timorem hæreticis incuſſit in Italia, vt nullus palam profiteri ſe hæreticum auderet. *Bzouius in Annal. Eccl. num.* 5.

Miſſi ſunt prætereа ab eodem Pontif. Toloſam, atque in Prouincias adiacentes cum pleniſſima auctoritate Apoſtolica PP. Petrus Cellanus, & Guillelmus Arnaldus Inquiſitores ad Albigenſium hæreſim extirpandam; qui Toloſam accedentes, & iniunctum ſibi onus impauido corde adimplentes, ſalutaribus pœnitentijs impoſitis, plurimos Sanctæ Matri Eccleſiæ aſſociauère, pertinacibus ſuſpendio, vel igne peremptis. *Bzouius vbi ſupra num.* 3.

Alij quoque in Lombardiæ Vrbibus inſtituti ſunt Inquiſitores à P. Prouinciali Lombardiæ de Pontificis mandato, qui zelo zelati pro Domino Deo exercituum, ita illos perſequuti ſunt, vt vbi pedem figerent, non haberent. *Taegius in Monumenta Ordinis.*

Inter hos autem cum P. Rolandus de Cremona Placentinus Inquiſitor. hæreticorum hoſtis accerrimus, in eos quadam vice in publica platea inueheretur, ſacris Scripturis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus eos conuincendo; populari tumultu concitato, ex ſuggeſtu deiectus, grauique capitis colliſione ſauciatus, in ſanguine volutatus, ex ciuitate eiectus eſt. Verùm recuperata valetudine Placentiam reuerſus, infatigabili ſtudio hæreticos, quoad vixit, perſequutus fuit, multis igne, alijs ferro, aliiſque ſuſpendio perditis. *Bzou. vbi ſup. num.* 25.

Hoc anno impia Manicheorum hæreſi Florentiæ graſſante, mittitur, ex Mediolano euocatus, illuc à Pontifice Max. S. Pettus de Verona, vt hæreticos frænaret, compeſceret, deſtrueret, atque ſi poſſibile foret, hæreſim ex eadem vrbe deleret; qui cum neq; prædicationibus, neq; colloquijs, neque miraculis à ſuis erroribus eos dimouère poſſet, catholicorum armatorum multitudine in vnum collecta, aſſumptoque vexillo certaminis à DD. de Rubeis elato, pugnam cum eiſdem citra Arnum in loco, qui dicitur *puteus aquæ* inière, illoſque profligauère, & in platea S. Felicitatis proſtrauère, reliquis ex ciuitate pulſis. A recenti igitus victoria Collegium militiæ Ieſu Chriſti apud Florentinos inſtituit S. Petrus, ſacrumq; vexillum illud eiſdem pro magno munere dono dedit, quod adhuc ibidem ſeruatur: Erecta eſt autem à Florentinis in victoriæ documentum columna nobilis cum eiuſdem S. Mart. ſtatua, quæ vſq; in hodiernum diem viſitur. *Bzou. vbi ſup. num.* 5.

Commiſſit Pontifex Archiep. Senonen. Epiſcopo Pariſien. nec non & P. Roberto, atq; Pariſien. Priori S. Iacobi vt pacem inter Angliæ, Galliæq; Reges firmarent, eoſq; cum alijs Regibus, atq;

Prin-

rincipibus Chriſtianis ad ſumenda arıa pro recuperatione Terræ Sanctæ, & dimendis Chriſtianis à vexationibus, uas ibidem patiebantur, inducerent. *zou. ibid. num. 7.*

Cum Prædicatores miſſi ex Polonia, : Hungaria, ad Cumanorum conuerſioem totis viribus incubuiſſent, copiomq; eorundem multitudinem ſacro laacro ad Eccleſiæ vnitatem perduxiſſent, ;regorius Papa de hoc certioratus, Belā Iungariæ Regem monuit, vt ad immiıtionem maiorum ſuorum, Eccleſiam liquam cathedralem erigeret pro Epi:opo nouiter electo, quam & annuis pro entibus ditaret. *Bzou. ibid. num. 11.*

Præcepit hoc anno Gregorius Papa 'riori noſtro S. Catharinæ de Piſis, vt Ionialibus S. Cerbonij Lucanæ Diœceſis Ordinis Benedictini, habitum Ci:ercienſis profeſſionis conferret, refornaret, atq; in viam vitæ dirigeret, prout ›ræſtitit. *Bzou. vbi ſup. num. 14.*

Præterea Priori, & Fratribus Prædi:atoribus Pariſienſibus præcepit, ne A:urſium filium Aldobrandini Florentini :iuis, auctoritate Apoſtolica à cenſuris Eccleſiaſticis per S. Raymundum Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiarium abſolutum, n quoquam moleſtarent, aut moleſtari inerent. In Canonem enim inciderat Acurſius, quòd in Gallijs agens, hæreti:os fuerat alloquutus, & cum eis conuerſatus. *Bzou. vbi ſup. eodem num. 14.*

P. Guillelmus Arnaldi in partibus Toloſanis contra hæreticos Inquiſitor, Matronam nobilem morti proximam, quæ ſe in fide hæreticorum velle mori profeſſa fuerat, cum neq; ſuaſionibus, neq; rationibus à ſua obſtinatione dimouère oſſet, in lecto iacentem ad publicum foum ab Offitialibus S. Inquiſitionis deerri voluit, & viuam in cœterorum do:umentum concremari fecit ipſa die :ſtiuitati S. Dominici ſacra. *Bzou. vbi ſup. num. 4.*

S. Rymundus de Penniafort Gregorij Pont. iuſſu in Vrbem venit, cumq; quòd iuris diuini, ac humani ſcientiſſimus eſſet, Pontificius Capellanus, & Pœnitentiarius inſtituitur, ea lege, vt Summorum Pontt. decreta in vnum corpus, in commune omnium commodum, redigeret: quod perfecit ille tanta felicitate, & facilitate, vt eo libro, titulo *Decretalium* inſcripto, Eccleſia vniuerſa in controuerſijs decernendis, tanquam regula tutiſſima vtatur; mandauitq; Pontifex ir ſuper quod & euulgaretur, & in publicis ſcholis legeretur *Bzou. in Annal. num. 5.*

Eligitur à Mutinenſi Clero proprius Paſtor P. Albertus Boſchettus ortus ib dē, & à Pont. Gregorio confirmatus, qui ſibi commiſſum gregem frequentibus exhortationibus, ſalutaribuſq; documentis informans, per ſemitam mandatorum Dei ad cœlum dirigere ſatagebat, ſe ipſum bonorum operum præbendo exemplum. Triginta annis ſibi commiſſum populum ſanctiſſimè rexit, tandemq; ſenio confectus in laqueos mortis incidens, communibus lachrymis parentatus eſt. *Vghell. Ital. Sac. tom. 2.*

Eodem anno Gregorius Pont. contra Stradingentes hæreticos in Friſiæ, & Saxoniæ finibus exortos, ſacram militiam per Fratres noſtros Theutoniæ prouinciæ prædicari voluit, eo quod dudum ab Apoſtolica Sede excommunicati, & interdicti, Eccleſiæ claues contemnebant non reſipiſcentes. In prælio contra eos inito pluſquam duo millia trucidati ſunt, reliquis ad vicinos Friſios fugientibus. *Bzou. in Annal. num. 20.*

Cum B. Paulus Hungarus cum quatuor ſocijs à S. P. Dominico in Hungariam ad prædicandum miſſus, totam prouinciam peragrantes fructum maximum in populis illis feciſſent, ita vt plures etiam Ordinis habitum induiſſent, fun-

E 2 datis

datis conuentibus, & multiplicatis Fratribus,miſſi ſunt ex eiſdem aliqui in Structium,terram ab hæreticis, &ſchiſmaticis inhabitatam, vbi poſt ærumnoſos labores, atq; tribulationes multas, & malas pro Chriſti amore toleratas: Domino cooperante mirabiliter profecère, pluribus ex barbaris illis ſacro lauacro purificatis, conuentibus conſtructis, Eccleſijs ædificatis, atq; Aris erectis. *Ex Cron. Conſtitut. & Ferrario de Prou. Vngar. in Apend.*

ANNO 1235. multa mala patiuntur Prædicatores apud Narbonam multis ex ipſis per improperium delutatis, lapidibus impetitis, atq; diuerſimodè anguſtiatis, & afflictis pro officio S. Inquiſitionis, quod viriliter exercebant; quibus tamen non obſtantibus Gregorius Pont. Priori Barchinonen. nec non P. Guillelmo de Barberano præcepit, vt in concuſſi in ſuo munere permantes, contra hæreticos iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones viriliter decertarent, ſibi repoſitam coronam iuſtitiæ à iuſto Iudice conſequturi. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 7.*

Peiora tamen damna ſuſtinuerunt ne dum Inquiſitores,verùm, & Fratres omnes noſtri in Toloſano comitatu propter S. Inquiſitionis tribunal; nam in eos inſurgentes hæretici, protectione Comitis Raymundi illorum fautoris, & protectoris, effrontes effecti, plurimis ludibrijs, contumelijs, atq; etiam verberibus affecti fuere: neq; his contentus ſceleſtiſſimus Raymundus, populo ſibi ſubdito præcepit, edicto promulgato, ne vllus ad eos accederet, neque alimoniam præberet; poſitis etiam ad ianuam conuentus cuſtodibus, vt fame interirent. Publico inſuper edicto præcepit, vt ex ditione ſua ſtatim abirent omnes, aliàs trucidandi.Quod vt illis innotuit,eleuantes illico crucem,proceſſionaliter Toloſa bini,& bini receſſère,cantantes canticum *Te Deum laudamus* primò, deinde Apoſtolicum Symbolum *Credo in Deum* voce elata, quo facto lacrymas è catholicorum oculis excuſſere: ipſi verò ibant gaudentes à conſpectu impiorum, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 4.*

Neque his ſatisfacta hæreticorum impietas, cunctis in locis, vbi morabantur Prædicatores, fuſtigati, capti, opprobrijs, & contumelijs laceſſiti: imo & aliqui occiſi ſunt, ipſo cœnobio noſtro Narbonenſe à fundamentis euerſo: Quamobrem Inquiſitores non niſi multitudine armatorum catholicorum conſtipati, illorum audaciam retunditūri, incedebant: non enim verbis, ſed armis contra eos inſurgere neceſſe erat, ne fides catholica in illis partibus peſſum iret. *Bzou. vbi ſup. num. 4.*

Eodem anno cum quædam difficultates ſubortæ fuiſſent apud Aragoniam in cauſa fidei conſtituto ibi S. Inquiſitionis apud Prædicatores tribunali, Gregorius Pont. Guillelmo Montegrino electo Tarraconen. Archiep. reſcripſit, vt in omnibus his ſententiam S. Raymundi de Pennafort ſupra relatam ſequeretur, dicentem, *Et ſupra deprehenſis in hereſi, & carceribus, quid ſit tenendum, habeas notam F. Raymundi, quam hic ponimus, quæ incipit. Credo quòd deprehenſi in hereſi ſecundum ſtatuta Domini Papæ debeant incarcerari, &c.* Bzou. in Annal. Eccl. num. 5.

Præterea Pont. Gregorius datis litteris Apoſtolicis 17. Kal. Iunij Epiſcopo Vicen. Priori noſtro Barchinonen. atq; P. Guillelmo de Barbarano præcepit, vt cõtra hæreticos in Tarraconen. Prouincia inquirerēt,& iuxta ſac. Canonū documēta procederēt. *Bzou. in Annal. Eccl. nu. 7.*

Inſuper in vniuerſo Galliarum Regno Generalem Apoſtolicum Inquſitorem creauit P. Robertum Gallum cum pleniſſima auctoritate, iuſſitq; illi, vt in cau-

ſis

fidei iuxta decreta Eccleſiaſtica procederet, ne innocentia periret, & iniquis impunita remaneret. *Bzou. vbi ſup.*

Prouinciali quoq; Theutoniæ impeuit Gregorius, vt ex vniuerſæ Alemaæ Fratribus aliquos ſeligeret aptiores, ıos ad prædicandum vbiq; locorum rucem contra hæreticos, & Saracenos poſtolica auctoritate mitteret. *Bzou. bi ſup.*

Eodem anno Pontifex Apoſtolicos Commiſſarios inſtituit P. Alexādrum de Ioiohim., & Decanum Rhotomagen. t inquirerent contra quoſdam Monaıos diſcolos Monaſterij S. Andorni, oſq; ex Monaſterio eijcerent, & alios eligioſos viros introducerent in eorum ocum. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 11.

Præterea idem Gregorius noſtro B. ordano Magiſtro Generali præcepit, vt Parmam peteret, & Fratres militiæ Ieſu Chriſti à S. P. Dominico inſtitutæ ſalutaribus inſtrueret diſciplinis, eiſdemq; viuendi præcepta præſcriberet, pro vt fecit. *Bzou. ibid.*

Inſuper Pont. præcepit Epiſcopo Reghien. & P. Iacobo de Caſtro Alquadro, ſeu Arquato noſtri Ord. Prouinciali Lombardiæ, vt Eccleſiæ Mantuanæ viduatæ Paſtore propter occiſionem Guidotti Epiſcopi, de nouo Epiſcopo, auctoritate Apoſtolica ſibi attributa, prouiderent; at Regien. Epiſcopus, atq; Capitulum oculum in P. Iacobum figentes, eundem Epiſcopum nominauère, à Pontifice confirmatum, virum vitæ, morumq; integritate conſpicuum, qui Apoſtolicè oues ſibi creditas rexit vſq; ad annum 1248. quo ſenio cōfectus perrexit ad Chriſtum. *Bzou. vbi ſup. & Vghel. Ital. Sac. tom. 1. inter Ep. Mantuanos num.* 24.

Priori noſtro Viterbien. S. Mariæ ad Gradus, & P. Rodulpho eius ſocio iniunxit Pontfex Inquiſitionis officium, ſcilicet, vt ex alijs ciuitatibus venientes hæreticos inquirerent, hæreſimq; abiurantes à cenſuris abſoluerent, atq; S. Matri Eccleſiæ per ſalutares pœnitētias inflictas recōciliarēt, datis Apoſt. litteris Peruſij 2. Id. Auguſti. *Ex Epiſt.* 187. *eiuſd. Pont.*

Validè contra obcęcatos Manichæos diſceptabat S. Petrus de Verona hoc quoque tempore & anno, quo, quod ſequitur factum, contigit. Per agrum Mediolanenſem Comum verſus iter ſuſceperat Sanctus pro Inquiſitionis munere exequendo, inciditq; in duos agricolas ſemen ſuum ſeminantes, quorum vnus ſemen ſpargebat in nomine Domini, & hic catholicus erat; alter verò in nomine Diaboli, & hic Manichæus, credens rerum viſibilium factorem Sathanam. Acceſſit Petrus ad illos, & increpans hæreticum, quòd in nomine Diaboli ſemen ſeminaret, laudauit catholicum in nomine Domini ſeminantem; ſubriſit hæreticus dicens, ſe copioſiorem percepturum meſſem ſequenti anno, quam catholicus: cui Sanctus reſpondit; *malo tuo cognoſces, Deum, & non Dæmonem eſſe rerum harum auctorem; nam nihil tritici recipies; catholicus autem abundantem meſſem in horreum ſuum congregabit; vt cognoſcas Deum eſſe factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.* Reſpondit hæreticus, exitus acta probabit, & ſi eueniet, vt aſſeris, Deum auctoren omnium confitebor. Tempore igitur meſſis paleas ſolùm collegit hæreticus, triticum autem multum in horreum ſuum congregauit catholicus: quo facto ille acceſſit ad pedes S. Petri, & abiuratis erroribus, catholicus optimus effectus, quid ſibi euenerat, quoad vixit, cunctis enarrabat: quo factum eſt, vt multi ex hæreticis eius exemplo Chriſto ſint aſſociati, hæreſi abiurata. *Bzou. vbi ſup. num.* 1.

Inſurrexit hoc anno in Lombardia, & Mediolani ſpecialiter, etiam Nicolaitarū hæreſis nequiſſima, atq; luxurioſiſſima qui-

Digitized by Google

quibus omnibus cõmunes erãt matres,ſorores,neptes,vxores,puellæ, necnon & filij in luxuria explenda.His Pontifici Gregorio nunciatis præcepit ille Lombardiæ Prouinciali, vt Inquiſitores in omnibus ciuitatibus illicò inſtitueret ad eradicãdã tam nephariam hæreticalem peſtem, datis Apoſtolicis litteris, in quibus dicitur. *Vnde expedit quod* (huiuſmodi ſcil.Inquiſitores à te inſtituendi) *inſurgant viriliter contra eos, vt eorum omnium hæreſi confutata, per totum vigeat fides Chriſti: nam corona ſequetur præmij tentationibus reſiſtentes.* Bzou. in Annal. num. 3.

Munera ſua direxit in cœlum Dominicana Religio hoc anno, Bononiæ quidem, B. Monetam, Pariſijs verò B. Laurentium Anglum, & B. Didacum Lombardum ex primis cooperarijs S. Patris Dominici, qui infatigabili ſtudio in conuerſione infidelium laborantes, plures animas ad ſalutis portum perduxère. *Bzou. vbi ſup. num.* 14.

Hoc tempore aliqui Prædicatores à Gregorio Pont. conſtituuntur Commiſſarij Apoſtolici contra quorundam Monaſteriorum Abbates Ciſtercien. & Cluniacen.Ord.quos à ſuis officijs abſoluẽtes deperditam regularem obſeruantiam in eiſdem Monaſterijs reſtituerunt. *Bzou. vbi ſup.ad annum* 1236.*num.* 2.

ANNO 1236. Celebrato Generaliſſimo Capitulo Pariſijs ſuperiori anno, in vltima illius ſeſſione B. Iordanus ſignificauit Patribibus Ordinis votum ſuum de petenda Terra Sancta, vt videret fructus, quos Ordinis filij ibidem Catholicæ Eccleſiæ dabant vberrimos, eiſdemq; in gentium conuerſione calcar eſſet. Hoc igitur anno nauem cum ſocijs conſcendit, Hieroſolymam verſus ſecundis ventis; at cum propè Aconam, ſeu Ptolomaidam eſſet, ſuborta tempeſtate naufragio perijt cum ſocijs, & circa centum Peregrinis, ad inuiſenda Redemptionis humanæ ſacra loca accedentibus. Cumq ſedata tempeſtate Fratres ad littus maris acceſſiſſent, inuenerunt corpora B. Iordani, & ſociorum ſuper quæ cæleſtia luminaria deſcenderant, eaqu. in ſuam Eccleſiam tranſtulerunt. Contigit autem eius mors die 13. Februarij huius anni 1236. *Caſtillus p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *Bzou. in Annal. num.* 2.

Sub hoc inſigni Magiſtro Prædicatorum Religio maxima ſumpſit incrementa, multiplicatis ſupra modum Fratribus, & conuentibus, ita vt quatuor aliæ Prouinciæ octo prioribus fuerint additæ, nempè Daciæ, Greciæ, Poloniæ, & Terræ Sanctæ. Sub eo Antiphona *Salue Regina*, poſt Completorium ſolemniter decantari, Bononiæ primè, deinde in toto Ordine, pro fælici illius incremento, & moleſtijs Dæmonum tollendis, incępta eſt: & Patres noſtri duas cathedras perpetuas pro legendis ſententijs Pariſijs obtinuère. Sub eo S. Pater Dominicus Sanctorum Confeſſorum choro aſcriptus eſt à Gregorio IX. ſacro corpore in nobiliorem locum tranſlato. Sub eo viri præclariſſimi Ordinem ingreſſi, eundem plurimùm illuſtrarunt, & celebratis duobus Generaliſſimis capitulis Ordinis ſtatus maximè firmatus eſt. Prouincias viſitauit, Capitula quindecim celebrauit alternatim, vnum Pariſijs, alterum Bononiæ iuxta Ordinis conſuetudinem, in quibus ſaluberrima decreta fuère pro illius augmento, atq; conſeruatione ſtabilita. Et cum etiam Prouinciam Terræ Sanctæ viſitare decreuiſſet, vt ibi Filios ſuos in conuerſione gentium ad Chriſtum laborantes conſolaretur, iuxta portum Achonæ, periclitante naui, perijt Iordanus cum ſocijs, vt diximus. *Olmeda.*

Cum Toloſanus Comes vaferrimus iuris iurandi, quo ſe Eccleſiæ deuouerat, pacta violaſſet. atq; Epiſcopum, Clerum, Fratreſq; Prædicatores ex Vrbe eieciſſet, bonis

is exuiſſet, & peſſimè tractaſſet;mo-
Pontifex Gregorius S. Ludouicum
iæ Regem, vt Comitem ad pacta ſer-
la compelleret; Quare viri ſancti-
n, atq; potentiam pertimeſcens Co-
, pacis conditiones innouauit, ſtatu-
ontra Eccleſiæ iura promulgata abro-
t, atq; Epiſcopum, Clerum, & no-
s Prædicatores ſummo cum honore
rbem reuocauit. Inſuper in anteacto-
1 delictorum pœnitentiam,in ſubſidiū
ræ Sanctæ ſe properaturum cum Cru-
ignatis ſpopondit, atq; abſolutionis à
ſuris beneficium ab Apoſtolica Sede
S. Raymundum Summum Pœniten-
ium recepit. *Bzou. in Annal. Eccl. nu.* 8.
Eodem Summi Penitentiarij officio
ungi voluit Pontifex S. Raymundum
a Aragonum Regem, Comitemq;
ſilionis: Rex enim in Canonē incide-
eo quod electum Epiſc. Cæſaraugu-
um, Tarraconam pro conſecratione
perantem ab Oſcenſis Ciuitatis intro-
excluſiſſet: Comes verò propter hæ-
m, in quam inciderat, carceribus ad-
tus fuerat; & cum illis confractis au-
giſſet, & ſpontè, pœnitentia ductus ad
os reuerſus eſſet, abſolutionis benefi-
m promeruit; ea tamen conditione,vt
n hæreſim relaberetur, bona cuncta
us regio fiſco eſſent adiudicata. *Bzou.*
ſup. num. 8.

Regis Tunetani in Affrica pronepos
Prædicatoribus ad catholicam fidem
plexendam conuertitur; & dum Ro-
um cum eiſdem properabat, vt à Pont.
ax. ſacro regenerationis lauacro dona-
ur, à Siculis captus, rebus omnibus
oliatus eſt; cumq; in cuſtodia detinere-
, ſcripſit Gregorius Friderico Regi, vt
tim catechumenum dimitterent Siculi,
às Eccleſiaſticas cenſuras in eoſdem ſe
promulgaturum proteſtatus eſt. Di-
ſſus eſt ergo ille, & ad Pontificos pe-
cum noſtris acceſſit, à quo,& baptiſ-
matis, & confirmationis ſacramenta ſu-
ſcepit. *Bzou. vbi ſup. num.* 6.

In Belgio, & Atrebatenſi ciuitate So-
domitici quidam, etiam hæreſis labe co-
inquinati, detecti ſunt à P. Roberto no-
ſtro ibidem Inquiſitore, qui concubitum
contra naturam, non illicitum, neq; in-
fandum eſſe aſſerentes,adoleſcentibus im-
pudicè abutebantur. In hos virili animo
inſurrexit Robertus,& quot quot vinctos
habuit, igne ſtatim conſumpſit *Bzou.*
vbi ſup. num. 18.

In Triumphantem Eccleſiam directi
ſunt ad recipiēda laborū ſuorū condigna
præmia glorioſi Chriſti Athletæ B. Vlri-
cus Friſacenſis, S. Hyacinthi in omnibus
peregrinationibus indiuiſus comes pro-
dilatatione Euangelij Ieſu Chriſti, qui
innumeras animas cœlo lucratus eſt, nec
non & B. Arnaldus Treuerenſis, cum
B. Diana de Bononia. *Plod. de Vir Illuſt.*
Ord Bzou. num. 3.

Ad compeſcendos bellicos tumltus
inter Florentinos, Senenſes, ac Piſanos,
Legatum miſit Pontifex Cardinalem Co-
lumnā, B. Ioanne Vicentino coadiutore
dato, tantæ auctoritatis apud populos vi-
ro,vt indifeſſo labore ad pacis ſtudium E-
truriæ pręcipuas Ciuitates conuerterit.
Bzou. in Annal. Eccleſ. num. 12.

Eodem anno Gregorius IX. Pontifex
Prædicatores ad regimina Eccleſiarum,
aſſumpſit: & quidem P. Stephanum Hiſ-
panum ad Arboren. Eccleſiā Archiep. in
Sardinia; & Patrē Dauid Mac-Kellem ad
Carſellen. pariter Archiep. Sedē in Hi-
bernia, qui ſibi commiſſas oues ad æter-
næ ſalutis paſcua verbo, & exemplo di-
rexère. *Vghell. in manuſc. Plodius, & Tæg.*
in Monum.

Patres noſtri in Vngariam cum B.
Paulo à S. P. Dominico miſſi. deuotio-
nis eiuſdem memores,qui Cumanis Euā-
gelium Ieſu Chriſti prædicare intēdebat;
cum cœnobia, atq; Eccleſias in Structij
regio-

regione fundaſſent, vlterius in terram Cumanorum, quibus numquam Euangelij lux illuxerat, ire decrèuere. Ad illã igitur properantes, in ingreſſu repulſam paſſi, iñ priores Conuentus rediere. At Spiritu Sancto corda eorum vrgente, reaſſumpto itinere, Cumanorum regionem ingreſſi, fidem catholicam ſacra prædicatione ibidem plantauère, duobus ex ipſis telis prius confoſſis, ac trucidatis, quorum nomina æternitatis liber continet glorioſa. *Ex Cron. Conſt. & Ferrario in Apend. cum Caſtillo.*

Caput III.

S. RAYMVNDO DE PENNAFORT Magiſtro Generali III.

ANNO 1237. Cum B. Iordanus conuentus Terræ Sanctæ inuiſere, decreuiſſet, ne Ordo in Europa ſine capite remaneret, B. Albertum Magnum, tunc Theologiæ lectorem apud Coloniam Vicarium Generalem conſtituit, atq; in Vrbem venire iuſſit. Sequuta autem morte Iordani, ſtatim B. Albertus Generale Capitulum, hoc anno celebrandum, indixit, in quo vna parte PP. in S. Raymũdum de Pennafort inclinante, altera in Vicarium Ordinis Albertum; tandem S. Raymundus Magiſter Generalis, licet abſens, Bononiæ electus eſt. At quia timebant electores, ne Magiſterium recuſaret, terminato Capitulo, quatuor Patres ex præſtantioribus Elctoribus Barchinonam miſerunt, vbi in pace ab omni humana cura ſemotus quieſcebat, vt illi ſuaderent, Magiſterium, & regimen Ordinis aſſumere; quod tandem non niſi inuitus ſumpſit; maxima attamen cum Pontificis, Ramanæq; Curiæ lætitia. Sub S. Rymundo igitur ſequentia patrata ſunt à noſtris Prædicatoribus in S. Matris Eccleſiæ, atq; Apoſtolicæ Sedis obſequium. Anno eodem Gregorius Pontifex, datis Apoſtolicis litteris Viterbij 13. Kal. Iunij, incipien. *Ille humani generis peruicax inimicus, omnium malorum inuentor, &c.* præcepit Prouinciali Lombardiæ, vt aduerſus hæreticos inſurgeret; & in eorumdem fautores, & receptores, ac defenſores Fratres alios, fidei zelo feruidos, deſignaret Inquiſitores, qui illos ſtatutis à iure pœnis punirent, & rigorem legis in ipſos omnimodè exercerent. Acceptis igitur litteris Apoſtolicis, P. Prouincialis ſelectos alios plures Fratres ad hoc miniſterium aptiores, ad ſingulas Lombardiæ Ciuitates vnum ex ipſis Inquiſitorem delegauit. Vix verbis exprimi poteſt quantum formidinis, ac terroris hæreticis incuſſerint, & quot ex ipſis ad mortem damnauerint, alijs pluribus ad propriorum errorum abiurationem perductis. *Bzou. in Annal. ad an. 1235. num. 3.*

Pontifex Gregorius eidem Prouinciali Lombardiæ facultatem dedit viſitandi Monaſteria Ciſtercienſis Ordinis in Lombardia, Aemilia, & Marchia Teruiſina, & vt illos ad obſeruantiæ regularis nitorem reuocaret, iniunxit; quod ille fideliter præſtitit, reſtituta illis obſeruantia regulari. *Bzou. in Annal. Eccl. nu. 9.*

Præterea Pontifex omnibus Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in vltramarinis partibus Euangelium infidelibus annunciantibus omnia priuilegia Cruceſignatorum conceſſit, vt ardentius conuerſioni gentium incumberent. *Bzou. vbi ſup.*

Eodem Anno Pont. imperauit P. Guillèlmo Oleronio, vt cuncta à Chriſtifidelibus in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani relicta, vel codicillis legata, colligeret, & Britaniæ Comiti aſſignaret,

qui

ſe ad defenſionem Imperij accinge-
. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 2. & 3.*
Turbatum eſt hoc anno ſupra modum
.entale Imperium à Bulgaris, aliiſq;
acentibus nationibus, in cuius ſubſi-
m Gregorius Crucem prædicari vo-
: in omnibus Chriſtianorum regioni-
s; congregataq; ſunt multa millia mi-
m; & Britanniæ Comes duo millia
itum, & decem millia peditum ſecum
cebat: cæterorum autem copiæ innu-
rabiles videbantur, quas Prior noſter
riſienſis cum P. Guillelmo Oleronio
oſtolica auctoritate ad exoluendum
otis ſponſis in ſubſidium Conſtanti-
politani Imperij exciuerat. Ad ean-
m autem piam militiam ſumptibus
ndam Pontifex eidem P. Guillelmo
eronio iniunxit, vt cuncta à fidelibus in
bſidiū Conſtantinopolitani Imperij reli-
a, vel codicillis legata, colligeret, &
itanniæ Comiti traderet, qui ſe ad de-
nſionem Imperij accinxerat. *Bzou. in
nnal. num. 2. & 3.*

In cœlum ex hac lacrymarum valle
rexit Dominicana Religio hoc anno B.
olandum de Argentina in Chriſti paſ-
onis meditatione aſſiduum. B. Lanfran-
inum Ianuenſem, etiam ipſum in me-
itatione paſſionis Dominicæ ſemper in-
ntum. B. Robaldum apud Mediola-
enſes Prædicatorem inſignē & confeſſo-
rem. B. Frugerium Pennenſem, qui Gre-
orio IX. Pont. Max. teſtimonium per-
ibuit de ſanctitate vitæ, & miraculorum
. Patris Dominici: Viros omnes in pec-
atorum conuerſione ſemper intentos,
œlo animas, pretioſo Chriſti ſanguine
edemptas lucrifacturos. *Bzou. vbi ſup.
um. 10. 11. 12. & 13.*

Gregorius Pont. Turritanæ Eccleſiæ
uium Chriſti Domini curam demanda-
it P. Stephano Hiſpano, viro doctrina,
& pietate mirabili, qui illas per virtutum
omnium ſemitam dirigere non deſtitit,
eloquio, calamo, ac ſacris exhortatio-
nibus. *Plodius p. 2.*

Per id tēporis cum Corrado Cardinali,
Pontificio in Germania Legato ſecula-
res Sacerdotes Colonien. præcipuè prepo-
ſiti, contra Prædicatores, atq; Minores
inſurexiſſent, nolentes quòd parochianis
ſibi ſubditis miniſtrarent ſacramenta. Re
in iudicium coram Legato deducta, addu-
xerunt Parrochi, quod Fratres falcem
in meſſem alienam mitterent, prædican-
do, confeſſiones ſibi ſubditorum audien-
do, atq; ſacramenta miniſtrando. Inter-
rogauit maiorem inter illos Legatus de
multitudine animarum ſibi ſubditarum,
qui reſpondit, curæ ſuæ nouem anima-
rum millia eſſe credita. Inſurrexit in
eum ſtatim Legatus dicens, & quis es tu,
qui de tot animabus in nouiſſimo die
rationem reddere præſumis? & increpa-
tum cum ſocijs dimiſit, rogans Fratres,
vt in aſſumpta ſacramentorum admini-
ſtratione, ſacraq; Euangelij prædicatione
ardentiùs, emollitis peccatorum cordibus
inuigilarent, quòd fecerunt. *Bzouius in
Annal. num. 24. an. anteced.*

ANNO 1238. P. Rugerius Calca-
gnus à B. Ioanne Salernitano Flo-
rentiam miſſus, inſtituitur hæreticæ pra-
uitatis ibidem Inquiſitor poſt S. Petrum
de Verona, à Pont. Max. qui ciuitatem
illam cum ſibi commiſſo populo ab omni
hæreſi vindicauit; quapropter ad Caſtren.
Epiſcopatum in Tuſcia promoueri di-
gnus fuit. *Leander lib. 5.*

S. Thomas lumen Eccleſiæ Ordinem
ingreditur Neapoli, ſacra Dominicana
toga indutus à P. Thoma de Lentino
Priore conuentus S. Dominici, qui ſua
Sapientia, S. Matrem Eccleſiam, & Or-
dinem noſtrum plurimùm illuſtrauit.
Vallus de Prou. Regni.

Gregorius Pont. præcepit Priori no-
ſtro Pariſienſi, vt prædicaret pro illis, qui
in Orientem Cruce ſignati proficiſceren-

F tur

-tur in Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani neceſſarium ſubſidium. Ne verò ſumptibus auxiliarijs deſtitueretur, Pont. Regibus Galliæ, & Angliæ, vniuerſiſq; Archiep.atq;Epp. eorundem Regnorum, nec non & Reginæ Blanchæ matri S. Ludouici, atq; etiam Prouinciali noſtro Galliæ ſcripſit, vt trigeſimam partem fructuum Eccleſiaſticorum contribuerent, exigerent, & in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani, nec non & Terræ Sanctæ tranſmitterent, quod illi exequentes, catholicam fidem in illis partibus labentē firmauère. *Bzou. in Annal. num.* 3.

Prouincialem quoq; Poloniæ,& Priorem Pragen. Apoſtolicos Commiſſarios pro reformatione Monaſterij Virginum, S. Franciſci inſtitutum Pragæ profitentium, conſtituit, quæ propriæ profeſſionis oblitæ, reformatione indigebant non modica: Ad illas igitur accedentes, atq; ſalutaribus admonitionibus imbuentes, ad priſtinum regularis vitæ nitorem amplexandum induxère. *Bzou. in Annal. num.* 5.

Præterea idem Gregorius Priori noſtro Herbipolen.vt vna cum duobus Abbatibus Ciſtercienſis Ord. in vitam, & miracula B. Brunonis Epiſcopi Herbipolen. inquirerent commiſit. *Bzou. ibid.*

Inſuper iniunxit Priori, & Fratribus Quinque Eccleſien.vt in ædificatione Cathedralis Eccleſiæ Boſnen. & in propagatione, defenſioneq; fidei Catholicæ, Eccleſiæ Boſnenſis Epiſcopo aſſiſterent, quòd fideliter præſtitère. *Bzou. vbi ſup.*

Cum periculum fidelibus Imperij Cōſtantinopolitani immineret ab Aſſano Bulgarorum Duce, ac domino, viro hæretico, atq; Schiſmatico perfido, ſcripſit Gregorius Belæ Regi Hungariæ, vt arma in Aſſanum ſumeret,& quæ ex eius ditione caperet, ſub iure retineret: Inſuper ſcripſit Prouinciali noſtro Hungariæ, & Miniſtro Ord. Minorum Prouinciæ Strigonien. vt vota, & arma Crucesignatorum pro ſubſidio Terræ Sanctæ ſumpta, in expeditionem contra Aſſanum commutarent; & contra eundem piam militiam Ieſu Chriſti ſignarent, datis Apoſtolicis litteris Anagniæ 5. Id. Auguſti. *Bzou. vbi ſup. num.* 4.

Iacobus Aragonum Rex contra Mauros ſtrenuè dimicans, eos ex Valentina vrbe diſcedere coegit, & menſe Septembri, pridie eius diei, quæ S. Michaeli Archan. eſt ſacra, Chriſtiani Vrbem ſunt ingreſſi, dato ibidem Epiſcopo P. Ferrerio noſtro, qui templa reſtituit, & expurgauit, lucos deſtruxit, Catholicos in fide ſolidauit, & diuinum cultum conſtabiliuit, ad quæ perficienda noſtrorum Prædicatorū opera vſus eſt ſemper,conſtructo ibidē Ordinis cœnobio. *Bzou. ibid. nu.* 10.

Ex lacrymarum valle direxit in Cœlum noſtra Religio B. Leodatum Agatopoli in Gallijs,qui inſtante vitæ termino, cum fuiſſet toto vitæ decurſu ſumma deuotione affectus erga B. Virginem Dei Genitricem, ab ipſa diuina reuelatione meruit conſolari; nam eidem viſibiliter apparuit, & num ſecum in cœlum conſcendere vellet, interrogauit: Cum verò ille perquireret, quæ illa eſſet; Reſpondit ſe peccatorum Aduocatam Mariam eſſe; Et vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me? ſubdidit Leodatus: reſpondit illa; veni fili mi, & in vera gaudia ingredere; & his dictis ſpiritum altiſſimo reddidit. *Bzou. ibid. num.* 12.

Demandatur cura Dominici gregis in Eccleſia Coloſſen.in Grecia P.Vidono de Græcia, qui, cum eiuſdem Eccleſiæ Canonicus eſſet,Chriſtum pauperem ſub Dominicana toga ſequutus,ea ſuo Paſtore viduata, electus eſt ipſe paſtor à Capitulo, per Pontificem confirmatus. Rexit ſibi commiſſas oues ſummo zelo, ſumma charitate, vigilantiaq; ſumma. *Plod.*

An-

ANNO 1239. Gregorius Papa, cum ab excommunicato pertinace ...lerico II. Imperatore vexaretur ma...è, atq; Apoſtolica auctoritas contem...etur nimis, ad diuinum patrocinium ...fugiens, cum Cardinalibus,& Clero, ...ceſſione inſtructa ex Laterano nudis ...libus, SS. Apoſtolorum Petri, & Pau...apita manibus geſtando, ad Vatica...n templum proceſſit,magnam lachry...rum vim profundens, & Deum enixè ...plicans, vt Eccleſiæ ſuæ Sanctæ miſe...i,hoſtemq; illius comprimere dignare... Reſpexit Dominus afflictionem po...li ſui, mouitq; Romanorum cor, vt ar...in Fridericum arriperent,atq;Apoſto...am Sedem ab illatis iniurijs vindica...t: quod cum noſtris Prædicatoribus ...ouiſſet, inſurrexère quoq; ipſi contra ...communicatum Imperatorem, popu...s ad ſuſcipienda arma in eum, ac tuta...en Apoſtolicæ Sedis, Pontificiſq; Ma...mi, inducentes; quòd vt Friderico Im...rat. innotuit,atq;ſibi moleſtias,ac dam...multa ex Prędicatorum concionibus, ...exhortationibus prouenire agnoſceret, ...itis litteris ad S. Raymundum Magi...rum Ordinis, eundem rogauit, vt Fra...ibus ſuis præciperet, ne ſibi eſſent ...fenſi,ſed à pugna, quam ſibi inferebant, ...ſtinerent; quòd ècontra factum eſt: ...am S. Raymundus Fratribus in Italia ...ommorantibus, vt defenſionem Grego...ij Pont. facundo ore procurarent, iuſſit ...tq; ad euitandum Fridericum excom...municatum, tam ex ſugeſtu, quàm in pri...uatis colloquijs denunciarent. His Impe...ratori nunciatis, inualuit ille contra no...ſtros, & quotquot in ſua poteſtate ha...buit, contumelijs multis, imo & morte ...etiam afflictos,ex ſibi creditis ciuitatibus, ſuoq;dominio ſubactis,illicò exulare coe...git. *Bzou. in Annal. an.* 1230.

Neq; his ſatisfacti Prædicatores, ex Pontificis decreto, atq; auctoritate, vbiq; locorum, nempe in Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Dania, & alibi, eundem Imperatorem, tam in concionibus publicis, quàm priuatis colloquijs excommunicatum denunciantes, Crucem etiam contra eundem prędicabant, & Cruceſignatos ſub ſigna vocabant. *Bzou. in Annal. nu.* 7.

In Paleſtina hoc anno ferè omnia infauſta Cruce ſignatis euenère, pro eo quod Fridericus Imperator, vt nihil Gregorio Pont. deferret,induciarum inter ſe, & Saracenos tempus vlterius prorogaſſet. Quare Gregorius iterum, ad Cruceſignatos congregandos,noſtros Prædicatores, nec non & Minores per Europam vniuerſam diſſeminauit, & Ricardum Cornubiæ Comitem ad piam militiam amplexandā inflammauit. Mirum dictū; tot Crucem ſuſcepère, vt ex vna Angliæ Inſula quadraginta millia pugnatorum ſint numerata. *Bzou. vbi ſup. num.* 9.

Eodem anno Pont. Prouinciali noſtro Hungariæ præcepit, vt Fratres ſibi ſubditos Boſnenſibus ſchiſmaticis, & hæreticis, pro eorundem conuerſione mitteret, quòd maximo cum fructu præſtiterunt illi. *Bzou. num.* 11.

Priori quoq; noſtro Friſacenſi imperauit Gregorius, vt cauſam Bauariæ Ducis ab Epiſcopo Friſacen. excommunicati recognoſceret. *Bzou. ibid. num.* 11.

Prouinciali Galliarum poteſtatem dedit Pont. vt votum emiſſum à Cruceſignatis pro Teræ Sanctæ recuperatione in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani commutaret. *Bzou. ibid.*

Deſignauit præterea Gregorius Inquiſitores in Nauarræ Regno, regnāte Theobaldo II. pro reliquijs Albigenſium hæreticorum ad radices Montium Pyreneorum, in ea parte, qua in Galliam vergunt, extirpandis, qui Nauarrèos populos à catholica fide auertere conabantur, quorum plurimi ſuſpenſi patibulo, in aliorum exemplū igne conſumpti ſunt. *Param. lib.* 2.

F 2 Di-

Direxit in cœlum hoc anno Dominicana Religio B. Helgherum ſanguinis nobilitate, morumq; ſanctitate illuſtrem, S.Hyacinthi ſocium fideliſſimum, in conuerſione infidelium mirabilem, miraculiſq; tam in vita, quàm poſt mortem coruſcantem. B. Conradum de Friſaco S. Hyacinthi in gentium conuerſione pariter ſocium indefeſſum, quem in vita tres mortuos ſuſcitaſſe referunt Scriptores Ord. B. Salomonem Theutonicum, qui cum patriam ſua doctrina, vitæ ſanctitate, atq; miraculis illuſtraſſet, cœleſtia præmia conſequutus eſt. B. Gualterum Germanum, qui cum diſcipulos ſuos, & alios à concionibus B. Iordani Magiſtri Generalis noſtri auertere conaretur, dicens illum ad inſtar meretricis verborum lenocinio omnes decipere, vt ad inſtitutum ſuum alliceret, ipſe primò verbis Iordani captus, S. Religionis iugum ſuſcepit, ſub quo ſanctiſſimè ad obitum vſq; perſeueuerauit. Item, & alterum B. Gualterum Maiſenburgenſem, qui vitæ inocentia adeo infenſiſſimus erat Sathanæ, vt vnico verbo dæmonibus imperaret, illiſq; formidabilis eſſet. Item & BB. Aegidium, atq; Othonem Belgas virtutibus pluribus coruſcantes; nec non & Beatum Criſtinum orationi addictiſſimum ita, vt à circumſtantibus in aera eleuari videretur: hoſq; omnes ſalutis peccatorum ſitientiſſimos fuiſſe ſcriptores Ordinis cõmemorant. *Bzou. in Annal. num. 14. & Plod. de Vir Illuſtr. Ord.*

Gregorius Pont. erga Ordinem Præd. optimè affectus, aſſumpſit ſibi in S. R. E. Vice Cancellarium P. Raynerium Lombardum, pro expediendis negotijs ad Sacram Apoſtolicam Cancellariam ſpectantibus, quo in munere perſeuerauit toto reliquo tempore vitæ eiuſd. Pont. ab Innocentio IV. ſucceſſore confirmatus. *Coellmus de notitia Cardinalat. cap. 38. & Ciaccon. inter Cardd. eiuſd. Greg. Põt. in fine.*

In Sueuiæ partibus accidit hoc anno factum mirabile. Mulier erat ibi nobilis, & ſupra modum pulchra, ad quam conſpiciendam ex vicinis regionibus, multi nobiles, & potentes concurrebant; habebat autem propriæ animæ directorem Patrem vnum ex Prædicatoribus, à quo in viam Dei dirigebatur; atq; in fidelitate coniugali erga virum ſuum confirmabatur ita, vt parata eſſet potius mori, quàm fœdari. Cum verò à multis etiam potentibus amaretur: quadam die propriæ pudicitiæ conſultura, genuflexa ante Crucifixum, enixè illum ſupplicauit, vt tantam pulcritudinem ſibi adimeret, ne aliorum animabus fieret in laqueum. Mirabile dictu, ſtatim facies eius lepra fœdiſſima contabuit, erumpentibus puſtulis, & ita immutata, vt maritus eius domũ reuerſus inhorruerit ex eius aſpectu. Facto igitur confeſſario ſuo Prędicatori nũciato, ad mulierem venit; & ſupra modum deformatam conſpiciens, præcepit illi in nomine Domini, vt cauſam tantæ deformationis ſibi reuelaret, & plenè edoctus de illa, iniunxit ei, vt ſtatim eundem Crucifixum Ieſum ſupplicaret pro amotione deformitatis, & reſtitutione prioris pulchritudinis, ne illius maritus, vtpotè miles, & iuuenis ad adulteria perpetranda, eius cauſa aliquo modò compelleretur. Monita animæ ſuæ cuſtodis exequtura mulier, ad Crucifixum proſtrata, atq; in lachrymis reſoluta, orauit dicẽs: *Domine Ieſu, vt liberiori mente, purioreq; ſpiritu tibi inſeruirem, hoc in me lepræ flagellum, fida ſupplicatione à te petiui; ſed quia hoc eſſe poſſe in damnum, & perniciem mariti mei audiui, rogo miſericordiam tuam, vt faciem meam priſtino decori reſtituere dignetur*; mira res: ſtatim tantæ claritati, & elegantiæ formæ ſubito facies eius fuit reſtituta, vt nulla, etiam tenuiſſima macula in ea remanſerit. Exultauit propter hoc maritus, quo paucos poſt menſes mor-

mortuo, mulier cum vnica filia, delatis ſecum bonis ſuis, ſanctimonialis noſtra effecta eſt in Monaſterio Limberchenſi, vbi ſanctiſſimè vixit. *Bzou. in Annal. num. 19.*

ANNO 1240. Celebratur Generale Ord. Capitulũ apud Bononiam in quo poſt ſalubria multa in ſaluté gentium atq; Ordinis augumentum facta decreta, Sanctus Raymundus Generali Magiſterio, Patribus cunctis dolentibus, ceſſit, remanſitq; Dominicana Religio tanto viduata Paſtore vſq; ad ſequentem annum: cum duo alia Capitula, vnum ſcilicet ſuæ electionis, alterum Pariſijs anno 1239. celebraſſet. Claruerunt ſub eo viri ſanctitate, ac literis præclariſſimi, qui Ordinem ſuis virtutibus ſpectabiliorem in Vrbe, & Orbe reddidère. *Olmeda.*

Gregorius Pont. Liuonięſibus B. Mainardum S. Hyacinthi ſocium fideliſſimum Paſtorem præfecit, qui cum alijs ex noſtris hoc anno, & ſequentibus Liuonienſem Prouinciam ad Chriſti venerationem adduxit. *Bzou. de Prou. Pol.*

Cum Fridericus Imperator dementiret, efferretur, inſaniret, factus Eccleſiæ infenſiſſimus, illiuſq; Prælatos perſequeretur ad mortem, proptereaq; Fratres Prædicatores, Pontificis Max. Gregorij partes ſuſtinentes, populos in fidelitate erga eundem confirmarent, ab eodem Imperatore innumeras perſequtiones paſſi ſunt, pluribus eorundem in mortem etiam traditis. Quare Gregorius Pont. indixit cõtra Fridericum Generale Concilium, Romæ in Baſilica Lateranen. celebrandum, eaq; de cauſa Legatos Apoſtolicos in diuerſas chriſtiani orbis partes delegauit, vt quot poſſent Eccleſiaſticos Præſules ad Concilium euocarent. Miſit etiam Legatos Apoſtolicos P. Gregorium Montelongum, & P. Algyſium noſtri Ord. vt claſem triremium, & nauium teredarum in duos menſes, prætio ab Eccleſia perſoluendo, apud Genuenſes conducerent in ſeruitium Legatorum Apoſtolicorum, aliorumq; Prælatorum ad Concilium accedentium, prout fecerunt; Id cum ipſi Friderico innotuiſſet, collecta triremium claſſe à Piſanis, & Sardiniæ Rege, ſuper conductas Ianuenſium naues irruptione facta, Prælatos ad Concilium venientes factos captiuos, in carceres, ac vincula coniecit, atq; per Apuliam diſperſit, dimiſſis Anglis, & Gallis. *Bzou. in Annal. num. 1. & 2.*

Ingemuit ſupra modum Pontifex deplorabilem euentum Prælatorum Eccleſiæ, & Friderici temeritatem deteſtatus, in eum Eccleſiaſtica dira vibrans, temporalibus quoq; armis dimicare decreuit. Quapropter poteſtatem dedit ampliſſimam Romanæ Prouinciæ Prouincali *ad prædicandum verbum Crucis pro iniuria Crucifixi vindicãda*, inquit Pont. in Apoſtolicis litteris, incipien. *Pium, & ſanctum propoſitum, &c.* in quibus declarat ſe Prædicatores Fratres idoneos ad fungendum pro Chriſto legationis officio in hac cauſa reputare. *Ex Archiuio Ord.*

Armachanæ Eccleſiæ in Hibernia, cuius Archiepiſcopi Primates dicuntur, eligente Clero, confirmatus fuit Archiepiſcopus P. Reginaldus, vnus ex S. Patris Dominici ſocijs, ſeu dilectis diſcipulis, aſſumptus ex Pœnitentiario Apoſtolico apud S. Petrum in Vaticano, qui ſibi creditum populum ſuo exemplo ſingulari ad cœlum direxit. *Luſitan. in Cron.*

Caput IV.

P. IO: THEVTONICO Magiſtro Generali IV.

ANNO 1241. In feſto Pentecoſtes celebrata ſunt Generalia comitia pro

pro Magiſtri Ordinis electione Pariſijs, in quibus denunciatus eſt P. Io: Theutonicus Prouincialis Lombardiæ Generalis Magiſter: & ſub eo hæc operati ſunt Fratres Prædicatores in S. Matris Eccleſiæ, Sediſq; Apoſtolicæ obſequium.

Vratiſlauiam Sileſiorum B. Ceslauus Odrouanſius ex Prædicatoribus ad D. Alberti cœnobium Prior ſequenti miraculo defendit. Erant in eadem ciuitate fideles optimi, Chriſtianis præceptis imbuti, ſuper quam irruentes Tartari, ferro, ac igne, & ciuitatem, & fideles illos perdere conati ſunt, obſidione circa eam firmata; cum ſeruus Dei Ceslaus iugis prę cibus, & lacrymis ad Dei miſericordiam implorandam confugit, imminentis cladis depulſionem impetraturus; cum ſubito ignea columna cœlitus apparens, tantũ terrorem Tartaris incuſſit, vt ſtatim in fugam acti, obſidionem ſoluere fuerint coacti, referentes in Ceslai caput ſuper ciuitais murum orantis cœleſtem ignem deſcendiſſe, ipſumq; ignea iacula in Tartarorum caſtra vibraſſe cum multa eorundem cæde. *Bzou. in Annal. Eccl. nu.* 1.

Chiouiæ tunc erat S. Hyacinthus, & tabeſcebat, dum Tartari Ruſſiam, & Voliniam depopulabantur, Catholicos mactantes, & templa incendijs deuaſtantes; cumq; Chiouiam perueniſſent, S. Hyacinthus ad Eccleſiam, vt B. Virginem ſalutaret, confugit, & cum Fratribus, inde diſcederet; tunc orantem S. Hyacinthum ante eiuſdem Dei Genitricis imaginem ex alabaſtro candido effictam, in altari poſitam, elata voce alloquta eſt ipſa dicens: *Ecquid Hyacinthe me hic ſolam relinquis, ludibrio barbarorum expoſitã? Ecquid tecũ me, & filij mei Sacram hoſtiam non effers?* His auditis, Hycinthus in terram proſtratus dixit, *libentiſſimè ô Virgo ſacrata, vota tua adimplebo*; & ſtatim ſacerdotalibus veſtibus indutus, manu dextera Sacram hoſtiam ſuſcipiens, ſiniſtra autem pregrandem Deiparæ ex alabaſtro ſculptam imaginem, ſeptentrionem verſus in aduerſam Boriſtenis fluuij ripam iter direxit, vbi nauigium, neq; pontem inueniens, in nomine Domini ſuper aquas incedens, ingentis ponderis icone onuſtus, profundiſſimum flumen ſiccò veſtigio traiecit: exinde certum eſt eundem Sanctum per Moſcouiæ vaſtiſſimos fines, Seuerinenſes, Lituanos, Liuones, Samagitas, & Prutenos adiſſe, & gentilitatis errore detentis verbum Domini annunciaſſe; Fratres diuinis ſtudijs Dantiſci iam intentos roboraſſe, Maſſouiæ fines peragraſſe; atq; miraculis crebris illuſtraſſe: exinde Craconiam prætioſiſſimam illam ſarcinam citra laborem delatam, in Sanctiſſ. Trinitatis noſtro templo poſteritati reliquit. *Bzou vbi ſup. num.* 3.

Sanè cum nunciatæ eſſent Pontifici Gregorio calalmitates maximæ, quas Tartari Polonis afferebant, bellum ſacrum reliquijs Polonorum per Fratres Prædicatores indixit: Crucem ſuſcipere contra barbaros coegit, & Indulgentiarum largitione omnes ad tam piam expeditionem inuitauit. *Bzou. vbi ſup.*

In hac autem Tartarorum incurſione nonaginta circiter Fratres Prædicatores, in diuerſis locis verbum Dei annunciantes prætioſam in cœlis manſionem fuere conſequti; nam alij ab ipſis in ignem coniecti, alij lanceis transfoſſi, alij ſagittis confixi, alijq; trucidati, glorioſo agone conſumato in cœlum conſcédere promeruère. *Ferrar. de Reb. Hungar. Prou. Ord. Præd. & Bzou. in Annal.*

Gregorius Pont. commiſſit Archiepiſcopo Thebano, Archidiacono Nigropolitano, atq; Priori conuentus noſtri Thebani, Cathedrales Eccleſias Archiepp. & Epiſcoporum, nec non & aliorum Prę latorum, cœnobiorumq; ritus, tam latini quàm græci, ſiuè quocumq; modo exemp-

torum

torum ad decimandum cenſerent, & ad ſoluendum ex vniuerſo Patriarchio Conſtantinopolitanto in ſubſidium Balduini Imperatoris, in Saracenos dimicantis cõpellerent, datis litteris Apoſtolicis Laterani 4. Kal. Iunij. *Bzou. ibid. num.* 11.

Noruegiæ Rege ex mortalium oculis ſublato abſq; legitima prole relicta, Henricus nothus filius in regno ſuccedere cupies, diadema ex manu Pontificis Gregorij petebat, qui Prouinciali noſtro Noruegiæ, & Abbati Bergen. S. Michaelis commiſſit, vt ſuper defectum natalium, atq; mores, nec non pietatem Henrici diligenter inquirerent, cunctaq; Apoſtolicæ Sedi nunciarent, vt Summus Pontfex decerneret, an genti legitimis natalibus glorianti, ſpurius eſſet præfigendus, qui defectum natalium, virtutis, pietatis, & prudentiæ ornamentis expleret. Dedit hac de re litteras Apoſtolicas Laterani 8. Id. Iulij. *Bzou. ibid. num.* 12.

B. Tancredus à B. Iordano inſtitutus Vicarius conuentuum Terræ Sanctæ, deinde Prouincialis ibidem confirmatus, cum linguarum donũ per gratiam S. Spiritus aſſequtus fuiſſet, innumeros Mauros, Hebræos, atq; hæreticos ſuo ignito eloquio ad catholicam fidem attraxit, peccatoreſq; ad amplexum pœnitentiæ allexit. *Plod. lib.* 1.

S. Petrus de Verona apud Cæſenam, atq; alias Aemiliæ ciuitates ſummo ſpiritus ardore prædicans, hæreticorum quamplurimos ſuos errores abiurare voluit, atq; ad veritatem fidei catholicæ accedere. *Bzou. vbi ſup. num.* 16.

In hunc quoq; annum referunt Scriptores Ordinis Martyrium Beati Nicolai Hungari, qui à Gregorio Nono in Hungariam Generalis Inquiſitor miſſus, poſtmodum Epſcopus cum retentione muneris Inquiſitoris creatus ibidem, poſt innumeros filios Eccleſiæ datos, hæreticoſq; feuerè punitos, ab eiſdem populari impetu captus, atq; ad arborem ligatus, pelle detracta, atq; viuus decoriatus, velut alter Apoſtolus Bartholomeus, laudans Deum, crudeli, ſed pretioſa morte in conſpectu Domini, occubuit. *Ferrar. de reb. Hung. Prou. p.* 1. *cap.* 9.

Senio confectus Pontifex Gregorius IX. vinculis corporis ſolutus, humanæ fragilitatis debitum perſoluit, morum comitate omnibus factus amabilis, qui Ordinem Prædicatorum vnicè dilexit, illiuſq; profeſſores ob meſſem copioſam, quam in Eccleſiaſtica horrea inferebant, encomijs multis, ac priuilegijs auxit. In Bulla enim: *Quoniam creſcit diei malitia* commendans Pontifex Fratres Prædicatores electo Archiep. Neapolitano inquit, *Euangelicus ille Pater familias Fratres Prædicatores, velut nouos vineæ ſuæ vinitores ſuſcitauit, qui non ſua, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentes, tam contra profligandas hæreſes, quàm peſtes alias mortiferas extirpandas ſe dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariæ paupertatis.* Quare illos tanquam viros ad officium prædicandi ſpecialiter deputatos commendat, mandans, vt ipſos Fratres ad officium prædicandi deſtinatos liberaliter recipiat, foueat, atq; in omnibus protegat. *Ex Arch. Ord.*

Idem Pont. in Bulla: *Cum tamquã, &c.* Declarans Eccleſias noſtras Conuentuales eſſe, ſic ait: *Cum Fratres Prædicatores, tanquam veri, & fideles Chriſti miniſtri elegerint ſibi in domo Domini manſiones, dignũ eſſe credimus, vt habitacula eorum, inter alias honorabiles Congregationes fidelium ſtatuamus. Ex Archu. Ord.*

Idem Pont. in Bulla: *Vobis extremam, &c.* concedens Prædicatoribus, vt in excommunicatorum terris moram trahere poſſint, dicit: : *Quia exhortationis piâ ſtudio bonos ad potiora erigunt, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter reuocãt.*

Hoc anno noſtra Dominicana Reli-

gio

gio plures filios ſuos direxit in cœlum vineæ Domini cultores inclitos, inter quos refulget B. Iulianus, Fauentiæ datus mundo, & Papiæ cœlo, miraculis clarus qui ſacra Euangelij prædicatione peccatorum corda emolliebat ad pœnitentiam. *Bzou. ibid. num.* 15.

ANNO 1242. Apoſtolica Sede vacante, 4. Kal. Iunij Aſcenſionis Dominicæ nocte apud Auinionetum Toloſanæ Diœceſis in Palatio Toloſani Comitis, toties à Catholica fide relapſi PP. Guillelmus Arnaldus è Montepeſſulano hæreticæ prauitatis Inquiſitor à Gregorio IX. inſtitutus, Bernardus è Rupeforti, atq; Garzias de Aura ex noſtris, cum duobus Fratribus Minoribus, Archidiacono Toloſano, atq; ſex alijs Clericis miniſtris S. Inquſitionis pro Chriſti fide ab hęreticis cęſi ſunt, cantantes in voce exultationis: *Te Deum laudamus*, eoſq; ſtatim Deus miraculis illuſtrauit, quòd vt nunciatum fuit ſacro Collegio Cardinalium, (vacante Sede Apoſtolica) vnitorum pro noui Pótificis electione, ſcripſère illi litteras Patribus noſtri Conuentus Toloſani conſolatorias, eorumdem paſſiones dignis encomijs in hunc modum efferendo.

Sacrum Collegium Cardinalium Fratribus Ordinis Prædicatorum Toloſani Conuentus Salutem, & in Spiritu Sancto conſolationem.

Noueritis Fratres, &c. Bzou. in Annal. num. 5.

B. Pontius de Planetis Hiſpanus à Gregorio IX. Apoſtolicus Inquiſitor inſtitutus in Cathalonia, poſt aliquot tranſanctos annos in vinea Domini cuſtodiēda, in Vrgellenſi diœceſi apud oppidum de Caſtelbò, veneno ab hæreticis propinato, ſublatus eſt de terra viuentium; quòd cum in Vrgellen. ciuitate euulgatum fuiſſet, Capitulum cathedralis Eccleſiæ cum Epiſcopo, ciuium, plebiſq; multitudine copioſa venit ad portandū B. Inquiſitoris corpus in Eccleſiam Vrgellen. ſed cum declinata iam eſſet dies (mirabile dictu) ſtetit ſol ſex horarum interuallo donec fuerit ei ſolemne funeris officium perſolutum; & tunc obſcuritas maxima inualuit; & hora duodecima, more Hiſpano, ſonuit. Sacrum corpus autem in Cathedrali ſepultum, multis ſtatim miraculis corruſcauit. *Diagus lib.* 1. *cap.* 4. *Bzou. in Annal. num.* 6.

Eodem tempore Toloſani Comitis iuſſu iugulati ſunt ſex alij Prædicatores contra hæreticos decertantes, ſcilicet, Nicolaus, Petrus, Robertus, Ioannes, Edmundus, & alter Ioannes, de quibus id mirabile memoriæ traditum eſt, quòd capita ſua poſt mortem ſinguli, precedente vnumquemq; lumine cœlitus demiſſo, ad ſuū conuentū Toloſanū detulęrint, in quo ſepulti iacent, miraculis corruſcantes. *Bzou. vbi ſup. & Auct. ſuprad.*

S. Raymundus in caſtro, dicto Caſtelbò, videns multos hæreticos veluti in proprio latibulo commorari, congregata militum copia, & dicto latibulo expugnato, hæreticos deſtruxit, pluribus igni traditis, alijſq; perpetuis carceribus addictis. *Leander Albertus lib.* 2. *& Diagus vbi ſup. Bzou. in Annal. num.* 7.

Eodem anno noſtri Prædicatores apud Tarraconam, atq; adiacentes ciuitates hæreticam nequitiam compreſsère, dataq; ſunt illis litteræ ad omnes Rectores Eccleſiarum, vt fauorem, auxiliumq; præſtarent, ad inquirendum hæreticos, ipſoſq; capiendos, puniendos, atq; vltimo ſuplicio adiudicandos: pullulauerat enim in Tarraconen. prouincia error Epicureorum, & Saduceorum animæ immortalitatem negantium. *Bzou. in Annal. num.* 4.

Talia ſunt obſequia cruenta Eccleſiæ Sanctæ Dei à generoſa S. Patris Dominici ſobole hoc anno exhibita.

Celebratum eſt Prouinciale Tarraconen.

:n. Concilium, in quo per S. Raymunum de Pennafort omnia fuère ſancita, iter quæ præſcripta fuit forma hæreticos nquirendi, puniendi, atq; ad fidem caholicam recipiendi iniunctis ſalutaribus pœnitentijs. Præfato autē Conciilio ipſe interfuit ex mandato Pont. & Generalis noſtri, ad inſtantiam Domini Archiepiſcopi Tarraconen. atq; aliorum Suffraganeorum Epiſcoporum, vt cuncta in Concilio pertractanda, eius ſententia, ac conſilio ſtabilirentur, prout factum eſt. *Bzou. in Annal. num.* 4.

ANNO 1243. Electione facta vniuerſalis Eccleſię Paſtoris poſt longum Pontificium interregnum, Innocentij IV. ad elimandos ex cunctis Italiæ locis hæreticos ipſe animum applicuit, miſſis in varias illius partes Inquiſitoribus multis ex noſtra Prædicatorum familia, qui in eos dementientes virili pectore decertarent, atq; ex ſibi creditis ditionibus eliminarent; pluribus ex eis capitis extremo ſupplicio adiudicatis, aliiſq; proprios errores abiurātibus, S. Matri Eccleſię perſalutares pœnitentias reconciliatis. *Bzou. in Annal. num.* 3.

Innocentius Pont. Prouincialem noſtrum Poloniæ, Fratreſq; eius curæ addictos, pro officio paſtorali, ad Ruthenorum, aliarumq; barbararum nationum conuerſionem, ærumnoſis ſpretis laboribus, procurandam, hortatus eſt Apoſtolicis litteris incipien. *Patri luminum &c.* datis apud Lateranum 11. Kalen. Aprilis, in quibus multa priuilegia, gratias, immunitates, exemptiones, nec non & Indulgentias, proficiſcētibus ipſis inter gentes, vel ſchiſmaticos, conceſſit. *Bzou. vbi ſupra.*

Præterea idem Pontifex ad vafritiem hæreticorum in Hiſpania deliteſcentium reuellendam, Apoſtolicam auctoritatem dedit Prouinciali Hiſpaniæ conſtituendi in Regnis Aragoniæ, & Gallia Narbon. Inquiſitores, qui inſurgerent viriliter contra inſanientes hæreticos, illoſq. ferro, ac igne perderent. Quare Prouincialis Pontificis zelum imitatus, in ſingulis ciuitatibus, Inquiſitores ex ſibi ſubditis Patribus inſtituit; quo facto hæreticis tantum timorem incuſſit, vt nullus auderet ſe hæreticum publicè profiteri. *Lopez p. 55. & Param. lib. 2. tit. 2.*

Idem Innocentius Pontifex Prædicat. Ordinem deamans, poſt P. Raynerium Vicecancell. à Gregorio X. inſtitutum, (vt anno 1239.) & ab Innocentio confirmatum, Apoſtolicæ Cancellariæ negotia expedienda P. Iacobo Boncambio, Vidonis filio, natalium ſplendore coruſcanti, S. R. E. Vicecancellario, Viro integerrimo, cordato, atq. doctiſſimo commiſit, qui ſequenti anno ſubſcripſit Bullæ confirmationis priuilegiorum, bonorumq. omnium Monaſterij Monialium noſtrarum S. Xiſti de Vrbe, datæ Kalen. Martij. Fuit Iacobus tanta eruditionis, & facundiæ gratia ornatus; maximè in conciliandis animorum diſſidijs, tantaq; pollebat authoritate, vt quod Octauianus Card. Legatus perficere non valuerat, ipſe diligentia ſua ſit aſſequtus, & Bononienſes capitali inter ſe odio diſſidentes conciliauerit, publicæ ſalutis, Chriſtianæq; pietatis ſæpe monitos. *Bzou. nu.* 11.

P. Ferrarius Euchalamus hoc tempore, & anno tribunali ſacræ Inquiſitionis Toloſanæ erat præfectus Inquiſitor, qui Albigenſium hæreticorum reſiduum, iam delumbatum, omni conatu adhibito, penitùs ex Toloſanis partibus eradicare conatus, quot quot ex illis in carceribus ſacri tribunalis habuit, vel ab Eccleſia veniam petere, vel condignas vltimi ſupplicij pœnas ſubire compulit, facta ſolemni, ac publica ſuorum errorum abiuratione. Habuit autem in officio Collegam P. Guillelmum Arnaldum, qui in quibuſdā ſententijs datis, ſe Inquiſitorem

cum eodem Arnaldo, illas dediſſe teſtatur. *Ex monum. Archiu. Toloſ.*

Contigit hoc anno mirandum prodigium. Ad Nurſiam ſupra Rhenum plurimi nobiles, vt torneamento decertarent, conuenerant, & inter illos Comes de Caſtris; adfuit & Pater Bernardus Belga vitę ſanctitate mirabilis, & per id temporis verbi Dei præco famoſus, cum lachrymis Comitem, alioſq; ſupplicans, vt arma deponerent cuncti, duellationem omni iure interdictam euitaturi. Seruum Dei, & monita irriſit Comes, qui primus omnium infelicium torneamentum inchoauit, & ſtatim mortuus irriſionis ſuæ pœnam luit: mortui ſunt cum eo poſtmodum alij 364. viri videntibus adſtantibus in aere quaſi glebam quandam latiſſimã ſuperferri, ac volucres plures coruini generis circumuolitando crocitantes; quo facto credidère cuncti ludum cruentum diuina vltione fuiſſe caſtigatum. *Bzou. num. 7.*

Inuigilabat in eliminandis ab Etruria hæreſibus, & hæreticis P. Rugerius Calcagnus Florentinus (de quo an. 1238.) primuſq; in Tuſcia tota Gene. Inquiſitor, qui neq; ætati, neq; ſexui, neq. nobilibus ipſi parcens, candorem catholicæ fidei illibatum conſeruauit. Quapropter ab Innocentio Caſtren. Epiſcopus in Etruria hoc anno creatus, Lugdunenſibus Concilijs I. & II. interfuit. *Vghel. tom. 1.*

ANNO 1244. Innocentius Pont. poteſtatem conceſſit Priori noſtro Pariſienſi, vt Comitem Flandriæ, à Gregorio Montelongo Sedis Apoſtolicæ Legato anathemate damnatum, cenſuriſq. Eccleſiaſticis irretitum, eo quod cum Entio in Lombardos militauerat, ab excommunicationis vinculo abſolueret, prout fecit; *Bzou. in Annal. num. 2.*

Præterea P. Rolando Cremonen. viro conſpicuo, vt contra Ezelinum (perfidum clauium Eccleſiæ contemptorem, atq. Italiæ perturbatorem maximum) inquireret, iniunxit: mandans inſuper eidem, vt in loco aliquo vicino, & ſecuro eundem coram populi multitudine vocaret in iudicium, argueret, caſtigaret, atq. per ſententiam condemnaret. Pontificis Maximi præcepta non ſine vitæ periculo compleuit Rolandus conſtantia inflexibili, Ezelini potentia, atq. audacia frænata. *Bzou. ibid.*

Raymundus Tholoſanus Comes ab Inquiſitoribus noſtris S. Raymundo de Pennafort, & Guillelmo propter relapsũ, & ſcelera multa perpetrata, à fidelium cœtu ſegregatus, atq. excommunicationis vinculo deuinctus, ſuadente S. Raymundo, & cor eius dirigente Sancto Spiritu; in Vrbem venit, & Pontificijs pedibus prouolutus, commiſſos errores deteſtatus eſt, & ſumma animi demiſſione, anathematis vinculo abſolui, sãctorumq. communioni reſtitui humiliter petijt, & obtinuit. *Bzou. ibid. num. 4.*

Innocentius Pontifex certior factus de multiplicibus fructibus, quos faciebant Pręedicatores Viterbij in conuerſione peccatorum ad pœnitentiam, prædicando, ſacramentaq. adminiſtrando in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus, à Card. Raynerio Capoccio fabricata cũ annexo conuentu, & Ordini cõceſſa, pluribus referta bonis, atque redditibus, talem donationem confirmauit, inq; protectionem Sedis Apoſtolicæ recepit. *Bzou. nu. 6.*

Eodem anno F. Adolphus Minorita, olim Holſatiæ Comes, ad pedes Pontificis acceſſit ſupplicans, vt ſacris initiari cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ poſſet, quam in hunc modum obtinuit, cauſa commiſſa duobus Pœnitentiarijs noſtris apud Baſilicam Lateranen. exiſtentibus, à quibus tale promanauit decretum: *Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis F. Gherardus & F. Raynardus D. Papæ Pœnitentiarij ſal. in Domino. Noueritis quod*

nos

Digitized by Google

nes audita confeſſione F. Adolphi Ordinis Minor. Fratrum, præſentium exhibitoris eidem ſuper omnibus articulis, pro quibus duxerat ad Sedem Apoſtolicam laborandum, & ſimilibus, ſiue minoribus, ſi quos in obliuionem duxerit, de ſpeciali mandato Ven. Pat. noſtri Ottonis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Card. cui Dom. Papa plenariam poteſtatem ſuper hoc conceſſit, beneficium abſolutionis impendimus, & vt ad omnes ſacros Ordines promoueri valeat, diſpenſauimus cum eodem, iniunctâ ſibi pænitentia ſalutari. Datum Laterani 10. kal. Maij. Reuerſus in patriam F. Adolphus Subdiaconatum, atq; Diaconatum à Magiſtro Ordinis noſtri & Epiſcopo F. Ioanne Theutonico ſuſcepit. *Bzou. vbi ſup. numer. 7.*

Idem Innocentius Magiſtro Generali, & Superioribus in Prouincia Terræ Sanctæ exiſtentibus edixit, vt Prædicatores ad prædicandum Iacobitis, Neſtorianis, Gregorianis, Armenis, Græcis, Maronitis, Moſolinis, alijſque nationibus ſimilibus mitterentur; & miſſi poſſent illis excommunicatis, in verbis, cibo, atq. officio communicare; non tamen in eorum Eccleſijs diuina celebrare: & inſuper vt ad Romanam Eccleſiam reuerti cupientes, à cenſuris Eccleſiaſticis abſoluere poſſent, indulſit, dato diplomate apud Lateranum 11. Kalend. Aprilis. *Bzou. ibid. num. 5.*

Ex ergaſtulo corporis ſolutos triumphanti Eccleſiæ dedit Dominicana Religio B. Petrum Scendra Catalanum, qui tredecim cœcis lumen reſtituit, ſurdis quatuor auditum, ſex claudis greſſum, contractis quinque membrorum vſum, ægrotoſque deploratæ valetudinis viginti quatuor, ſolo Chriſti nomine ad ſanitatem reduxit. Item B. Iſnardum Vicentinum, qui quinq; claudis inceſſum, ſurdis quatuor auditum, & mutis duobus loquelam, cœcis tribus viſum, contractis tribus manuum officium, ſolo tactu integrauit. Inſuper & B. Guallam Bergomen. qui (vt ſupra annuimus geminas ſcalas in morte S. P. Dominici cœlo demiſſas, ſuper quas ipſe in cœlum aſcendebat, conſpexit) ad epiſcopatum Brixien. aſſumptus, poſt aliquot annos dimiſſa eccleſia, in monaſterium S. Sepulchri de Aſtino ſe recepit, vbi in diuinis contemplationibus reliquos vitæ dies cōſumens, in cœlum euolauit 3. Non. Decemb. vir verò ſanctus, & in pauperes miſericors. *Bzou. num. 5. & Vghel. Ital. ſac. tom. 4.*

P. Iacobus Boncambius in Vniuerſitate Bononienſi aliquando doctor famoſus, Innocentij IV. Vicencancellarius, poſtquam ſuum fidele obſequium in hoc miniſterio Apoſtolicæ ſedi exhibuit, ab eodem Pontifice Max. nobili Eccleſiæ Bononien. datus eſt Paſtor, vt populum illum verbo, doctrina, atque exemplo in æternam vitam dirigeret, prout, quoad vixit, præſtare non deſtitit: atque reuertentem ex Lugdunen. Concilio eundem Innocentium nobili recepit hoſpitio cum tota Apoſtolica Curia *Bzou. in Annal. n. 4. & 9. cum Coeln. notit. Card. Vghell. Ital. Sac. tom. 2.*

ANNO 1245. Innocentius Pontifex Generale Eccleſiæ Concilium Lugduni in Cathedrali Eccleſia celebrandum ad S. Ioannis Baptiſtæ ſolemnitatem indixit, quod 4. Kal. Iulij in vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli initium duxit, vt à Friderico Imperatore Eccleſiæ illatas iniurias referret Concilio, in quo & de eiuſdem audacia comprimenda tractaretur: nec non & de conſeruatione Eccleſiæ Sanctæ, reformatione morum Eccleſiaſticorum, aliorumque fidelium: atque etiam de auxilio Imperio Orientali præſtando; aliaque ſalubria decreta ſancirētur pro Tartaris ab incurſionibus impediendis. Citauit Pontifex Fri-

dericum ad cauſam dicendam in Concilio de damnis Eccleſiæ illatis; & tandem illum Romano Imperio, Regno Siciliæ, & omnibus bonis primauit, ex communicauit, atque anathemate ligauit. *Bzou. in Annal. num. 1.*

Aſtitère huic Concilio Balduinus II. Orientis Imperator, qui prope Pontificem Innocentium reſedit; Cardinales plures, Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, atque Antiochenus, centum quadraginta Archiepiſcopi, & Epiſcopi, inter quos adfuère ex noſtris Hugo de S. Charo Archiepiſcopus Lugdunenſis, Raymundus de Fulgerio Archiepiſcopus Toloſanus, Stephanus Archiepiſcopus Turritanus, Dauid Archiepiſcopus Carſellenſis, Gregorius Fauentinus Epiſcopus Fanenſis, Vgolinus Epiſcopus Ariminenſis, Petrus Centelles Epiſcopus Barchinonenſis, & Rugerius Calcagnus Epiſcopus Caſtren. Item & Theologi præſtantiſſimi ex noſtris, vt retulimus in Sacro Theatro Dominicano p. 2. cap. 3. *De Patribus in Concilijs*.

In eodem Concilio Innocentius creauit ex diuerſis nationibus duodecim S.R.E. Cardinales, quibus, ſicut & coeteris iam creatis, rubrum Galerum ſua manu dedit, vt agnoſcerent capita ſua pro Eccleſiæ libertate tuenda exponenda eſſe ad ſanguinem, & mortem. Inter Cardinales autem ibidem creatos, fuit ex noſtris P. Hugo, de S. Charo dictus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, vir doctiſſimus, & in Chriſtiano orbe famoſus, qui in eodem Concilio coram Patribus inſanientis Petri de Vineis Capuani deliramenta impugnauit, qui multa in fauorem Friderici cōtra auctoritatem Innocentij Pontificis, inter alios errores ſcripſerat, eidem cauſæ adiutrices manus porrigentibus coeteris noſtris Prædicatoribus Theologis ad Concilium vocatis *Bzou. vbi ſup. num. 1.*

Decretum eſt inter alia in eo Concilio mittendos fore ad Tartarorum Imperatorem PP. Prædicatores, & PP. Minores pro populis illis ad fidem Catholicam cōuertendis. Qua propter ex noſtris Prædd. delecti fuerè ad hoc Apoſtolicum miniſterium Fratres, Anſelmus, Alexander, Simon, atque Albertus; ex Minoribus verò duo, Ioannes, & Benedictus, qui fidei dilatandæ cauſa ſuſcepta, multas in Euangelij prædicatione pertulère calamitates. pluribus ex Barbaris illis ad fidem Catholicam adductis. *Bzou. num. 13.*

Scripſit autem Pontif. Innocentius Priori Pariſienſi, vt ipſe ſeligeret Fratres Prædicatores ad Tartaros mittendos. Litteras Apoſtolicas in Capitulo legit Prior: quid autem actum ſit, in hunc modum refert Taegius in monumentis Ordinis noſtri. *Recitatum eſt mandatum Concilij, & Pontificis in Capitulo; & ecce tot Fratres ſe obtulerunt, quod mirabilis fletus totum illud Capitulum repleuit: nimirum alijs cum lacrymis petentibus huius modi obedientiam, alijs flentibus pro tam charis, & dilectis Fratribus ſe ad labores ineſtimabiles & certam mortem ingerentibus. Flebant alij præ gaudio, quia licentiam obtinuerant. Flebant alij, quia licentiam obtinere non poterant.* Hæc Taeg. vbi ſup. ex quo manifeſtè apparet, quanta eſſet Patrum noſtrorum in proximum charitas, quantus ſalutis animarum zelus, quantum dilatandæ fidei Catholicæ deſiderium.

Delecti igitur quatuor ſupradicti Patres noſtri, ad Innocentij pedes acceſſerunt, ab eoque Apoſtolicas litteras ad Tartarorum Principem directas ſuſceperunt, quibus ipſum hortabatur, vt à Chriſtianorum cæde abſtineret, atque ad Catholicam fidem venire cum ſuis populis, non renueret: quibus & duo alij Minores coadiutores dati ſunt, F. Anſelmo illis Prælato. In Perſidem tandem peruenerunt, vbi Tartarorum exercitus cum Principe Barothnoij erat, & ibi multas

pro Euangelica prædicatione calamitates & miſerias ſuſtinentes, plurimos ad agnitionem veritates adductos ſacro lauacro regenerauerunt. Tandem Anſelmus, cum alijs noſtris, & Ioannes, Benedictuſque ex Minoribus proprio ſanguine candidati, glorioſi Chriſti Martyres effecti ſunt. *Taeg. vbi ſup. & Bzou. in Annal. num. 13. & Spondan.*

Terminato Concilio Pontifex Friderici Imperatoris depoſitionem ab Imperio P. Magiſtro noſtro Generali Ioanni Theutonico patefecit, mandans vt eã à ſibi ſubditis Prædicatoribus in publicis prędicationibus, atq; colloquijs propalari curaret, illum Eccleſiæ hoſtem infenſiſſimum declarãdo; datis Apoſtolicis litteris hac de re incipien. *Humiles habitu.* In quibus Fratres Ordinis ità commendat. *Humiles habitu et affectu dilecti filij Fratres de Ord. Præd. ſe coeleſtis amori Patriæ ſic indiſſolubili vinculo aſtrinxerunt, vt hoc ſolum pro delicijs habeant, quòd per Sanctitatis opera grati oculis diuinæ Maieſtatis occurrant. De huiuſmodi quidem vinculi virtute procedit vt ipſi circa ea, in quibus Diuini gloria nominis, & honor contineatur Eccleſiæ, ac robur Eccleſiaſticæ libertatis, ita prompto, & indefeſſo ducantur ſpiritu, quòd eis nulla formido poſſit obſiſtere, quin liberè facienda ſubeant, quæ de Apoſtolicæ Sedis circumſpecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriantes in Domino, quòd ipſe viris talibus ſuam muniuit Eccleſiam, qui mori pro Chriſto diligunt, & pati pro iuſtitia delectantur; Fratribus eiuſdem Ordinis præuia deliberatione ſolemni ſub certa forma commiſimus, vt proceſſum contra Fridericum quondam Imperatorem per nos in Concilio nuper celebrato Lugduni ſententialiter habitum, in locis publicent oportunis.* Quod & fecerunt illi; & ſi inde maximum promanarit Ordini detrimentum: nam ira percitus Fridericus in Fratres inſurgens, innumera mala, calamitates, fuſtigationes, ac cœdes eiſdem contulit, pluribus Conuentibus deſolatis remanentibus: Ibant autem Fratres gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro defenſione Apoſtolicæ Sedis contumelias, & tot damna pati. *Olmeda in vita Ioannis Theuton. Mag. Ord.*

Innocẽtius Pont. Nicolaum Card. Sabinenſem in Pruſſiam Legatum direxit, eiuſq; Capellano P. Henrico Polono, vt venientibus ad eius conciones in terris Culmenſi, & Pruſſię Chriſtianis, & omnibus, qui militiã Cruceſignatorũ amplexi contra Paganos pugnantes, extruendis munitionibus, & cuſtodiendo, reficiendoq; exercitu Chriſtiano operam ſuam præſtarent, Indulgentiam viginti dierum concedere poſſet, indulſit. *Bzou. vbi ſup. num. 12.*

Præterea Magiſtro Generali, & Prouincialibus poteſtatem dedit inſtituendi, & inſtitutos remouendi, Inquiſitores contra hæreticam prauitatem, dato in hũc modum diplomate. *Innocentius Ep. Ser. Ser. Dei Venerab. F. Ioanni Epiſcopo quondam Boſnen. Magiſtro, & dilectis filijs Fratribus Ord. Præd. Sal. &c.* Lugduni 5. Id. Iunij. *Bzou. vbi ſup.*

Cum cognouiſſet Innocentius quòd in Luſitania Eccleſiaſtica libertas violaretur, dum Eccleſiaſtici à ſæcularibus indignè tractabantur, bonis ſpoliabantur, claues Eccleſiæ conculcabantur, nec non & matrimonia à nobilibus in gradibus à Sac. Canon. interdictis contrahebantur, propter ſocordiam Sancij Regis, monitum voluit ipſum, vt quaſi à ſomno excitatus, vir eſſet, Eccleſiaſticaſq; leges in ſuo Regno obſeruari iuberet; quòd ſi negligeret, Epiſcopo, ac Priori noſtro Conimbricen. & Prouinciali Hiſpaniæ, cuius prouincia etiam regnum Luſitanum tunc continebat, iniunxit, vt temeratores compeſceret Eccleſiaſticis cenſuris,

ris,

ris, Regemq; vecordem cenſoria virga proprij officij admonerent, datis Apoſtolicis litteris Lugduni 3. Kal. Aprilis. *Bzou. in Annal. num.* 11.

Cum S. Petrus de Verona vndecim conſumpſiſſet annos in profligandis in Etruria hæreticis Manicheis, eorumq; hæreſi Florentiæ graſſante eradicanda. Innocentius Pontifex eundem Florentia euocatum, iterum Mediolanen. & Comen. Inquiſitorem Apoſtolicum reſtituit (quibus ciuitatibus, ſicut & reliquis Lombardiæ, præerat tunc Generalis Inquiſitor, (vt dictum eſt an. 1234. P. Guidottus de Sexto) qui demandatum ſibi munus virili pectore peragens ibidem ad obitum vſq; exercuit, nulli parcens hæreticorum, ſed eoſdem diſputationibs, congreſſibus atq; rationibus, prædicationibus cōfundens, educebat ex latibulis vulpeculas Samſonis, latitantes, & indefeſſo labore perſequebatur, nullibi manendi locum præbendo. Pertinaces ſupplicijs afficiebat, pœnitentes verò ſuſcipiens in amplexu S. Matri Eccleſiæ reconciliabat. *Thomas Maluenda de S. Petro Mart.*

Ex militante Eccleſia in triumphantem euehuntur ex Prædicatoribus B. Hermannus S. Hyacinthi ſocius, vitæ ſanctitate celebris Oppoliæ defunctus, & B. Henricus ſocius S. P. Dominici miraculis illuſtris, qui è Sileſia apud Vratiſlauiam, ad æternam vitam perrexit. Hos ſequutus eſt Petrus Cerca Gallus præclaris virtutibus cōſpicuus. *Bzou. vbi ſup. n.* 14. *&* 15.

Multa priuilegia conceſſit Innocentius PP. Prædicatoribus pro eo, & Eccleſia fideliter calamo, ore, lingua, erumnaliq; ſtudio contra Fridericum depoſitum Imperatorem decertantibus. Et quidem vt Fratres ad Terram Sanctam pro prædicando Euangelio Iacobitis Neſtorianis, Gregorianis, Armenis, Grecis, Maronitis, Moſolinis, & alijs nationibus (ex hoc cognoſcere licet quot ex noſtris Patribus eſſent in illis vaſtiſſimis regionibus laborantes in prædicatione Euangelij Ieſu Chriſti pro conuerſione ſimilium nationum) poſſent illis excommunicatis, in verbis, officio, & cibo communicare, & ad Eccleſiam Romanam reuertentes à cenſuris abſoluere; Non tamen in eorũ Eccleſiis diuina celebrare.

Inſuper Innocentius Pontifex Conſtitutionem Apoſtolicam euulgauit ne Nouitij Ordin. Prædicat. ante exactum probationis annum ſacram Profeſſionem emittere poſſent vllo modo. *Bzou. in Annal. num.* 5. *&* 10.

Inſuper prædicantibus Euangeliũ Ieſu Chriſti in Oriētalibus partibus alia multa cōceſſit priuilegia, dicēs in ſua Bulla. *Vos igitur quos iuxta profeſſæ Religionis officium zelus comedit animarum, & in quadriga, quarta, quam varijs chariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbiq; diſcurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare geſtitis ad gentes, quæ Ieſu Chriſtum Dominum non cognouerunt, & ad ſubtractionis filios, qui Sacroſanctæ Romanæ, Eccleſiæ non obediunt deſtinamus.* Ex Archiu. Ord.

P. Bernardus de Cautio Gallus, Toloſanus Inquiſitor effectus omnem conatum adhibuit, vt à fide Catholica deuios debellaret & ad eiuſdem amplexum reuocaret monendo, diſputando, prædicando, lingua, calamo, & orationibus hæreſim reuellendo, quos, dum in ſua perfidia obſtinatos cognoſcebat, pœnis à ſacris legibus præſcriptis, etiam mortis, relaxando brachio ſæculari, ſeuerè puniebat. Erat autem tantæ ſanctitatis, ac probitatis vir Bernardus, vt hæretici ad eius intuitum expaueſcerent. Deceſſit ſenio cōfectus & meritis onuſtus, à Bernardo Guidonis, hæreticorum malleus dictus, corpore poſt 28. annos in corrupto omni ex parte inuento. *Ex Archi. Toloſ.*

AN-

ANNO 1246. Mandante Innocentio Pontifice prædicatur à Fratribus Prædicatoribus, vbique locorum Cruceſignatis, contra Fridericum, atque Saracenos congregandis, quòd ægrè ferens ille, ſcripſit Magiſtro Generali, & congregatis Patribus in Capitulo apud Pariſium dolens de hoc; & Ordinem multum commendans, rogauit, vt illis ſilentiū imponerēt ſuper hoc; quod neutiquam fecère Patres, Innocentio Pontifici obſequium debitum præſtantes. Quare irritatus Fridericus in noſtros ſæuire non deſtitit, multaque mala, & damna nobis contulit. *Bzou. in Annal. num.* 8.

Cum Aragonum Rex Gerundenſi Epiſcopo in Curiam euocato linguam abſcindi iuſſiſſet, Pont. Innocentius iuſtæ iracundiæ flammis exardeſcens, ditione vniuerſa ſacris interdicta, Regem diris omnibus defixum, etiam anathematis ignominia damnauit. Is legato ad Pontificem Max. Epiſcopo Valentino Andrea Albalato, ſupplices obtulit præces, & ſe facti pœnitentem, dicens diris abſolui petijt. Audita legatione, Pontifex commiſit Epiſcopo Camerinen. & P. Deſiderio Ord. Præd. Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiario in Aragonia Legatis Apoſtolicis miſſis cauſę cognitionē, cōceſſa facultate Regem etiam cum Eccleſia reconciliandi, modò ad ſanitatem mentis per pœnitentiam rediret. *Bzou. vbi ſup. num.* 10.

Pont. Innocentius Colomanno Regi Ruſſiæ, & Slauoniæ P. Alexium cum ſocio ex noſtris, Bohemos ab illo maximè expetitos deſtinauit, qui & Schiſmaticos ad vnionem Orthodoxæ Eccleſiæ, & Cumanos, & Tartaros circumuicinos ad puritatem Fidei Chriſtianæ amplexandam inducerent. Hos autem, vt vna cum alijs ſocijs eiuſdem Ordinis laborarent alacrius, largitione gratiarū excitare voluit. Qua propter ijſdem tantam Indulgentiam, & poteſtatem conceſſit, quantam ex Concilio indulſerat delegatis ad Tartaros. *Bzou. vbi ſup. num.* 11.

Delegati à Concilio ſuperiori anno ad Tartaros, hoc anno ad Catholicam Fidem adduxère Chamum Tartarorū Imperatorē cū Magnatibus pluribus, copioſaque plebe, quos omnes Sacro Baptiſmate regenerauère Chriſto. *Bzou. de Prou. Poloniæ Ord. Præd. cap.* 3.

Defuncto hoc anno Toloſano Comite Raymundo aliquibus ſignis pœnitentiæ datis, diuerſis tamen excommunicationibus ob relapſum ligato, Pontifex S. Raymundo de Pennafort iniunxit, vt vna cum Epiſcopo Lodouen. & P. Guillelmo Minorita veritatem facti inquireret, & inquiſitionem in acta relatam ad Apoſtolicam Sedem tranſmitteret; vt, an Eccleſiaſtica ſepultura dignus deceſſiſſet Comes diudicaretur. *Bzou. vbi ſup. num.* 13.

Innocentius Pont. commiſit Prouinciali Poloniæ negotium colligendi ſubſidia ex eleemoſynis piorum pro Imperio Conſtantinopolitano à Saracenis vindicando, cum facultate promulgandi Indulgentias, quæ pro ſubſidio terræ Sanctæ diſtribui ſolebant. datis Apoſtol. litteris Lugduni 4. Kal. Octob. *Bzou. vbi ſup. num.* 19.

Munera ſua in Cœlum direxit hoc anno Dominicana Religio, BB. Petrum Conſaluum, Bernardum Luſitanum atq; Guillelmū Germanum, viros virtutibus, & miraculis conſpicuos, quibus duo alij ſe aſſociauère relati à Bzouio ſuppreſſis eorum nominibus. *Bzou. ibid. num.* 3. & 4.

Pontifex Innocentius ſupplicationibus à Regibus Caſtellæ, & Luſitaniæ porrectis contra Boloniæ Comitem, qui infeſtis armis hos vexabat, inclinatus, præcepit Fratri Deſiderio Pœnitentiario ſuo, in Aragoniam cum Epiſcopo Valentino ad cognoſcendam cauſam Regis ſupra relatam

Digitized by Google

latam,iam directo,vt de re tota cognoſceret, atque ſi iniuria aliqua Reges à Comite afficerentur, eos armis vindicaret, atq; Comitis audaciam caſtigaret. *Bzou. vbi ſup. num.* 14.

Albertus Epiſcopus Reginenſis, ex Canonico Bremen. aſſumptus,propagandæ Fidei Chriſtianæ ſtudio, in Liuoniam profectus, eius loci incolis, gentilitatis caligine plurimum inuolutis, prædicauit, & multorũ ex Prædicatoribus, qui ibidẽ in eodem aſſumpto Apoſtolico miniſterio viriliter inſudabant, auxilio fretus, vidit fructus vberrimos Eccleſiæ ibidem productos per Fratres prædictos ignitis eorumdem eloquijs, de quibus Pontificem Innocentium admonuit. *Bzou. vbi ſup. num.* 20. *& de Prou. Polon. Ord: Præd.*

Cum Piſani Ciues Friderico exauctorato adhærentes anathemate percuſſi,Eccleſiæ claues conculcarent, ab omnibus Orthodoxis, & à Fratribus Prædicatoribus maxime euitati fuere,ita vt neque neceſſaria ad victum ab illis emere permitterentur; quare ad extremam inopiam perducti, cum fame, & ſiti penè conficerentur, eorum pietatem, & conſtantiam demiratus Innocentius Pont. diſpenſauit cum illis, vt cum excommunicatis Piſanis in emptione, ac venditione, cæteriſque ad ſuſtentandã vitam neceſſitatibus, communicarent; dummodo in crimine criminoſo per participationem illis non commiſcerentur. *Bzou. ibid. num.* 16. *in Annal.*

Pont. Innocentius B. Bartholomæum de Bragantijs Bonien. S. Palatij Mag. poſt S. P. Dominicum inſtitutum,Nimoſien. Epiſcopum in Cypro creauit, & proprijs manibus conſecratum, in Syriam Legatum ad S. Ludouicum Regem Galliȩ miſit; qui cognita viri Sanctitate, eundem in conſcientiæ ſuæ directorem aſſumpſit, apud quem etiam proprias culpas per confeſſionem Sacramentalem manifeſtabat. *Vgell. Ital. Sac. tom.* 5.

Datus eſt B. Bartholomæo in Magiſterio Sacri Palatij (quod munus Apoſtolicæ Sedi, in multis inſeruit) ſucceſſor P. Anibaldus de Anibalis ex familia nobili Proconſulum Romanorum, vir præclariſſimus, ab Vrbano IV. S. R. E. Cardin. poſtmodum creatus, vt ſuo loco dicetur. *Ciacon. in Vit. Pont.*

P. Valterus Venetus Taruiſinus Paſtor ab Innocentio Pont. inſtitutus, Apoſtolicus Nuncius ad Balduinum II. Imperatorem Orientis pro grauioribus Catholicæ Eccleſiæ negocijs directus, ea ad optatum finẽ perduxit;& in Vrbem reuerſus ad Pontificis Max. pedes,illis exoſculatis in ſuam Eccleſiam ſe recepit ouium ſibi creditarum ſedulam curam habiturus vſque ad mortem. *Vghell. in Epp. Taruiſin.*

ANNO 1247. Cum S. Ludouicus Rex Galliæ arma, atq; expeditionem pro Terræ Sanctæ recuperatione aſſumens, hoc anno in Palæſtinam iter arriperet, Innocentius Pont. auxiliares copias eidem conceſſurus,mãdauit per Apoſtolica ſcripta P. Hyldebrando Prouinciali Germaniæ, vt Friſones, Hollandos, Zelandos, & reliquos inferioris Germaniæ Cruceſignatos admoneret, & ſi opus foret per cenſuras Eccleſiaſticas compelleret, ad conueniendum in loco,transfretationi deputato, tempore determinato. Pontificis mandata exequtus Prouincialis,copioſam multitudinẽ militum Cruceſignatorum ad transfretationis locum adduxit. *Bzou. in Annal. Eccleſ. num.* 3.

Præterea Pontifex noſtro Priori Biſuntino, vt in Lotharingiam, atq; Burgundiam Inquiſitores Fratres, viros doctos, atq; ad hæreticos redarguendos aptos dirigeret contra quaſdam hæreſes nouiter pullulantes, præcepit; quòd feſtinanter præſtitit ille, prouinciaſq; ab hæreſi-

Digitized by Google

reſibus vindicauit. *Bzou. ibidem num.* 4.

Cum Archiep. Colocen. præter ærumnoſos labores conſumptos, expenſas maximas in eradicandis, atq; conuertendis hæreticis Boſnenſibus ſe quoq; feciſſe nũciaſſet Pontifici Max. ac propterea in Boſnenſem Eccleſiam ius Metropolitani prętenderet, commiſit ille Epiſcopo Iaurien. & Priori Conuentus Prædicatorum Albani, vt de hac re certiùs inquirerent, atq; auctoritate Apoſtolicæ Sedis Eccleſiam, Boſnenſemq; Epiſcopum, Colocen. Archiep. ſubijcerent. *Bzou. vbi ſup. num.* 4.

B. Ioanni Vicẽtino inſuper pręcepit Innocentius Pont. vt in Lõbardia inſultantibus hæreticis ſe ſe conſtanter, & verbis, & factis, & ſcriptis opponeret, eoſq; debellaret, cui & facultatem conceſſit, illos qui eiuratis proprijs erroribus ad Catholicam Eccleſiam venirent, abſoluendi, à quibus innodati eſſent, cenſuris: atq; Indulgentias conceſſit illius prædicationes audientibus. Prohibuit inſuper Superioribus cunctis Ordinis, ne à tali impoſito Apoſtolico miniſterio eum amouere vel impedire poſſent: tanta apud Pontificem Max. valebat auctoritate, atq; æſtimatione Ioannes, qui innumerabiles peccatores ad pœnitentiam, atq; hæreticos ad veram agnitionem fidei adduxit. *Bzou. ibid.*

Cum Prædicatores noſtri vbiq; locorum in fauorem Eccleſiæ, ſtudio infatigabili contra pertinacem Fridericum ab Imperio depoſitum pręedicarent, & in Sicilia maximè, perſequutiones multas paſſi ſunt, pluribus affecti iniurijs, damnis, verberibus, atq; improperijs. Quare coactus eſt Innocentius Pontifex Siculorum audaciam compeſcere, promulgatis grauibus Eccleſiaſticis cenſuris in eos, qui FF. Prædicatores quocumq; modo, moleſtijs, iniurijſq; quibuſcumq; afficerent. *Bzou. ibid.*

Celebrantur Generalia Ord. comitia apud Montempeſſulanum in feſto Pentecoſtes; cumq; hora 3. Fratres omnes in chorum conueniſſent, ſoror Guidonis Fulcodij, qui fuit poſtmodum Clemens IV. ſancta fœmina ſuper cunctos Fratres cantantes *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum viſita, imple ſuperna gratia, quæ tu creaſti pectora, Qui Paraclitus diceris, &c.* Spiritum Sanctum in igneis linguis deſcendentem vidit, ex quo intellexit ibi cõgregatos Fratres, gratia Spiritus Sancti repletos, in vniuerſum mundum profecturos, atq; ignitis eloquijs verbum Dei mortalibus anunciaturos, pro vt euentus comprobauit. *Caſtillus p.* 1. *lib.* 1.

ANNO 1248. de Pontificis Innocentij mãdato conſecratur Kalendis Nouemb. à Corrado Colonien. Archiep. Guillelmus Comes Hollandiæ in Regem Romanor. apud Aquiſgranum; & coronatione peracta, inde digreſſus, Coloniam Agripinam venit, vbi à B. Alberto Magno ſolemni exceptus hoſpitio, in noſtro Conuentu Prędicatorũ permanſit. Dedit ei tunc Albertus præcationum libellum à ſe compoſitum, quas diurnis nocturnis, diurniſq; horis recitaret; cumq; monuit, vt in regimine ſibi tradito, & Romanæ Eccleſiæ, & Pontifici Maximo debitũ præberet ſemper obſequium. Hortatus eſt inſuper, vt Vltraiecti cœnobium Ordinis fundaret, ad illius populi ſpiritualem conſolationem, id enixè poſtulantis; quòd Guillelmus præſtitit feſtinanter. *Bzou. in. Annal. num.* 2.

Cum hæretici ex Comitatu Toloſano Narbonen. Prouinciam, atq; Aragoniam ſuis prauis dogmatibus infeciſſent, commiſit Pontifex Prouinciali Hiſpaniæ, & S. Raymundo de Pennafort, vt hæreticè prauitatis Inquiſitores in ditione Regis Aragoniæ inſtituerent, viros doctos, prudentes, atq; ſagaces, ad tantum munus aptos, & inſtitutos, atq; in tali offitio iam conſtitutos Inqiſitores, minus aptos, amouerent, datis litteris Lugduni 13. Kal.

Digitized by Google

Nouembris, in quibus Ordinem Præd. ſummoperè commendat ob beneficia Catholicæ Eccleſiæ præſtita, ſub his verbis. *In his autem nobis Fratres veſtri Ord. Dominus ſpecialiter voluit eſſe adiutores, qui ſpretis mundi diſſoluti blanditijs ſub Religionis arctæ vigore in voluntate Chriſto ad placitum famulantes, de fidelium campo exſtirpare noxia, & in eo plantare ſalubria: nec non muniti ſpirituali pro defenſione fidei armatura, errorũ laqueis irretitos eripere, ac in regione diſſimilitudinis conuerſantes, ad vnitatem Matris Eccleſiæ reuocare diligentia indefeſſa procurant, proficientes ſibi per vitæ meritum, alijs verbo pariter, & exemplo. Vnde quia in Inquiſitione facienda contra hæreticos, eorundem Fratrum ſolertiam nouimus pluriniùm oportunam, ipſis huiuſmodi negotium prouidimus ſpecialiter committendum: Ideoq; deuotionem veſtram monemus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, vobis per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad ipſius proſequtionem negotij ſollicitè intendentes, aliquos Fratres eiuſdem Ord. de Regno Aragoniæ Inquiſitores deputare curetis, &c.* Bzou. vbi ſup. num. 3.

Innocentius Pont. poteſtatem fecit P. Gotifredo, vt Archiepiſcopo Gneſnen. quintam partem redditiuum Romano Pont. à duobus annis debitam, remitteret. *Bzou. ibid. num.* 4.

Item Pontifex Raynaldi, atq; Petri Carmelitarum præcibus inclinatus, regulam vniuerſo eorum Ordini, ab Alberto Patriarcha præſcriptam, noſtris, Hugoni Card. S. Sabinæ, & Guillelmo Gallo Ep. Anteraden. corrigendam dedit, atq; per eos correctam, mitigatam, atq; declaratam, Apoſtolica auctoritate approbauit Lugduni eodem anno. *Bzou. vbi ſup. num.* 7.

B. Vitus à ſacris confeſſionibus Boleſlai Pudici Poloniæ Principis cum P. Henrico Prouinciali Poloniæ, atq; alijs ex Prædicatoribus ſtrenuam in conuerſione Lituanorum Gentilium operam dedit; (Quamobrem ab Innocentio Pont. eidem nouiter baptizatæ genti Epiſcopus præfectus eſt) à quibus, non multo poſt ad vomitum, idolatriamq; redeuntibus, atrocibus contumelijs affectus, atq; vulneribus impetitus, ſede ſua pulſus eſt. *Bzou. de Prou. Pol. cap.* 3.

S. Ludouicus Galliæ Rex cum ad Cypri regnum perueniſſet cum valido exercitu traijciens, ad expugnationem Terræ Sanctæ, P. Andream Loſimer (qui pluribus annis apud Tartaros euangelium Chriſti prædicauerat, eorumq: linguam callebat) ad eorundem Tartarorum Imperatorem Legatum ſuum cum duobus ſocijs Prædicatoribus, litteris regijs, atq; etiam Legati Apoſtolici in caſtris exiſtentis, munitum direxit; qui, Spiritu Sancto eloquium illorum dirigente, Tartarorum multitudinem ad Chiſti fidem atraxère, vna cum Mango Cham quarto eorumdem Imperatore, quos omnes ſacro regenerationis lauacro Eccleſiæ filios dedère, maximo exultationis ſpiritu eiuſdem S. Ludouici Regis, atq; Pont. Max. Innocentij. *Luſitanus in Chronico: & S. Antoninus 3. p. tit. 19. & Bzou. ibid. num.* 9.

P. Andreas Albalatius vir pijſſimus, atq; in pauperes, & egenos charitatis viſceribus ſupramodum affluens, Petri Albalatij Taraconen. Archiep. germanus frater, diſſidente Canonicorum cœtu, de Innocentij Pont. aſſenſu aſſumitur ad regimen Valentinæ Eccleſiæ ab Archiep. Tarraconen. Archidiacono, & Præcentore Sedis Valentinæ: fuitq; & Cancellarius Regis Aragoniæ, vir ad pertractanda negotia dexteritate, & prudentia ſingulari ditatus. *Bzou. ibid. num.* 5. *& Lopez p.* 5.

P. Iacobus Boncambius Bononien. Ep. cum inter Bononienſes ciues, atq; Imolenſes diſſenſi ones validæ exortæ fuiſſent, annuente Pontifice Max. fœdus

inter

inter eos percuſſit, pacemque, citra ſanguinem, depoſitis armis, ſtabiliuit. *Vghell. inter Archiepiſc. Bononien. tom. 4. num. 64.*

Triumphanti Eccleſiæ dedit Dominicana Religio inclytos, atq; glorioſos viros B. Michaelem de Fabra, Seruatium Theutonicum, atque Cônradum Hæros, viræ ſanctitate conſpicuos, tam in vita, quàm in morte miraculis corruſcantes. *Plodius & Bzouius.*

B. Boninſegna Florentinus ſalutis animarum cupidiſſimus, cum ad Barbaras nationes verbum Dei euangelizaturus properaſſet, multaſque animas cœlo per ſacrum baptiſma lucratus fuiſſet, impetu populari ab Idolorum ſacerdotibus concitato, captus, proprijſq; veſtibus denudatus, atq; palo alligatus, à vertice capitis ad aures vſq; ſerra ab impijs ſectus, fœlici agone conſummato cœlum conſcendit. *Plodius.*

ANNO 1249. Circumcellionum nefaria hæreſis in Germania, à Friderico, ab Imperio depoſito, & filio eius Corrado, in clientelam ſuſceptorum, ortum habuit hoc anno, quorũ auxilio, atq; protectione progreſſus non modicos fecit. Nam hi campanis pulſatis, conuocatoq; populo, atq; Baronibus terrarum, & caſtrorum, in Sueuiæ Hallis prædicabant contra Eccleſiam, quaſi Pont. Max. hæreticus eſſet, omnes Prælati ſimoniaci, cunctiq; inferiores miniſtri Eccleſiarum nequaquam poteſtatem haberent ligandi, atq; ſoluendi: ſoluſq; Fridericus, & Corradus eius filius eſſent viri perfecti. In hoſtes hos Eccleſiæ inſurgentes Prædicatores, linguas ſuas, & calamos acuentes, effecère, vt plures Principes Friderico, atque filio adhærentes, partes eius dereliquerint, Guillelmoque ad Pontificis Max. inſtantiam electo Imperatori, adhæſerint. Primus inter illos enituit noſter Magiſter Generalis P. Ioan. Theutonicus Pontificis Maxim. Capellanus, & Pœnitentiarius, qui ad hæreſim hanc extirpandam annitus plures filios habuit ſequaces, Innocentij partes ſuſcipientes, vt Summi Pontificis, Cardinalium, Epiſcoporum, Prælatorum, Cleri: necnon & Eccleſiæ dignitas, atque auctoritas vbique locorum, & in partibus illis maximè, ſtaret integra. Fridericus autem pellicem quandam vaferrimam ſubornauit, vt Ioannem tantoperè in ſe, filiumque ſuum inuehentem, ad inhoneſta prouocaret. Acceſſit illa ad ſeruum Dei, & tum compoſita vultus honeſtate, tum verborum lenocinio, ignita libidinis tela in illum iaculata eſt; at ipſe eleuata manu, tam viriliter percuſſit ſcortum, vt in terram deiecerit. Miratus eſt Fridericus viri Dei pudicitiam, atque conſtantiam, eumque tanquam Seruum Dei perfectum veneratus eſt deinceps. *Bzou. in Annal. num. 5. & 6.*

P. Henricus Prouincialis Poloniæ ab Innocentio Papa Culmen. Paſtor creatus; tanto animi zelo procurauit conuerſionem Danielis Ruthenorum Regis, atque Mendegonis Lituanorum Principis, ipſiſque ſubiectarum gentium, vt Mendegonem ſacro lauacro abluerit, atque Lituanorum in Regem vnxerit, diademate coronauerit, alijſque Regijs inſignibus redimiuerit: Daniele Ruſſiæ Rege ad vomitum redeunte, atque Apoſtolicæ fidei deſertore apoſtaſiæ pœnas in temeritate ſua luente. *Bzou. de Prou. Pol. cap. 3.*

Eodem tempore plurimos labores pertulit pro Eccleſia Catholica dilatanda P. Henricus Colonienſis, qui à patrui ſui prædefuncti apparitione Prædicatorum Religionẽ profeſſus eſt; Rogabatur enim pro illius Animæ refrigerio peregrinationem in Terrã Sanctam aſſumere. Iuit ille, rediuit, Prædicatorũ habitum induit, tantoſq; ſub hoc fecit progreſſus, vt etiam

Digitized by Google

miraculorum gloria effulſerit. Fuit autem in tanta apud S. Ludouicum Regem Galliæ æſtimatione, vt eo ſuadente Talmud Iudæorum publico igni adiudicauerit, atque in Eccleſiæ hoſtes hæreticos in Gallijs, vicinoque Belgio, atque etiam Saracenos in Syria arma ſumpſerit. *Bzou. in Annal. num.* 3.

P. Pontius Garinus de S. Aegidio poſt rectam ſumma cum laude Tholoſanam Prouinciam, Prior Prouincialis illius effectus, ibidem præfectus eſt Apoſtolicus Inquiſitor, vt deblaterantes hæreticos ex ſibi creditis locis fugaret, eijceret, ac ſeuerè puniret. Quare in fidei defenſione labores plurimos, ærumnaſq; pertulit à Magnatibus, eorundem fautoribus; ac protectoribus; ad mortem etiam quæſitus, quorum vultus dum non pertimeſcit, Pontificis Maximi, atq; S. Ludouici dilectionem, & protectionem promeretur annis pluribus, quibus Inquiſitor effulſit. *Ex Monum. Arch. Thol. ſ.*

Cœlos conſcendere B. Mauritius de Toloſa miraculis, clarus, vitæq; ſanctitate mirabilis, necnon & Stephanus de Aluernach, quorum virtutes refert Plodius de Viris Illuſtrib. Ord.

P. Dominicus de Senis Calaritanæ Eccleſiæ Archiepiſcopali præfectus eſt Paſtor, vt oues illius virtutum omnium pabulo enutriret, & edoctas in lege Domini, per viam ſalutis æternæ dirigeret, vt præſtitit. *Vgurgerius.*

ANNO 1250. Glorioſum pro Chriſtianæ fidei dilatatione martyrium pertulit B. Petrus Ruffenſis, in Pedemontana ditione, atq; Sabaudiæ Ducatu hæreticæ prauitatis Gener. Inquiſitor, ex Taurinenſi cœnobio, qui cum eximia virtute, ſolertia, atq; labore indefeſſo inſanientes hæreticos, ex ſibi creditis Prouincijs exterminare niteretur, igneq; ac ferro perdere intentaret, mactatus ab eiſdem, euolauit in cœlum. *Param. lib. 2. tit. 2.*

In Belgica Gallia P. Robertus Apoſtolicus Inquiſitor ſtrenuam nauabat operam pro hæreticis, vel ad catholicam fidem perducendis, vel vltimo ſupplicio adiudicandis. Quare factum eſt, vt plurimi eorundem, abiuratis proprijs erroribus, fidelibus ſe aſſociauerint. *Param. lib. 2. tit. 2.*

In Ollandia quoque Prædicatores catholicam veritatem à perfidis hæreticis vindicabant, idemq; in Zelandia fideliſſimè præſtabant, inter quos eminebat Inquiſitor Generalis P. Io. Ommacha, eorundem hæreticorum malleus, ac hoſtis acerrimus, communi acclamatione dictus. *Param. vbi ſup.*

Apud Cameracum in Flandria noſtri Inquiſitores hæreticos multos latitantes debellantes, igni tradidere, inter quos Eligium tunc temporis hæreticum famoſum, qui vt rogum, in quem timebat tradi, euaderet, ab immundo ſpiritu ſe diuexatum ſimulauit; at eius vafritie detecta, tortoreo igne hæreſis ſuæ pœnam luit condignam. *Thomas Cantipatran. de Apib.*

Innocentius Pontifex commiſit Prouinciali noſtro Alemaniæ, & Miniſtro Minorum, vt Friſiæ, Noruegiæ, atq; aliarum Regionum ſeptentrionalium Cruceſignatos, per Eccleſiaſticas etiam cenſuras, compellerent ad transfretandum in Syriam eo die, quem mater S. Ludouici Regina Blanca deſignaſſet, quæ regnum Galliæ nomine illius regebat. *Bzou. in Annal. num.* 1.

Inſuper mandauit Prouinciali Hungariæ, vt Fratres ſibi ſubditos doctos, atq; pios ad Schiſmaticos in conuicinis Prouincijs, fidei catholicæ reuniendos mitteret, quibus & poteſtatem dedit, vt reduces abſoluerent, dat. Apoſtolicis litteris Lugduni 6. Id. Auguſti Pontificis mandata impleuit feſtinanter ille, multiq; ad amplexum catholicæ veritatis venère. *Bzou. ibid. num.* 4.

Epi-

Epiſcopo Taruiſino, atq; Priori noſtro Mantuano præcepit quoq; Innocentius, vt Ezelinum eccleſiaſticarum cenſurarum non ſemel violatorem, ac contemptorem ad meliorem normam reuocare niterentur; quòd ſi ille renueret, in tota diœceſi Taruiſina, atq; Aquileien. veluti hæreticum publicum denunciarent, à cunctis euitandum: hic enim impius in dictis ditionibus tyrannidem maximam exercuerat, caſtrando pueros, violando virgines, mammas matroni adimendo, prægnantium vteros ſecando, aliaque ſcelera nequiſſima perpetrando. *Bzou. ibid. num.4.*

Celebrata ſunt Prouincialia noſtra Comitia hoc Anno in Hiſpania apud Toletum, in quibus decretum eſt, ac firmiter ſtabilitum ex Magiſtri Generalis voluntate, vt in Maioricen. Conuentu ſtudium linguæ Arabicæ erigeretur pro Agarenis ad fidem catholicam conuertendis, cui addicti ſunt duodecim ſtudentes ab eodem Capitulo. In eo igitur ſtudio per plures, & plures annos Arabicæ linguæ addiſcendæ dediti fratres noſtri, maximum in vinea Domini fructum fecerunt, innumeris Agarenis ſacro baptiſmate ablutis. *Diag. lib. 1. cap. 2.*

Cardinalis Hugo de S. Charo, ſeu de S. Theodorico in Lugdunen. Concilio creatus, hoc anno Bibliorum Concordantias, infinitum penè opus, euulgauit, primuſq. excogitauit in commune ſtudioſorum fidelium commodum, quingentorum Fratrum ope adiutus incredibili rei literariæ prouentu, vt inquit *Bzou. ibid. num. 10.*

Plures Patres ſpectatiſſimos Beatorum choro ſociauit Dominicana Religio: Ferdinandum Diaz, qui diua Dei Genitrice reuelante, multa prædixit, & cognouit. Guillelmum Toloſanum hæreticorum expugnatorem acerrimum, cunctis religioſis virtutibus ornatum. Edmundum Maſcha Piſanum nobilitate illuſtrem, ſed vitæ ſanctitate illuſtriorem. Petrum & Arnoldum ex Montepeſſulano germanos fratres, viros virtutibus præclariſſimos; nec non & Lambertum Priorem Bononienſem, Robertum Auenionenſem, atq. Albertum de Falchembergh miraculorum gloria conſpicuos. *Bzou. ibid. num. 7. & 10. atq; Plod. de Vir. Illuſtr. Ord.*

Alios quoq. militanti Eccleſiæ Paſtores dedit viros ſpectatiſſimos, inter quos recenſentur P. Algiſius de Roxiate Arimineñſi, & poſt annum Bergomenſi datus Ep. & Clemens factus Epiſc. in Scotia, nec non & P. Dominicus præfectus Eccleſiæ Reatinæ, qui eandem dimiſit. Et cum innumeri alij ad Epiſcopatum ex Ordine aſſumerentur, & hi ex præſtantioribus Patribus, vnde Ordo deſtituebatur nimis filijs ſuis inclytis, acceſſit ad Innocentij Pont. pedes Magiſter Generalis Io: Theutonicus, & tam proprio, quàm totius Religionis, atq. Capituli nomine eidem ſupplicauit, vt ab aſſumptione Fratrum pro Eccleſiarum regimine abſtineret in poſterum, exponens damna, quæ eidem obueniebant ex amiſſione præſtantiorum filiorum, cui reſpondit Pont. Max. *eſſe præceptum Domini de non occultanda lucerna, ſed ponenda ſuper candelabrum, vt luceat omnibus.* Bzou. in Annal. ad an. 1254. num. 1.

ANNO 1251. Cum vigentibus in Lombardia bellorum motibus hæreticorum virus ibidem magis ſerperet, multoſque etiam catholicos inficeret, ita vt S. Petrus Martyr apud Mediolanum Inquiſitor tantum onus ſibi impoſitum ſuſtinere ſolus non valeret, re ad Innocentium delata, frænaturus ipſe tantam hæreticorum audaciam, plures Inquiſitores, S. Petri Mart. coadiutores, in Lombardiam delegauit, qui condigna ſeueritate in perfidos catholicæ fidei deſerto-

ſertores animaduerunt ex præſcripto Canonum. Cogitauere igitur de morte S. Viro inferenda, quòd tandem ad optatum finem ſequenti anno perduxere. *Bzou. num.* 3.

Interfecto perfido Eccleſiæ hoſte Friderico à Manfredo filio, (quem ex nobili concubina ſuſceperat) compreſſo per vim ore, ac ſpiritu, Innocentius Pont. noſtrum Cardinalem Hugonem Apoſtolicum de Latere Legatum cum litteris miſit; vt repudiato Corrado Friderici filio, Imperij Principes Guillelmum legitimè Romanorum Regem electum ſequerentur, ipſumq; Guillelmum; vt ſe beneuolum erga cunctos eccleſiæ fideles exhiberet; infideles verò, ac refractarios, Circumcelliones hæreticos præcipuè armis perſequeretur, atq; deſtrueret, admonuit. *Bzou. ibid. num.* 2.

Cum Corradus Friderici filius in Germaniam pro conſequendo Imperio profectus multas militum copias, adiuuante Henrico ſocero, collegiſſet, atq. Ratiſponam vaſtaſſet, Innocentius Pontifex P. Guillelmo Eixa Capellano Regis Romanorum præcepit, vt Crucem prædicaret, atque Cruceſignatos ex tota Alemania in vnum colligeret Corradum, & plures, quas poſſet cohortes Cruceſignatorum vniret pro comprimenda audacia mali patris nequioris filij. Innocentij mandata compleuit P. Guillelmus, & tantam militum multitudinem collegit, vt Corradus fuga vitæ ſuæ conſulere ſit coactus. *Bzou. ibidem*.

S. Raymundus de Pennafort cum ſodalibus noſtris Inquiſitoribus incendium Enzabbatorum hæreticorum penitùs extinxit, quod in Catalonia, atq. Tarraconen. Prouincia ingentem animarum ſtragem fecerat. *Param. lib.* 2, *tit.* 3.

Innocentius Pont. præcepit P. Stephano Capellano ſuo, ac Pœnitentiario Apoſtolico, vt in Prouinciam Prouinciæ pergeret, atq. cum Comite illius, eiuſque miniſtris ea, quæ pro Catholica fide, & pro pace publica ſtabilienda neceſſaria forent, procuraret, vt Catholica fides contra hæreticos conſtabiliretur illæſa. Datis litteris Apoſt. Lugduni 14. Kal. Martij. *Bzou. in Annal. num.* 8.

Prouinciali quoq. Poloniæ idem Pontifex præcepit, vt Fratres mitteret ad Liuonum, & Pruthenorum conuerſionem iuxta formam, & mandatum Prædeceſſoris Gregorij IX. datis litteris Apoſt. Idib. Ianuarij apud Lugdun. *Bzou. vbi ſupra*.

Præcepit inſuper Prioribus Conuentualibus in Liuonia prædicãtibus, vt Crucem, & ſacrum bellum contra Paganos indicerent, impoſuitq. vt militibus S. Mariæ Theutonicorum pecunias in ſubſidiũ ſacri belli erogatas, numerarent, iiſq. & armis, & equis ad pugnandum indigentibus ſubuenirent. *Bzou. ibid.*

Vlteriùs Prouinciali Prouinciæ demãdauit vt totus incumberet ad eliminandos ex Toloſano Comitatu, & diœceſi Pictauien. hæreticos: deditq; illi poteſtatem excommunicandi, abſoluendi, atq; reconciliandi eos S. Matri Eccleſiæ. Datis Apoſtolicis litteris Ianuæ 15. Kal. Iunij. *Bzou. ibidem*.

ANNO 1252. Cum hęretici Manichæi inſanias ſuas decantantes quotidianas S. Petri Martyris perſequutiones, diſputationes, prædicationes, atq; plurimorum ex ſuis conuerſiones ſuſtinere, diuq; tolerare non valerent, mortem, quam paulò ante prædixerat prædicando, illi Como Mediolanum reuertenti intulerunt per impium ſicarium quadraginta nummis conductum, apud Barlaſſinam; cumq; in ſanguine proprio volutatus animam ageret, priùs conſtanti pectore fidei ſymbolum alta voce pronunciauit, eodemq; ſanguine tinctis digitis illud in terra ſcripſit *Credo in Deum*. S. Martyris corpus Mediolanum delatum, atq; in noſtra

S. Eu-

S. Eučtorgij Eccleſia conditum, pluribus miraculis coruſcauit, & in Sanctorum Martyrum cœtum, non dum elapſo ab obitu anno, per Innocentium Papam relatus eſt. *Bzou. in Annal. ſub anno antecedenti num.* 3.

Innocentius Pont. audita S.Petri Martyris nece, in hæreticos magis exaſperatus, Friderici Imperatoris leges contra eos latas in primis confirmauit, præcepitq; cunctis Inquiſitoribus noſtris in Lombardia, Marchia Teruiſina, atq; Romandiola exiſtentibus, vt eas omninò exequtioni darent: idemq; Ciuitatum Rectoribus, Præfectis, & Conſiliarijs iuſſit, & vt inter ſua ſtatua conſcriberent, atq; ſub pœnis & cenſuris obſeruarent. Datis Apoſt. litteris Pariſijs 5. Kal. Maij. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 3.

Prouinciali Lombardiæ præcepit Innocentius, vt in ſingulis ciuitatibus Inquiſitores inſtitueret, qui contra hæreticos, imò & contra eorumdem fautores, receptatores, defenſores, & adiutores viriliter inſurgerent, eoſq; condignis pœnis iuxta Apoſtolica decreta ſeuerè punirent, atq; eorundem impios errores in publicis prædicationibus manifeſtarent, impugnarent: proptereaq; eiſdem indulſit, vt viginti, & etiam quadraginta dies Indulgentiæ fidelibus eorum conciones audientibus impertiri poſſent. Datis Apoſt. litteris Brixiæ 5. Kal. Octob. *Bzou. in Annal, num.* 4.

Pontifex Innocentius Archipræsbytero S. Sixti, atq; Priori noſtro Viterbien. commiſit inquiſitionem miraculorum, & vitæ B. Roſæ Viterbienſis Ordin. Minor. *Bzou. ibid. num.* 5.

Regnum Lithuaniæ, & Regem Mendegonem recepit Innocentius Papa ſub clientela Apoſtolicæ Sedis, eundemq; Regem per Epiſcopum Culmenſem noſtrum P. Henricum, atq; Archiepiſc. Rigenſem ſolemni ritu inunxit, *Bzou. ibid.* S. Raymundo de Pennafort imperauit Pontifex, vt de grauiſſimis criminibus Epiſcopo Vrgelitano obiectis, atq; ad Apoſtolicam Sedem delatis inquireret, & quidquid inueniſſet ad Apoſtolicam Sedem mitteret. Datis litteris Peruſij Idib. Martij. *Bzou. ibid. num.* 6.

Poſt S. Petrum Martyrem datus eſt Inquiſitor in Mediolanen. & Comen. diœceſibus B. Rolandus de Cremona, qui prædeceſſoris ſui ſanctitatem, & zelum æmulatus, ſtrenuè, ac viriliter in hæreticos inſurgens, plures illorum igne conſumpſit. *Leand. Albert. lib.* 2.

Aſſumuntur à Pont. Max. ad diuerſas Eccleſias regendas, atq. Chriſti oues gubernandas plures ex filijs S. Dominici; nempe P. Rogerius de Leontino ad Melphien. Henricus Filangerius ad Baren. Petrus de Terracina ad Caietanam, Bartholomæus Siculus ad Liparitanam, Aloyſius ad Ariminen. Gotifredus ad Torcellanam, & Angelus Maltrauerſius Bononienſis, Euangelij præco famoſus, atq. in ſingulari æſtimatione habitus, etiã apud ipſos Pontifices Max. cum ardua Apoſtolicæ Sedis negotia aduerſus Fridericum II. Imperatorem, Eccleſiæ hoſtem acerrimum non ſemel ſuſcepiſſet, ea adoptatum finem animi cõſtantia inconcuſſa perduxit: Quapropter Innocentij IV. Pontificis gratiam promeruit, à quo Cretenſis Archiep. primò, Ferrarien. Epiſcopus poſtmodum, ac tandem Gradenſis Patrarcha renunciatus, Eccleſias ſibi commiſſas dexteritate maxima rexit, oueſq; illarum aſſiduis exhortationibus, morum honeſtate, atq. inculpatæ vitæ documento, in cœlum dirigere curauit. Præterea idem Innocentius Pont. promouit ad Archiepiſcopalem Sedem Barenſem P. Henricum Filangerium, nobilem Neapolitanum, quem Albanenſi Cardinali commendauit, vt eidem poſſeſſionem daret, (erat enim Legatus Apoſtolicus

licus

Digitized by Google

licus in Regno Neapolitano.) Inita poſſeſſione, cum res ſuæ Eccleſiæ compoſuiſſet, exulare ex ea coactus eſt, Friderico Imperatore alium intrudente: quare Romam reuerſus, ab Innocentio Albanenſis Eccleſiæ adminiſtrator creatus, eidem Pontifici in multis, ac arduis Eccleſiæ negotijs contra Fridericum fideliter inſeruiuit. *Vghell. & Plodius.*

Celebratum eſt Capitulum Generale hoc anno apud Bononiam, ex quo Argentinam profectus eſt P. Io: Theutonicus Mag. Ord. vt Fratres ad Cumanorum conuerſionem mitteret, & in ea ciuitate diem clauſit extremum pridie non. Nouemb. *Olmeda in eius vita.*

Hoc quoque anno Pont. Innocentius hæreticos cunctos exterminaturus, datis litteris Apoſt. Peruſij 5. Id. Maij in Inquiſitorum vbiq. locorum exiſtentium fauorem, Principibus, & Magiſtratibus cunctis præcepit, vt quoſcunq. noſtri Inquiſitores iudicarent hæreticos, vel illorum fautores, aut complices, eorumdem bona ſtatim publico banno ſupponant. Voluit inſuper Pontifex vt Inquiſitores in Lombardia per eccleſiaſticas cenſuras, temporales Dominos poſſent compellere ad exponendum exilio, ac banno, quos Inquiſitores notarent. Mandauit item omnibus Poteſtatibus, Magiſtratibus, Dominis &c. vt ſententias quaſcumque ab Inquiſitoribus contra hæreticos, eorumque fautores, defenſores, ac receptatores latas, exequi omninò facerent. Datis litteris Peruſij 5. Kal. Maij, & 3. Idus Maij, relatis à Fernandez in Concertatione Prædicat. *Loix Inquiſitor Carcaſſonen. fol. 706. & Fernandez.*

Inſuper Innocentius datis litteris Apoſtolicis Principibus cunctis, Magiſtratibus, Domicellis, terrarumq. Dominis, ac Præfectis quibuſcumq. præcepit, vt requiſiti ab Inquiſitoribus, illis omnem fauorem, auxilium, conſilium, & protectionem darent, alioquin ipſe Pont. ratas haberet ſententias ab eiſdem contra illos latas Peruſij 5. Id. Iunij *ex Direct. Inquiſ.*

Idibus Maij idem Pont. Innocentius Peruſij exiſtens, de eradicandis ex Lombardia hæreticis ſollicitus, Conſtitutiones Apoſtolicas contra eos euulgauit, præſcribens modum, quo ſe habere deberent Ciuitatum Rectores, Præfecti, & Domini in illorum bonis proſcribendis, ipſiſque capiendis, & in carcerandis, Inquiſitoribus petentibus, quibus & fauorem, & auxilium, & ſatellites, & milites, ſi opus eſſet pro proprij muneris exequtione, toties quoties eſſent requiſiti præbere tenerentur. Tenor autem litterarum talis eſt. *Statuimus vt Poteſtas, ſeu Rector, qui ciuitati præeſt, &c.* Param. & Bzou.

Anno 1253. Vacante Magiſterio Ord. Innocentius Pont. S. Petrum Mart. ſolemni canonizationis ritu SS. Martyrum catalogo adſcripſit, commiſitq. P. Guidoni de Seſto, vt proceſſum formaret contra auctores mortis illatę eidem S. Martyri, condignam vltionem de eis ſumpturus. *Ex Chron. Ciuit. Comen. Ballarini.*

Inter Sanctos relatus eſt ab eodem Pontifex S. Stanislaus Martyr Cracouienſis, procurante P. Baguslao Suppriore Conuentus noſtri S. Trinitatis Cracouienſis: cumq. ſequenti anno ex Vrbe Cracouiam reuerſus eſſet, Prandota Cracouien. Epiſcop. ſacras S. Stanislai reliquias ſolemni pompa de ſepulchro leuauit, & omnium venerationi expoſuit. Interfuère autem eidem celebritati P. Gerardus Ruſſorum, & P. Vitus Lituanorum Epiſcopi cum Principibus, & nobilibus multis, ac tanta multitudine ex Polonia, Sileſia, Morauia, Boemia, & Vngaria, vt vrbs nequaquam eam caperet. *Bzou. in Annal. num. 1.*

Præcepit Innocentius S. Raymundo

Pœ.

Pœnitentiario Summo, ac Capellano ſuo, vt in vitam, mores, nec non & qualitates electi Abbatis Monaſterij S. Saturnini Tabernetenſis Vrgellen. diœceſis inquireret. *Bzou. vbi ſup. num. 5.*

Præterea Pont. Pariſien. Priorem effuſis lacrymis obſecrauit, vt populum Chriſtianum quamprimum ad transfretandũ in Terram Sanctam, & ad auxilia S. Ludouico Regi, vnà cum Comite Pictauien. & vniuerſo Chriſtiano exercitu periclitanti ferenda inuitaret, atq; impelleret, ampliſſimis illi collatis priuilegijs. *Bzou. ibid.*

Inſuper hortatus eſt Innocentius Priores, & reliquos Prædicatores in Liuonia, vt Chriſtianos à commercio paganorum auerterent, & ad cuſtodiam Caſtri in Liuoniæ finibus à Theutonicis militibus ſuper flumine Duinà, ſcilicet ne nauigio victualia, & reliqua neceſſaria gentilibus importarentur, animarent. *Bzou. ibid.*

Inſuper Pont. Prouincialem Poloniæ hortatus eſt, vt ſibi ſubditos Fratres multos ad conuerſionem Rhutenorum, Danorum, Bulgarorum, Cumanorum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Moſtelitarum, Indorum, aliarumque gentium paganorum mitteret, datis litteris, quarum initium. *Cum hora diei vndecima etc.* Aſſiſij 10. Kal. Auguſti. Vocationis ſuæ igitur memores noſtri multos labores, & calamitates ſuſtinentes, in Orientales, atque Aquilonares partes penetrauère, vbi verbum Dei annunciantes innumeros infideles Chriſti gregi aſſociauère. *Bzou. ibidem.*

In Ianuenſi ciuitate, ac ſtatu, S. Inquiſitionis officium firmatum eſt, cui primus contra hæreticam prauitatem Inquiſitor datus eſt ab Innocentio Pontifice P. Anſelmus, cuius facit mentionem Auguſtinus Iuſtinianus ad annum 1256. *Param. lib. 2. tit. 2.*

P. Paganus de Lecco à Pontifice Innocentio Inquiſitor inſtitutus in Marchia Anconitana, labem hæreticalem, ex ſibi credita prouincia euellere conatus, igne, ac ferro hæreticos perſequebatur. *Caſtill. p. 1. lib. 2.*

Otto Bauariæ Dux improuiſa, ac ſubitanea morte ſublatus è viuentibus, ſcelerum ſuorum pœnam luit. Fuerat ille ab Innocentio Pontifice diris deuotus, eò quod Friderico Imp. contra Eccleſiam adhæſiſſet: & cum Clerum perſequi non deſiſteret, conatus eſt illum à via perditionis auertere P. Berchroldus Lauſutenex noſtris Prædicatoribus concionator famoſus, & ea, qua pollebat charitate ad Eccleſiæ obedientiam reuocare, & erga Clerum, atque Eccleſiaſticos mitiorem reddere; At ille monitorem deſpiciens diuinam vltionem in ſe prouocauit; nam cum veſpertino tempore in vigilia S. Andræ Apoſtoli cum vxore, ac familiaribus valdè iucundè conuerſaretur, præſentem vitam infelici repentina morte terminauit. *Bzou. vbi ſup. num. 11.*

Innocentius Pontifex plures, ac plures Fratres noſtros ad conuerſionem Ruthenorum, Scytarum, aliorumque Orientalium, atq; Aquilonarium populorum à Mag. Ordinis mitti voluit, quibus, & priuilegia multa conceſſit; videlicet vt ad Acolytatus Ordinem promouere poſſent, cum irregularibus diſpenſare, atq; etiam cum Clericis natalium defectum patientibus; nec non etiam quòd poſſent occiſores Clericorum abſoluere, in illis prouincijs fundare Eccleſias, & profanatas reconciliare, atq; illis Rectores præficere, nec non & dare licentiam gentilibus, atq; ſchiſmaticis ad Chriſti fidem conuerſis, vt vxores ſuas retinere valerent. *Luſitan. in Chron. ad an. 1250.*

Conceſſit præterea idem Pontifex Inno-

nocentius Fratribus Polonis inter gentes prædicantibus Euangelium Chriſti ; vt rubeo galero, rubeis ſandalijs, ocreis, & chirotecis rubeis caput, manus, ac pedes tegerent adinſtar Cardinalium, quibus & ipſe rubeum galerum in Lugdunen. Concilio dederat. Viſebantur noſtro quoq; tempore (inquit Bzouius) plerę q; Fratrum imagines in noſtro Conuentu Leopolien. ad eum modum depictæ; Nuper quoq; in antiqua ſepultura quadam abditiore eiuſdem Conuentus Pater quidam ab immemorabili tempore ibidem humatus talibus ornamentis rubeis indutus, imputris repertus eſt: his enim purpureis ornamentis ſignificabatur Fratres Prędicatores Polonos pro Eccleſia morti deuota geſtare capite, ignæq; ardentiſſimo exęſtuare ad pręparationem Euangelij pacis. *Bzou. in Annal. Eccl. vbi ſupra num. 5.*

Idem Innocentius Eccleſiæ Senen. ſuo viduatę Paſtore curam illius gregis Chriſti demandauit P. Thomæ Fuſconi de Berta nobili Romano, viro ſacris ſtudijs longè clariſſimo, à Senen. Clero electo, atq; ab eo confirmato, qui cum per viam ſalutis oues ſibi commiſſas dirigere ſatageret, raptus è mortalium oculis, quieuit in pace. *Vghell.*

Pluribus priuilegijs Pontifex Inquiſitores ditauit hoc anno à Fernandez noſtro in ſua Concertatione Prædicatoria relatis, vt in Lombardia, Marchia, atque Flamminia ſerpentes hęreſes comprimeret, iugularet, atq; ex talibus Prouincijs eradicaret. *Fernandez, Vghell. to. 3.*

Inſuper idem Pont. verè glorioſiſſimus ſelectis pluribus, & pluribus Patribus noſtris, ad portandum Ieſu Chriſti Euangelium in omnes Orbis partes aptiſsimis ad conuerſionem Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Indorum, Tartarorum, aliorumq; adiacentium Regnorum, illos direxit, vt verbum Dei in remotiſſimis regionibus illis diſſeminantes, tempore oportuno meſſem perciperent fructuoſam, vt refert idem Pont. in Apoſt. litteris illis datis incipien. *Cum ſit hora diei vndecima, etc.* Properauère illi celeri pede ad ſibi demandatas Prouincias, & Euangelium Barbaris annunciantes, multos ex eis per ſacrum Baptiſma ad Chriſtum attraxère, poſt ærumnoſos conſumptos labores, poſt anguſtias multas, in fame, & ſiti, frigore, & nuditate, atq; copioſa ſanguinis profuſione toleratas. *Iuſtinianus, Antiſtrius, & Fernandez.*

Caput V.

B. HVMBERTO THEVTONICO Magiſtro Generali V.

ANNO 1254. Apud Budam in Hungaria celebrata sũt Generalia comitia Ord. ex Pont. Max. voluntate, in quibus Magiſter Generalis Ordinis P. Humbertus de Romanis, Cardinalis Hugonis diſcipulus, Magiſter Ord. ſalutatus eſt, qui Romanæ, atq; Franciæ Prouincijs aliquando præfuerat Prior Prouincialis. In eo Capitulo actum eſt de conuerſione gentium, & Cumanorum maximè, iuxtà Innocentij decreta, ad quod opus perficiendum multi, & multi Prædicatores miſſi ſunt, cum euentu optimo, & magno catholicæ fidei incremento. *Olmeda in vita B. Humberti Mag. Ord.*

B. Benedictus ex eodem Capitulo cum alijs, quibus præfectus eſt Vicarius, ad

Gen-

Gentilium, & Barbarorum Prouincias pro fidei catholicæ dilatatione miſſus eſt, & ijs quibus lumen Euangelij non illuxerat prædicantes, multa hominum millia, & ex nobilibus plures, ad catholicam fidem medio ſacro baptiſmate adduxerunt, ſicut idem B. Benedictus litteris ſuis poſteà B. Humbertum Magiſtrum Generalem Ord. monuit, ſubdens quòd Cumani ieiunia quadrageſimalia, aliaq; de præcepto Eccleſiæ adunguem obſeruabant, à rapinis abſtinebant, & ſe optimos Chriſti fideles in exequtione diuinorum mandatorum demonſtrabant, publicè aſſerentes ſe tanta bona per Fratres Prædicatores eſſe aſſequtos: & quia damna plurima à Tartaris patiebantur, rogauit eundem Magiſtrum Ord. vt in futuro Capitulo Generali illos Fratrum orationibus comendaret. *Caſtil. p. 1 lib. 2. & Bzou. in Annal. num. 1.*

Cum Innocentius Pont. in Dominicanum, & Franciſcanum Ordines, quorumdam Parochorum informationibus permotus, eorum priuilegia minuiſſet, timerentq; Fratres ne peiora ſibi damna imminerent, ad diuinum implorandum auxilium confugientes, præter particulares preces ſingulis iniunctas, etiam communes in Choro fieri voluère, quotidianis Litanijs, tam de Sanctis, quàm de B. Virgine poſt Completorium recitatis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Sanctiſſimam eius Genitricem Mariam ſupplicantes, vt ſe, & Ordinem ab impoſitis calumnijs, atq; Innocentij indignatione vindicare dignarentur. Adfuit in Choro ſuper altare Angelorum Regina cantantibus Fratribus, & commiſeratione maxima affecta, conuerſa ad filium dixit: *Fili exaudi eos*: quæ vtiq; exaudita eſt pro reuerentia ſua: Nam Innocentius de facto doluit, & diebus, quibus poſteà vixit, nullam Fratribus moleſtiam attulit. *Bzou. vbi ſup.*

Innocentius Pont. datis litteris Apoſt. Aſſiſij 2. Kal. Iunij præcepit noſtro Prouinciali Lõbardiæ, vt Inquiſitores ipſi catholicam fidem prædicarent, ac per alios prædicari facerent, vt Cruceſignatos, qui hæreticos perſequerentur, reciperent, eiſq; plenariam Indulgentiam à Sede Apoſtolica conceſſam denunciarent. Vtque Magiſtratus ſeculares ad leges, contra hæreticos à Friderico Imperat. latas ſeruandas compellerent per cenſuras omni appellatione remota. *Bzou. ibid. num. 2.*

Voluit inſuper, vt ijdem Inquiſitores Crucis verbum in hæreticos, atq; eorum complices prædicarent efficaciter, atq; de iure procederent cum omni rigore. Cruceſignatos ab eccleſiaſticis cenſuris abſoluerent, eorumq; vota commutarent, & cum Clericis Cruceſignatis ſuper irregularitate diſpenſarent: atq; tum hos, tum illos generalis interdicti tempore ad diuina admitterent officia. Datis littetis Apoſt. Anagniæ 13. Kal. Iulij Pont. anno vltimo. *Bzou. ibid. num. 3.*

Eodem anno P. Paulus Polonus hæreticæ prauitatis Inquiſitor, atq; poſteà Epiſcopus Poſnanien. excommunicauit D. Borziuoi Comitem Srzemenſem propter iniurias, atq; violentias Eccleſiæ illatas: quare ab eodem captus, in vincula coniectus eſt. Sed cum ex carcere euadens Paſtor intrepidus per vniuerſum Poloniæ Regnum excommunicaſſet eundẽ Comitem, ab eodem, eiuſq; ſequacibus grauiſſimas perſequtiones conſtanti animo paſſus eſt. *Plod. p. 2. lib. 1.*

Eodemq; anno Mendocus Rex Lituanorum, quem Innocentius Papa biennio elapſo Regem renunciauerat, abiurata Catholica religione, coactoq; triginta millium militum exercitu, Maſſouiam omnem crudeliſſimè vaſtauit, & Cruceſignatorum ditionem hoſtili furore inuaſit, atq; Fratres omnes noſtros, qui in conuerſione eorundem plurimùm inſudauerant

rant male tractatos, cum B. Vito ibidem Epiſcopo, ex ſibi creditis locis eiecit. *Bzou. ibid. num.* 8.

Innocentius Pont. de cuſtodienda Catholicæ fidei puritate, hæreticiſq; ex Italia eradicandis ſollicitus, per Apoſt. litteras Inquiſitoribus cunctis in Lombardia mãdauit, vt per excommunicationem, aliaſq; cenſuras in perſonas; & interdictum in loca, appellatione remota, compellerent ſibi ſubditos cunctos, tam ſuperiores, quã non, ad obſeruandas leges à Friderico in hæredicos, eorumq; fautores, receptores, conſiliarios, protectores, & cõplices latas. Litteræ autem datæ ſunt Aſſiſij. 11. Kal. Iunij incipien. *Cum aduerſus hæret. prauitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator, &c.* Fernandez.

Idem Pont. Prouinciali Lombardiæ, & eius Vicario in illius abſentia, facultatem inſtituendi Inquiſitores in Prouincia Lombardiæ dedit, *à Bononia, & Ferraria incluſiuè, vſq; ad vltimos fines ſuperiorum partium eiuſdem prouinciæ, ac Marchia Ianuenſi* inquit Pont. in ſuis litteris Aſſiſij 4. Kal. Iunij datis, cum facultate quoq; amouendi inſtitutos minus aptos, mandans illis, vt inſtituerent *viros zelum habentes Chriſtianæ fidei, & opere, ac ſermone potentes.* Ex Directorio Inquiſit.

Pontifex Innocentius, datis litteris Anagniæ 4. Kal. Auguſti, omnibus in Lombardia Inquiſitoribus, vt funditus hæreticorum domos, ac turres euellerent, atq; deſtruerent mandauit, ne vbi caput ſuum reclinarent, haberent, ſine reaptationis ſpe. Ligna verò, lapides, & tegulas domorum, & turrium; reliq. quaſcumque in illis inuentas, diuidi mandauit iuxta Conſtitutionem ſuam hac de re aliàs editam. Mandata Pontificis completuri Inquiſitores, in difficultates multas, ac malas incidère in eorum executione, Magiſtratibus, ac ciuitatum Rectoribus contradicentibus. Tandem Apoſtolica auctoritate freti Inquiſitores, non ſine vitæ periculo ob tumultuantem plebem, atq. hæreticorum conatus, multas & turres, & domos in ſuis ditionibus proſtrauère. *Ex Archiu. Inq. Bonon. & Bzou.*

Inſuper Innocentius Prædicatores pro Catholica fide propaganda ad Saladinum Traciæ miſit, Principi illi, ac Georgiæ Prælatis, vt eos benignè reciperent, atq. tractarent, nec non, & Orthodoxam fidem, quam Romana profitetur, Eccleſia, amplecterentur, commendans ſummopere. Properauère Patres in Traciam, & humaniter recepti, Catholicam fidem dilatauère non modicum. *Bzou. in Annal. num.* 6.

Ex hac lacrymarum valle diriguntur in cœlum B. Vigoroſus Gallus, qui inter cœtera exhibita propriæ ſanctitatis exempla, cum ſibi ægrotanti Prior peccatorum abſolutionem impediſſet, dixit illi ſe à Redemptore mundi vltimam abſolutionem expectare, qui eidem in extremo vitæ termino conſtituto apparuit, dixitq. *Ego te ab omnibus peccatis tuis abſoluo, Angeloſque in tuum miniſterium deputo, vt te ad meliorem vitam perducant.* quibus dictis in cœlum Vigoroſus conſcendit. B. quoq. Carinus Mediolanenſis, is, qui B. Petrum Martyrem iugulauerat prætio quadraginta nummorum ab hęreticis conductus, in cœlum euolauit hoc anno, pœnitentia inſignis, regulari obſeruantia clarus, atq. miraculis corruſcans: propter quæ è priore ſepultura erutus, in nobiliori loco apud Foroliuium requieſcit. *Bzou. ibid. num.* 9. & 10.

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina P. Conſtantinus Medices ad Vrbeuetanam, qui officium B. P. Dominici, quo in Ordine vtimur nunc, compoſuit; P. Arnulphus ad Humanaten. & D. Hernandus Vicen. Epiſcopus noſtri Ordinis habitum ſuſcepit. *Vghell.*

P. Raynerius Sacconus Placentinus, Ma-

Manicheæ hæreſis ſectator prius, Catholicus poſtmodũ effectus, atq; Dominicana toga indutus, vt hęreſis ęruginem euelleret, contra Valden. hæreticos ſcripſit hoc anno librum. Fuit Generalis Inquiſitor in Lombardia cõtra hæreticos, & caſtrum de Gatha eorundem nidum ſolo æquauit. *Chron. Comen. Ballarini.*

Vir iuſtus, probus, innocenſque Innocentius Papa IV. à nobis tollitur in fine huius anni, qui vnicè Prædicatores diligens ob fructum maximum, quem infidelibus Chriſti ouili ſociandis, & peccatoribus ad pœnitentiæ amplexum attrahendis faciebant, eos nouis multiſq; priuilegijs locupletauit, quæ in Bullario Ord. recenſentur.

Plurima, & nobiliſſima ſunt Encomia, quibus Innocentius Pont. Ordinem extollit, illius Prædicatores ſummoperè commendans, dicenſq;

In Bulla: *In iure Canonico*, ait, *Verùm cum proueniat ex veſtra, & Fratrum veſtrorum conuerſationis pia meritis, per quam vbiq; terrarum nomen attollunt omnium conditoris, vt quam cum ipſo poſſumus, vobis pro ſalute animarum gratiam faciamus, &c.*

In alia: *Licet ad hoc*, dicit, *Licet ad hoc Fratrum veſtri Ordinis pia deſudet intentio, vt ab eis in his, quæ faciunt prudenter, & prouidè procedatur per hoc, & tuæ Religioni proficere, & Dei cupientes Eccleſiam honorare, &c.*

In alia verò *Odore ſuaui*, inquit, *Odore ſuaui Ordinis veſtri continuè recreati, eum non immeritò fauore ſpeciali proſequimur, & ipſius exaltationem plenis deſiderijs affectamus, quietem ei, & alia diligenti procurare ſolertia intendentes, per quæ ſemper optatum, authore Domino, ſuſcipere valeat incrementum, &c.*

Item in alia *Nimis iniqua*: ſcribens Eccleſiarum Prælatis, ne Prædicatores grauent in hæc prorupit verba: *Nimis iniqua viciſſitudine largitori bonorum omnium reſpondetur, dum hi qui de Chriſti patrimonio impinguati luxuriant damnabiliter in eodem Chriſtum patenter in famulis ſuis Prædicatoribus perſequi non verentur, ac ſi factus ſit impotens Deus vltionum. Cum igitur Ordo Fratrum Prædicat. à b. m. Honorio, & Gregorio prædeceſſoribus noſtris, & nobis ipſis, dignis eorum ſic exigentibus meritis, ſit approbatus, &c. Vobis firmiter præcipiendo mandamus quatenus conſcientiæ, ac famæ veſtræ ſalubriter conſulentes, vniuerſi, & ſinguli à prænotatis, & alijs prædictorum Fratrum grauaminibus penitus deſiſtatis, &c.*

Item in alia: *Vobis aſſiduè*, dicit. *Vobis aſſiduè Regnum Dei quærentibus, id à Sede Apoſtolica dignè conceditur, per quod ſpirituale gaudium veſtris cordibus oriatur.*

Item in illa: *Inter alia*. inquit: *Deſiderantes Ordinem veſtrum prærogatiua fauoris, & gratiæ non immeritò proſequentes, cum à ſuæ inſtitutionis exordio laudabilibus continuè profecerit incrementis: Nos, &c.*

Item in Bulla *Patri luminum*. concedēs multa Fratrib. in Orientalib. partib. prædicaturis Euangelium pacis gentibus, inquit. *Patri luminum præſtamus obſequium & ſui nominis procuramus augmentum cum vobis, & Fratribus veſtris, quos in lucem gentium ipſe tribuit, ſic reddimur in diuina fauore propitij, vt veſtra pia deſideria felici poſſint facilitate compleri, &c.* Exemplaria harum Apoſtolicarum litterarum ſunt in Archiuio Ord.

Eligitur in fine huius anni Summus Pont. Alexander IV. qui ſe orationibus Fratrum Prædicatorum, quos ſummoperè diligebat, commendauit, pro fœlici adminiſtratione Pontificatus. Indictæ ſunt igitur communes orationes, & præces in toto Ordine faciendæ pro felici ſtatu S. Matris Eccleſiæ, atq; illius gubernio à Pontifice Maximo Alexandro obeundo. *Bzou. vbi ſup. num. 6.*

ANNO

ANNO 1255. Statim ac Alexander IV. electus fuit Pontifex de debellandis, eliminandiſque ex Lombardiæ Prouincijs impijs hæreticis cogitauit, ac propterea P. Raynerio Saccono Generali Inquiſitori apud Mediolanum, cœteriſque hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus in Lombardia per Apoſtolica ſcripta mandauit, vt procederent contra hæreticos virili pectore ſecundum methodum Conſtitutionum Prædeceſſoris ſui Innocentij, reliquis ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Datis litteris Neapoli 6. Kal. Maij Pont. anno I. Idemque præcepit Inquiſitoribus in Marchia Ianuen. conſtitutis, per alias ſimiles litteras Apoſtolicas datas Anagniæ 5. Id. Iunij. *Diag. in Direct. Inq.*

Cum Fratres Prædicatores Apoſtolicę Sedis partes, & Inocentij, & Alexandri ſucceſſoris Pontt. indefeſſo ore, tam in publicis, quàm in priuatis ſermonibus ſuſtinerent indefeſsè contra Ezelinum Tyrannum apud Veronenſes, ac Vicentinos, Eccleſiæ hoſtem perfidum, omnibuſque Eccleſiaſticis cenſuris irretitum inualuit is contra noſtros, & quotquot ſub ſua poteſtate habere potuit, in carceribus fame, ſiti ac pædore necauit, nemine inuento ex Prædicatoribus, qui illi adhærere, nec in minimis voluiſſet. *Bzou. cap.* 3. *de Prou. Polon.*

Eodem anno Pater Henricus Polonus Culmen. Epiſcopus cum Premislao Boemiæ Principe, atque copioſo Cruceſignatorum exercitu Pruſiam ingreſſus, contra barbaros, & Pruthenos in Sambienſi prouincia deditionem facientes, multos chriſtianis legibus imbuit, ſacroque lauacro regenerauit Chriſto Domino. *Bzou. vbi ſup.*

Priorem Pariſienſem Generalem Inquiſitorem contra hæreticos in toto Regno Galliæ, ac Toloſano Comitatu Alexander Pont. inſtituit cum poteſtate ampliſſima, vtque in ferendis ſententijs contra eoſdem, diſcretorum maturo conſiliō vteretur admonuit. Datis litteris Apoſtolicis Neapoli 6. Id. Martij. *Bzou. in Annal. num.* 8.

Scripſit præterea Pont. Prouinciali Germaniæ dans illi facultatem diſpenſandi cum Saxoniæ Duce, vt filiam Ioanni Brandeburgico in matrimonium daret. Datis Apoſt. litteris Neapoli nonis Maij. *Bzou. ibid.*

Inſuper Priori Pariſienſi, atq; Archiep. Bituricen. commiſit, vt capitula concordiæ, ac pacis, quæ à Galliæ Rege S. Ludouico inter Abbatem, & Monaſterium Turonenſe ex vna, & Comitem Bleſſenſem ex altera parte ſtabiliebantur, cognoſcerent, atq; ſi Monaſterio vtilia forent Abbati, & Monaſterio licentiam concederent illa confirmandi. *Bzou. vbi ſup.*

Eodem pariter anno dum P. Anſelmus Apoſtolicus Legatus cum pluribus alijs ſocijs ſuis in Perſidis intimas partes penetrans pro Euangelij dilatatione, vberes fructus in Gentilium conuerſione S. Matri Eccleſiæ daret, atq; in euertendis eorum delubris non modicum inſudaret, ab Idololatris captus, & cum alijs Fratribus in eodem ſacro miniſterio ſocijs trucidatus, profuſo ſanguine electorum collegio ſociari promeruère. *Bzou. de Prou. Polon. cap.* 3.

Mittitur à Iacobo Aragoniæ Rege S. Raymundus ad Pontificem Max. Alexandrum, cum eodem Manfrēdum reconciliaturus: volebat enim Iacobus filiam ſuam illi in matrimonium dare; ſed Alexandri indignationem metuebat, eò quòd Manfredum Eccleſiæ hoſtem declaraſſet: At videns Raymundus Pontificem à Manfredo alienum, in Aragoniam reuerſus, Iacobum à matrimonio auertit, quod non niſi poſt plures annos concluſum eſt. *Bzou. in Annal. num.* 5.

Fanum Mineruæ Tertiarij mulieribus pœ-

Digitized by Google

pœnitentibus conceſſit Alexander Pont. quibus ob loci anguſtiam, ad S. Pancratium tranſlatis, ex Apoſtolica conceſſione ſucceſſere in eodem loco noſtri Prędicatores, iiſdemq; Caſtrum Maris Meſſanæ pari Apoſtolica auctoritate elargitur ab Octauiano Cardinali Legato. *Bzou. ibid. num.* 8.

Diriguntur in cœlum ex militante in Triumphantem Eccleſiam Prædicatores, plures inter quos B. Petrus Diuionenſis, Petrus Padienſis, Benedictus, atq; Petrus de Montepeſſulano viri pijſſimi, virtutibus, ac miraculis coruſcantes recenſentur. *Bzou. ibid. num.* 1. *& Plod. lib.* 1.

Plures quoque aſſumpti ſunt Prædicatores ad regimina Eccleſiarum, vt oues ſibi creditas, doctrinæ pabulo, vitæque inculpatæ exemplo, per ſemitas æquitatis dirigerent, & quidem P. Io: Columna Romanus ſanguinis præſtantia clariſſimus ad Archiepiſcopalem Meſſanen. deinde ad Nicoſien. in Cypro tranſlatus, Angelus Maltrauerſius ad Ferrarien. & Guillelmus factus eſt Epiſc. in Creta. *Vghellus, Lopez*.

Alexander Pont. hæreticorum impiam audaciam frænaturus, duplicatas Apoſtolicas litteras in eos ad Lombardiæ Inquiſitores dedit, quarum prima declarauit capita nonnulla Conſtitutionum prędeceſſoris ſui Innocentij contra inſanientes hæreticos promulgatarum. Data Neapoli 2. Kal. Maij. Secunda verò eiſdem iniunxit vt in negotio quodam occurrente, iuxta eiuſdem Innocentij ordinationes procederent data Anagniæ 5. Id. Auguſti. *Ex Directorio Inquiſit. Fernandez*.

P. Conſtantinus Medices Epiſcopus Vrbeuetanus Apoſtolicus Nuncius in Græciam mittitur à Pontifice Max. pro grauioribus Eccleſiæ negotijs, vt dexteritate, & prudentia, qua pollebat ſingulari, ea ad optatum finem, cum fidei catholicæ incremento perduceret. *Vghell.*

ANNO 1256. Alexander Pont. omnibus, & ſingulis Fratribus Prædicatoribus in Terra Sancta prædicantibus ſanctum Euangelium pacis infidelibus Indulgentias, atq; priuilegia omnia Cruceſignatorum conceſſit. *Bzou. in Annal. num.* 5.

Præterea Vratiſlauien. Epiſcopo, atq; Priori Præd. Culmen. prædicantibus Crucem Chriſti in Polonia contra paganos circumuicinos, iniunxit, vt quoſdam eorum ad fidem venire cupientes, reciperent; atq; Caſimiri Lanticiæ, e Cuiauię Ducis ditioni adiungerent. *Bzou. ibid.*

Cum apud Ianuenſes eſſet Inquiſitor contra hæreticos P. Anſelmus, hoc anno diſſidia, & controuerſiæ multæ ſubortæ ſunt inter ipſum, atq. Philippum Turianum Ciuitatis Præfectum, cui præcepit Anſelmus, vt Apoſtolicas ſanctiones ab Apoſtolica Sede, atq. Imperatore in hæreticos emanatas promulgaret, & inter ciuitatis leges connumeraret. Veruntamen cum Philippus mandata Inquiſitoris exequi renueret ſiue quòd hæreticis faueret, ſiue quòd ipſum parui penderet exequtionem diſtulit. Porro Anſelmus Apoſtolica auctoritate munitus, contra Philippum, tanquam de hæreſi ſuſpectum, inquiſitione ſuſcepta cum comparere recuſaret cum reliquis in adminiſtranda Republica Officialibus, ac ſocijs criminis, anathemate damnauit, vrbemq; Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit. Appellauit ad Apoſtolicam Sedem Philippus, Legatoſq. ad Alexandrum Pont. miſit, vt ſuſpenſionem à cenſuris impetraret, qui tamen poſteà dictis Anſelmi obſequens, cuncta pro eius voto coactus præſtitit. *Bzou. ibid. num.* 7.

Innocentius Pont. datis Apoſt. litteris Laterani 2. Id. Martij ad Inquiſitores Lombardiæ, Flaminiæ, atq; Marchiæ Teruiſanæ, eodem hortatur, vt fidelitèr munus ſuum adimpleant contra hæreti-

co-

eorum impietates amplians tria capita decretorum Innocentij anteceſſoris, quæ ob nimiam breuitatem terminorum, commodè percipi nequaquam poterant. Quorum initium tale eſt. *Exortis in agro fidei Chriſtianæ abundantius ſolito hæreticæ prauitatis zizanijs, &c.* Habentur autem hæ litteræ in Archiuio Inquiſit. Bonon. *Param.*

Scripſit præterea Pont. Priori Prouinciali Hiſpaniæ; vt Fratres ad regna Saracenorum, atq; Tunetum in Africa, nec non ad quorumcumq; infidelium nationes pro eorundem conuerſione ad fidem catholicam dirigeret, quibus & priuilegia plura Apoſtolica conceſſit. Datis litteris Anagniæ 5. Id. Iulij. Selegit igitur Prouincialis ex ſibi ſubditis multos Fratres ad tam neceſſarium opus aptiſſimos virtutibus, atq; doctrina eminentes, quos in Murciæ, Granatæ, atq; Beticæ regna euangelicos Prædicatores, nec non & in Africam direxit, fructumq; non modicum in eccleſiaſtica horrea introduxit. *Param.*

Cum Inquiſitores noſtri in Lombardia hæreticos infracto animo inſequerentur, atq; igni adiudicarent, Mantuani ciues id ægrè ferentes, quædam damnabilia ſtatuta condidere, quibus liberè in hæreticos animaduertere nequaquam valebant Inquiſitores. Hæc cum Pontifici Max. fuiſſent nunciata commiſit ille Mutinen. Epiſcopo, vt eadem ſtatuta inuiſeret, corrigeret, atq; moderari poſſet, reſecatis omnibus ijs, quæ Inquiſitores ab eorum exequendo munere retardare poſſent. Datis Apoſt. litteris Viterbij 15. Kal. Ianuarij, quæ in Archiuio Bononien. aſſeruantur. *Param.*

Licet verò omnes Inquiſitores muneris, ſui partes complecterentur, & exequerentur tamen inter eos P. Rolandus de Cremona eminebat, qui Mediolani poſt S. Petrum Martyrem Inquiſitor Apoſtolicus ab Innocentio Papa affectus, ita hæreticos eſt inſequtus; vt nullus, neq; ex Principalioribus eiuſdem Ciuitatis, auderet illos, quocumq; modo recipere, ſeu protegere; procedebat enim contra eos, fautoreſque illorum cum omni rigore, igne, patibuloq; eos conſumendo. *Chron. Comen. Ballar.*

B. Bartholomæus de Bragantijs à Rodulpho Cæſare ſuus aliquando Vicarius in Italia conſtitutus, atq. Nuntius Apoſtolicus in Angliam, & Galliam à Pont. directus, ex Epiſcopo Nimotien. in Cypro ad Eccleſiam Vicentinam ab Alexandro Pont. translatus eſt. Cumq. ad ſuam Eccleſiam properaret, vnam ex ſpinis ſacræ coronæ, qua in paſſione ſua Saluator mundi coranatus eſt, à S. Ludouico ſibi dono datam, ſecum detulit atq. Fratribus Vicentinis noſtri Ord. conceſſit, vt dicetur infra an. 1259. *Vghell. Ital. Sac. tom. 5.*

Alexander Pont. datis litteris Apoſt. Anagniæ 5. Id. Iulij, auctoritate Prouinciali Hiſpaniæ clargita præcipit illi, vt ſelectos ex ſibi ſubditis, Patres doctrina, pietate, zeloq. promouendæ Catholicæ fidei feruentes, in Regna, à Saracenis in Hiſpania occupata, nempe Granatæ, Murciæ, & Beticæ, cuius magna pars à Saracenis incolebatur, nec non ad Tunetanum Regnum in Affrica, adiacenteſq; alias infidelium nationes ſola diligentia mitteret, pluribus priuilegijs ipſis mittendis collatis. Mandata Pontificis exequtus eſt feſtinanter Prouincialis, & miſſis multis Prædicatoribus ad partes, & regna ab Alexandro præſcripta, quaſi ſydera cœleſtia inter populos illos effulgentibus, fructus deſiderabiles, & felices continuata fœcunditate Eccleſiæ dedère: nam breui tempore Saracenorum decem millia ſacro lauacro Chriſto regenerauère, adeò que ſacra Euangelij prædicatione inualuère, vt S. Raymundus de Pennafort Barchinone exiſtens Generalem Magi-

ſtrum

ſtrum Ordinis Humbertum de vberrimo fructu, quem Eccleſiæ Sanctæ Dei dabant commoneſecerit. Nam præter conuerſos ad fidem ſupra relatos Saracenos, Chiſtianos milites, qui in illarum prouinciarum confinijs præſidio erant, à ſceleribus multis auertentes, per Sacramentorum frequentiam in viam ſalutis direxerunt. Inſuper Maurorum ſeruos, Chriſtianorum filios, ſacris legibus imbuerunt; Apoſtatas à fide, ad pœnitentiam vocatos, Sanctæ Matri Eccleſiæ reconciliarunt. Captiuos Chriſtianos inter infideles, ſub ærumnoſa ſeruitute detentos, in fide conſolidarunt, & innumera opera charitatis in obſequium fidei, atq. Eccleſiæ præſtiterunt. *Diagus lib. 1. Caſtillus 1. p. lid. 2. cap. 50. & Fernandez.*

ANNO 1257. Inſurrexerunt hoc tẽpore in duos ſanctiſſimos mendicantium Ordines, Prædicatorum ſcilicet, & Minorum, duo filij tenebrarum, Guillelmus Matiſconenſis Canonicus, atq; Giraldus Pariſien. doctor, inuidia tabeſcentes, eò quod populus omnis ad eorum Eccleſiam pro diuinis confugeret; & tum voce in circulis, & cathedris; tum etiam ſcriptis peſſimis conatum totum adhibentes, illos omni ex pate deprimere nitebantur, auertendo ab eis fidelium affectum, & deuotionem, ne ad eorum Eccleſias accederent, ſuæ conſcientiæ conſulturi, neuè Sacramenta vlla ab illis ſuſciperent. Magnam igitur commouère, ne dum in plebe, verùm etiam in maioribus, contra eos iniquitatis procellam. Inſurrexerunt in eos ore, & calamo duo preclariſſima Eccleſiæ lumina S. Thomas de Aquino, & S. Bonauentura, & hic quidem Pauperum Apologiam, ille verò Opuſculum edidit contra impugnantes ſacros Mendicantium Ordines. Romam igitur euocatus ab Alexandro Guilielmus, in publico Cardinalium conſeſſu igni traditus eſt eius libellus, ipſo omnibus beneficijs Eccleſiaſticis ſpoliato, atq. à S. Ludouico Rege è tota Gallia interdicto, inſtante eodem Pont. qui ipſi S. Ludouico in ſuorum peccaminum remiſſionem iniunxit, vt Guilielmum de S. Amore, & alios eidem adhærentes, tanquam Eccleſiæ Romanæ rebelles, de ſuo Regno eijceret: datis Apoſt. litteris, in quibus ita ſubdit. *Vtpotè qui Fratres Prædicatores, quorum felicibus profectibus inuidebant, crudeliter, & nequiter afflixerunt; ac eorum Ordinem fœcundum fructibus ſanctitatis, & quaſi quoddam ſidus in Dei Eccleſia refulgentem apud nos, alias conati ſunt verbis, & litteris ſacrilegis diffamare.* Gyraldus verò & ipſe ſeueriori pœna mulctatus, paulò poſt à Deo percuſſus eſt paralyſi primò, deinde lepra peſſima, cum qua interijt infelix, vt ipſa extraordinariæ mortis fœditas, peccati quoq. fœditatem oſtenderet. *Bzou. in Annal. num. 4.*

Inſurrexit Alexander Pontifex etiam contra hæreticos in Lombardia latitantes, qui fraudibus varijs poteſtatem iudiciariam ſacri tribunalis infringere, & eludere intentabant, contra quos dedit Pontifex Apoſtolicam epiſtolam iniungendo Inquiſitoribus, vt contra eoſdem hæreticos omni zelo, ſeueritateq; procederent, & ſecundum canonicas leges damnarent. Litteræ autem datæ ſunt Laterani 2. Non. Martij, incipientes. *Alexander Epiſcop. Ser. Seruor. Dei dilectis filijs Fratribus Prædicatoribus, Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia, & Marchia Ianuenſi, Sal. & Ap. benedic. Felicis recordat. Innocentius, &c.* Bzou. ibid. num. 7.

Cum Theutonici milites Cruceſignati vi, atq. armis Barbarorum plurimos ad ſuſcipiendum ſacrum baptiſma compellerent, & nihilominus aſſererent ipſos ſpontè illud ſuſcepiſſe, vnde poſſeſſiones multas, & oppida eo titulo ſibi vendicarent, Alexander Pont. Prioribus Elbingenſi, & Cuiauienſi, vt facti veritatem

perquirerent, atq; Apoſtolicæ Sedi cuncta renunciarent, iniunxit: vtq; Cruceſignatorum temeritatem, & audaciam reprimerent, atq; ad reſtitutionem Caſimiro iniuſtè ereptorum compellerent. *Bzouius vbi ſup. num.* 8.

Indulſit prætereà Alexander vt feſtum S. Petri Martyris apud Mediolanenſes ſolemni ritu, etiam tempore interdicti, celebraretur, apertis ianuis, & per totam octauam, recitatis pſalmis, altaq; voce cantatis diuinis officijs, pulſatiſq; campanis ad confuſionem hæreticorum, & gloriam Antagoniſtæ eorum. Litteræ autem Apoſtolicæ directæ ſunt Priori S. Euſtorgij Mediolanen. *Bzou. ibid.*

Iniunxit inſuper B. Alberto Magno Colonien. Lectori idem Alexander, vt cuidam Canonico propter legitimas cauſas eam dignitatem adimeret, & alteri digniori conferret. *Bzou. ibid.*

Mandauit etiam Pontifex electo Epiſcopo Aberdonen. in Scotia; nec non & Priori noſtro eiuſdem ciuitatis, vt in natalia Comitis Marchiæ inquirerent, atq; Scotiæ Regi quidquid inueniſſent, ac decreuiſſent, denunciarent. *Bzou. ibid.*

Eodem anno Inquiſitores in Hiſpaniarum Regnis viriliter contra hæreticos decertabant, hæreſes cunctas profligantes. Quare die 11. Ianuarij in Barchinonenſi cœnobio noſtro PP. Petrus de Tonnes, & Petrus de Cadireta Inquiſitores corã Iacobo Aragonum Rege, atq; Arnaldo Barchinonen. Epiſcopo, alijſq; Magnatibus, Clero, ac Populo innumerabili, pro tribunali ſedentes protulère ſententiam contra Raymundum nobilem Baronem ex Vrgellen. Diœceſi, virum ſanguinis præſtantia præclariſſimum prædefunctũ, cuius oſſa ex eccleſiaſtica ſepultura effoſsa per manus carnificis fuère igni adiudicata, eò quia, cum ſemel abiuraſſet vnà cum vxore, ac filio, in hæreſim relapſus deceſſerit; quod factum tantùm incuſſit timorem hæreticis cunctis, vt multi abiurata hæreſi S. Matris Eccleſiæ vnitati ſint addicti. *Diag. lib.* 1.

In Gallia quoq; apud Toloſam, vbi Inquiſitionis Tribunal regebat P. Reginaldus de Carnoto, hæretici vexabantur ſupra modum: nam contra eos inſanientes inflexibili animi conſtantia ſecundùm ſacrorum Canonum præſcripta decreta procedebat, vt hæreſim reuelleret: & quia aliqui illorum, in amicorum, ſeu conſanguineorum domibus debacchari ſolebant latitantes, contra eorum fautores, & receptores inſurgebat Reginaldus, etiã ſi nobiles, & Magnates. Quare multorum odium expertus, Regia protectione munitus, ſeueriùs eos, etiam vltimo iniuncto ſupplicio, caſtigabat, multis errores abiurantibus, atq; per ſalutares pænitentias S. Matri Eccleſiæ reconciliatis. *Ex Archiu. Inquiſ. Toloſ.*

Filios optimos dat cœlo Dominicana Religio hoc quoq; anno. Primus inter omnes eminet glorioſiſſimus S. Hyacintus Polonus, qui poſt quam multis annis, imò à ſuſcepto Dominicano habitu, in Gentilium, atque Schiſmaticorum conuerſione laboraſſet, & innumeros ad ſacrum lauacrum ſuſcipiendum, ſalutiferamq; pœnitentiam amplexandam induxiſſet, bonumq; proptereà certamen certaſſet, curſum conſumaſſet, ac fidem ſeruaſſet, repoſitam ſibi in cœlis coronam percepturus perrexit ad Dominum Ieſum Chriſtum, cuius nomen inter barbaras, ac efferatas gentes portauerat. Cum verò in vita, ac poſt mortem miraculis innumeris, coruſcaſſet, à Clemente Papa VIII. in Sanctorum album ſolemni canonizationis ritu 15. Kal. Maij, quæ dies Dominica in Albis contigit, relatus eſt. *Bzou. vbi ſup. num.* 11.

S. Hyacinthum ſequuti ſunt ad gloriam plures alij, nempe B. Berengarius de Lerida ad eiuſdem ciuitatis Epiſcopatum,

An-

Angelo viſibiliter nunciante, euectus, atq; maxima cum ſanctitatis opinione defunctus, cuius ſepulchro aperto, cum quidam Epiſcop. ſacrum corpus inuiſeret, poſt multos ab obitu annos, ſanguinem copioſum effundere vidit. *Bzou. vbi ſup. num.* 14.

B. Pelagius Caſtellanus ſe Berengario adiunxit, qui erga proximos charitate maxima affectus, eorum ſalutem inceſſanter, quoad vixit, procurauit; ex cuius tumba odor ſuauiſſimus, necnon & nubecula parua exhalauit, & in cœlum conſcendit. Cœcum illuminauit, pluraq; alia miracula, etiam in Gentilibus fecit. *Bzouius ibid.*

Pelagium ſequutus eſt B. Aluarez Hiſpanus, linguæ ita cuſtos peruigil, vt non niſi ſemel in integro verbum dixiſſe compertus ſit. Tanta charitate erga infirmos valuit, vt ferè nihil aliud magis ſtudioſè curauerit. Tantò feruore in oratione effulſit, vt in aera corpus, & mens in extaſim attolleretur. Tantiſq; virtutibus claruit, vt cunctis exemplo eſſet. *Bzou. vbi ſup.*

Inter hos recenſendi ſunt duo germani fratres Toloſani, nempe BB. Thomas, & Petrus ex nobili familia de Syllanis, à S. Patre Dominico ad Ordinem recepti, atq; Lemouicas pro fundando cœnobio miſſi, qui tanquam Apoſtoli à Lemouicenſibus ſuſcepti, ſuis prædicationibus, atq; ſacris admonitionibus populum illũ ad pœnitentiæ amplexum, atq; Dei amorem attraxerunt, & virtutibus, ac miraculis coruſcantes ad Deum perrexerunt: quos & Anonymus quidam Frater noſter ſequtus eſt in Derbegenſi cœnobio: hic cum ſpiritum iam iam eſſet Deo redditurus, B. Virginem cum filio ad ſe venientem intuitus, ſtatim adſtantibus Fratribus dixit: *Ecce Virgo Beatiſſima cum Domino Ieſu ad nos venit, canite alta voce Salue Regina*, quod cum illi feciſſent, expirauit. *Bzouius ibidem.*

P. Conſtantinus Medices Vrbeuetanus Epiſcopus, cum Apoſtolica legatione ſuſcepta an. 1255. ab Alexandro Papa IV. in Græcia demandatum ſibi munus cum Catholicæ fidei augmento obiret, Schiſmaticoſq; multos Græcos ad Apoſtolicæ Sedis venerationem, catholicaq; amplexanda dogmata ſua doctrina, ignitiſq; eloquijs perduxiſſet, vale dixit mortalibus, corpore Peruſium poſtmodũ tranſlato, de quo ſup. an. 1255. *Vghell.*

ANNO 1258. Alexander Pont. ad fidei catholicæ propagationem multos, tam ex Minoribus, quàm Prædicatoribus ad gentes deſtinauit Euangelij præcones, pluribus priuilegijs communitos. Et P. Stanislao Cracouienſi Prouinciali Poloniæ præcepit, vt ſibi ſubditos quoque ad verbum Dei inter gentes, quibus Euangelij lux non illuxerat, annunciandum mitteret quantocius. Datis Apoſt. litteris Viterbij Idib. Februar. *Bzou. in Annal. num.* 6.

Præterea ad 13. Kal. Maij. Idem Alexander dedit aliàs Apoſtolicas litteras in fauorem Fratrum Minorum, atq; Prædicatorum deſtinatorum ad fidem catholicam propalandam Saracenis, Paganis, Græcis, Bulgaris, Cumanis, Aethiopibus, Syris, Iberis, Alanis, Gazaris, Gothis, Zicoris, Ruthenis, Iacobitis, Nubijs, Indis, Moſcelinis, Tartaris, & Hungaris maioris Hungariæ. His litteris Apoſtolicis excitati Prædicatores, & Minores, ſuæq; profeſſionis memores ad præfatas nationes perrexere plures, exultantes in vexationibus, & tribulationibus, quas multas, & malas pro nomine Domini ſuſtinebant. Ex quibus pleriq; effuſione ſanguinis in cœlum conſcendère. *Bzou. ibid. num.* 7.

Commiſit Alexander Inquiſitionis negocium contra Ioannem Parmenſem Priori noſtro Pariſienſi, cuius libellum

idem Pont. flammis adiudicauerat, indulſitq; eidem Priori vt poſſet aſſumere tres, vel quatuor alios ſibi ſubditos Patres Inquiſitores, qui parem cum ipſo Apoſtolicam poteſtatem haberent contra hæreticos, ſuſpectoſq; de hæreſi procedendi. Datis litteris Viterbij 5. Kal. Oct. *Bzou. ibid. num.9.*

Eodem anno P. Raynerius Sacconus, qui per plures annos hæreticus, damna multa Eccleſiæ intulerat, tandemq; in ſe reuerſus, & catholicam fidem, & Dominicanam togam amplexus fuerat, cum Generalis Inquiſitor Mediolanen. eſſet, caſtrum de Gata nidum, ac receptaculum munitiſſimum hæreticorum ſolo æquauit, multis ex ipſis captis, carceribus, atq; igni addictis. *Ballarin. in Chron. Comen. par. 3.*

Dirigitur in cœlum hoc tempore B. Ferdinandus Hiſpanus, virtutibus, atq; miraculis præclarus; in cuius obitu facies mirum in modum ingenti lumine coruſcauit, & ſuam gloriam Fratribus reuelauit, atq; ventura prædixit. *Bzouius ibidem num. 13.*

P. Accoldus de Florentia ſalutis animarum ſitientiſſimus, Arabicam linguam callens, volumen grande contra Saracenos, eorumq; perfidiam ſcripſit, aliudq; de modo diſputandi cum infidelibus pro eorum conuerſione ad catholicam fidem, opus vtiliſſimum euulgauit. *Lucarinus.*

Cum Arelatenſis Epiſcopus Guillelmi de S. Amore, Gyraldi eius ſocij, ac ſequacium veſtigia ſequtus, impediret etiam ipſe, ne ſibi ſubditis populus ad Prædicatorum Eccleſiam pro Sacramentis ſuſcipiendis, audiendiſq; eorum fructuoſis ſermonibus confiueret; re ad Alexandrum Pont. delata; per Apoſtolicas litteras illicò eidem mandauit, vt à moleſtandis Fratribus abſtineret, & illos in ſua vocatione, qua vocati ſunt à Domino in pœnitentium, & peccatorum ſolatium ſuam operam impendere ſineret, ni Apoſtolicam indignationem vellet experiri, dicens. *Cum itaq; nil magis ſit menti noſtræ contrarium, vel oppoſitum voluntati, quàm quòd omnium Conditor, & Redemptor in membris eius, & præcipuè in vobis, qui eſtis ſpeciales eius Nuncij, & præcones pati contumeliam videatur, &c.*

ANNO 1259. Grauiſſimas perſequtiones patitur hoc anno Inquiſitor Mediolanen. P. Raynerius Sacconus. Nam Vbertinus Pallauicinus hæreticorum fautor, atq; Mediolanenſium Rector, eundem in exilium relegauit, ſequentiq; anno P. Aycardum Concionatorem eximium, hæreticorumq; perſequtorem ex Mediolanenſi ciuitate eiecit, eò quod publicè in hæreticorum exitium declamaret, eorum futilia deliramenta damnando. Vbertini in Raynerium indignatio ex eo eſt orta: quòd cum Inquiſitor in hæreticos inſurgere non poſſet, vtpote ab eodem protectos, id Pontifici Maximo nunciauit, qui ſtatim Pallauicinum, tanquam hæreticorum fautorem, publicè excommunicatum denunciauit. Quapropter ille ſatellites ad conuentũ S. Euſtorgij miſit, vt Inquiſitorem malè tractarent, atq; ex ciuitate exulare cogerent, & ſi contradiceret, occiderent. Ille autem intrepidus pro catholica fide tuenda exilium ſubijt. *Param. lib.2. & Leand. Albert. lib. 4.*

Alexander Pontifex Patribus Inquiſitoribus noſtri, atq; Minoribus conceſſit Plenariam Indulgentiam; ſocijs verò, atq; adiutoribus eorundem, aliam minorem elargitus eſt Indulgentiam; vt in negotio fidei ardentiùs laborarent, atq; hæreticos deſtruere ſatagerent. Datis Apoſt. litteris Anagniæ 17. Kal. Octob. *Bzouius in Annal. num.7.*

Cœlos multi Prædicatores hoc anno conſcendère, eminetq; primus inter illos B. Rolandus de Cremona virgo, & doctor

ctor egregius; Dæmonum atque hæreticorum expugnator accerrimus. Cum verò aliquis energumenorum interrogatus quare Rolandus dœmones ſtatim eijceret, non verò B. Moneta? qui tunc temporis ſanctitate florebat; Reſpondit ille, quia Rolandus virginitatem impollutam ſeruauit: Multis claruit miraculis, tam in vita, quam in morte. *Bzou. ibid. nu.* 8.

Rolandum ſequtus eſt B. Gundiſaluus de Amaranta innumerum miraculorum patrator, qui à B. Virgine, cui addictiſſimus erat monitus, vt illum ingrederetur Ordinem, qui ſuum officium per ſalutationem *Aue Maria* inciperet, atq; terminaret, Prædicatorum Ordinem profeſſus eſt. Eius feſtum, & officium tanquam de S. Confeſſore non Pontifice in Regno Luſitaniæ ex decreto Pij IV. celebratum eſt vſq; ad annum 1671. quo Clemens Papa X. feſtum eiuſdem in toto Prædicatorum Ordine celebrari conceſſit. *Bzou. vbi ſup.*

Eundem ſequtus eſt B. Petrus Hernandez virtutibus clarus, qui virginitatem illibatam ſeruauit vſque ad mortem, qua inſtante apparuit illi Dominus Ieſus dicens, quod non timeret inſidias diaboli, ſed certus eſſet de propria ſalute ex Dei miſericordia. *Bzou. ibid.*

In cœlum pariter euolauit cum his B. Laurentius Mendez Luſitanus, magnæ ſanctitatis, ac doctrinæ vir; cui, dum aliquando concionaretur, viſibili ſpecie adfuit Angelus, ac vaſculum quoddam plenum ſacris Sanctorum reliquijs, è Mauritaniæ ciuitate quadam àb Affricanis occupata ſublatum, eidem dono dedit. *Bzou. ibidem.*

Haud impar ſupradictis fuit B. Rodulphus Fauentinus D. Dominici diſcipulus, eiuſq; in morte confeſſor. Huic aliquando anxio, quòd multi auſteritatem noſtri Ordinis ferre non ſuſtinentes, diſcederent, apparuit Chriſtus Dominus inter B. Virginem matrem ſuam, & S. Nicolaum Myren. Epiſcopum, & manu caput eius demulcens; Ne turberis, ait, quamdiu Mater mea curam eius Religionis geſſerit non deerunt, qui hoc inſtitutum ſuſcipiant, atq; in eo vſq; ad mortem perſeuerent. *Bzou. vbi ſup.*

Hos ſequtus eſt B. Conradus Theutonicus, B. Alberti Magni nepos, qui virginitatem illibatam ad obitum vſq; ſeruauit, & erga B. Virginem ſumma deuotione affectus, ſcire tempus, & horam, qua ex hac vita migraret, atq; in cœlum conſcenderet, ab eadem promeruit. *Bzou. ibid.*

Cum B. Bartholomæus de Bragantijs Vicentinus Epiſcopus ab Apoſtolica Sede in Syriam Legatus directus, vt cum S. Ludouico Galliæ Rege, de Terræ Sanctæ recuperatione cogitante conuerſaretur, ad aſſumptum opus inflammaret, Cruceq; ſignatos ſuis feruidis exhortationibus ad bellum contra Saracenos cauſa fidei ineundum ſpiritus ardore compelleret, in Ioppen, atq; Achon diu cum Rege fuiſſet, ita ſibi eiuſdem affectum beneuolum reddidit, vt in animæ ſuæ directorem, & cuſtodem ſibi illum elegerit.

In Galliam poſtmodum hoc anno reuerſi, & viſitata S. Cappella, ſacraq; Chriſti Domini Spinea Corona maximis cum lachrymis adorata, vnam ex ſpinis ipſius, atq; Dominicæ Crucis fruſtum S. Rex Bartholomæo pia liberalitate dono dedit, vt Vicentiam ſe cum deferret, expedito tanti doni ſequenti documento

Ludouicus Dei Gratia Francorum Rex Dilecto ſibi in Chriſto Bartholomeo Dei gratia Epiſcopo Vicentino Salutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

AD inſtantem petitionem veſtram, de pretioſo Dominicæ Crucis ligno, & de Sacroſancto Coronæ Domini ipſius ſpinam vnam vobis in ſignum dilectionis conferimus,

rimus, dilectionem veſtram rogantes attentè, quatenus eas debito conſeruetis honore, & conſeruare faciatis, & pro nobis orare velitis, & orationes faciatis fieri ſpeciales. Dat. Pariſijs an. Domini 1259. die Iouis poſt feſtum S. Nicolai hiemalis. In cuius rei perpetuum teſtimonium præſentes litteras noſtro ſigillo præcepimus, & fecimus communiri. Taeg. in Monum. Ord.

Vicentiam Sacroſanctas Reliquias ſecum detulit Bartholomæus, conſtructoq; Conuentu Ordinis cum Eccleſia ſub S. Coronæ titulo, in illa ſacra pignora cuſtodiri voluit, quæ vſq. in hodiernum diem ſumma veneratione Fidelium adorantur.

ANNO 1260. Proprio in ſanguine volutati duo Beati Inquſitores in Cœlum conſcendère. Fuit vnus Bernardus de Trauerſera Vaſco ſingularis pietatis vir, fideiq; zelo maximo affectus, qui dum in Hiſpania ſacrum Inquiſitionis tribunal infracto animo regeret, hæreticoſq; verbo ferro, atq; vltimo ſupplicio perſequeretur, ab eiſdem captus in Cuchillada, pro Dei honore, velut alter Iſaias, in duas partes viuus ſectus, atq; in ignem deiectus, crudelem pro Chriſto Domino mortem pertulit, ſed vitam æternam inuenit. *Plod. & Leand. Abb. de Vir. Illuſtr. Ord.*

Alter glorioſus Martyr fuit P. Franciſcus de Toloſa, qui cum Toloſano in Comitatu Apoſtolici Inquiſitoris præfecturam exerceret, atq; in reliquias Albigenſium hæreticorum inquireret, tam ex plebe, quàm ex maioribus; ab eiſdem captus, ſpinis coronatus, ludubrijs vexatus, ſagittiſq. confoſſus, fidei Catholicæ veritatem ſuo ſanguine obſignauit. *Ex Auct. ſupradictis.*

In Polonia hoc anno innumerabilis Martyrũ multitudo ex noſtris proprio ſanguine candidata cœlos conſcendere promeruit, & inter illos B. Sadocus cum triginta, & octo Patribus, quorum glorioſum certamen fuit illis in hunc modum à Deo reuelatum. Nocte antecedente martyrium, cum Nouitius more ſolito poſt matutinum indiculum martyrologij eſſet pronunciaturus, vidit ibidem aureis litteris inſcriptum *Sandomiriæ paſſio quadraginta nouem martyrum*: anceps fuit ille an proferret, nec ne, verba illa, ſed tandem alta voce legit. Obſtupuit B. Sadochus Prior, cœteriq; Patres obriguerunt, & diariam illam lectionem vidère voluit Prior, idq. petière cœteri Patres; at aureæ litteræ inter legentium manus euaneſcebant. Tunc Sadocus conuerſus ad Patres dixit: *Diuina eſt præmonitio filij chariſſimi, cœlitus exaratæ illæ notæ, nec fruſtra innocentis nouitij oculis fuerunt obiectæ; auctor vitæ & mortis certo certiùs nos ad æternam vitam craſtina die conſequendam inuitat. Eia ergo vnuſquiſq; noſtrum dulciſſimo viatico roborare ſpiritum non omittat. Vitam nobis eripiet ſcytha, at mortalem, fluxam, calamitatibuſq; inuolutam; æternam autem omnibus bonis refertam conferet nobis Rex Martyrum Chriſtus Dominus.* Die igitur ſequenti irruentibus in Sandomiriam Scythis, B. Sadocus Fratres omnes in Eccleſiam conuocauit, & Antiphonam *Salue Regina* cantantes ibidem, omnes trucidati ſunt dominum laudantes, qui ſe palma martyrij dignos effecerat. Re ad Alexandrum Pont. Max. delata, atq; Boleſlai Pudici, nec non & Prandothæ Cracouien. Epiſcopi teſtimonio confirmata, idem Pont. viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ, in qua, & eorum martyrium accidit, & corpora ſacra fuère ſepulta, parem conceſſit Indulgentiam Polonis, & Peregrinis quotannis die 2. Iunij, qua in cœlum conſcendère, ac S. Mariæ ad Martyres, ſeu etiam Maioris in Vrbe. *Bzou. in Annal. num.* 3.

Pont. Alexander datis litteris Anagnaiæ 13. Kal. Febr. mandauit Inquiſitoribus in Lombardia, & Marchia Ianuenſi, at-

ſi, atq. decreuit, quod in cauſa fidei contra quoſcumq; etiam priuilegiatos procedant, & quod poſſint aſſumere in Notarios etiam proprios Religioſos. *Bzou. ibid. num.* 4.

Præterea ſtatuit, quod Inquſitores cogere poſſint Magiſtratus ſæculares quoſcumq; per excommunicationem in perſonas, ac priuationem ab officijs, ac interdictum in terras, vt omni appellatione remota exequtioni mandent ſententias ab Inquiſitoribus prolatas, & ferendas contra inquiſitos, & ſuſpectos, fautores, & receptores eorum, non obſtante quocumque indulto Sedis Apoſtolicæ, datis litteris Anagniæ 10. Februar. *Bzou. ibid.*

Inſuper mandauit, vt Inquiſitores per cenſuram Eccleſiaſticam omni appellatione remota, compellant tradi ſibi ſcripturas quaslibet, inquiſitionis factæ, vel faciendæ contra hæreticos, alioſq. in fidem peccantes, aut aliàs ad S. Officium ſpectantes. Vtq. redeuntes ad Eccleſiam abſoluant, atq; reconcilient, &c. Dat. lit. Anagniæ 4. non. Maij *Bzou. ibid.*

Præcepit præterea, vt Prælati omnes Eccleſiaſtici, & Clerici Religioſi, & ſæculares, omneſq. Nobiles, Barones, & Magiſtratus, atq; Communitates ab Inquiſitoribus requiſiti, ſub pœna excommunicationis, & mille marcharum argenti, teneantur ſine dilatione Inquiſitoribus, & eorum ſocijs de ſecuro conducto à loco ad locum prouidere. Dat. Apoſt. lit. Anagniæ Idib. Martij. *Bzou. ibid.*

Hoc anno B. Albertus Magnus ſacram Theologiam apud Colonienſes in frequentiſſimo auditorio docens, ex voto ac conſilio S. R. E. Cardinalium Ratiſponen. Eccleſiæ Paſtor ab Alexandro Pont. Max. præficitur. Quod cum innotuiſſet Humberto Magiſtro Gener. Ord. dolens, ac gemens, ſcripſit illi epiſtolam, vt ab acceptatione huiuſmodi Epiſcopatus abſtineret, enixè rogans; & licet Albertus talem dignitatem non niſi inuitus eſſet acceptaturus, tamen vrgente Pontifice, Humberti votis acquieſcere non valuit. *Bzou. ibid.*

Diriguntur in cœlum à noſtro Prædicatorum Ordine glorioſi viri B. Dominicus Mugnoz Segobienſis, qui cum vixiſſet fama ſanctitatis apud omnes celebris, in funere habentem aridum brachium ſanauit; mulierem paralyticam ad priſtinam incolumitatem reuocauit, atq. puluere ex eius tumba exeunte languentibus ſanitatem dedit. *Bzou. ibid. num.* 14.

Alter eiuſdem nominis, Dominicus de Valerica, ſanctitate, & miraculis claruit, & hic Mugnoz ſequtus eſt ad gloriam, qui in vltima infirmitate nullibi quieſcere voluit, niſi inter decumbentes in Xenodochio (non enim ibi erat Ordinis Cœnobium.) Vbi cum in cœlum euolaſſet, calceamentaq; illius hoſpitalis præfectus dediſſet cuidam Peregrino, vtriq; Sãctus vir apparuit, temeritatiſq; ac abuſus ambos reprehendit. Cum verò reſtituta fuiſſent cœnobio, atq; in fruſtra diſtributa, plurima edidère miracula, ægrotis ſanitate reſtituta. *Bzou. ibid.*

Tertius, qui ſe Sanctorum cœtui adiunxit, fuit B. Conradus Lingonienſis Sueuus, virginitatis laude commendatus, quam à pueritia Chriſto Domino conſecrauit, nec non & Beatiſs. Virgini, cui deuotiſſimus vixit, atq; ab eadem diem, & horam ſui obitus cognoſcere promeruit, in qua ipſi apparuit, eiuſq; animam ſecum in cœlum inuexit. *Bzou. ibid.*

Alexander Pontifex datis Apoſtolicis lit. apud Lateranum 3. Id. Decemb. vt facilius Inquiſit. contra hæreticam prauitatem inquirere valerent, declarauit ipſos Inquiſitores non teneri obedire Superioribus ſuis in ijs, quæ S. Inquiſitionis officium concernunt, exortans eos ad viriliter dimicandum in hæreticos, eorum hæreſes vigili ſedulitate è Lombardiæ par-

partibus eradicando, quod illi fideliter preſtitère. *Fernandez*.

ANNO 1261. Alexander Papa IV. erga Prædicatorum Ordinem optimè affectus, ergaſtulo carnis ſolutus, migrauit ad Dominum, ſucceſſitq; illi in Apoſtolica Sede Vrbanus IV. Viterbij electus, vbi in noſtra Eccleſia S. Mariæ ad Gradus coronationis inſignia ſuſcepit, vixitq; in Pontificatu erga Ordinem Prędicatorum ſingulari beneuolentia affectus. *Bzou. in Annal. num. 4. & 6.*

P. Benedictus Tomaſellus de Peruſio hæreticorum malleus, ſcripſit librum doctum aduerſus horum temporum hæreſes, ex quo non modica vtilitas Eccleſiæ Catholicæ prouènit, tum ob propugnatam, ac defenſatam veritatem fidei chriſtianæ, tum ob conuerſionem plurium hæreticorum, ſequtam propter eiuſdem libri lectionem. *Luſitan. in Biblioth.*

Glorioſo agone conſumuntur hoc anno multi ex noſtris, quorum nomina in libro vitæ ſunt inciſa, non tamen referuntur à Scriptoribus. Vnus autem ex eis fuit Princeps in Hungaria præclariſſimus, qui relicto principatu, humanarum pomparum pertæſus, Dominicanam togam in ætate iam graui induit, atq; prædicator gratioſus effectus, Chriſti Euangelium in vaſtiſſimis regionibus illis, efferatis gentibus prædicauit. Cum verò iam ſenuiſſet, irruentibus Tartaris, atq; Pannoniæ vrbes inuadentibus, Prior illius conuentus, in quo erat ſenex Hungarus, cogitauit de diſceſſu cum Fratribus, mortem euitaturus. Rogauit tunc Priorem bonus ille Pater, vt relinqueretur ad cuſtodiam cœnobij, & eccleſiæ; quod cum nollet permittere Prior, ſubdebat ipſe, ſe iam ſenem, ac morti propinquum eſſe; ac propterea ſi trucidaretur à Tartaris, Religio iacturam non faceret, niſi ſenis, ad Ordinis miniſteria inhabilis. Annuit tandem Prior, & cum Fratribus abijt inde. Cum autem poſt aliquot dies Fratres in ſuum conuentum reuerſi fuiſſent, inuenerunt ſanctum illum ſenem ante maius altare in Eccleſia toto corpore proſtratum, in ſanguine volutatū, brachijs in modum Crucis extenſis, lanceis confoſſum, cerebro ex capite excuſſo, cum prius fideles ciuitatis illius in fide confortaſſet, illiſq; Sacramenta miniſtraſſet, atq; ad amplexandam pro Dei amore mortem ab hoſtibus fidei catholicæ inferendam, impauidos, & inconcuſſos reddidiſſet. *Caſtillus p. 1. lib. 3. cap. 66.*

In cœlum ex Dominicanis Patribus conſcendère præter recenſitos hoc anno B. Bernardus de Cantio Tholoſanus, ſacri verbi concionator eximius, hoſtiſq; acerrimus impiorum hæreticorum, qui apud Agenum maxima cum ſpiritus exultatione euolauit in cœlum. Ea qua deceſſit nocte, amico ſuo Fratri in noſtra Eccleſia Lugdunenſe oranti apparuit fulgida amictus veſte, dicens: *Eia Frater in templum properemus*, & in alba candidiſſima, & fulgentiſſima in cœlum ſublatus eſt. Tandem poſt triduum cognouit Bernardum ex hac vita migraſſe, miraculis & in vita, & poſt mortem clarum de quo ſup. an. 1245. *Bzouius in Annal. num. 8.*

Bernardum ſequtus eſt ad gloriam B. Romeus Lyuianus Catalanus ſingulariſſima deuotione erga B. Dei Genitricem Mariam affectus, cui ſingulis diebus ſalutationes Angelicas mille, nodis funiceis numeratas, & id non niſi nudatis, flexiſq; genibus dicabat. In ſuis concionibus ſemper aliquid de B. Virgine referebat, atq; in tribulationibus omnibus ad eandem, tanquam ad peccatorum aſylum confugiebat. Inſtante vitæ termino adfuit Angelus, qui à Fratribus auditus dixit. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*. quibus dictis Romeus expirauit, miraculis coruſcans; cuius corpus poſt vigeſimum quartum an-

num

num effoſſum, inuentum eſt incorruptũ, & ante altare B. Virginis reconditum. *Bzouius ibidem num. 9.*

Demiata à Saracenis Chriſtiani nominis hoſtibus crudelibus expugnata, plures ex Prædicatoribus, qui in ea ciuitate, viciniſq; regionibus prædicationi Euangelij incumbebant, trucidati in confeſſione fidei catholicæ occubuerunt, fueruntq; ſupra ducentum, quam cladem maximam P. Guillelmus Tripolitanus noſter de conuentu Acconen. deſcripſit, vt teſtatur Spondanus ad ann. 1260. nu. 4. *Ferrarius de Prou. Hung.*

Optimus Pontifex Alexander Papa IV. erga Prædicatorum Ordinem ſumma charitate, ac beneuolentia affectus, plura priuilegia eidem, dum viueret, benignè indulſit, atq; in Apoſtolicis datis ad eos litteris, ſummis encomijs Prædicatorum Ordinẽ, illiuſq; filios laudauit, extulit, atq; benedixit, quæ hic recensère ſuperfluum iudicamus. Sufficiant relata in epiſtola ad Lectorem, & quæ ſequuntur, tanquam nobiliora.

Cum ſcholares Pariſini, atq; Magiſtri quidam Sorbonicæ Vniuerſitatis noſtros Magiſtros ibidẽ docentes, Sacræq; Theologiæ cathedras regentes, diuerſimodè moleſtarent, atq; inquietarent. Alexan. Pont. datis Apoſtolicis litteris ad Epiſcopum Pariſien. ei demandauit, vt ſcholares, & Magiſtros ab inferendis moleſtijs Prædicatoribus frænaret, ni Apoſtolicis cenſuris vellent innodari, in hunc modũ Ordinem commendans. *Quietis turbatores, ac laudabilium operum, quibus Fratres Prædicatores feruenter inuigilant, nefarij detractores, illorum famam offuſcare, & litteras, per quas ipſos virtutum odore perfuſas, ac pium, & ſanctum Ordinem eorum, quaſi quoddam ſydus in Eccleſia Dei refulgentem, qui à longis retro temporibus per Sedem Apoſtolicam ſolemniter approbatus, fructus deſiderabiles, & felices in eadem Eccleſia continua fœcunditate produeit, odibiles reddere molliuntur, illa ducti credulitate nequiſſima, quòd doctrina Catholica, & ſalubris, ac prædictorum Fratrum Deo gratiſſima, & delectabilis, cum timentibus contemnatur, ac inualeſcat Hæreticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter, omnimodèq; confutanda dicti Fratres velut ſtrenui pugiles Orthodoxæ fidei ſunt ita vigiles, & intenti, quòd ducunt pro delicijs ſi hac de cauſa aliquando bibant calicem paſſionis, &c.*

Qui Prædicatorum Ordinem tantis exaltauit encomijs Alexander IV. in exhantlatorum laborum condignum temporale prœmiùm plurimùm auxit, noua conceſſione eorum priuilegia, datis Apoſtolicis Bullis, quarũ compendium eſt in Summario Priuilegiorum Ordinis.

ANNO 1262. Ad 14. Kal. Aprilis apud Vrbem veterem, vbi tunc reſidebat Vrbanus Papa cum Romana Curia, vale dixit mortalibus, cœlum petiturus doctiſſimus Cardinalis noſter Hugo de S. Theodorico, cum ſingulari Pontificis Max. Curiæq; Apoſtolicæ luctu, ibidem apud noſtros tumulatus, oſſibus poſtmodum Lugdunum translatis, & in noſtra Eccleſia ſepulturæ traditis. *Ciaccon. & Luſit. in Bibl.*

Hugonem ſequtus eſt ad Gloriam B. Ferdinandus Vlyxiponenſis, cui tanta fuit in Deum fiducia ex meritorum, & gratię diuinæ efficacia, vt dum efflaret animam, diceret: *Scio infernum mihi claudi, ac cœlum patère*: quibus in verbis ſpiritum emiſit in cœlum, cum in vita, & morte multis claruerit miraculis. *Bzou. in Annal. num. 9. & Plod. de Viris Illuſtrib. Ordin. par. 1.*

Euolarunt prætereà in cœlum glorioſi Martyres Prædicatores in Hungaria, Boſna, & Dalmatia centum, & nonaginta, qui catholicã fidem populis illis annunciantes, ab eiſdem varijs modis interempti, ſanguine proprio inimicos vincentes,

laureati ad æterna gaudia peruenère. *Plod. p. 1. lib. 2.*

Vrbanus Pont. conceſſit Fratribus Inquiſitoribus noſtris in Lombardia, & Marchia Ianuenſi, quòd non obſtantibus priuilegijs quibuſcumq; procedant contra hæreticos, etiam inuocato ſeculari brachio; & quòd non poſſint ab Epiſcopis impediri, ne proceſſus fabricent in hæreticos; etiam ſi ab eiſdem Epiſcopis proceſſus fuiſſent prius formati. Datis Apoſt. litteris Viterbij 13. Kal. April. *Bzou. ibid. num. 3.*

Cum in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, atq; Cathaloniæ validè decertarent Prædicatores in hæreticis debellandis, Vrbanus Pontifex conceſſit, ac voluit, vt ſoli Prædicatores in eiſdem Regnis ſacrum Inquiſitionis Tribunal exercère valerent, quibus & alia ampla priuilegia conceſſit. Datis litteris Apoſt. apud Montem Faliſcum 5. Kal. Auguſti: *Eymer. in dir. Inquiſ.*

Vrbanus Pontifex nouum conceſſit priuilegium noſtris Inquiſitoribus, eorúque Notarijs, quòd durante officio, non poſſint excommunicari à quocumq; ſeu ſuſpendi, vel interdici, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis mandato, faciente huius priuilegij ſpecialem mentionem. Datis litteris Apoſt. vbi ſupra 5. Kal. Auguſti. *Eymer. vbi ſup.*

Dedit inſuper Vrbanus priuilegium noſtris Inquiſitoribus, eorumq; in officio ſocijs, vt mutuò ſe abſoluere poſſent ab excommunicatione, & irregularitate in caſibus ex humana fragilitate perpetratis. Dat. litteris Apoſt. in eodē loco 2. Non. Auguſti *Eymer. in direct.*

Præterea Vrbanus Pont. Inquiſitoribus noſtris declarauit, quod filij, & hæredes petentium in infirmitate conſolationem hæreticorum (veniebant enim ad eos hæretici, & imponebant manus ſuper decumbentium capita, & ita conſolabantur, ac confortabantur vt in impia hæreſi decederent) non admittantur ad euitandam bonorum confiſcationem, & probando quòd non ſana mente, ac deperdita loquela, conſolationem petierint, ſeu ſuſceperint: ſi conſtet ipſos fuiſſe ſanæ mentis, quando conſolationem petière. Datis de hoc litteris Apoſt. pariter apud Montem Faliſcum. 10. Kal. Sept. *Eymer. vbi ſup.*

Inſuper Pont. cùm eodem anno declaraſſet per Apoſtolicas litteras, vbi ſup. datas 12. Kal. Septemb. quaſdam difficultates, ac dubia ſuborta noſtris Inquiſitoribus in Lombardia exiſten. dedit alias litteras in fauorem eorundem Inquiſitorū; & aliorum omnium, quibus mandat Superioribus cunctis ex Ordine, vt illis aſſignent ſocios prudentes, & idoneos; & vbi fuerint ab Inquiſitoribus requiſiti alios Fratres adiungant, vt ſacrum Inquiſitionis Tribunal valeat magis in hæreticorum deſtructionem promoueri. Datæ ſunt Apoſt. litteræ apud Vrbem veterem 7. Kal. Nouemb. *Eymer. in direct.*

Item præcepit Pont. Rectoribus Romanæ Fraternitatis, Priori Conuentus Prædicatorum, Guardiano Minorum, & Fratrum S. Auguſtini in Vrbe, vt pro exequendo Petri Capocij Card. S. Georgij teſtamento, & pro hoſpitali domo S. Antonij apud Liberianam Baſilicā conſtruenda, quatuor perſonas ex ſe ipſis deligerent, hoc eſt vnam ex Fraternitate, reliquas tres ex dictis ſacris Ordinibus. *Bzou. in Annal. num. 4.*

Vrbanum Pontificem Colonien. Eccleſiæ ſuo viduatæ Paſtore nouum ſponſum præbiturum, P. Dominicum de Senis, diuini Verbi præconem celebrem, eidem præfeciſſe, vt oues illius in cœlum dirigeret, aſſerunt *Vghellus in Manuſcrip. & Vgurgerius Azotinus in Pompis Senen.*

Celebratum eſt Generale Capitulum Ordinis apud Bononiam, in quo multa ſtabi-

ſtabilita ſunt pro conſeruatione eiuſdem, & denunciata Patribus incrementa fidei Catholicæ operata per Patres noſtros inter gentes, nec non & multorum receptionem ad profeſſionem noſtram, prout cōtinetur in data littera circulari Magiſtri Vmberti exiſtente in Actis eiuſdem Capituli, his verbis. *Nouitios quoq. multos Dominus Ordini dedit in diuerſis mundi partibus, ita quod in Conuentu Bononienſi, & Pariſienſi ſeptuaginta ſint recepti, quos omnes, & me cum eis, & Fratres, qui laborant in nationibus Barbaris pro ſalute eorum, orationibus veſtris recomendo. Vos commendo gratiæ Saluatoris. Dat. in Gen. Capit. an. Dom.* 1262.

Ad præfatum Capitulum Vrbanus Pont. Apoſtolicas litteras direxit, Fratrum orationibus ſe, & ſtatum S. Matris Eccleſiæ comendans, Ordinemq; ſummopere in hunc modum laudans.

Vrbanus Epiſcop. Seruus Seruorum Dei Dilectis Filijs Magiſtro, Prioribus, & Fratribus in Generali Capit. Bononiæ congregatis Sal. & Apoſt. Benedict.

IN præclara dignitatis onere, quia nos prætulit exaltator humilium, quaſi onus importabile noſtris eſt humeris alligatum, cuius dum magnitudinem ſtupendam attendimus, adinſtar Apoſtolorum Principis, quem pelagi fluctus exterruit, non immeritò formidamus. Si verò quodammodo ex fragilitatis noſtræ conſideratione mergimur, de fiduc a diuinæ clementiæ relcuamur, ſperantes quòd proſperè huius procelloſi maris tranſire poſſimus anguſtias, ſi uobis impetretis auxilium, qui cæleſti ſponſo in conſcientiæ ſanctæ delicijs lectum floridum præparaſtis. Quid enim vobis à Dei pietate negabitur merentibus illam ſemper habere propitiam odore bonorum operum, & candore virtutum? Quid enim apud Reginam præfulgidam intemeratam Matrem Domini glorioſam Angelica veſtra conuerſatio non habeat, quorum meritis ſplendet Eccleſia, quorum exemplis viget, & proficit Religio Chriſtiana? Quid Beata Sanctorum acies veſtris non impetrabit affectibus, quæ vobis benigna redditur pro laudis diuinæ præconijs, & vitæ meritis innocentis? Ecce Regis æterni, & cæleſtis curiæ vos habere fauorem claris argumentis præſumitur, & ſignis proſpicuis declaratur. Dignè itaq; vniuerſitatem veſtram per Dei miſericordiam obſecramus de pia deuotione, penſantes quantum nobis ex eo poſſit imminere ſtuporis quòd qui cineris, & pulueris eſſentiam gerimus, regnantis in ſæcula Vicarij facti ſimus, pijs orationum ſubſidijs nobis gratiæ diuinæ præſidium aquiratis, ſuplici humilitate petentes, vt is, cuius admiranda potentia dat per gratiam eſſe fortiſſima ijs, quæ ſunt fragilia, per ueſtram orationem, debilitatem noſtram, & robore fulciat, & virtute perfundat, detq; nobis ſic proſequi quod ipſe impotentiæ noſtræ credidit, vt inde gloria ſua ſequatur augmentum, populus chriſtianus pace, ac tranquillitate proficiat, & tandem nobis, ac illi charitatis æternæ radius illuceſcat. Cæterù n cum dignum ſit, vt, qui filialis deuotionis in vobis fructum requirimus, ſinceritati veſtræ, quæ ſunt paternæ dulcedinis offeramus; cordibus veſtris de nobis volumus ineſſe fiduciam, quod vobis, ac Ordini veſtro in ijs, quæ ſunt fauoris, & gratiæ ſecundum Deum, nos benignos ſemper habebitis, & beneuolos ſentietis. Dat. Viterbij Idibus Aprilis Pontificatus noſtri anno primo. Ex Act. eiuſdem Capit. Gen.

ANNO 1263. Vrbanus Pontifex Prædicatorum Ordinem vnicè diligens aſſumpſit ad purpuram, atque S. R. E. Cardinalem creauit P. Hanibaldum de Anibalis ex familia Proconſolum Romanorum, quæ familia adhuc in Vrbe nobilis viget: cum Sacri Palatij Magiſterium in Apoſtolicæ Sedis obſequium, annis pluribus exercuiſſet. Vir ſingularibus virtutibus redimitus. Claruit autem

Apoſtolicis Legationibus, ac vitæ integritate, vt dicetur inferius. *Ciaccon. in Vit. Pont.*

Idem Pont. Prædicatores ex Prouincia Poloniæ ad gentium conuerſionem, maximè ad Pruthenos deſtinauit, mandans eis, vt propriæ profeſſionis non immemores, gentes, quæ veritatem euangelicam non nouerant, ad illius cognitionem perducere ſatagerent, calamitates, ac perſequtiones non formidantes; ſed Dominum Ieſum Chriſtum inducerent, qui non fineret eos tentari ſupra id, quod poſſent. Datis Apoſt. litter. Viterbij 10. Kal. Ianuar. in hunc modum. *Ad Priores Ord. Prædic. Prouinciæ Poloniæ per Boemiam, Morauiam, Liuoniam, Curoniam, & Pruſſiam; ac per Rigen. Gneſnen. & Saleburgen. Prouincias Degen. Vrbanus &c. Inter multa diſcrimina, &c.* Bzou. in Annal. Prouinc. Poloniæ cap. 3.

Hoc eodem anno Barchinone coram Iacobo Rege, Principibuſq; Regni P. Paulus Chriſtianus diſputauit cum docto Rabino Moyſe Gerundenſe de veritate fidei catholicæ, quem ita confudit, vt obmutuerit, neq; ex illa die auſus fuerit ampliùs de hac re loqui; quo factum eſt, vt hebræorum multi ad agnitionem veritatis venientes, ſacro lauacro fuerint abluti. Quare Iacobus Rex conſtitutionem edidit 4. Kal. Septemb. mandans omnibus Prætoribus Vrbium, ac Caſtrorum gubernatoribus, vt ipſum P. Paulum benignè reciperent, & quocumq; ad prædicandum Iudæis pergeret, illos ad audiendas eiuſdem prædicationes, & diſputationes compellerent, quod in maximum catholicæ fidei augmentum ceſſit. *Diag. lib. 1. cap. 15.*

P. Guilelmus Sanctius inſtituitur Apoſtolicus Inquiſitor in Regnis Aragoniæ, & Valentiæ, vir doctiſſimus, atq; Catholicæ fidei propugnator inuictiſſimus, qui hæreticos ex eiſdem Regnis fugauit, & eiecit, aliquibus ad catholicam veritatem perductis, alijs exilio mulctatis, multiſq; vltimo ſupplicio addictis. *Diag. lib. 1.*

Eodem anno Conſtantinopolim mittitur à Pontifice Max. Vrbano P. Petrus de Sezaria, vir doctiſſimus cum aliquibus ſocijs ex Ordine, qui Vrbem illam ingreſſus, obuium habuit quendam Monachum Saracenum paternarum ſuarum traditionum feruidum æmulatorem, maxima modeſtia incedentem facie demiſſa, cum quo diſputauit de veritate catholicæ fidei, atque ita confudit, vt eiuratis proprijs erroribus, & à noſtris de rebus fidei edoctus, ſacro fit lauacro ablutus, nomine D. Pauli Apoſt. ſibi aſſumpto; vixitq; in catholica fide vſq; ad mortē. *Bzou. nu. 21.*

B. Albertus Magnus Paſtoralis ſollicitudinis pertæſus, ad Vrbani Pontificis pedes Ratiſponen. Eccleſiæ regimen dimiſit, atq; in Colonienſem conuentum, ad Ordinem reuerſus, ſe recepit, vbi ſacris lectionibus addictus, permanſit vſq; ad mortem, quam octoagenario maior lætus vidit vt dicetur 1280. *Spondan. in Auct. Cron. Plod. de Vir. Illuſtr. Ord. & Caſtill.*

Ordinem ſuis virtutibus plurimùm illuſtrabat hoc tempore in Romana Curia P. Io: Columna Romanus natalium ſplēdore ſpectabilis, Dom. Papæ in Vrbe Vicarius, & Meſſanen. Archiep. qui hoc anno in Eccleſia S. Sabinæ conſecrauit altare ad honorem S. Petri Mart. fer. 3. hebdom. ſanctæ, cui 40. dierum Indulgentiam conceſſit, vt in noſtro Sac. Theat. Dominicano Tit. *Vicarij Dom. Papæ* ex Pyrro retulimus. Fuit autem poſteà translatus ad Nicoſien. Archiep. Eccleſiam in Cypro. *Plod.*

Triumphanti Eccleſiæ dedit hoc anno Dominicana Religio viros inclytos, atq; Beatos glorioſos, inter quos licet primo loco recensère B. Garziam Vulcoſium de Cantabria, magni nominis, ac ſanctitatis vi-

virum, qui vitæ innocentia, atq; miraculorum operatione tantùm inualuit apud Iacobum Regem, Conquiſitorem dictũ, vt non alteri vltimæ ſuæ voluntaris codicillos ad exequtionem commiſerit. Vlyſipone in cœlum euolauit multis miraculis coruſcans. *Bzou. ibid. num.* **18.**

Non inferioris meriti, atq; vtilitatis apud Eccleſiam Catholicam B. Petrus Luſitanus effulſit, patientia rara, charitate maxima, humilitate ſingulari, atq; in conſolandis afflictis, iuuandiſq; infirmis, dono cœleſti ditatus. Qui aliquando infirmus, ne dum mente, verùm & corpore ita eleuatus eſt in aera, vt diuina archana, & viderit, & P. Aegidio confeſſori ſuo reuelauerit. Sanitati reſtitutus; cum in Eccleſia nocte oraret, adfuit Satan, & calce inpacto eius tibiæ, tantum illi dolorem incuſſit, vt ſuborta fiſtula, ad mortem ſit deductus. Ituro ad ſuperos, tantùs fulgor in eius faciæ cœlitus adfuit, vt Prior in commendatione animæ nocturno tempore facta, alio ad legendum collectas lumine non indiguerit. *Bzou. ibid.*

Tres quoq. F. Conuerſi ſuperiorũ gloriæ ſe aſſociauère, in Ordinis habitu inferiores, virtutibus tamen æquales, Dominicus, & Martinus Luſitani, quorum prior virginitatis illibatæ candore effulgens, B. Agnetem Virg. & Mart. erga quam ſingulari deuotione affectus erat, vidit, atq; ab eadem hijdropis morbo ſanatus eſt: F. Martinus verò poſterior, mortis ſuæ imminentis reuelationem per octo dies ante habuit, & ritè Sacramentis communitus, in cœlum euolauit. Tertius verò fuit F. Conſaluus Luſitanus eadem integritate, demiſſione animi, reliquiſq; animæ ornamentis præfulgens, cui B. Virgo ægrotanti apparuit, & cœleſtia gaudia ſpopondit. *Bzou. ibid.*

His ſuperior fuit officio, atq; dignitate B. Martinus Luſitanus, qui in ſæculo Capellanus Epiſcopi Vlixiponen. Ordinem ingreſſus, ita ſanctitatis laude floruit, vt nil aliud optaret, niſi diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quare febri correptus in peruigilio Aſcenſionis Domini à B. Aegidio Poncello viſitatus, atq; ſpiritus exultatione recreatus, ſibi extremum imminère ad gloriam diem intellexit, morte interueniente in ſolemnitate Dominicæ Aſcenſionis *Bozu. ibid.*

Celebrata ſunt Londini noſtra Generalia comitia hoc anno, in quibus multa fuère ordinata in obſequium catholicę fidei, atq: pro dilatatione euangelij inter barbaras nationes iuxtà Vrbani Pont. vota. In illis ſeſſione vltima B. Humbertus Magiſter Ordinis propriæ quieti conſulturus, vtq; Deo liberius vacaret, Magiſterium, atq; regimen depoſuit, multo cum Fratrum mœrore; cui Capitulo interfuit Diffinitor pro Romana Prouincia S. Thomas de Aquino. Fuit Humbertus natione Gallicus, vitæ ſanctitate celebris, regulariſq; oqſeruantię cultor eximius, promotioni Ordinis ita addictus, vt illum plenè, & perfectè ſtabilitum viderit, pro cuius felici conſeruatione multa in Generalibus Capitulis ordinari voluit, ex quibus ſub ipſo decem celebrata ſunt; & quidem primum Budæ 1254. Mediolani 1255. Pariſijs 1256. Florentiæ 1257. Toloſæ 1258. Valenzenis 1259. Argentinę 1260. Barcinonæ 1261. Bononiæ 1262. vltimum Londini hoc anno. Reliquit ſtatũ Ordininis tranquillũ, & dilatatũ, viris præſtantiſſimis fulgentẽ, inter quos recenſendi ſunt S. Thomas de Aquino, & Beatus Albertus Mag., qui Catholicam Eccleſiam ſuis ſcriptis plurimùm illuſtrarunt. Humbertus igitur in pace, ac æquitate vixit vſq; ad annum 1274. quo corporis ſarcinam, in cœlum euolans, depoſuit; cum ſibi oblatam Patriarchalem Hieroſolymitanam Eccleſiam (non à Nicolao III. vt nos in noſtro Sac. Theatro Dominicàno, Bzouij te-

teſtimonio inniximus, diximus.) nam Nicolaus non niſi poſt annum 1277. Petri cathedram conſcendit, ſed à Clemente IV. vel Gregorio X. illam conſtantiſſimè recuſauit. *Olmeda in vita Humberti.*

Multi maximo Religionis Dominicanæ dolore, ſed ſingulari S. Matris Eccleſiæ, ac fidelium commodo, aſſumuntur hoc anno ad Eccleſiarum regimina, inter quos recenſentur PP. Creſcentius de Caua ad Alatrinam, Bartholomæus de Bennenuto ad Alerienſem, Iacobus ad Valuen. & Sulmonen. & Franciſcus ad Coſenaten. qui ſibi creditas oues per ſemitã mandatorum Dei dirigentes, præmia æterna conſequi promouère. *Vghellus in Ital. Sacr.*

In Theutoniæ Prouincia hoc anno Religioſus quidam ex noſtris, hæreticis infenſiſſimus erat; cumq; quendam amicum ſuum hæreſi coinquinatum haberet, vt ab erroribus reſpiceret ſępè ſepiùs monebat: qui cum obcæcata eſſet mente, dixit Fratri. Me à dæmone deceptum non credas, ſed ſi tibi Beatiſſimam Dei Genitricem cum filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, fidei, quam profiteor adhærentem oſtendero, veram eſſe credes? Reſpondit Religioſus, credam. Nocte ſequenti Religioſum è conuentu eductum duxit hæreticus ad vicinum nemoroſum montem, ſacratiſſimam hoſtiam in pectore deferentem, cumq; ad deſtinatum peruenisſet locum, palatium regium pulcherrimum vndiq; fulgidum vidit, & in illud ingreſſus thronos binos in circuitu collocatos, candidatorum multitudine coram adſtante conſpexit, in quorum primo Rex fulgore coruſco, in altero verò puella pulcherrima reſidebat. Hæc ſtatim ac hæreticus vidit in terram procumbens adorauit, & vt idem præſtaret, Fratrem monuit, qui è pectore ſacratam hoſtiam educens inconcuſſus, alta voce puellæ dixit: *Si cœli Regina es, en filius tuus, illum adora*; & ſine mora illicò diabolica viſio euanuit, hæretico maxima confuſione, ac timore quaſſato. *S. Antoninus 3. p. tit. 23. cap. 10.*

Caput VI.

B. IOANNE DE VERCELLIS. Magiſtro Generali VI.

ANNO 1264. In Capitulo Generali Ordinis, Pariſijs celebrato, electus eſt Magiſter eiuſdem præclariſſimus ille vir Prouincialis Lombardiæ, in Romana Curia famoſus, P. Io: de Vercellis, cum eſſet Generalis Vicarius Ordinis poſt renunciationem factam à B. Humberto, P. Petrus de Tarantaſia, qui poſteà aſſumptus ad D. Petri Cathedram, Innocentij V. ſibi nomen aſſumpſit. Fuit Io: vir potens in opere & ſermone, catholicæ fidei zelator inuictus, qui à B. Humberto ſuus in Hungariam Vicarius inſtitutus, ac miſſus, vt Prædicatoribus Euangelij inter barbaras nationes præſto eſſet, labentem in illis partibus catholicam veritatem, multùm fouit; atq; ſuſtinuit. *Olmeda in eius vita.*

Scripſit, & hoc anno obtulit S. Thomas de Aquino Vrbano Pont. librum de erroribus Græcorum, cum idem Pont. Legatos ſuos aliquos ex Prædicatoribus Conſtantinopolim direxiſſet ad Imperatorem Palæologum, pro inſtruendis Græcis in Catholica fide, quo in libro eorundem errores eruditiſſimè confutantur. *Caſtill. p. 1. lib. 3.*

Feſtum Corporis Chriſti Vrbanus Pontifex in Eccleſia inſtituit ob effuſionem ſanguinis emiſſi à conſecrata hoſtia,

a, Sacerdote de tanto Sacramento dutante apud Bolſenam Vrbeuetanæ diœcſis, cuius officium Pont. S. Doctori homæ Aquinati, atq; S. Bonauenturæ alneoregien. commiſit. Cũ verò vtrumue oblatum fuiſſet Pontifici, compoſiim à S. Thoma elegit, & approbauit, q; in vniuerſali Eccleſia recitandum poſtolico decreto ſanxit. *Bzou. in Anu. num. 3. 4. & 5.*

Pont. Prouinciali Lombardiæ noſtro Guardiano Aſtenſi Ord. Min. demanauit, vt inquirerent, an Epiſcopus Plantinus ciuitatem Placentinam hoſti Eccleſiæ Vberto Pallauicino prodidiſſet; etquid interim contra eum reperiſſent; ipſi diem apud ApoſtolicamSedem dant, qua coram iudicio Eccleſiæ cauſam iam peageret. *Bzou. vbi ſupra num. 9.*

Priori quoq; S. Dominici de Vrbeuetre B. Ambroſio Sanſedonio Legationis poſtolicæ munus iniunxit Pont. vt Iauam peteret, curaretq; ciues quoſdam alè ſociatos Michaeli Palæologo ſeiunere, ne contra Achaiæ Principem, alioſue in Oriente Latinos: In Occidente ero ne contra Romanam Eccleſiam, atq; Venetos, eiuſdem Eccleſiæ in ſummis diſcriminibus tutelares, impio Manfredo pem ferrent. *Bzou. ibid.*

Cum Ianuenſes eò tempore Eccleſiaſtico eſſent interdicto irretiti, Vrbanus Pont. ne cenſura in refractarios ex more riſco vſurpata B. Ambroſium Sanſedonium Priorem Vrbeuetanum Apoſtolicum Legatum à ſubeunda legatione retraheret, eam vſq; ad feſtum S. Michaelis, uod penultima Septemb. die celebrar, Apoſtolica auctoritate ſuſpendit. *Bzou. ibid.*

Impedimentum non modicum fuerat optatæ paci, à Pont. Max. inter fœdeatos ſeruandæ, quòd ſocias ciuitates graiſſimis exactionibus aliqui cum poteſtate Præfectorum premebant. Quamobrem Vrbanus Priori noſtro Pariſien. impoſuit, ne à Cõmiſſarijs, ſeu alijs Nuncijs, ac Legatis Apoſtolicis vltra certam ſummam à Sede Apoſtolica in eorum litteris deſignatam, Clerum pauperum, ac deuotum populum, propter exactiones Friderici, & Marchionis Pallauicini in tolerandas, nouis, & grauibus extorſionibus permitteret vexari. *Bzou. ibid. num. 9.*

Præcepit inſuper Vrbanus Prouinciali Hungariæ, vt Epiſcopos, & Prælatos ad pacem inter Belam patrem, & Stephanum filium Reges Hungariæ conſeruandam ſua prudentia, atq; dexteritate ſingulari induceret, quod ille præſtitit feſtinanter. *Bzou. ibid. num. 10.*

Aſſumuntur ab Vrbano Pont. aliqui ad Eccleſiarum regimen; vt ſibi creditas oues verbo, atq; inculpatæ vitæ exemplo enutriant: hi verò fuère PP. Bartholomæus de Beneuento, ex Alerienſi Eccleſia ad Amerinam tranſlatus, Gualterius Calaber ad Gabulen. & Iacobus Lector conuentus Vrbeuetani ad Tranen. *Vghell. & Bzou. num. 10.*

Tandem Vrbanus Pont. verus Paſtor Vrbis, & Orbis P. Thomæ de Leontino Hieroſolymitano Patriarchæ iuſſit, vt deferentes prohibita Saracenis anathemate percuteret: vtq; Corporis Chriſti ſolemnitatem inſtitutam celebraret, & pacem inter Cruceſignatos, nec non & reliquos Chriſtianos in Syria procuraret, atq; ſtabiliret prout fecit, & mortuus ibidem eſt. *Bzou. ibid.*

Aragonum Rex Iacobus de Catholica Eccleſia, ac fide optimè meritus, enixè procurantibus noſtris Prædicatoribus, 6. Kal. Aprilis firma, ac ſtabili Conſtitutione euulgata, ſanxit ſub pœnis, tum pecuniarijs, tum corporalibus delinquentibus in eam impoſitis, vt in libris, & codicibus cunctis, quos perfidi Iudæi in ſuis Regnis habebant, blaſphemias omnes, & dicteria in Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum,

ſtum,

Digitized by Google

ſtum, aut Beatiſſimā eiuſdem Dei ſemper Virginem Genitricem Mariam continétibus, proſcinderent, atq; quam primum eraderent, aut comburerent, præfectis ſuper hoc illis iudicibus S. Raymundo de Pennafort cum Patribus Arnaldo Segara (ad quorum inſtantiam, ac reiteratas ſupplicationes emanauerat Conſtitutio) Raymundo Martino, & Petro Genuenſe, omnibus ex noſtris. *Diag. lib. 1. cap. 15. & Bzou. in An. ſub an. 1263. num. 17.*

Deamans Ordinem Vrbanus IV. ob fructum maximum quem in Eccleſia Sancta Dei dabant Prædicatores, Priuilegia illis collata & ipſe auxit Apoſtolicis Bullis datis, eundem ſummopere commendantibus, quæ ſunt in Bullario Ord.

ANNO 1265. Clemens Papa IV. ad Summū Pontificatum poſt Vrbanum euectus Prouinciali Franciæ iniunxit, vt in Prouincijs, & ciuitatibus Bituricen. Narbonen. Senonen. Rhotomagen. Rhemen. atq; per totum Galliarum Regnum vna cum Miniſtro Ord. Minorum prædicarent piam Crucis militiam contra Manfredum olim Tarentinum Principem, necnon contra Saracenos Nucerinos ab eo contra Carolum adductos; atq; etiam populos inuitarent, Indulgentijs, atq; alijs priuilegijs propoſitis, ad ſacra arma ſumenda contra hoſtes Eccleſiæ. *Bzou. in Annal. num. 6.*

Voluit præterea Clemens iuxta decretū Alex. IV. relatum an. 1260. ne Inquiſitores à ſuperioribus ſuis in cauſis fidei impediri quoquo modo poſſint, ex priuilegio ſpeciali eiſdē conceſſo quodq. in eiſdem cauſis liceat per cenſuras quaſcumq. compellere Poteſtates, Rectores, Conſules, Capitaneos, alioſq; ciuitatum Gubernatores ad fidei negotia exequenda; nec non, & priuilegia, ac conſtitutiones Friderici Imperatoris contra hæreticos à ſuis prædeceſſoribus approbata confirmauit. *Bzouius ibidem.*

Conceſſit inſuper Superioribus Ord. Prædicatorum facultatem inſtituendi Inquiſitores, viros graues, doctos, atq; ad id muneris aptiores, in partibus tamen Italiæ, plurimiſq; illius ciuitatibus. *Bzou. ibid.*

Prouinciali Lombardiæ verò dedit Apoſtolicam facultatem inſtituendi in ſua ditione ex ſibi ſubditis octo Patres Inquiſitores ad hæreticam prauitatem reuellendam, viros habentes zelum Dei, atq; deſiderium promotionis Catholicæ fidei. Datis litteris Peruſijs 15. Kal. Nouemb. *Ex Director. Inquiſit.*

Cum ex ſtudijs linguarum Hæbraicæ, atq; Arabicæ à S. Raymundo inſtitutis apud Tunetum, & Murciam, de conſilio, atq; mandato Capitulorum Generalium noſtrorum, ſubſidijs Regum Aragoniæ, & Caſtellæ, vtilitates plurimæ in Iudæorum, Agarenorumq; conuerſione prouenire dignoſceretur, atq; frequentibus concionibus, nec non & diſputationibus conuicti ad S. Matrem Eccleſiam, veritatemq; Euangelicam non pauci accederent, S. Raymundus Prior Barchinonen. P. Arnaldus Segara, & P. Paulus Chriſtianus, videntes quod Rabinus quidam Bonaſtruch de Porta Gerunden. ſuis peſſimis dogmatibus, ac fallacijs plurimos auerteret, ne ad ſacrum lauacrum appropinquarent, & ipſum accuſauerunt, & Pontifici Max. & Iacobo Aragonum Regi tanquam blaſphemum, & blaſphemias multas dicentem in Chriſtum, atq; Sanctos contra ſancita decreta quare mandante etiam Pont. Clemente, fuit condignis pœnis mulctatus; vnde ab huiuſmodi blaſphemijs in poſterum abſtinuit. *Ex Diago lib. 1.*

S. Raymundus, quamuis emineret auctoritate ſuper S. Thomam Aquinatem, inſtantibus tamen precibus egit cum ipſo, vt pro gentium conuerſione libel

in ſcriberet in eorum confutationem, ꝛ quod & tenebrarum caligo euaneſce- t, & catholicæ fidei candor magis, ac agis eluceſceret. Vota S. Raymundi mpleuit Thomas; euulgauitq; opus ;regium, *Summa contra Gentes* inſcrip- m à Clemente Pont. laudatiſſimum. *iag. lib. 2.*

Plurimi ex Militante in Triumphan- m Eccleſiam diriguntur hoc quoq; an- o à Sacro Præd. Ordine, & inter illos rimo loco recenſetur B. Aegidius Pon- llus, natione Luſitanus, qui in ſæculo udio necromantiæ addictus, cum Sa- ana pepigit fœdus, vt in ea arte doctiſ- mus euaderet, chyrographoq; proprio nguine ſignato, pactum comprobauit. eptem annos continuos conſumpſit, ſub a poteſtate, qua ſe dœmoni ſubiecerat, mmis flagitijs celebris factus. Lutetiam roſectus, vt medicinæ lauream conſe- ueretur, cum quadam vice attentiùs ſtu- io vacaret, adfuit eques vultu terribilis, tq; armatus, lanceam vibrans in Aegi- ium, atq; increpans his verbis: *Muta atum tuum, & mores peſſimorum peſſime.* Neglexit iſte à perditionis via recedere unc; ſed ille alterâ die iterū occurrit, inua- itq. Aegidium, ac deiecit: qui tanquam lter Saulus à Deo percuſſus, lumen re- epit interioris hominis, ſtatum nequiſſi- num conſiderans. In Prædicatorum igi- ur Ordinem, vt ſcelerum ſuorum pœni- eret ingreſſus, ieiunijs, diſciplinis, vigi- ijs, ac cilicijs corpus premebat ſpiritum iuificaturus; cumq; per continuum ſe- ptennium dœmonum apparitiones, inſul- us, inſidias, atq; moleſtias paſſus fuiſ- et, ſeq; toto corde Virginum Reginæ commendaſſet, ac nocturno, diurnoq; empore à lacrymis fundendis ad ean- lem Beati ſſimam Dominam pro reſtitu- ione chirographi proprio ſanguine exar. ..., non ceſſaret, tandem adf... Aegidij pede ... hirographo

iecto, inſolitis gaudijs cor eius ita reple- uit, vt extra ſe rapi videretur, atq; cœleſtia deguſtare. Quare in humilitate, & pœni- tentia vſq. ad morté perſeuerans, miracu- lorum gratia ita effulſit, vt ſcipionis, cui nitebatur, ac veſtimentorum, imò & pul- ueris ſepulcralis tactu, plurimi deſperatæ à medicis ſanitati, ſint reſtituti. *Bzou. ibid. num. 8.*

B. Albertus Sabaudus ſequtus eſt Aegi- dium ad gloriam, qui viginti annis, qui- bus alpeſtribus Sabaudis indefeſſo labore prædicauit, innumeras animas cœlo de- dit. Cum verò ad caſtrum Aquæbellæ perueniſſet, vbi primùm miſſæ ſacrificium celebrauerat, iuſſit ille poſt prędicationem peractam circumſtantibus, vt ſacerdota- les veſtes ad celebrandum, & neceſſaria ad ſepulturam præpararent, quod vt fa- ctum eſt, adſtantibus amicis dixit: *Hic pri- mum Miſſæ ſacrificium Deo obtuli; hic pari- ter ſepulturam accipiam.* Irridebant illum ipſi, eò quòd perfectæ tunc eſſet valetudi- nis: parauerunt tamen ſacerdotalia para- menta, quibus indutus celebrauit ma- xima cum ſpiritus exultatione. Sacrificio peracto, extremam vnctionem ſuſcepit, & ſtatim in cœlum euolauit, multis mira- culis poſt mortem patratis. *Bzou. ibid.*

Hos comitatus eſt ad gloriam B. Gual- terus Germanus iunior, doctrina, vitæ in- nocentia, ac miraculorum gloria clariſſi- mus, qui cum Columbariæ Prioris onus ſuſtineret, monaſterium Sororum noſtra- rum, vt viſitaret infirmas, ingreſſus, in- cidit in infirmariam virginem febrem pa- tientem, quæ Priori dixit dum officia di- ſtribuebat, mihi quale officium in meri- tum ſanctæ obedientiæ dabis? cui ille, in- iungo, vt infirmitatem patienter ſuſtineas: abijt Soror, & infirmitatem tamdiu ſuſti- nuit patienter donec Prior poſt multum tempori... naſterium reuerſus eſt, ...ec..., ſe patienter infir- ...ſque ad eam diem. Mi-

Miratus Gualterius virginis ſimplicitatem, reſpondit: Et ego in meritum ſanctæ obedientiæ præcipio febri, vt à te diſcedat: & diſceſſit ſtatim. Maxima feruebat charitate, extaſes patiebatur frequentes, & pro animabus Purgatorij inceſſanter orabat; quare multas illarum ad cæleſtem gloriam tranſeuntes vidit, cum quibus etiam ipſe ad æternitatem peruenit. *Bozu. ibid.*

Multi quoq; aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina hoc anno, ex quibus ſequẽtes recenſentur PP. Morandus ad Fanen. Paparonus de Paparonibus ad Fulginaten. vbi Xenodochium pro communi commodo conſtruxit. Ambroſius Florentinus ad Ariminen. atq. Serulus ad Brugnaten. qui omni cupiditate ſemota Chriſti oues doctrinæ, ac ſacræ prædicationis pabulo informantes, in fide ſtabiles, atq. in opere efficaces ſuis exemplis conſolidantes, ad æternitatis ouile perduxerunt. *Vghell. Ital. Sac.*

B. Pinamontius diuini verbi præco famoſus, ac pietate inſignis, hoc anno apud Bergomum ſocietatem Miſericordiæ inſtituit, in qua confratres varijs charitatis operibus addicti, fructum maximum in propriarum animarum commodum referunt, ad ſuperna aſſiduis Prædicatorum exhortationibus inflammati. *Lopez p. 5.*

ANNO 1266. Clemens Pont. B. Ambroſium Sanſedonium Senẽſem deſtinauit ad reſipiſcentes oppidanos S. Germani iu Etruria excommunicatos, eòquod Manfredi partes ſuſcepiſſent, abſoluendos, atq. S. Matri Eccleſiæ reconciliandos, data ei plenaria auctoritate per Apoſt. litt. datas Viterbij 3. Non. Feb. cui, & alia vice pariter mandauit, vt Senẽſes ob eandem cauſam excommunicatos à cenſuris abſolueret. *Ep. Groſſet. in eius vit. Bzou. in Annal. num. 20.*

Eodem anno cum Alphõſus Rex Caſtiliæ ob victoriam maximam ſine ſanguine partam in Mauros, impellente Pontifice ad ſumenda arma, reportaſſet; inq. gratiarum actionem diuinum cultum ampliare decreuiſſet, atq. adeo caſtrum de Soriano in Cathedralem erigi à Clemente poſtulaſſet, idem Pont. Prouinciali noſtro Hiſpaniæ vna cum miniſtro Minorum, mandauit, vt Caſtrum de Soriano Oxomen. diœceſis in ciuitatem erigerẽt, Parochialem Eccleſiam in Cathedralem eueherent, atq; Epiſcopum eidem à Sede Apoſtolica præfigi poſtularent, Alphonſi ſupplicationibus ſatisfacturus. *Bzouius ibid. num. 15.*

Cum in Armeniæ partibus Patres noſtri Prædicatores copioſam populi illius multitudinem ſchiſmaticam, ad veri Pontificis Max. atq; S. Matris Eccleſiæ venerationem adduxiſſent, Armeniæ Rex datis litteris ad Capitulum Generale, inſtanter petijt à Patribus noſtris, ſibi mitti alios plures Prædicatores in ſubſidium fidei Catholicæ, vt maximè in illis regionibus cõfoueretur, atq; ſuſtineretur. Inſuper idẽ Rex petijt ab Ordine ibi recipi, ac fundari conuentũ, qui ex decreto Generalis Capituli apud Treuerim celebrati, fuit ibidem in hunc modum ſtabilitus: *Ponimus vnam domum in Armenia ad petitionem Regis Armeniæ.* vbi vſq; in præſentem diem perſeuerant Patres noſtri enutrientes in fide Catholica fideles illos, ne in Idololatriæ caligine inuoluantur. *Ex Act. Capit. Gen. Treueren.*

Cum Prelati Eccleſiarum Portugalliæ ad Curatorum inſtantiam Prædicatores, ac Minores impedirent, ne priuilegijs ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſis liberè fruerentur, nunciatis his Clementi Pont. pręcepit iſte Epiſcopis cunctis in Portugallię Regno conſtitutis, quatenus à moleſtijs huiuſmodi in Fratres Prædicatores abſtinerent, liberèq; illos ſuis priuilegijs perfrui ſinerent, ni Apoſtolicam vltionem experiri mallent. *Targ. in Monum. Ord.*

Cle-

lemens Papa datis litteris Apoſtoli-
pud Peruſium 6. Non. octobr. mul-
nceſſit priuilegia Inquiſitoribus in
no Aragoniæ ad euellendam hære-
eruginem deputatis, ob vtilitatem
uctum maximum, quem Eccleſiæ
ancta ſolertia, atq. zelo dabant. *Ey-*
in direct. Inquiſ.

n Brabantino Ducatu, cum Corne-
hæreſiarcha paupertatis adeo fautor,
ıſtinere, ac profiteri auderet, ſolam
pertatem ſufficientem eſſe ad omnia,
uæcumq. enormiſſima peccata abo-
la, tam præterita, quàm futura, & in
deliramento decedens ab inſano po-
o tanquam ſanctus coleretur, à P. Ni-
lo ibidem Inquiſitore vna cum Camc-
n. Epiſcopo, proceſſu in eum inſtru-
, poſt quadriennium effoſſa oſſa fuère
i publicè adiudicata, populo de eius
reſi certiorato. *Cantipatran. de Apib.*
Circa hoc tẽpus cũ P. Thomas Canti-
ranus vir doctiſſimus, & eruditiſſi-
is, hæreticorum hoſtis accerrimus in
abantia, contra inſurgentes nouas hæ-
es, nec non & antiquas, ore & cala-
o, ſtudio infatigabili per annos plures
certaret, Luſentinus Epiſcopus creatus
, datus Coadiutor, & Coepiſcopus Ni-
lao de Fontaines Cameracen. Paſtori.
exit ſibi creditas oues ſingulari charita-
, omnibus omnia factus, vſq; ad annum
175. quo deceſſiſſe ſcriptores multi fa-
ntur, alijs longiorem vitam eidem elar-
entibus. *Gall. Chriſt. & ſcript. Ord.*
uſit. in Chron. & Bibliot.

Cum hæreticorum, ex omni genere,
rus, quod ſolito nimis abundantius in
alia ſerpebat, multos, atq. ignaram ple-
m maximè, inficeret in dies, Clemens
ontifex tantum malum ex illa eradica-
irus, Prioribus Prouincialibus illius, vt
omnes ciuitates Inquiſitores mitteret,
l inquirendum contra illos, præcepit;
ectoribus, Prætoribus, Magiſtratibus,
Anſianis, ſuperioribuſq. quibuſcumq. ea-
rundem mandans, vt Imperatoriam Fri-
derici Conſtitutionem contra hæreticos
datam ſeruarent, ipſiſq; Inquiſitoribus fa-
uorem, atq. auxilium omne, ac oportu-
num pro ſuo exequendo munere imper-
tiri non differrent. Datis Apoſt. litteris
Peruſij 15. Kal. Febr. *Ex. direct. Inquiſit.*
& Fernand.

Celebrata ſunt hoc anno noſtra comi-
tia Generalia apud Treuerim in Alema-
nia, quibus Pont. ſequentes litteras Or-
dinem ſupra modum enconijs extollens
dedit Ap. litteras.

Clemens Epiſcop. Seruus Seruorum Dei Dilectis Filijs Magiſtro, & Capitulo Generali Ord. Præd. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INnuit ſacræ lectionis eloquium, quod Ordo veſter veroſimiliter Vrbem fortitudinis repræſentat, quam iuſta gens apertis portis ingreditur cuſtodiens veritatem; vobis enim iuſtitiæ zona præcinctis, ianua miſericordiæ cæteris aperitur ad gratiam, dum ſummæ veritatis, quæ Chriſtus eſt, mandata ſeruatis, & eorũ obſeruantiam ſummopere cuſtoditis. Eundem Ordinem, velut tabernaculum ſuum Altiſſimus ſantificauit, & in eo ſibi habitaculum præparauit conſtituens lucem in populis, viam ſalutis, & gratiæ fidelibus oſtenſuram; qui quaſi ſol in Dei templo refulgens, & quaſi cipreſſus in altitudinem ſe tollens, reſpicientium ad eum mentem illuminat, & quietis vmbraculum tribuit ſub mundanæ miſeriæ ſarcina fatigatis. Hic eſt ager Dominicus ſuperioris benedictionis rore perfuſus, requirens cultores induſtrios, pudicitiæ nitore præclaros, argumentoſæ probitatis munere præditos, nullius inquinamenti labe reſperſos, vt militantes in terris, triumphare mereantur in cælis; & currentes in ſolis ſtadio, beatitudinis æternæ brauium apprehendant. Hic eſt profectò fer-

tilitatis ager fructus vberes proferens; nam ſemina in ipſo ſparſa non pereunt; flores editi non areſcunt, & tamen ex multiplicatis manipulis grana gloriæ colliguntur. Propterea Ordinem ipſum, quem ſic in Domino prælucère conſpicimus, tenerrimè diligimus, & corde tenemus, paterna circa eum ſollicitudine vigilantes, vt protegatur à noxijs, ſalubria ſemper ſuſcipiat incrementa, & charitatiuæ pacis effluat vbertate. Licet autem, erga cultum diuini nominis conſtituti, quid ſaluti animarum expediat; quid honori debeatur Eccleſiæ; quid præfati Ordinis fœlix ſtatus expoſcat, iuxta vobis datam diuinitus gratiam, ex proprijs intelligentijs colligatis; debito tamen officij paſtoralis inducimur, filiales affectus circa præmiſſa paternis monitis extitare, vt quò deuotius æterni Patris, & eiuſdem Eccleſiæ beneplacitis veſtra in his ſtudia ſe coaptent, in eo promptioribus ad illa proſequenda ſtudijs conſurgentes, ad promiſſiones illius, in eius humilitatis obſequio ſecurius percurratis. Ideoq. vniuerſitatem veſtram rogamus, & obſecramus in Deo Ieſu Chriſto, quatenus verbum Domini, quod non eſt gerendum labijs alligatum, ex cuius operatione corda fidelium expiantur vitijs, & virtutibus muniuntur, pro vt deſurſum induſtriæ veſtræ præſumitur, in gentibus effundatis. Cæterum cum Eccleſiam Dei in diuerſis partibus varijs vexatam contumelijs dirisq. flagellis ſuorum perſequutorũ immanitate concuſſam, deuotorum intercesſionibus deceat adiuuari, ſui ſpõſi miſericordiã ſuppliciter imploretis, vt tempeſtuoſo procellarum turbine quieſcente, ad tranquilla tempora ſæ licis ſerenitatis perueniat, & ab hoſtium formidine, Deo propitio, liberata reſpiret. Inter cætera verò conuenit veſtris inſidere præcordijs, vt charitatis, & vnitatis veſtræ funiculus ſic alimento veræ pacis, & inuiolabilis concordiæ foueatur, quod nullam ſui partem cuiuſuis debilitate aduenerſitatis, ſeu commotionis amittat; quin potius illæſſus, & ſtabilis nullius corruptionis maculam habiturus perpetuò conſeruetur, ſuper quo ſunt vobis in ſpeculum, & exemplar illius almi merita Confeſſoris, qui prædictum Ordinem inſtituit, inſtitutum colunt, & cultum claritate beatitudinis illuſtrauit. Profectò quæ vobis ſcribimus, ex intimi affectus charitate procedunt, vt quanto laudabiliores, & vtiliores in domo Dei fructus feceritis ſub aſſumpto miniſterio ſeruitutis, tanto magis S. Matrem Eccleſiam, quæ multipliciter in vobis exultat, deuotio veſtra lætificet, & plenius apud diuinam clementiam, veſtris meritis præſentatis, quod promiſſum eſt benedictionis filijs, vobis ad perennem gloriam præparetur. Dat. Peruſij 6. Kal. Martij Pont. noſtri an. 2. Ex Act. ſuprad. Capit. Gener.

ANNO 1267. Cum nonaginta Fratres milites Hieroſolymitani, & complures Chriſtianorum à Saracenis in obſidione Aſſur, pro Chriſti gloria, tanquam milites Chriſti inuicti, trucidati fuiſſent, audita à Pont. Clemente cæde Galliarum Regem in adiutorium eorum, qui ſuperfuerant, euocauit; miſitq; P. Heliam Dominicanum ad Patriarcham Hieroſolymorum, & ad Magiſtrum Templariorum, petens cita auxilia à Cruceſignatis, & vt ſuperſtites animaret ad conſtantiam, atq; dimicandum pro fidei Catholicæ defenſione. *Bzou. in Annal. num. 3.*

Priorem Prouincialem Hiſpaniæ Inquiſitorem conſtituit hoc anno Clemens Papa IV. datis litteris Kal. Februarij, cui facultatem conceſſit deſignandi, & inſtituendi alios duos Patres ſibi ſubditos Inquiſitores, qui viriliter aduerſus iniquos hæreticos inſurgerent: & inſuper eidem Prouinciali indulſit; vt ſemel inſtitutos, poſſet amouère, & alios ſubrogare Inquiſitores, prout expedire eidem viſum fuiſſet in obſequium Catholicæ fidei. *Param. lib. 2.*

In Polonia P. Henricus Culmenſis Paſtor in Vratiſlauien. Synodq ex mandato Cle-

Digitized by Google

nentis Pont. cogregatam per Guido-Card. S. Laurentij in Lucina Apo-cæ Sedis Legatum, omnem conatum buit prædicandi ſacram militiam cō-Barbaros, adiunctis ſibi alijs ſocijs ex dicatoribus, quos Vrbanus IV. pro tium conuerſione elegerat. *Bzou. in* *ral Prou. Pol.*

Confirmauit inſuper Clemens Offi-n Ordinis per B. Vmbertum reforma-ı; atq; vt illo impoſterum omnes no-, tam in priuato, quàm in choro vte-tur præcepit, vt vniformes eſſemus in inis laudibus, Datis litteris Apoſt. erbij 8. Id. Iulij, quarum initium eſt *Olim.* Vghell. ex Act. Conſiſt.

Præterea Pont. Carolum Siciliæ Re-admonuit, vt officiales, ac milites ſuos upris, violentijs, adulterijs, ac rapinis hiberet: atq; inſuper, ne Marchionis andeburgici filiam, ſed Mariam Regis agonum ſibi in matrimonium collo-ret, admonuit, miſſo P. Guillelmo pro-er hoc ad Regem, vt matrimonium in nç modum conſtabiliret; quod vtiq; ad otatum Clementis votum perduxiſſet, iſi mors præpropera Mariam Regis fi-am è viuis rapuiſſet. *Bzou. ibid. num.* 10.

B. Iacobus de Blanconibus ex Meuania ı hæreticos Fraticellos, quibus abunda-at Meuania, & Vmbria tota, facundo re, & calamo inſurrexit, quotidianis prę-icationibus eorum deliria, & inſanias ropalando, tanto cum ſpiritus ardore, t multos illorum ex Vmbria eradicaue-it, alijs pluribus ad agnitionem verita-is perductis, de quo an. 1272. *Ex Hiſt.* *Rom. Prou.*

Cum ex Germania digreſſi hæretici plures diuerſarum hæreſum rubigine de-turpati ad Nouocomenſem ditionem perueniſſent, vbiq; latitantes, venenaq. ſua diffundentes, catholicæ veritatis ni-torem denigrare conarentur, re ad Pont. Max. Clementem IV. delata, B. Paga-num de Leco in Marchia Anconitana ab Innocentio IV. Inquiſitorem inſtitutum, eorumdemq; hæreticorum perſequtorem maximum probatum, Comum miſſit, vt ſua auctoritate, ac zelo hæreticos illos ex-terminaret. Cumq; id eis innotuiſſet, aſ-ſumpta fuga, in Germaniam reuerſi, ſibi parata incendia euasère. *Plod. p.* 2.

P. Guillelmus de Monte Reuelli, poſt rectos Toloſanæ Prouinciæ plures con-uentus, ſacro tribunanli Inquiſitionis prę-fectus eſt Inquiſitor, vt contra latitantes hæreticos Albigenſes, nouorumq. dog-matum inuentores procederet; qui fidei cauſa ſuſcepta, in eos ſeuerè inſurgens, condignis ſupplicijs, etiam mortis, in alio-rum documentum caſtigauit, etiam po-tentes, ac nobiles. Quarè tanti viri zelum Pontifex Clemens, & S. Ludouicus Rex mirati, eūdē ab Eccleſiaſticis infulis & di-gnitatibus alienū, vnicè dilexère, magna-tum vultum, minaſq. non pertimeſcen-tem. *Ex Arch. Inquiſit. Toloſ.*

Dom. Petrus de S. Aſterio Epiſcopus Pretragoricenſis, vir vitæ venerabilis, & Paſtor optimus, poſtquam oues ſibi com-miſſas verbo, & exemplo triginta tribus annis pauiſſet, in ſenectute bona, mun-danis vanitatibus vale dicens, obtento (cum difficultate tamen non modica) Apoſtolico beneplacito, manum miſit ad fortia, in Cōuentu noſtro Lemouicenſi Dominicanam togam aſſumens, ſub qua perſeuerauit in Ordine, maximo cum ſpi-ritus feruore annos octo, & menſes qua-tuòr cum dimidio, ſacros Ordines vice Epiſcopi ſæpe ſæpius adminiſtrando; & tandem vniuerſæ carnis viam ingreſſus eſt pridie Idus Iulij Dominica die an-no Dom. 1275. *Olm. & Taeg. in Mon.* *Ord.*

Clemens Pont. de Catholica fide con-ſeruanda in locis illis, vbi ſtabilita fuerat ſollicitus, P. Eliam ex Prædicatoribus Pa-triarcham, & Hieroſolymitani Regni ad-mini-

Digitized by Google

miniſtratorem', necnon ad Templariorum Magiſtrum, datis Apoſt. litteris delegauit, vt Cruceſignatorum parata auxilia mitterent: Ipſe namq. Pont. Galliarum Regem in adiutorium euocauerat cum Principibus cunctis Europèis ad arma contra Saracenos ſumenda, in quos pugnaturus Aijton quoq. Armeniæ Rex ad Clementis præces duos filios ſuos cum exercitu valido in Paleſtinam miſerat. *Ex Annal. Eccl. num.* 3.

Eodem anno Generalia Comitia noſtra pro Ordinis directione fuère Bononiæ celebrata, ad quæ Clemens Pont. Max. ſequentes Apoſtolicas litteras, ſe Patrum orationibus commendans, ſcripſit, Ordinem optimè laudans.

Clemens Epiſcop. Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & FF. Ordinis Prædicat. Bononiæ conuenientibus in Capitulo Generali. Salutem, & Apoſt. benedict.

ILle ſummus, & mirabilis opifex, cuius mira, & procul dubio admiranda ſunt opera, qui ſuam ædificauit Eccleſiam ſuper petram; & ne vnquam fides eius deficeret, exorauit, illam ſolida firmitate ſtabiliens, eam non ſolum ad ornatus decentiam, ſed ad exigentiam inexpugnabilis firmitatis Ordinum, & Religionum diuerſitate muniuit, vt ſit varietate circundata, & ſicut turris Dauid cum propugnaculis ædificata firmiſſimis, ex qua mille clijpei pendeant, omnis fortiũ armatura. Horum eadem Eccleſia fulta ſuffragijs, quaſi bellatorum ſtipata cuneis, & velut Caſtrorum acies ordinata terribilis, ſecura cum hoſte congreditur, & non ſolum ad confutandas ſpirituum malignorum inſidias, & inſidioſos repellendos inſultus, ſed ad apertos aſcendentium ex aduerſo impetus ſuperando imperterrita, & immota conſiſtit. Sanè quo magis inter cæteros belli ſpiritualis belligeros, ſacri veſtri Ordinis profeſſores ab Ordinis ipſius exordio, exercitio congreſſus huiuſmodi vacauerunt inſtantius, & efficacius inſtiterunt; & quanto ipſorum ſuffragia imbecillitati noſtræ deſideramus, & confidimus vtilius ſuffragari, tanto adhæſit eidem Ordini anima noſtra feruentius, & ad conſeruandam integitatem proſperi ſtatus eius ardentius aſpiramus. Ideoq. vniuerſitatem veſtram monemus, & rogamus, & hortamur attentè, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in hoc ſalubri congregationis veſtræ Capitulo vacetis vnanimiter, & concorditer intendatis, per quæ ſaluti animarum veſtrarum, & aliorum poſſitis vacare ſalubrius, & illibatam famam veſtram, & eiuſdem Ordinis conſeruare. Cæterùm licet ſperemus indubiè quod vos charitatis igne in ara cordium veſtrorum ardente ſuccenſi, paternum affectum, quem ad vos, & eundem Ordinem gerimus, attendentes, patri gratam filialis deuotionis viciſſitudinem rependatis, veſtrarum orationum nos frequenti opitulatione iuuantes; Nichilominus tamen, ne tam charam gratiam negligere videamur, earum pro nobis frequentiam humiliter imploramus, inſtanterq; petimus, vt ſic nos aſſiduis ſuæ charitatis præſidijs, velut Abiſac ſunamitis, adoleſcentula Virgo veſtra immaculata Religio foueat, quòd in nobis, qui nec ſeminis vires attingimus, debitus exequendi ſuſcepti officij feruor nullo vnquam tempore refrigeſcat. Dat. Viterbij 6. Kal. Iunij Pont. noſtri an. 3.
Ex Act. eiuſd. Cap. Gen.

ANno 1268. Clades maxima facta eſt in Syria à Saladino Saracenorum Principe apud Antiochiam, in qua ſupra centum viginti millia Chriſtianorum innocentum occidit hoſtis iniqus: inter quos virginitatis, ac martyrij palmam conſequtæ ſunt plures ſacræ Virgines; nam erant ea in Ciuitate tunc temporis bina ſacrarum Virginum Monaſteria, Dominicanæ profeſſionis vnum, Franciſcanæ alterum, quæ per ſolemnem profeſſionem propriã virginitatem Agno imma-

naculato, Virginum ſponſo deuouet; Appropinquantibus igitur barbaris Antiochenam ciuitatem, B. Chriſtia-; Patriarcha eas in vnum collegit, trās-s in noſtrum Monaſterium Franciſca-, vt faciliùs poſſent ab inſultibus bar-orum defenſari, quæ in Domino à S. ſtore confortatæ ad tolerandam potiùs ortem, quàm virginitatis iacturam, Spi-a ſancto cor illarum dirigente, omnes i naſum præſcindere decreuère, vt ſaninis effuſione deturpatæ, imminentia ila euaderent. Irruerunt igitur barban præclarum illud Virginum agen, imtenti libidinis æſtu fruentes, quas vt in iguine proprio deformatas compexèrt, in rabiem immanitatis conuerſi, ad ∴m omnes trucidauère; ſicq. per ducatam Virginitatis, & martyrij palim cœlos conſcendere promeruère *archeſius tom. 3. ſacri diarij, Bzouius, jq. Script. Ord.*

Præ cæteris autem trucidatus eſt B. hriſtianus noſter eiuſdem Ciuitatis Paarcha vnà cum quatuor alijs Patribus: um enim Saracenos cædibus intentos ognouiſſet, Pontificali pompa indutus, eraq; infula capiti impoſita, ante maiom templi aram procubuit, ibidemq; citatis cladem deplorans, populum ſibi editum cum lachrymis Domino Deo ommendauit; & cum quatuor ſocijs trudatus ibidem, cum eiſdem proprio ſanuine candidatus conſcendit in cœlum. *zou. in Annal. num. 12.*

Hos glorioſos Chriſti Athletas ſecuti int ad palmam hoc anno manibus Saraenorum iugulati, ſupra centum Religio-Prædicatores ex Prouincia Terræ Sanctæ in conuentibus eiuſdem ſolo ęquatis, ui cum gentium conuerſioni, peccatoumq; anteactæ vitæ emendationi ex core operam darent, ab irruentibus Saraceis, gladio cædente, directi ſunt ad gloiam. *Plod. p. 1. lib. 2.*

P. Raymundus Martinus apud Tunetum quamplures Mahumetanos, & Arabes ad amplexandam Chriſtianam fidem adduxit; ſcripſitq; contra Mahumeti Alcoranum ſummam eruditione maxima refertam, in qua eius deliramenta patefecit. Linguas Hæbream, & Arabicam callens multos à ſecta Mahumetana auertebat, atq; Chriſtiano gregi per baptiſma aſſociabat; proptereàq; in magna æſtimatione apud S. Ludouicum Franciæ, & Iacobum Aragonię Reges, imò & apud Tunetanum Principem fuit. *Diag. lib. 2.*

Eodem anno Clemens Pont. ſcripſit S. Thomæ de Aquino, vt ſibi duos ſocios Ordinis Fratres, vnum Clericum, alterum verò Conuerſum aſſumeret, qui illum adiuuarent, eiq; in omnibus obedientes forent, ſalua Superiorum in Ordine auctoritate. Delectabatur ſummoperè Clemens conuerſatione eiuſdem S. Thomæ, & totum vitæ tempus ieiunijs, orationibus, ac vigilijs, iuxta morem inſtituti FF. Prædicatorum, quos maximè diligebat, tranſegit. *Bzou. in Annal. num. 6.*

Habentur Generalia Comitia Ordinis Viterbij in Conuentu Gradenſi, translata ex Piſis de mandato Clementis Pontificis, qui illi ſua preſentia, non ſemel condecorauit, neceſſaria pro victu Patrum abundanter elargiēdo, quos tandē cumulatos Indulgentijs ſacris, dimiſit in ſuas Prouincias. In dicto autem Capitulo tale ſancitum eſt decretum in reuerentiam, & debitum obſequium erga S. Apoſtolicam Sedem. *Cum humilitas noſtri Ordinis requirat obedire ſimpliciter, & non diſcutere ſententias Legatorum, volumus, & diſtrictè mandamus, ut ſententiæ Legatorum Sedis Apoſtolicæ, maximè Cardinalium, exacta diligentia obſeruentur.* Quia verò tanta erat tunc temporis æſtimatio Ordinis, vt Reges, Principes, ac Magnates Fratribus in ſuis Legationibus aſſiduè, cum eorundem, & Ordinis perturbatione non mo-

modica vterentur, tale in hoc Capitulo ſancitum fuit decretum. *A recipiendis Ambaxarijs, & Legationibus, Fratres quantùm poterunt, ſe ſubtrahant.* Ex Actis eiuſdem Capit.

Promouit Pontifex Max. Clemens IV. ad Eccleſiarum regimina hoc vltimo ſui Pontificatus anno P. Laurentium Cardinalis noſtri Anibaldenſis Capellanum ad Archiep. Acheruntinam, & P. Thomam de Leontino, qui Neapoli ad Ordinis habitum Angelicum Doctorem recepit, ex Epiſcopali Bethlehemitana ad Archiep. Cuſentinam tranſtulit, viros pro ſuo grege mori paratos, vt in vitam dirigerent ſempiternam. *Vghell. & Plod.*

Commune humanæ fragilitatis debitum perſoluit hoc anno Sāctiſs. Clemens Ordinis noſtri amantiſſimus, Pontifex longiori vita verè dignus, quem Deus præripuit, ne malitia immutaret cor illius; Auxit etiam ipſe priuilegia Ordinis, quæ in Bullario noſtro referuntur.

ANNO 1269. In Lombardia hæreticorum audaciam delumbaturus Mediolanenſis Inquiſitor P. Raynerius Sacconus, cum ſuperioribus annis funditus euertiſſet caſtrum de Gatha hæreticorum nidum, hoc quoq; anno caſtrum de Mozanigo, frementibus ipſis, ſolo æquauit, quòd ab eiſdem hæreticis inhabitatum erat, ſumpto de ipſis ex lege ſupplicio. *Bzou. in Annal. num. 7.*

Vacante Apoſt. Sede Inquiſitores in Regno Aragoniæ viriliter contra hæreticos, eorumq; futilia dogmata decertabant: nam PP. Guillelmus de Colonico, & Petrus Cadireta Generales Inquiſitores, Barchinone in capitulo noſtri cœnobij Prædicat. coram P. Arnaldo Segara, & Patribus Petro de S. Pontio, ac Petro de S. Pace, necnon & Abbate Monaſterij Montis Serrati, pluribuſq; alijs ex noſtris, ac nobilibus ciuitatis, ſedentes pro tribunali ſententiam protulerunt contra Arnaldum Vicecomitem caſtri de Caſtelbò prædefuncti, hæreticum eum declarantes, cuius oſſa ex eccleſiaſtica ſepultura effoſſa, fuère in ſterquilinium proiecta: Similem quoq; ſententiam protulère contra ipſius Comitis filiam Ermeſcendam Foxi Comitiſſam iam prædefunctam, tanquam hæreticam damnantes, cuius etiam oſſa ex eccleſiaſtica ſepultura educta, longius à cœmeterio proiecta ſunt. Inſuper in iudicium citauerunt in dicta die ad cōparendum Rogerium Bernardum Foxi Comitem, Comitiſſæ filium, vt de infamia, qua tanquam hæreticorum fautor laborabat, ſe expiaret: atq; tunc alijs fautoribus, & receptatoribus hæreticorum graues pœnas inflixerunt. *Diag. lib. 1. cap. 5.*

Clarebat hoc anno, & tempore in Gallijs B. Pontius de S. Aegidio in prouincia Toloſana hæreticæ prauitatis Inquiſitor, qui Clementi Papæ IV. & S. Ludouico Franciæ Regi longè chariſſimus munus ſuum ſanctè, atq; apoſtolicè adimplebat. Plures labores, etiam cum periculo vitæ, pro fide catholica defenſanda paſſus, in hæreticis exterminandis Magnatum vultus non timuit, ſed conſtantia inflexibili contra eos decertauit. *Bzou. num. 6.*

Eodem quoq; anno S. Raymundus de Pennafort in Inſula Maioricenſi plures Arabes ad fidem Ieſu Chriſti ſuis feruidis exhortationibus allexit, quos ſacro lauacro regeneratos, eleemoſynis hinc inde ab eo emendicatis adiuuit, atq; in rebus chriſtiani ritus informauit. *Diag. lib. 2.*

P. Stephanus Vaſtini Gallus Inquiſitor in Gallia inſtitutus, hæreticos, & blaſphemos perſequi non ommittens, multos ex illis iuxta ſacrorum Canonum documenta caſtigauit, & S. Ludouici doctus exemplo, blaſphemos peiores, & aſſuetos labijs cauterio inuſtis puniuit. Quare toruius oculis, non ſolum ab illis, ſed

etiam

a ab eorum fautoribus, & his nobili- & potentibus intuebatur; ſed Re- S. Ludouici auctoritatē pertimeſcen- ſancto Inquiſitori moleſtias inferre bantur, ne peiora experiri compelle- ur incommoda. *Ex Monum. Archiu. ſ.*

hoc quoq; anno, vacante tamen Apo- ca Sede, Pariſijs noſtrum Generale itulum habetur, in quo iniunctum omnibus, tam Prædicatoribus, quàm nfeſſoribus, vt inducerent fideles ad giendas eleemoſynas pro ſacro bello, Cruceſignatis ad arma ſumenda in ræ Sanctæ ſubſidium, eò quod S. Lu- icus Galliæ Rex glorioſiſſimus eiuſ- n Terræ Sanctę mala ſuſtinere non va- s, nouam expeditionem in eam para- . Decretum autem eiuſdem Capituli loco digniſſimum, tale eſt. *Fratres, Priores, quibus Crucis prædicatio eſt com- ſa, commiſſionem ſibi factam diligentius quantur; & tàm ipſi, quàm cæteri Fra- s, cum ſe facultas obtulerit, teſtatores in- cant ad eleemoſynas faciendas in ſubſidiū rræ Sanctæ, & ſint diligentes denunciare iq; in ſuis prædicationibus paſſagium Do- ini Regis Franciæ, quod erit in prima ſepti- ana ſequentis Maij in portu de Aquis mor- is.* Et in eodem Capitulo fuerunt in to- Ordine iniunctæ publicæ præces, vt eus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus m iuſti belli negotium fouère dignare- ir. Ordinatio autem Capituli talis eſt. *em ſingulis diebus profeſtis in Miſſa con- entuali poſt Pater noſter, cum proſtratione icatur Pſalmus, Deus venerunt gentes, &c. m verſ. & orationibus, ab illo, qui dicit Miſſam dicendis, & incipiatur poſt Paſcha.* x Act. eiuſdem Cap. Gen.

P. Paparonus de Paparonibus ex pri- naria Romana nobilitate, Epiſcopus Ful- ginaten. de quo ſup. ann. 1265. Fratres oſtros extra Fulginaten. mœnia exiſten- es in nouum Conuentum à ſe fabrica- tum tranſtulit, vt diuinis obſequijs in pec- catorum conuerſione ad pœnitentiam fa- ciliùs, commodiuſq; intendere valerent, & contra hæreticorum Fraticellorum vi- rus, quod in ea ciuitate ſerpebat, ſe viri- liter opponerent, proprium exemplum ſe- quturi; nam ipſe Epiſcopus perfecto odio illos inſequtus, omnem conatum habuit, vt eos ex ſibi credita diœceſi effugaret, pluribus illorum captis, & ſuſpendio; nec non & igne, in aliorum documentum pe- remptis. *Ex Monum. Conu. Fulg.*

ANNO 1270. Licet interregnum Pontificium eſſet; non tamen pro- pter hoc à prædicatione verbi Dei ceſſa- bant Prædicatores pro animarum ſalute, gentibuſq; ad catholicam fidem conuer- tendis. Quare hoc anno P. Guido Lon- gimellus magna ſanctitate, zeloq; ſaluan- darum animarum munitus, cum Sarace- nis Euangelium Dei annunciaret, ab eiſ- dem vna cum ſocio trucidatus, glorioſam pertulère ambo propter Chriſtum mor- tem. *Bzou. in Annal. num.* 15.

Contra hæreticos verò glorioſè decer- tabant viri illuſtres PP. Petrus de Cadi- reta, & Guillelmus de Colonico Apoſtoli- ci Inquiſitores inſtituti in errores Albi- genſium, atq; aliarum hæreſum ſuſpectos, in Vrgellen. diœceſi, qui contra adhæ- rentes Comitis Fuxen. procedebant, gra- ues pœnas infligendo, & Rogerium Er- meſendem nepotem in eodem crimine participantem damnauère. *Bzou. ibid. num.* 14.

Cum plures hæretici ex Toloſana, Bi- terren. atq; Carcaſſonen. diœceſibus in Aragoniam deſcendiſſent; nec non & Ca- thaloniam infeciſſent ſuis prauis dogma- tibus: S. Raymundus animaduertens rui- nam, quæ catholicæ fidei in illis Prouin- cijs imminebat, cum Aragonum Rege egit; vt ab Apoſtolica Sede obtineret, quod hæreticæ prauitatis iudicium in hæ- reditarijs Regnis, & bello conquiſitis, ſe-

N uera

uera animaduerſione iuxta ſacrorum Canonum decreta conſtitueretur. *Bzouius ibid. num.* 14.

Hoc quoq; anno in Affrica ab exercitu Crueeſignatorum initum eſt fœdus cum Rege Tunetano, vt Fratres Ordinis Prædicat. & Minor. in ſuis vrbibus reciperet, cum facultate prædicandi vbiq; & ſi quis ex Agarenis vellet ad veritatem Euangelicam accedere, & baptizari, licitum illi eſſet: & quod captiuos Chriſtianos dimitteret: his vtrinq; propoſitis, decennales induciæ iuramento ſunt ſtabilitæ. *Bzou. ibid. num.* 7.

Plures filij incliti Dominicanæ Religionis hoc pariter anno ad cœlos euolauère, inter quos elucet B. Guillelmus Anicienſis Gallus, inſigni pietate, atq; profunda humilitate ornatus, qui cum poſt ſuſceptum oleum ſanctum oculos extersiſſet, aperuiſſetq; Angelorum choros in viciniori hortulo, animam ſuam expectantes, vt in cœlum deferrent, vidit: & conuerſus ad circumſtantes Fratres, ſe videre gloriam Dei, repoſitamq; ſibi coronam, teſtatus eſt, hiſq; dictis ad ſuperos conſcendit. *Bzou. ibid. num.* 15.

B. Bonaſpemius Peruſinus Guillelmum ſequtus eſt ad gloriam, qui propter miram ſanctitatis, atq. charitatis laudem Alexandro IV. Pont. Max. longè chariſſimus, eiq. à ſacris confeſſionibus, ac ſubinde S. R. E. Maior Pœnitentiarius effectus, in humilitate maxima Deo ſeruiens, recuſato Fanen. Eccleſiæ regimine, cuncta arbitrabatur, vt ſtercora, dummodo Chriſtum eſſet lucrifacturus. Ea propter ieiunijs, diſciplinis, ac cilicijs addictus, cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Cum verò ad Generale Capitulum, Mediolani hoc anno celebrandum acceſſiſet, perrexit ad Chriſtum, communibus ſuffragijs Ordinis, prout optauerat parentatus. *Bzou. ibid.*

Euolauit in cœlũ & hoc anno B. Iacobus de Caſerta S. Thomæ Aquinatis chariſſimus diſcipulus, qui virtutum illius æmulator, dignus fuit videre S. Doctorem in aera eleuatum, atq; audire Chriſtum Crucifixum dicentem: *Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Bzou. in Annal. num. 15.

Sacras quoq. Virgines cœlo obtulit hoc anno Dominicana Religio, ex quibus prior ſe offert B. Helena de Hungaria vſq. ad prodigium ferè admiranda, quæ à vehementiſſima Dominicæ paſſionis contemplatione, ſtigmata in manibus, latereq. dextro manifeſtè apparentia, Chriſto imprimente, recepit. Quo tempore cum die feſto S. Franciſci vulnus dexteræ eius manus, paulò ante quam moreretur cicatrice obduceretur; aureus circulus in vola, lilium candidum incluſum continens apparuit. Frequentius cum oraret corpore in aera eleuata, cœleſtes quoq; concentus audiebat. Maximo deuotionis ardore erga ſacram hoſtiam flagrabat, quam cum à P. confeſſarioſuo conſequi nequiret, Saluator ipſe viſibilis, eam Hælenæ porrigebat. Moritura Chriſtus ſe præſentem exhibuit, eamque ad ſempiterna gaudia euocauit, & multis miraculis corruſcare voluit. *Bzou. ibid. nu.* 16.

Helenam B. Margarita filia Belæ IV. & Mariæ Regum Hungariæ comitata eſt ad gloriam, quæ duos tantùm annos nata, prophetico ſpiritu caſum Friderici Auſtriæ Ducis, nec non & paterni exercitus internecionem prædixit. Prædicatorum Ordinis habitu induta, tantùm virtutibus profecit, vt omnes perfectionis numeros compleuerit. Erga Dei Genitricem deuotio, ferè ab ipſo lacte fuit. In meditatione paſſionis Domini aſſidua, lachrymarum profluuium emittebat. Imaginem nullam Beatiſs. Virginis præteribat, quin prius ſe proſterneret, atq. ſalutatione Angelica illam compellaret. Interiora animorum ſpiritu diuino cognoſcebat: futu-

multa prædixit, & mortem propriam, am læta aſpexit, ſanctã animam puriſſim cœlo dando. Viuens, atq. vita funinnumeris miraculis claruit. *Bzou. dem.*

Euolauit quoq. in cœlum hoc anno S. douicus IX. Rex Galliæ, cui annos 20. acris confeſſionibus fuerat, necnon & ramenta in morte miniſtrauit P. Gaudus de Bello loco: & P. Guillelmus rnutenſis illius Cappellanus fuit, qui tã eiuſdẽ Sancti ſcripſit, iubente Gener. rdinis Ioanne de Vercellis. *Bzou. ibid. m. 8. & 1. ſeq. Mirreus in Bibliot. Eccl.*

Promouentur Prædicatores, vtpotè omni cupiditatis nota alieni, ad Eccleſiaſticas Infulas, etiam Archiepiſcopales: quidẽ P. Iacobus de Viterbio cum eſſet Romana Curia Procurator Ord. ad rentinam, & P. Martinus de Bononia c tempore promotus eſt ad Armacham, qui ſuarum Eccleſiarum iura infrao animo ſuſtinuère, reſiſtentes in fam Principum, & aliorum, qui ea deimerere conabantur. *Plod. & Vghell.*

Feliciter gladio oris ſui dimicabant rædicatores contra Agarenos in Affria apud Tunetum, quorum conuerſiocm ad Chriſtum ſitientes, non ceſſabant prædicationibus, colloquijs, atq. exhortationibus aſſiduis, vt illos per ſacrum reenerationis lauacrum ad Chriſtum reucerent: nec eos ſpes fefellit; nam mulorum corda dirigente ſpiritu Sancto, Mahumetanis ſpurcitijs reiectis, ſoli Deo erum cultum exhibentes, regna cœleſtia promeruère *Diag. lib. 1. cap. 15.*

ANNO 1271. Annus tertius eſt iſte Pontificij interregni, in quo andem electus eſt Pontifex Max. Gregoius X. Kal. Septemb. *Ciaccon.*

B. Ioannes impiorũ hæreticorum Apoſtolicus coinquiſitor, dum apud Toloſam hæreticos ipſos virili conſtantia perſequi non deſiſtit igne, ac ferro eos puniendo, ab ipſis captus, lapidibus obrutus, atq; lancea tandem confoſſus, ſanguine laureatus cœlum introiuit laborum ſuorum præmium æternum conſequturus. *Luſit. in Chron. & Lopez p. 5.*

Duo, qui fuère Cardinales Ordinis, aſſumuntur à Gregorio Pont. ad Eccleſiarum regimina: Petrus de Tarantaſia ad Archiepiſcopatum Lugdunen. Robertus verò Kiluarbius Anglus ad Archiepiſcopatum Cantuarien. Vterq; autem Eccleſiam ſibi commiſſam, velut decebat Apoſtolicum virum gubernauit, cum non modico in via Dei, creditarum ſibi ouium incremento *Gall. Christ.*

Philippus Galliæ Rex S. Ludouici filius, & in Regno ſucceſſor, ad regimen Regni aſſumptus, cum vnicè Fratres Prædicatores diligeret, ad ipſos in Capitulo Generali apud Montempeſſulanum congregatos, epiſtolam lachrymis plenam, dedit, commendans ſe ſummoperè eorum orationibus in afflictionibus ſuis, in quibus verſabatur; Tenor autem epiſtolæ talis eſt in Actis Capit. apud Tagium, *O uos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus &c.*

P. Adymarus Hiſpanus, Alphonſo Sapienti Hiſpaniæ Regi à ſecretioribus cõſilijs, atq; inter cœteros ab eodem deamatus, eligitur Abulenſis Epiſcopus à Capitulo ad eiuſdem Regis petitionem, & cõfirmatur à Pontifice Gregorio, ad quem legationem Regiam pro ipſo Alphonſo obiuit, nunciante ei ſuam in Romanorum Regem electionionem. Mortuus eſt autem Paſtor optimus in ſua Eccleſia ann. 1284. *Gil. in Teatro Eccl. Abulen.*

Confirmãtur inſuper à Greg. Pont. alij Prædicatores, in Pontificio interregno à Capitulis electi, inter quos recenſentur Robertus Billibri Archiep. Cantuarien, Paparonus de Paparonis nobilis Romanus Epiſc. Fulginaten. Nicolaus Fortiguer-

guerra Epiſc. Alerien. atq. Theodoricus Burgondionus Ceruien. *Vghilus*.

Eligitur tandem poſt longum interregnum Gregorius X. Erat Card. Theobaldus (ex familia nobili Vicecomitum Placentinorum, genere tamen Mediolanenſium, quando electus eſt Pontifex, dictus Gregorius X. vitæ ſanctitate celebris,) apud Ptolemaidam cum Eduardo Angliæ Rege pro recuperatione Terræ Sanctæ, enunciataq. electione eidem à fidelibus, necnon, & Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, à Sacro Collegio ad prædicandum Euangelium, miſſis in Terram Sanctam, Romam venit, quendam noſtrum Fratrem Conuerſum ſibi chariſſimum ſecum ducens, quem in Romana Curia Pōtificijs eleemoſiymis prefecit ſequenti anno, de quo Spondanus in Annal. ita ſcribit. *Obſeruatq; Ptolomæus in ſuis Annalibus primum eum (ſcil. Gregorium) fuiſſe, qui ſolemnem elleemoſynam ordinauerit in Curia Romana, præfeciſſeq. ei quemdam Fratrem Conuerſum Ordinis Prædicatorum, quem ſecum duxerat à partibus vltramarinis*. Spondan. in Annal. Eccleſ. hoc anno num. 5. & 1276. num. 1.

P. Gherardus Frachettus Lemouicenſis, doctrina, pietate, atq. zelo promouendæ Catholicæ fidei mirabilis, poſt ſcriptas vitas Patrum noſtrorum, qui à fundatione Ordinis ad ſua vſq. tempora ſuis virtutibus, ſacris prædicationibus, congreſſibuſq. cum hæreticis, eundem illuſtrauerant, poſtq. euulgatum opuſculum *De poteſtate Eccl[e]ſiæ ſuper hereticos*, hoc anno in pace quieuit *Plod. & Lucarin.*

ANNO 1272. Gregorius X. Pont. ſupplicantibus Ianuenſibus ad mentem reuerſis, atq; pontificiam clementiam enixè implorantibus, P. Ioanni de Vercellis Magiſtro Generali Ord. poteſtatem dedit eos abſoluendi ab omnibus cenſuris, & vinculis, quibus irretiti diu permanſerant, quòd ille cum Apoſtolicæ Sedis debita reuerentia præſtitit. *Bzou. in Annal. num. 7.*

P. Raymundus Corſauinus Maioricen. Epiſcop. in Maioricen. Regno Mahumetanos complures ad catholicæ fidei amplexum perducens, ſacro baptiſmate abluit. Laborabant quoq; ſtrenuè in Agarenorum conuerſione maximo cum eorundem fructu noſtri Prædicatores, quorum vberrimam meſſem inclytus Iacobus Aragonum Rex conſiderans, ſcripſit Prætoribus, & Gubernatoribus Maioricen. Regni in laudem FF. Prædicatorum, pluribus priuilegijs eos confouendo. *Diag. lib. 2.*

P. Petrus Fulconis aſſumitur in Summum Pœnitentiarium à Gregorio X. Pont. qui ſequenti anno, cum animarum infidelium ad Chriſtianam fidem per prædicationem Euangelicam conuertendarum deſiderio ardentiſſimo teneretur, depoſito ad Pontificis Max. pedes Summi Pœnitentiarij titulo, atq; iure, in Terram Sanctam profectus, ibi in conuerſione gentium, ærumnoſis laboribus conſumptus, ad ſuperos tranſijt. *Taeg. in Monum. Ord.*

Cardinalis noſter Hanibal de Anibalis à S. Thoma de Aquino ita deamatus, vt Commentaria in quatuor libros ſententiarum eidem dicauerit, ex hac lachrymarum valle eripitur; cumq; morbo conflictatus rogaretur à Medicis, vt caſtitatis pudorem violaret, ſi ſaluam eſſe vellet mortalem vitam, reſpondit, *malle ſe illibata caſtitate occumbere, quàm violata virginitate viuere*. In Vrbe veteri perrexit ad Chriſtum, corpore apud noſtros tumulato. *Bzou. num. 19.*

Cardinalem ſequuti ſunt ad gloriam tres Poloni fratres vterini, P. Venceslaus Sacerdos, P. Vladislaus Diaconus, & P. Viſlaus Subdiaconus, omnes Dominicani inſtitu-

ſtitu-

ti profeſſores, qui vna die habitum
inis è manibus S. Hiacynthi ſuſci-
ites, eiuſdemq. inſtitutis, ac virtuti-
informati, puritatis, ſanctitatiſq; con-
uæ illuſtria dabant ſpecimina. Vno
oq; Cœnæ Dominicæ die, nempè feria
naioris hebdomadæ, cum ſacroſancta
chariſtia cum alijs Fratribus, vt moris
in Ordine, refecti, pro antiqua Pro-
iciæ Poloniæ conſuetudine, ante Aram
iximam SS. Trinitatis proſtrati gratias
eo ex corde perſoluerent, ſubito exani-
es effecti, ibidem mortui remanſerunt,
q; cum alijs ſurrexerunt. Terrorem
aximum incuſſit euentus in corda ad-
intium Fratrum, atq; fidelium omnium;
niuerſi ſiquidem ſuſpicabantur ne illi cũ
ida proditore Chriſti menſæ communi-
aſſent, atq; iuſto Dei iudicio repentina
morte corruiſſent; quamobrem eorum
orpora extra Eccleſiam ſine orationibus
uère ſepulta. Apparuerunt autem illi
Priori Conuentus, & increpato, dixerunt:
Heus Pater, quare corpora noſtra extra eccleſiaſticam ſepulturam humari feciſti? An ignoras iudicia Dei eſſe inſcrutabilia? Abſtracti à corpore illicò cœleſtes ſedes conſcendimus. Ab illis aris compunсto corde ad menſam Regis Regum peruenire digni fuimus adiudicati. Monemus te igitur, vt corpora noſtra in Eccleſiam transferas, à qua immeritò proſcripti fuimus. Perterrefactus Prior ſtatim ſurrexit, & quæ ſibi contigerant Fratribus narrans, cum decenti honore tria corpora, ſuauè olentia in eccleſiam intulerunt, atq; honorificè in cappella trium Regum condiderunt, laudantes Deum, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. *Bzou. ibid. num. 20.*

Paſtores multos diuerſis Eccleſijs dedit Gregorius Pont. ex Ord. Prædic. aſſumptos, vt illas cum creditis ſibi populis probè regentes, æternas ſibi coronas præpararent in cœlis: & quidem Patriarchali Hieroſolymitanæ in Terra Sancta P. Thomam de Leontino, virum præſtantiſſimum, & verè Apoſtolicum; ex Archiepiſcop. Lugd. translatũ; P. Petrum de Tarantaſia tranſtulit ad Tarantaſien.; Viterbienſi P. Philippum; Vrbeuetanæ, P. Aldobrandinum de Caualcantibus; Lucenſi P. Petrum Angelellum; & in locum tranſlati Petri de Tarantaſia cõſtituit Archiepiſc. Lugdun. P. Petrum Peraldum.

Pridie Id. Maij inclytus Henricus Sardiniæ Rex, Friderici Imperatoris filius humanis rebus Bononiæ inter manus Fratrum Prædicatorum ſanctiſſimè in Domino confiſus, & corde compunctus poſt diutinam per annos 22. in carcere detentionem ceſſit, ab eis ad mortem optimè diſpoſitus, ſepultura in Eccleſia S. Dominici eiuſdem ciuitatis electa: cuius funus, magnificentiæ regiæ pompa, Bononienſes celebrarunt. *Bzou. ibid. numer. 16.*

Gregorius Pont. Viterbij 4. non. Maij P. Gaufrido de Belloloco S. Ludouico Galliæ Regi, dum inter mortales eſſet, a ſacris confeſſionibus, & conſilijs, mandauit, vt omnem viuendi rationem, geſta, pœnitentias, virtuteſq; eiuſdem S. Regis deſcriberet, & ſigillo ſignatas ad Apoſtolicam Sedem mitteret, vt in Sanctorum Album referretur. *Bzou. ibid. num. 1.*

Cum Meuaniæ Conuentus à B. Iacobo de Blanconibus Conciue, eleemoſynis vndiq. emendicatis, ædificatus, in eum deueniſſet ſtatum, vt commodè à Patribus noſtris inhabitari poſſet, in illum ingreſſi, pietatis operibus ſe dedère, populum illum ſalutaribus monitis, atq; aſſiduis prædicationibus ad pœnitentiam amplexandam maximo cum animarum fructu dirigentes, conſtituto ibidem Priore eodem Beato, qui cum perfecto odio in hæreticos inueheretur, & Fraticellos precipuè, quibus Vmbria tota, & Meuania maximè abundabat, ita illos gladio ſpiritus oris ſui perſequutus eſt, vt multos

Digitized by Google

tos ex eis in vicinis ciuitatibus exiſtentes vna cum eorum Duce, & Anteſignano Ottonello, viro potente, ad abiurandam hęreſim cum Meuanatum exultatione ſingulari efficaciſſimis rationibus conuicerit,& compulerit, atq. ad petendã veniam ab Apoſtolica Sede induxerit; quo facto hæreſis illa breui temporis interuallo e Meuania, & Vmbria tota euanuit. *Ex Monumen. eiuſd. Conuentus Meuanien.*

Cum tranſlato Pagano de Lecco ad Nouocmen. Inquiſitionem,in eius locum Inquiſitor in Marchia Taruiſina, ac reliquis ditionibus ſupra relatis fuiſſet Apoſtolica auctoritate Inquiſitor inſtitutus P. Philippus de Lombardiæ Prouincia, hic deceſſoris ſui veſtigia ſequtus in hæreticos, eorumq. fautores omni ſeueritate proceſſit: quare cum multos varij ſupplicijs caſtigaſſet, vt vitam reliqui conſeruarent illæſam, in ſeptemtrionales regiones aufugere fuère coacti: perſequtiones tamen multiplices pertulit Philippus, quas inuicta animi conſtantia, Catholicæ fidei, candorem conſeruaturus illæſum, pertulit. *Taeg. & Bzou. in Annal. an.* 1278. *num.* 23.

ANNO 1273. Cum Alphonſus III. Rex Luſitanorum patris ſui veſtigia ſequtus Aegiditanæ Eccleſiæ plurima vſurpaſſet bona,atq.Eccleſiaſticis ipſis miniſtris mala multa, ac damna inferret, Gregorius Põt. eundẽ ſeuerè monuit, vt à violandis perſonis, rebuſq. Eccleſiaſticis diripiendis abſtineret. Quodſi renueret, Priori noſtro Vliſſiponen. mandauit, vt vna cum Cuſtode Ord. Min. contra ipſum procederet, & per cenſuras Eccleſiaſticas ad id compelleret, ſacris omnibus Regno Luſitaniæ interdicto. *Bzou. ibid. num.* 9.

Eodem anno, & ſequenti cum Gregorius Pont. in dicto Lugdunen. Conſilio ad illud properaret, non alium, quàm P. Aldobrandinum de Caualcantibus Vrbeuatanum Epiſcopum in Vrbe, atq; Italia tota Papalem Vicarium eſſe voluit, cuius precibus motus Gregorius, Florentiam acceſſit, & inter Guelphos, Gibillinoſq; pacem firmauit. Multa igitur dexteritate, ſanctitate, atq; pietate Eccleſiæ res adminiſtrauit Aldobrandinus, multumq; adiutorium dedit Inquiſitoribus omnibus Italiæ ad eam expurgandam à zizania hæreticali. *Bzou. in Annal. ad an.* 1279. *num.* 16.

Dum verò Aldobrandinus in Italia Papalis Vicarij munere cum pleniſſima auctoritate fungeretur, atq; noſtri Prædicatores intra Vrbis frequentiam Eccleſiã non haberent,confluentis populi ad diuina capacem,Moniales Monaſterij S. Mariæ in Campo Martio conceſſerunt illis Eccleſiam S. Mariæ in Minerua, domicilio eorundem vicinam, quam conceſſionem Aldobrandinus Apoſtolica auctoritate firmauit, datis litteris apud S. Sabinam in Palatio Apoſtolico an. 1275. *Ex Archiuio Conuent. Min. in quo ſunt dictæ litteræ.*

P. Petrus de Tarantaſia renunciatur à Pont. Gregorio S. R. E. Maior Pœnitentiarius, & Epiſc. Oſtien. quod munus cum animarũ ſalute exercuit ipſe, vſq; ad ſuam in Summum Pontificem electionem, quæ contigit defuncto Gregorio X. an. 1276. *Vghell. in Ep. Oſtien.*

Gregorius Pontifex ſacra ſtudia in Vrbe, bellorum nequitia abolita, & prætermiſſa reſtituit, opera B. Ambroſij Sanſedonij Doctoris præſtantiſſimi vſus, qui in Sacro Palatio maximo cum auditorũ concurſu, ac profectu ſententias annis pluribus docuit, & legit. *Epiſ. Groſſett. in eius vita.*

Idem B.Ambroſius cum P. Aldobrandino de Paparonibus mittitur à Senen. Repub. ad Pont. Max. pro abſolutione à cenſuris, quibus innodati fuerant à Clemen-

ſte IV. qui emollito Gregorij Pontifi- corde afflictos Senenſes conſolatus illos per Nuntium ſuum Mag. Ioan- de Rocca ab interdicto, cunctiſque ceNſuris abſoluendo *Ex ſuprad. Au- ubi ſup.*

Promouetur à Pontifice Gregorio ad ;ẽdas Chriſti prætioſo ſãguine redẽptas es Meſſanenſis Eccleſiæ P.Reginaldus Leontino, pro quo ſcripſit idem Gre- rius ad Cardinalem Albanenſem Apo- licum Legatum in Neapolitano Re- io, vt conſecrationis munus eidem im- nderet, datis Apoſt. litteris apud Viter- ium 4. non. Auguſti Pont. 3.

In Neapolitano Regno P. Paulus de quila Generalis Inquiſitor Apoſtolica uctoritate inſtitutus contra Manichæos ultos, iuxta ſacras ſanctiones, in hære- icos latas, proceſſit; & reſipiſcentes mi- ericordiæ amplexibus Eccleſiæ reconci- iauit, obſtinatos verò aliquos ſeculari bra- chio comburendos relaxauit, de quo Gra- ina pro ſac. depoſito ſic fatur: *Is enim Paulus fuit, cui obitus Angelici Doctoris, qui anno 1274. contigit, diuinitus eſt prò- nunciatus*, & Vallus in hiſt. prouinciæ Regni aſſerit eidem Paulo viſionem illam manifeſtatam fuiſſe, in legenda eiuſdem S.Doctoris recenſitam, qua dicitur; *Scho- las Thomæ Paulus ingreditur, ſacra ſimul fantur miſteria.*

Gregorius Pont. deblaterantium hæ- reticorum in Gallia, & Toloſanis parti- bus maximè, audaciam compreſſurus; at- que ſi fieri poſſet, eorum virus omninò eradicaturus, noſtro Priori Pariſienſi per Apoſtolicas litteras apud Vrbemueterem datas 13. Kal. Maij præcepit, vt de diſere- torum Patrum conſilio ſex Patres ſui Or- dinis doctos, prudentes, zelumq; pro- mouendæ Catholicæ fidei habentes deli- geret, quos contra hæreticam prauitatem, ex Gallia reuellendam, in eodem Regno Inquiſitores inſtitueret, atq; in caſu mor- tis aliosin eorum locum ſubrogaret, quod cum Prior ſtatim præſtitiſset, Inquiſito- reſq; in principaliores Regni ciuitates di- rexiſſet, hæreticorum audacia frænata eſt, compluribus in cœterorum documentũ igne conſumptis, alijs proprios errores abiurantibus, cœteriſq; aſſumpta in alias regiones fuga vitæ periculum euadenti- bus. *Ex Summar. Priuileg. Ord.*

Idem Pont. per Apoſtolicas litteras incipien. *Si mentes fidelium.* Datas Lug- duni die 13. Nouemb. Romano Prouin- ciali prædicandi Cruciatam ad Terram ſanctam recuperandam facultatem tri- buit; nec non deputandi alios ſibi ſubdi- tos religioſos ad idem exequendum ap- tiores; atq; inſuper inducendi perſonas aptas ad arma in infideles, Catholicæ fi- dei hoſtes accerrimos aſſumenda, anno- rum centum indulgentia elargita fideli- bus illorum ſacras prædicationes audien- tibus. *Ex Summar. ſuprad.*

ANNO 1274. celebratum eſt Con- cilium Generale Lugdunenſe II. à Gregorio X. Pont. Max. pro vnione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, expeditio- ne in Saracenos, Principumq; Chriſtia- norum concordia, & pace inter eos ſta- bilienda, cui præfuit Pont. Max. Grego- rius, aſtiteruntq; Patriarchæ Conſtantino- politanus, & Antiochenus cum Legatis Imperatoris Græcorum, atq; Metropoli- tanorum orientis; nec non & Oratores Regum ſeptem, quingenti Archiepiſco- pi, & Epiſcopi, Abbates, Theologiq; com- plures. *Bzou. in Annal. hoc anno.*

Nobilis Cardinalium cœtus Conci- lium hoc decorauit, inter quos recenſe- tur noſter P.Petrus de Tarantaſia S.R.E. Maior Pœnitentiarius, atq; Oſtien. & Ve- liter. Epiſcopus in eodem Concilio ad ſa- cram purpuram; deinde ad ſummam Se- dem, euectus. Aſſidebant inter tot infula- tos patres triginta, & tres ex Prædicato- ribus, vt teſtatur Caſtillus p. 1. lib. 3. c. 39.

nem-

nempè Raymundus de Fulgario Archiepiſc. Toloſanus: Reginaldus de Leontino, Meſſanen. Robertus, Cantuarien. Laurentius, Acheruntinus. Petrus Bernard Epiſcop. Agathen. Creſcentius, Alatrinus. Herbordus, Bergomen. Serulus, Brugnaten. Rogerius Calcagnus, Caſtren. Theodoricus Burgundio, Ceruien. Franciſcus, Cæſenaten. Guido de Turre, Claromonten. Morandus de Signia, Fanen. Paparonus de Paparonis, Fulginaten. Raymundus Gallus, Graſſen. Arnulphus, Humanaten. Bartholomæus Varellus, Liparen. Thomas Cantipatranus, Luſen. tin. Raymundus Coruatius, Maioricen. Otho de Maliſaxo, Minden. Paulus Polonus, Poſnanien. Iacobus de Vrbeueteri, Sulmonen. Simon de Leontino, Syracuſan. Petrus Angelellius Lucanus, qui in ipſo Concilio deceſſit. Fuit & in eodem Concilio quidam Epiſc. ex noſtris Hibernus cum alijs, quorum nomina ſilent Ordinis Scriptores. *Ex Monument. Ordin.*

Aſtitit quoq; huic Concilio vir ille ſanctitate vitæ, atq; doctrinæ cumulo, in Hiſpania tota famoſus P. Andreas de Albalate Valentinus Epiſcopus, & Iacobi II. Aragonum Regis Magnus Regni Cancellarius ab eodem Rege miſſus, qui ſua ſapientia plurimùm illuſtrauit noſtram Dominicanam Religionem. *Lopez p. 5.*

Adfuit quoq; B. Io: de Vercellis Magiſter Generalis cum nobili theologorũ Ord. corona, à quibus Concilij decreta fuerunt diſcuſſa antequam ſtabilirentur. Adfuit & B. Albertus Magnus ex Pont. Max. decreto, qui dimiſſa Ratiſponen. Eccleſia in Colonien. conuentum ſe receperat, atq; in ea S. Synodo cum Doctoribus Græcis de proceſſione Spiritus ſancti à Patre, & Filio iteratis vicibus diſputauit. *Caſtill. vbi ſup.*

Decretum eſt in Sacro Concilio, atq; ſcriptum Prouincialibus Lombardiæ, Romano, Franciæ, Prouinciæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Græciæ, Theutoniæ, Angliæ, Daciæ, & Poloniæ, vt ſacrum bellum indicerent, atq; ad illud proſequendum, vel pecunijs ſubueniendum populos hortarentur. Inſuper eiſdem mandatum eſt, vt plenariam Indulgentiam denũciarent conceſſam ijs, qui in Syriam contra Chriſtiani nominis hoſtes pergerent pugnaturi, ſeu manus adiutrices ſacro bello eſſent præſtituri. Concilij mandata exequentes illi, facundoq; ore, per ſe, & ſubditos ſuos calamitates, miſerias, ærumnoſoſque labores, quos in Syria Chriſtiani patiebantur ab infidelibus annunciantes, innumerabilem penè multitudinem ſacra Cruce conſignarunt. *Fernandez.*

Card. Petrus de Tarantaſia die 7. Iunij ſermonem habuit in 3. Concilij ſeſſ. ſumpto themate: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.* Bzou. vbi ſup.

Idem Cardinalis 16. die eiuſdem menſis in ſeſſ. 5. Oratorem Abaga Regis Tartarorum cum alijs duobus præſtantioribus eius ſocijs ſacro baptiſmate abluit, quibus Gregorius Papa veſtes coccineas pretioſas latinorum more dedit. *Bzou. in Annal: num. 6. 7. & 16.*

Inuitauit prætereà Gregorius Pont. ad Concilium præſtantiſſimos alios viros ex Chriſtiano orbe, inter quos eminebant duo Eccleſiæ lumina, S. Thomas de Aquino, & S. Bonauentura de Balneoregio, quorum prior, dum ad Concilium properaret, Neapoli diſcedens, apud Foſſam nouam in cœlum, miraculis coruſcans, euolauit: poſterior verò in eodem Concilio Cardinalis creatus, ibidẽ clauſit diem extremum, ad æterna gaudia tranſeundo. *Bzou. ibid.*

Gregorius Pont. mandauit Priori S. Euſtorgij de Mediolano, vt cum Patriarcha Aquileien. ab excommunicationis vinculo abſolueret Guidonem Comitem Mon-

itis fortis, qui Henricum Anglum interceptat; dummodo ſponderet ſtare ...datis Eccleſiæ, cum iam ſpontè ad ...rum de Leuco Mediolanen. diœceſis ...iſſet; ibiq; ſe carceri addixiſſet. *Bzou. ... num. 16.*

Ex eiuſdem Concilij decreto ſacra mi... contra Saracenos in Syriam ſuſcepta ..., mandatumq. noſtris Prouincialibus ...mbardiæ, Franciæ, Prouinciæ, Vngariæ, Greciæ, Theutoniæ, Angliæ, Daciæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, atque Romanæ, ... ſacrum bellũ per Fratres ſibi ſubditos ...dicerent, atque ad illud proſequendum ...hriſtifideles inuitarent. *Bzou. ibid.*

Hoc anno Flagellantium hæreſis, im...è profitentiũ quinquaginta errores con...a fidem Catholicam, ortum habuit, ...ontra quam inſurrexerunt noſtri Prædicatores, atque Inquiſitores, viriliter contra eos decertantes, lingua, calamo, ſcriptis, diſputationibus, igne, ac ferro; neq. potuit ex chriſtiano orbe totaliter euelli peſtis hæc vſq. ad annum 1342. quo pœnitus extincta fuit. *Lopez p. 5.*

P. Bonifacius è Lauaniæ Comitibus, magni nominis Theologus, à Gregorio Pont. Archiepiſcopus Rauenaten. creatus eſt, inſtitutuſq. tempore Concilij Legatus Apoſtolicus in Aemilia. Functus quoq; eſt Nuntij Apoſtolici munere apud Philippum Galliæ Regem ad illũ ab eodẽ Gregorio directus. *Vghell. Italia Sacra tom. 2.*

B. Ambroſius Sanſedonius à Gregorio Pont. Apoſt. Nuntius in Germaniam miſſus, vt electores ad electionem Imperatoris vniret, ab eiſdem Principibus in magna ſanctitatis opinione habitus, dum orationem de vnione, & pace publicè coram electoribus, ingentiq; populi multitudine haberet, è cœlo nitidiſſima aduolans columba, ſuper humerum eius inſedit, auriculæ dicenda verba inſinuans, quam cum cuncti palam conſpexiſſent diu, aduolans, in cœlum reuerſa eſt. Huius ergo opera electus eſt Rodulphus Imperator; qui ſuos Oratores ad Gregorium, & Concilium hoc anno legauit. *Iulius Sanſedonius Ep. Groſſaten. in eius vita, & Spond. in Annal. num. 13.*

Hæreticalem Albigenſium peſtem ex Toloſantium partibus eradicaturus Gregorius Pont. duos Apoſtolicos Inquiſitores PP. Pontium de Parnaco, & Rodulphum Gallum apud Toloſam eſſe voluit, vt ſimul, vel diuiſim contra hæreticos inquirerent; qui proprij muneris non immemores, eorundẽ vafritiem, ac temeritatem frænaturi, per vicina caſtra incedentes, diligenti inquiſitione facta, quotquot in vinculis habebant, ſeueriſſimè caſtigabant. Quare in alias ciuitates aufugere ſunt coacti, propriæ vitæ conſulturi; plurimis tamen ex eis errores abiurantibus, & veniam ab Eccleſia petentibus. *Ex relat. Arch. Toloſ.*

Idem Gregorius, vt ſerpẽtem hæreſim in Brabantia carperet, Priori, & Suppriori Lodienſis conuentus, necnon & Patri Ioanni de Brabantia per Apoſtolicas litteras, vt contra inſurgentes hæreſes conſtanti pectore procederẽt, præcepit, data illis ampliſſima facultate contra eos procedendi; quòd celeri pede præſtitère illi, multis S. Matri Eccleſiæ reconciliatis, ſeculari brachio alijs relaxatis. *Ex Summar. Priuil. Ord.*

Illuſtriſſimum Chriſtiani orbis decus, & Eccleſiæ lumen, Beatiſſimus vir Thomas Aquinas Angelicus Doctor, dum inuitatus à Gregorio Pont. ad Generale Lugdunen. indictum Concilium properaret, in monaſterio Foſſæ nouæ Terracinen. diœceſis, Angelorum agmine ſociatus in cœlum conſcendit die 7. Martij. De quo P. Petrus l'Abbè Societatis Ieſu doctiſſimum germen tale nobile edidit elogium hoc loco digniſſimum.

O *Tho-*

Thomas Angelus erat ante quam eſſet Doctor Angelicus
Angelorum diſcipulus, & penè æmulus fuit.
Multa ab Angelis didicit; quædam Angelos docere potuit.
Aut Theologiam ad terram deduxit è cœlo.
Aut ſciuit in via, quod videtur in Patria.
Audiuit Apoſtolus arcana verba, ſed illa tacuit;
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Myſteriorum compendiū eſt Summa Thomæ
Collegit in ea quidquid doceri poteſt, aut ſciri.
Incluſit Hieronymos, Auguſtinos, Ambroſios, Gregorios.
Incluſit ſe ipſum, maior ſe ipſo, & minor.
Epitomen fecit alienæ ſapientiæ, & Summam ſuæ.
Didicit omnes qui Thomam intelligit:
Nec totum Thomam intelligit qui omnes didicit.
Auguſtinus aliquando obſcurſus, apud Thomam eſt clarus.
Vbi alij dubitant, Thomas non ambigit.
Vbi omnes deſinunt, indè incipit.
Indè progreſſus, eò aſcendit, quo nemo præiuerat.
Sequitur præuiam fidem, & eam ducit.
Sociam facit Theologiam fidei, & Magiſtram.
Oſtendit quidquid illa credit:
Neque aliud ſupereſt niſi lumen gloriæ poſt Summam Thomæ
De Deo ſic loquitur, quaſi vidiſſet.
De Angelis ſic diſputat, quaſi ſpiritus eſſet.
Ingenerat horrorem peccati, dum oſtendit:
Amabiles facit virtutes, dum deſcribit.
Incarnatum Verbum ſic explicat, quaſi uox Verbi.
Siſte aliquando Thoma: Peruenit ad ſummum Summa tua.
Ire ulterius non potes, niſi aliquid quæras poſt omnia.

Bene ſcripſiſti de me Thoma.

Probat ſcripturam hominis qui character eſt Patris.
Silete linguæ ubi Deus laudator eſt.
Fallere non poteſt qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines Thomam Angelum Theologiæ.
Dicant Pontifices Summam tot miraculis conſtare, quot articulis.
Plus dicit una uox BENE.
Chriſtus eſt Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.

Quàm ergo mercedem accipies.
Quàm bene ſcripſerit collige ex teſtimonio.
Quàm benè vixerit, diſce ex præmio.
Vt ſcias meritum uirtutis, datur optio præmij.
Quid eligat niſi Deum, qui nouit pretium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus.
Malè ſcripſerat, ſi aliter elegiſſet.

Cum Gregorius Pontifex Generale Concilium Lugdunenſe indixiſſet, celebrandum menſe Maio huius anni, Magiſter Ordinis P. Io: de Vercellis noſtrum Generale Capitulum apud Burdegalam ex decreto ſuperioris Capituli habendū, Lugdunum tranſtulit, eidem Pontifici Max. rem gratam præſtiturus, à quo de hoc fuerat requiſitus. In eodem Capitulo autem inter cœteras ſancitas leges decretum fuit in Epiſcoporum reuerentiam, fideliumque ſalutem: Ne Priores prædicationis,& confeſſionis miniſterium Fratribus minus idoneis committerent, ſed in ſcientia & moribus eſſent de diſcretorum conſilio approbandi, qui talia munera eſſent exequturi. Ne Fratres eadem hora, qua Epiſcopi prædicabant, prædicare auderent; niſi forte id cum eorum beneplacito fieri contingeret. Vt in ſuis prędica-

ionibus populum de decimis reddē- ijs Eccleſijs admonerent. Vt infir- n teſtamentis ſuis pia legata pro pa- ialibus Eccleſijs facienda ſuaderent. habentes ſepulturam in propria pa- ia, ad illam eligendam in Eccleſijs ris ſuaderent. Et ne Prædicatores in concionibus eleemoſynas fieri pro cumq; perſona populis ſuaderent. c autem omnia iure merito ſanxère res noſtri, vt quorundam Epiſcopo- n, & Clericorum futuras moleſtias derent, prout inferius enarrabimus. *Act. eiuſd. Cap. Gen.*

Terminato ſacro Concilio, Grego- is Pont. Ordinem Prædicat. vnicè di- nans P. Magiſtro Generali illius Apo- olicas litteras direxit, iniungens, vt per, & ſibi ſubditos in ſacris prædicatio- ibus Conſtitutionem de reuerentia San- tiſs. Nomini IESV exibenda à ſe editã, mni ſpiritus feruore populis annuncia- et. Pontificis iuſſa prompto animo im- pleuit Magiſter Generalis, omnibus Pro- uinciarũ Prouincialibus Prioribus Apo- ſtolicum decretum annuncians, datis in hunc modum litteris.

In Chriſto ſibi chariſſimo F. Petro de Valerica Priori Prouinciali Fratrum Ordinis Prædicatorum in Prouincia Prouinciæ.

F. Io: Fratrum eiuſdem Ordinis ſeruus inutilis ſalutem in Domino ſempiternam.

Noueritis me recepiſſe litteras Sanctiſſimi Patris Summi Pont. in hæc verba.

Gregorius Epiſcop. ſeruus ſeruorum Dei Dilecto filio Magiſtro Ord. Fratrum Prædicatorum. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NVper in Cõcilio Lugdunẽſi duximus ſtatuendum, vt ad Eccleſias humilis ſit, & deuotus ingreſſus, & ſit in eis quieta conuerſatio, Deo grata, inſpicientibus placida, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed reficiat conuenientes ibidem. Nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen, à quo aliud ſub cælo non eſt datum hominibus, in quo ſalus fieri credentes oporteat: Nomen videlicet Ieſu Chriſti, qui ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum exibitione reuerentiæ ſpecialis attollant. Et quod generaliter ſcribitur, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, ſinguli ſingulariter in ſe ipſis implentes, ſpecialiter dum aguntur miſſarum ſacra miſteria glorioſum illud nomen quandocumque recolitur flectat genua cordis ſui, quod capitis inclinatione teſtentur. Ideoq; diſcretionem tuam rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus tu, & Fratres tui Ordinis, cum vos populis proponere contigerit verbum Dei, populos ipſos ad præmiſa efficacibus rationibus inducatis: ita quod proinde retributionis diuinæ premium poſſitis meritò promereri. Dat. Lugduni 12. Kal. Octobr. Pont. noſtri anno 3.

Cupiens igitur honorem diuinum extollere & Apoſtolicis obedire mandatis, & proximum promouère ad deuotionis augmentum, dilectionem veſtram requiro, & rogo, & eidem (licet ex abundanti) tenore præſentium mando, quatenus beneplacitum memorati Domini Papæ perſonaliter exequentes, ordinationem eiuſdem à prædicatoribus veſtro commiſſis regimini, faciatis cum opportunis perſuaſionibus exacta diligentia prædicari. Valete, & orate pro me. Datum Lugduni 3. nonas Nouemb. ann. Dom. 1274. poſt Concilium General. Dom. Gregorij Papæ X.

Pontificis Max. & Magiſtri Generalis mandatis exequtionem daturi Patres noſtri, debitam riuerentiam exhibendam ſanctiſſimo nomini Ieſu predicauère vbique, fundantes etiam ſocietates in eccleſijs noſtris ſub inuocatione nominis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti maximo

cum fidelium profectu in via ſalutis, quibus Pontt. Maxx. amplas Indulgentias conceſsère. *Taeg. ex Act. eiuſd. Cap.*

ANNO 1275. De mandato Gregorij Papæ X. noſter Robertus Kiluarbius Archiep. Cantuarien. Legatus de Latere inſtitutus, Eduardum Angliæ Regem ſolemni ritu Dominica prima poſt octauam Aſcenſionis coronauit, Scotiæ Rege, atq; Britanniæ Duce adſtantibus. *Gall. Chriſt. antiqua inter Cantuarien. Archiep.*

S. Raymundus de Pennafort doctrina, ac ſanctitate venerabilis miraculorum gloria præfulgens cœlos introiuit: eiq; data ſunt ſuffragia Ordinis in Capitulo Generali apud Bononiam hoc anno celebrato, tali modo. *Pro F. Raymundo de Pennafort defuncto quilibet Sacerdos tres Miſſas*; & in eodem Capitulo data ſunt quoq; ſuffragia S. Bonauenturæ amiciſſimo Ord. noſtri, in hunc modum. *Pro venerab. Patre Dom. Bonauentura Card. quilibet Sacerdos vnam Miſſam*. S. Raymundi funus Alphonſi Caſtellæ, & Iacobi Aragoniæ Regum, illorumq; filiorum præſentia ſolemni pompa celebratum eſt: quem ſequutus eſt ad æternam vitam Thomas Cantipatranus Luſentinus Ep. Cameracenſiſque ſuffraganeus; vir pietate, ac doctrina venerabilis, de quo ſup. *Ex Act. eiuſd. Capit. Luſit. in Bibliot. & Bzou. in Annal. num. 9.*

Simon Card. S. Cæciliæ in Gallia Apoſtolicus de Latere Legatus pro congregandis contra Saracenos militibus, per ſuas litteras apud Perpinianum datas, Prouinciali Prouinciæ mandauit, vt Patres ad prædicandam contra Saracenos Crucem aptiores ſeligeret, illoſq; in ſuam, adiacenteſq; prouincias ad id præſtandum dirigeret, plurima conferendo illis priuilegia. Quod cum ille exequutioni demandaſſet, multa Cruceſignatorum millia collecta ſunt, atq; in Saracenos cum alijs pugnatura miſſa. *Ex Summar. Priuil. Ord.*

Sanctiſs. Pontifex Gregorius X. humanæ naturæ debitum hoc anno Ianuario menſe perſoluit, qui Ordinem, illiuſq; profeſſores ob promotionem Catholicæ fidei inter barbaras nationes, ærumnoſis laboribus, imo & ſaguinis effuſione max. factam, vnicè dilexit, atq; illius priuilegia confirmauit, & auxit Apoſtolicis Bullis in Ordinis bullario recenſitis. *Bzou.*

Cum in Sacro Concilio Lugdunen. anteriori anno celebrato fuiſſet decretum ſubueniendum eſſe fidelibus in Terra Sancta permanentibus, Gregorius Pontifex B. Ambroſium Sanſedonium, virum Apoſtolicum ad Chriſtianos Principes prædicatorem ſacræ cruciatæ pro Terræ Sanctæ recuperatione delegauit, qui innumerabiles Chriſtifideles ad ſacram militiam ſumendam ſuis pijs exhortationibus, ac documentis inflammauit, eoſq; Cruce ſignauit *Iul. Sanſed. Ep. Groſſet. in eius vita cap. 10. lib. 1.*

Aſſumitur ex Ordine à Gregorio Pontifice vir præclarus Raynerius Peccius de conuentu Piſano, Archiepiſcopali Calaritanæ Eccleſiæ præfectus Archiepiſc. qui ſibi creditarum ouium ſaluti ex corde addictus, per viam mandatorum Dei eaſdem, in pœnitentiæ amplexu, direxit in vitam æternam. *Plod.*

Dimicabant viriliter animo inconcuſſo noſtri Prædicatores gladio ſpiritus oris ſui contra Agarenos à Chriſti fide alienos, non ſolùm in Hiſpaniarum Regnis, ab eiſdem tyrannicè occupatis, verùm & in Affrica apud Tunetum, adiacenteſq; Regiones; & Spiritu ſancto linguam eorum dirigente, poſt calamitates, & afflictiones innumeras, poſt ærumnoſos labores toleratos, multi Gentium ſpurcitijs, ac deliramentis eiuratis, Catholicæ fidei debita præſtitère obſequia, ſacro regenerationis lauacro ab ipſis Patribus regenerati. *Fernandez.*

Fa-

Digitized by Google

Factum hoc loco dignum iure merito retuleram. Deſijt eſſe inter mortales hoc anno Mathildes Florentij Hollandiæ Comitis filia, ab eleemoſynarum largitione, tam Religioſis noſtris, & alijs, quàm pauperibus quibuſcumq; facienda, aliena nimis. Huic cum aliquando muliercula quædam gemellos filios ad vbera geſtans obuiam facta eleemoſynam, etiam iteratis præcibus, poſtulaſſet; indignata illa, atq;in iram concitata,mulierem tanquam adulteram turgidis verbis increpatam dimiſit, quæ pudicitiæ propriæ conſcia, erectis in cœlum luminibus dixit: *Oro Deum, qui ſcrutatur renes, & corda omnium, vt in paupertatis, ac innocentiæ meæ ſignum, tot partus ipſa filios, quot dies ſunt in anno.* Mirabile dictu: exaudiuit Dominus indigentis pauperculę vocem;nam Mathildes concepto fœtu, moleſtias multas, tumeſcente nimis aluo, experta; tandem nouem menſibus decurſis, incuruauit ſe, & doloribus maximis peperit tercentum, & ſexag inta quinque filiolos (tot enim ſunt dies anni) promiſcui ſexus, mares, & femellas ab Auctore naturæ, licet ſtatura puſillos, optimè tamen in membris omnibus formatos, quos cunctos Otho Traiecten. Epiſcopus in pelui ſimul iacentes baptizauit,& obierunt ſtatim,ſequente illos matre per mortem, quæ Mathildem ex mortalibus tunc rapuit. *Bzou. in Annal. Eccl. num. 20.*

Annus 1276. Felix fauſtuſq; fuit Ordini Prædicatorum, eò quod defuncto Gregorio Papa X. P. Petrus de Tarantaſia eiuſdem Ordinis,S.R.E.Card. Maior Pœnitentiarius, Aretij in Tuſcia electus eſt militantis Eccleſiæ Paſtor Max. Innocentij V. ſibi nomine aſſumpto, electione in Conclaui apud noſtros Dominicanos celebrata, & aſſumpto ſibi pro ſymbolo: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum.* Sacro diademate ritu ſolemni coronatus, animum ſtatim applicuit ad pacem Italiæ reddendam. Quare duos Cardd. Legatos in Hetruriam deſtinauit, qui Lucanos, & Piſanos diſcordes ad concordiam reuocarent. Ipſe quoque Florentinorum Legatos benignè audiuit, atq; ciuitatem à diris, quibus fuerat inuoluta, abſoluit, ſacris reſtitutis. *Bzou. in Annal. num. 4.*

Michaelem Palæologum Imperatorem fidei in Concilio Lugdunen. datæ admonuit Innocentius; & dum maiora pro Dei gloria moliretur, poſt quintum aſſumptionis menſem, è mortalium oculis raptus eſt, maximò Eccleſiæ, ac bonorum omnium damno. *Bzou. ibid.*

P. Guidonem de Soliaco Innocentius euexit ad Bituricen. Archiepiſcopalem Sedem, dum Pariſijs Prior eſſet, virum ſanguinis,morum,atq; pietatis præſtantia venerabilem, qui cum annos quatuor, & vltra commiſſum ſibi gregem ſanctè, ac prudenter rexiſſet, Deo rationem de ouibus ſibi commiſſis reddidit. *Gall. Chriſt. tom. 1.*

Defuncto Innocentio, electoq; eius ſucceſſore Hadriano V. iterum vocauit Apoſtolica Sedes, & poſt aliquot dies Io: XXI. ſalutatus fuit Summus Pont. cui prima cura fuit Michaelem Palæologum Imperatorem Orientis ad ſeruanda in Concilio Lugdunen. promiſſa, adhortandi. Quapropter Legatos ſuos ad eundem deſtinauit Iacobum Ferentinum, & Gaufridum Taurinen. Epiſcopos, necnon & Patres Raynonem Priorem Viterbien. & Saluum Lectorem Lucanum ex noſtris viros doctiſſimos, qui confeſſionem fidei ex Concilij Lugdunen. decreto conceptam illi, & Patriarchæ Conſtantinop. ad profitendum repræſentarent,atq;ad vnionem Eccleſiæ perfectam inducerent. Feliciter ceſſit negotium Legatis: nam Michael Palæologus, & Andronicus eius filius, vnà cum Patriarcha Conſtantinopolitano profeſſionem fidei Romanæ emi-

ſerunt

ſerunt hoc modo. *Ego Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator Romanorum Ducas Angelus Comnenus Paleologus omne ſchiſma prorſus abiuro, & ſupraſcriptam fidei veritatem prout planè lecta eſt, veram, ſanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem eſſe cognoſco, & accepto, & corde, & ore profiteor, &c.* Bzou. in Annal. num. 7. 8. & 9.

Hoc ipſo anno Rodulphus Romanorum Rex P. Edmundum Prouincialem Theutoniæ ad Innocentiū V. Pont. Max. antequam è viuis eximeretur, internuncium miſit ad grauiora negotia, ſed ſecreta pertractanda. *Bzou. num.* 16.

P. Iacobus de Viterbio ad Ferentinam Epiſcopalem Sedem aſſumptus, à Ioanne XXI. Pont. cum Gotifredo Taurinen. Epiſcopo Apoſtolicus Legatus ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem mittitur; à quo honorificè ſuſceptus, perfectis ad voluntatem Pontificis rebus, & Nicolai IV. ſucceſſoris Imperatoris fauorabilibus litteris ſuffultus, redijt propemodum triumphans in Vrbē à Nicolao Pont. benignè receptus. Erat Iacobus ex Conuentu Viterbien. S. Mariæ ad Gradus, vt ex monumentis illius conſtat. *Vghell. tom.* 1.

B. Petrus Saracinus, magnæ pietatis vir, aſſumitur ad regimen, & gubernium Interamnen. Eccleſiæ. *Vghell.*

B. Ambroſius Sanſedonius dirigitur hoc anno ab Innocentio Pont. Max. cui ſanctitas, atq; virtutes eiuſdem optimè innotuerant, Legatus Apoſtolicus, ad componendos bellicos tumultus, pacemque reddendam inter Reſpublicas Florentinam, & Piſanam, & ad abſoluendam Florentiam ab interdicto, cui ſubiacebat; quæ omnia felici ſuo eloquio præſtitit Ambroſius. *Ep. Groſſett. in eius vita l.* 1. *cap.* 15.

Congregati ſunt hoc anno Patres noſtri in Capitulo Gen. Pariſijs, quibus Innocentius Pont. tales dedit epiſtolas ſequentes.

Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & Fratribus Ord. Prædicatorum Sal. & Apoſt. benedict.

IN loco ſolitudinis, & ſpecula ſupereminentiæ paſtoralis cæleſti diſpoſitione ſedentes, penſantes onus inæquabile humeris noſtris incumbens, quo vniuerſis reddimur ex officio debitores, & de rationis calculo in conſpectu Iudicis omnia videntis, ne in furore nos arguat, & corripiat formidamus. Conuertimur itaq; nunc ad homines, quos in mundo, velut oues Paſtor bonus congregat, & pia miſeratione deducit, qui nos intra gregem noſtrum à tenera ætate vocare dignatus, ibi nos ſanctæ paupertatis delitijs nutriuit, qui in die voluntatis ſuæ nos exinde ſuſtulit, & ex ouibus, quæ cibo quietis dulciori paſcuntur, adduxit in montem ſollicitudinis, & laboris. Conuertimur inquam, & petimus à vobis orationis auxilium, vt Deus omnipotens de habitaculo ſancto ſuo iugiter reſpiciat vias noſtras: det nobis in diebus villicationis noſtræ, vt poſſimus virtute irrumpere iniquitates, qui tremendæ poteſtatis eius imperio ſumus in throno Iudicis conſtituti. Viſitet in miſerationibus ſuis miniſterium noſtrum, dare pacem populis, erroribus legem, moribus diſciplinam, Eccleſiæ ſuæ virtutem, & decorem viriliter cuſtodire, atq. in omnibus laudi eius offerre magnificentiam, & honorem, vt tandem cum grege nobis credito ſuſcipiamus centuplum retributionis cæleſtium premiorum. Quamuis autem abſentes corpore, Congregationi veſtræ, ſpiritu tamen, & conſideratione præſentes, & vnanimi deſiderio ſociati, vniuerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Chriſto, qui ſtat in medio veſtrum iuxta promiſſionem ineffabilem oris ſui, quatenus ad ſanctæ religionis conſtantiam altiſſimam, in qua fundati eſtis, & ſtabi-

liti, ad paupertatis amorem, ad feruidæ itatis compagem, ad implementum mirij veſtri, prædicationis ſcilicet verbi Dei, vos, & acceptione nominis, & firmitaroſeſſionis nexibus alligaſtis ad animar. ſalutem, in venandi labore, atq. ſolertia iendi, ad fructus, qui non pereunt in arca nini congregandos, ad vineæ Domini elecuſtodiam, & captionem vulpecularum m demolientium, & cætera, quæ Dei ſunt Chr. ſti eius, tota veſtrorum cordium anet intentio. Porro, & ſi cuncta, quæ laun Ordinis veſtri ſapiunt, & honorem, conltè geri per veſtram induſtriam extſtimets; tria hæc inter cætera oculis cordis veſtri ponimus. Primum, vt in locis multis, aut mis inſignibus vos domorum uaga, & nuroſa conſtitutio, aut conſtructorum etiam anslatio non delectet, cum domos veſtras lebres, & Conuentus talis locorum nouitas iris bonis inconuenienter euacuet, & men s veſtras non modicum inquietet. Altеum, vt ſupra Fratribus recipiendis ad Ordinem ueſtra incauta maturitas non labatur, ed tales deliberatione debita præambula dicetio ueſtra mores hominum, ſufficientiamq; ponderans, eligat admittendos, qui uaſa electionis in Domino fructuoſis operibus repreſentent. Reliquum, ut delinquentibus notabiliter, & uiolantibus ipſius Ordinis inſtituta ueſtra correctio non ignoſcat, nec ipſorum exceſſibus ueſtra indulgeat diſciplina: ſed cum mores interdum reatus uitiens incorrecti, ſic uirga corripiat, & baculus puniat inſolentes, ut culpis eorum ſalubri caſtigatis prudentia, interiorem in ipſis hominem conſolentur. Nos quidem, & ſi meditationum ſedulitas, & laborum multitudo circumfluat, de uobis tamen, & Ordinis ueſtri profectibus inter cætera ſollicitam mentem gerimus, & orationis affectum, ut apponat uos Dominus dilatare in odorem uitæ in uitam, & magis, ac magis in ſalutem populorum expandere lumen ueſtrum; ipſo quoq. præſtante ueſtram adhibere curam, ut noſtris ſecundum beneplacitum ſuum adiuti præſidijs, creſcatis in domo Domini, & temporalibus non deſtituti auxilijs, proficiatis in ipſo ſpiritualibus incrementis. Dat. Laterani Pontificatus noſtri anno primo. Ex. Act. eiuſd. Cap. Gen.

ANNO 1277. Pro fide catholica ab impijs hæreticis defenſanda glorioſum martyrium pertulit B. Petrus de Cadireta Nauarrèus, qui in Catalunia primò, in Aragonia poſtmodum, Generalis in hæreticos Inquiſitor Apoſtolica auctoritate creatus; cum in illos zelo inueheretur ardentiſſimo, defunctorum cadauera exhumando, atq; igni tradendo; viuos verò etiam vltimo ſupplicio adiudicando, eorundem odium in ſe ita excitauit, vt in Pedrada communi populari irruptione lapidibus obrutus ſanguine ſuo Chriſtianam diſciplinam ſanxerit. *Param. lib. 2. tit. 1.*

B. Petrum ſequtus eſt ad palmam B. Paganus de Lecco, & ipſe hæreticæ prauitatis Inquiſitor apud Comum, qui à Clemente Papa IV. ibidem Cenſor fidei inſtitutus, neq; ætati, neq; ſexui parcens, cunctos hæreticos perſequebatur ad mortem. Quare cum multos igni adiudicaſſet Manichæos, reliquoſq; pari ſupplicio damnare eſſet paratus, animaduertentes illi totalem ſibi imminere ruinam, in S. Inquiſitorem, qui Corradum Venoſtam hæreticorum anteſignanum captiuum ducebat, die S. Protomartyri Stephano ſacra irruentes vulneribus confoſſum, atq; lancea transfixum interemerunt, clamantem, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Eius corpus in noſtram illatum Eccleſiam pluribus claruit miraculis. *Param lib. 2. cap. 5.*

P. Petrus Anſiri de Caſtro Malueſio Toloſanæ diœceſis inſtitutus eſt Inquiſitor in Toloſanis partibus hoc anno poſt feſtum S. Iacobi Apoſt. vt ſua prudentia, ac dexteritate vulpeculas paruas, quæ vi-

vineam Domini demoliebantur, hæreticos ſcilicet, caperet, eradicaturus, ſi poſſibile eſſet in partibus illis hæreſim ſerpentem. Quare ſeruus Dei gladio ſpiritus aſſumpto, in eos inſurrexit, & multos captos combuſſit, alijs in alias prouincias properantibus. *Ex Archiu. Toloſano*.

P. Martinus Strempus Polonus natalium ſplendore illuſtris, vir doctiſſimus aſſumitur (non ab Hadriano V. vt ab aliquibus decepti, diximus in noſtro Theatro Dominicano p.2.tit.4.) ab Innocētio V. Pont. in S. R. E. Maiorem Pœnitentiarium, quo in munere à Succeſſoribus Ioãne XXI.& Nicolao III.cōfirmatus maximum in Romana Curia attulit Ordini decoris ornamentum, de quo infra. *Bzouius de Prou. Pol. cap.6.*

P. Martinus de Tuſcia à Sacro Cardd. Collegio poſt mortem Ioannis XXI. in ipſo pontificio interregno Nuntius miſſus, vt pacem inter Rodulphum Romanorum, & ipſum Carolum vtriuſq; Siciliæ Regem componeret; ſcilicet vt Carolus eos inuidiæ titulos, Senatoris Vrbis Romanæ, & Vicarij Imperij in Italia, deponeret, quod totum laudabiliter præſtitit. *Bzou. in Annal. num.9.*

P. Bonioannes Marinus cum P. Bartolomæo Pacten. Epiſcopo à Siculis miſſi ſunt ad Pont.Max.vt eidem nunciarent quanta mala paterentur à Gallis. Cumq; ad Pontificios pedes acceſſiſſent, in hæc verba proruperunt, *Miſerere mei fili Dauid. Filia mea malè à dæmonio vexatur*; narrauerunt q; Pontifici, rapinas, exactiones iniuſtas, alia damna, & mala omnia, quæ à Francis ſuſtinebant, quibus ſe remedium præbiturum ſpopondit Pontifex. Cum autem reuerterentur in Siciliam cū litteris Pontificijs reſponſiuis ſuper enarrata, capti ſunt in itinere, litteris ablatis, atq; Epiſcopo cum P. Bonioanne in vincula coniecto. At paulò poſt, expulſis Gallis à Siculis, pax eiſdem reſtituta eſt. *Bzou. num.7.*

Cum ad arma ſe præpararent Reges Hiſpaniæ, atq; Galliæ ad inuicem bellaturi, Ioannes Pont. deſtinauit P. Ioannem de Vercellis Magiſtrum Generalem noſtrum cum Miniſtro Generali Ordin. Min. ſuos Legatos Apoſtolicos ad eoſdē Reges pro deponendis armis, paceq; inter eos firmanda. At morte interueniente Pont.Max. res infecta remanſit. *Bzou. in Annal. ad an.1278. num.18.*

P. Bartholomeus de Aquila Apoſtolica auctoritate Gregorij X. Generalis Inquiſitor in Regno Siciliæ conſtitutus, demandatam ſibi præfecturam ſolertia, & vigilantia ſingulari exercebat, à fide deuios condignis ſuplicijs mulctando: Quare cum aliquos potentes, ac nobiles in vincula conieciſſet, à Rege Carolo auxilium brachij ſecularis, vt ad torturam cōtra eos, & complices procedere poſſet, impetrauit. Ex quo factum eſt vt Manichæorum hæreſis virus, quod in eo Regno ſerpebat, iugularetur. *Vallus*.

ANNO 1278. ad 18. Kal. Februarij eligitur Pontifex Nicolaus III. ex Vrſina nobiliſſima familia Romana, qui 4. Id. Martij P. Latinum Malabrancam ex ſorore nepotem ſuam S.R.E.Cardinalem creauit, eumq; in regimine Eccleſiæ adiutorem aſſumpſit, virum inculpatæ vitæ, religioſiſq; moribus, necnon prudentia max. ornatum, quem & Epiſcopum Oſtien. ac Velitern. declarauit, atq; Bononienſibus Legatum præfecit. *Vghell. Ital. ſac. tom. 1. & Plod. num. 2.*

Alterum quoq; ex noſtris ad purpuram euexit Nicolaus Papa III. erga Ordinem benignitate ſingulari affectus P. Robertum ſcilicet Kiluarbium Anglum Cantuarien. Archiep. inſtante Angliæ Rege, cui accepti ſſimus erat Robertus, quem & Epiſcopum Portuen. nominauit. In Vrbem venit Robertus, non in curribus, &

in

in equis; ſed in nomine Domini, ſolo baculo nixus, & adpontificios pedes Viterbium eo modo acceſſit, vbi à Nicolao benigniſſimè acceptus fuit, ita vt eius opera in nauicula Petri regenda, quoad vixit, vſus fuerit. *Ciaccon. & Vghell.*

In Gallia, & Hiſpania arma infeſta inter Alphonſum, Sanciumq; Caſtellæ, & Philippum Galliæ Reges expediebantur in maiori copia, ac ſuperiori anno. Quare Nicolaus Pont. illos, quos deſtinauerat Nūtios ſuos Apoſtolicos Ioānes XXI. prædeceſſor, ad eoſdem Reges cum Legatorum auctoritate miſit, Ioannē ſcilicet de Vercellis Magiſtrum Generalem Prædicatorum, atq; Hieronymum de Aſculo Miniſtrum Generalem Minorū; vtq; Legatorum auctoritas magis eluceſceret, P.Ioannem noſtrum Patriarcham Hieroſolymitanum creauit: F. Hieronymum verò ſacra purpura decorauit. Perrexerunt Nuntij ad Reges, & Philippum propenſiorem invenère ad arma deponenda,parendumq; Pontifici Max. quàm Alphonſum. Quapropter Nicolaus obſtinatam huius contumaciam arguendam duxit. *Bzou. ibid. num.* 18.

Erat tunc extra Curiam Ioannes de Vercellis in viſitatione Ordinis occupatus, quando Nicolaus Pont. illum creauit Patriarcham Hieroſolymitanum, datis litteris Apoſt. Idibus Maij apud S. Petrum; cum igitur promotionis ſuæ litteras recepiſſet, conuocato capitulo, coram Fratribus eaſdem legit, fractoq; Ordinis ſigillo, ſe à regimine, ac magiſterio illius abſolutum eſſe proteſtatus eſt,dolentibus cunctis de tanti viri iactura. At cum ad pedes Nicolai acceſſiſſet, dignitatéq.Patriarchalem, ſemel, iterum, ac tertiò renunciaſſet, declarauit Pont. ipſum non potuiſſe Ordinis Magiſterio Generali cedere; ac propterea in magiſterio perſeuerare debere. *Olmeda in eius vita & Bzou. num.* 25.

P. Saluo Romano præcepit Nicolaus, vt Acheruntem iret, & an canonicè Archiepiſcopus electus fuiſſet, inquireret, remq; totam ſibi referret. *Bzou. ibid.*

Præterea iniunxit Pont. Priori Præd. & Guardiano Minorum Meſſanæ, vt Meſſanenſi Archimandritæ diem apud Apoſtolicam Sedem dicerent, in qua ipſe, tum negligentiæ in ſuo officio, tum reliquorum impoſitorum criminum rationem eſſet redditurus. *Bzou. ibid.*

Inſuper Pontifex miſit ad Guidonem Monteferetrium P.Laurentium Tudertinum; ad Bononien. verò Magiſtrum Generalem P.Ioannem de Vercellis ſuprad. qui eos monerent, ne res Apoſtolicæ Sedis vſurparent, neq; diſcordias inter ciues ſeminarent, neuè iniurij Eccleſiæ eſſent. *Bzou. ibid. num.* 13.

Eodem anno Nicolaus Pontifex iurium Sedis Apoſtolicæ defenſor acerrimus P. noſtrum Latinum Card. cū Bertholdo Vrſino Eccleſiæ Romanæ fidos miniſtros, ac nepotes, ſuos Legatos miſit, primum Bononiam, ſecundum verò in Aemiliam, vt populos illos in fidelitate erga Sedem Apoſtolicam continerent, & ciuitates ab illa alienatas ad eandem reducerent, refractarios compeſcendo. *Bzou. ibid. num.* 13.

Voluit Nicolaus, vt ciuitates omnes Flaminiæ, nec non & Bononien. ditionis ſuos procuratores mitterent ad præſtandum Pontifici debitum obſequium, atq; fidelitatis iuramentum, delegatis ad præfatas ciuitates Apoſtolicis Nuntijs, qui fidelitatis ſacramentum à procuratoribus prædictis reciperent. Nuntij autem ad hoc à Pont. Max. aſſumpti fuère, Guillelmus Durantes Sacriſta Dom. Papæ, qui poſtmodum Dominicanum habitum induit, in eoq; defunctus eſt, & P. Ioannes de Vercellis, Laurentiuſq; Tudertinus. Hi per Flaminiam pergentes, iuramentum fidelitatis erga Apoſtolicam Se-

Sedem ab omnibus ſuſceperunt, idemq; præſtiterunt in Bononien. ditione. *Bzou. ibid. num.* 15.

Cum Alphonſus Hiſpaniæ Rex Compoſtellano Archiep. multas iniurias intuliſſet, plurimaq; eius Eccleſiæ bona vſurpaſſet,iſq. apud Nicolaum Pont. iure merito conqueſtus eſſet, miſit ille Nuntium ſuum P. Iacobum Priorem Spoletanum, qui Alphonſum à perſequendo Archiepiſcopo dehortaretur, atque ad ſatisfaciendum Eccleſiæ de vſurpatis bonis induceret:quòd ſi renueret id præſtare, anathemate ipſum percuteret,Regnumq; interdicto eccleſiaſtico ſupponeret. *Bzou. ibid. num.* 16.

Eduardus Rex Angliæ à iure fiduciario, quo illud Regnum erat obſtrictum, ſe liberare conabatur: quapropter Oratorem ſuum ad Nicolaum Pont. miſit P. Ioannem Berlenthonium vna cum Magiſtro Guillelmo, atq; Henrico, qui ab eo poſtularent, vt Regi poteſtas daretur nonnullas poſſeſſiones quibuſdam Abbatibus conferendi, ex quorum redditibus illi centum mille marcharum ſterlingorum, nomine Regnorum Angliæ, & Hiberniæ, Romanæ Eccleſiæ ſingulis annis perſoluerent. Noluit Nicolaus hoc illi concedere, ſed ita reſpondit. *Quia nec honori Sedis Apoſt. congruit, nec tuis vtilitatibus expedit; & ideò nec nos ipſi proponimus circa ea, quæ ſuper eodem cenſu per noſtros prædeceſſores, & tuos ſunt acta ſolemnius, & ſeruata diutius, aliquid immutari. Dat. Viterbij Kal. Auguſti.* Bzou. ibid. num. 22.

Eodem anno Nicolaus Papa, 2. non. Auguſti ſcripſit Prouinciali Lombardiæ, vt per Fratres ſibi ſubditos faceret prædicari Euangelium Ieſu Chriſti Iudæis, in terris Chriſtianorum commorantibus ad Chriſtianæ religionis veritatem agnoſcẽdam; & quod Prælatis Eccleſiarum, ac temporalibus Dominis commendarentur illi, qui conuertebantur ex Iudaiſmo ad fidem, atq; humaniſſimè tractarentur; quibus exequtioni per noſtros Fratres datis,plurimi Iudęorum pulſa perfidia Chriſti gregi per Baptiſma ſe aſſociauère. *Bzouius ibid. num.* 29.

Conceſſit Pont. P.Philippo Inquiſitori in Marchia Taruiſina, nec non & Cuſtodi Veronen. ex Minoribus, vt Veronenſes à Clemente IV. interdicto,& anathemate percuſſos, pro eò quod Corradum recepiſſent, auxiliaq; illi dediſſent, pœnitentes,ac ſupplices abſoluerent. Dat. Apoſt. litt. 15. Kal. Septemb. *Bzou. ibid. num.* 23.

Ne Corrado Venoſtæ Nouocomenſi Hæreticorum anteſignano; qui vacante Apoſtolica Sede poſt deceſſum Ioannis XXI. dum, vt dictum eſt, duceretur à B. Pagano Inquiſitore ad carceres, in itinere ab eius nepotibus è ſatellitum manibus ereptus eſt, ipſo B. Inquiſitore cum duobus Notarijs occiſo, impune eſſet delictum, Nicolaus Pontifex Conradum fugitiuum cum nepotibus, alijſque ſocijs criminis, excommunicauit ſolemni ritu, & tum Rodulphum Imperatorem, tum quoſdam nobiles Tridentinos,ad eoſdem capiendos impulit,vt tanti ſceleris condignam luerent pœnam. *Bzou. ibid.*

Fr. Latinus Card. Pontificis nepos, eiuſdem nomine, Bononienſis ciuitatis deditionem pro Eccleſia accepit per publicum inſtrumentum, cui inter cæteros interfuit Orlandus Epiſcopus Narnien. teſtis, de quo Vghellus Ital. Sacra tom. 1. inter Ep. Narnien.num. 30. *Ex Gherard. in Hiſt. Bonon. lib:* 8.

Scripſit hoc anno P. Martinus Strempus Polonus Capellanus Dom. Papæ, & S. R. E. Maior Pœnitentiarius librum eruditiſſimum de ſchiſmate Græcorum, & Eccleſiæ Græcæ, in quo optimè, & concludenter probat, ſub vna tantum catholica eccleſia ſaluari poſſe fideles,

quem

n Nicolao Pontifici obtulit gratiſſi-
n, & factus eſt Gneſgnen. Archiep.
demq; Bononiæ migrauit ad Domi-
n, ann. 1281. *Bzou. de Prou. Pol.*

Tolluntur etiam hoc anno ex Ordine obſequium Eccleſiarum, & populorum lti Prædicatores: Et quidem P. Rodeus ad Archiepiſcopalem Compoſtellam, Guillelmus ad Archiepiſc. Corinien. Io: ad Archiep. Dublinen. & Hu- ad Epiſcopalem Troianam aſſumunr, qui creditas ſibi oues in ſpiritu, & aritate fouentes, in æterna paſcua direre. *Vghell. & Plod.*

Celebrata ſunt hoc anno Generalia Ordinis Comitia apud Mediolanum, quius Nicolaus Pont. nouiter electus, Ordinem deamans, Apoſtolicas litteras direit, eundem ſummoperè commendando ex vberrimo fructu, quem in Eccleſia ipſius filij Prædicatores producebant, Indulgentias, ipſis, eiuſq; benefactoribus concedendò. Litteræ autem hoc loco dignæ ſunt.

Nicolaus Epiſc. Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs, & Capitulo Generali Ord. Prædic. Salutem, & Apoſtolicam benedict.

ORdo veſter, inſtitutus diuinitus, claret in conſpectu altiſſimi Patris per beatam ſobolem; quam produxit ad hæreditatis æternæ gloriam aſſumendam. Claret in terris, tanquam luminare præfulgidum effundens in Conuentibus radios claritatis. Dignè quidem in ipſo chorus exultat Angelicus; & nos, qui Ordinem ipſum, prærogatiua concepte ab eodem ſpecialis dilectionis, amplectimur, in eius claritate delectamur; ac in ſua Religione, veluti ſtabili ſoliditate, quieſcimus, dum vos circa virtutum exercitium iugiter inſudantes, per deuotarum orationum inſtantiam, & expoſitionem verbi Dominici, quaſi Dei mediatores, & hominum, ſalutem quæritis animarum; & proſperi ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ feruidi zelatores, eidem indefeſſis laboribus, & argumentoſis operibus inſeruitis. Quare Dominum Deum noſtrum anima veſtra lætificat, & in ipſo lætanter exultat, quòd in humilitatis ſpiritu, confirmati, promptitudine deuotionis, & operis, illius ſtudeatis imitari veſtigia, cuius vias ſummopere cuſtoditis; qui deſcendens à Patre luminum, & formam ſerui accipiens, ſe in laudis ſacrificium, placabilem hoſtiam immolauit. Verùm, vt debitum exequentes officij noſtri vos ad quæcumq; ſalubria proprijs monitis, & benignis exhortationibus inuitemus; ſic quæſumus dicti compagem Ordinis in charitatis obſeruantia, & vnitatis ſolita gratia conſeruetis; ſicq; miniſterium veſtrum exequamini claris operibus, & verbis Dominicis; perfuſis rore benedictionis vtilieter diffundatis, ac exhibeatis vos ſalutis fidelium inclytos zelatores, & in eorum dilectione, & directione affabiles populis chriſtianis, quòd veſtrum exercitium directos foueat, & errantes dirrigat ad ſalutem, ſemperq. dictus Ordo ſuſcipiat, diuina fauente clementia, fælicitatis augmentum, vt dignè laudum præconijs attollatur, ac creſcat aſſiduè prompta deuotio fidelium apud eum, voſq; gratia cæleſtis plenitudinem promerentes, poſſitis uobis apprehendere, tanquam benedictionis filijs, uirtute perſeuerantiæ gaudium repromiſſionum; & nobis, qui in ſpiritualium adminiſtratione proficitis, & ob nomen Domini corporaliter laboratis, propter utrumq; ordinatæ charitatis præmium rependatur. Vniuerſis, & ſingulis de Ordine ueſtro, qui ad inſtans Capitulum Generale conuenerint, & alijs Chriſti fidelibus, qui congregatis in eodem Capitulo Fratribus, ipſo durante, pietatis ſuæ manus porrexerint adiutrices, dummodo uerè pænitentes extiterint, & confeſſi, ſcilicet diebus ſingulis, quibus ipſum durare Capitulum contigerit, & alijs quoties congregatis ibidem pias eleemoſynas erogauerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apo-

Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, quadraginta dies de iniuncta ſibi pœnitentia, miſericorditer relaxamus. Cæterum cum in homine non ſit auxilium, ſed infirmitas, & defectus, ac propter hoc humeros noſtros oporteat diuinæ gratiæ ſuſtentari præſidijs, pias affectiones veſtras excitet circa habitum charitatis, vt ad portanda ſalubriter nobis onera ſeruitutis, veſtris apud Deum interceſſionibus adiuuemur. Nos autem à vobis, & ſpecialiter à veſtris confratribus prouinciarum, nobis circumſtantium, grata recepiſſe cognoſcẽtes obſequia, ac eos cũ plenitudine benedictionis, & gratia cõmendantes, uos, & dictum Ordinem in clauſtro noſtræ memoriæ retinemus, & portamus in uiſceribus charitatis; proponentes, quantum cum Domino poterimus, ſalutiferæ ueſtræ quieti conſulere, ac ueſtra, & Ordinis ueſtri commoda, pro quibus ad nos recurrere, cum plena ſecuritate poteritis, promptitudine benedictionis, & gratiæ promouere. Dat. Romæ apud S. Petrum 16. Kal. Iunij Pontificat. noſtri anno primo. Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

ANNO 1279. Cardinalis noſter P. Latinus Legati Apoſtolici munus obibat in Tuſcia, & Flaminia, qui cũ P. Florio Inquiſitore Ferrarienſe ſtrenuã operam dedit, vt Bonifatius Ferrarien. Neophitus ſub Inquiſitionis patrocinio reciperetur cum alijs recenter à Iudaiſmo ad Catholicam fidem conuerſis, vt ex Legati litteris, datis Imolæ 14. Kal. Martij, Nicolai Pont. an. 2. conſtat: & vt ſupplicijs afficerentur quidam Iudęi ad fidem Catholicam adducti, qui poſtmodum ad vomitum ſunt reuerſi apud Mantuam, Aquileiam, & Caſtellum, ab alijs Iudæis ſeducti; mandauitq; Legatus inſuper eidem Florio Inquiſitori, vt ſynagogas, vbi à fide apoſtatauerant illi, ſolo æquaret, eoſque ſeculari brachio ad comburendum traderet, vt factum eſt. *Campeg. in Addit. ad Zan.*

Aſſumuntur à Rege Aragoniæ Fratres Prædicatores ad erudiendos in ijs, quæ ad fidem Catholicam ſpectant, Agarenos noſtrorum opera ad fidem conuerſos, quos in chriſtianis ritibus, atq; miſterijs edoctos, ſacro lauacro regenerauere ad vitam æternam. *Lopez p. 5.*

Diriguntur in æternam vitam ab Ordine hoc anno B. Palmerius Eugubinus, vir religioſiſſimus, orationi, ac meditationi paſſionis Ieſu Chriſti omninò addictus; atq; ſalutis populorum ſitientiſſimus, qui ſacris prædicationibus vacans, peccatores ad pœnitentiam, & vocabat, & trahebat; & P. Aldobrandinus de Caualcantibus Vrbeuetanus Paſtor, & aliquando Papalis Vicarius in Italia, dum ad Lugdunen. Concilium perrexit Gregorius X. vir religioſiſſimus, ergà pauperes pia charitatis geſtans viſcera, pietatis operibus plenus tranſijt ad ſuperos prid. Kal. Septemb. huius anni. *Bzou. in Annal. num. 16.*

Hoc anno Aprilis 9. Carolus Princeps filius Caroli Siciliæ Regis Prouinciæ Comes, poſteà Siciliæ Rex, perquirens corpus S. Mariæ Magdalenæ, in Oratorio ad S. Maximinum reperit: Apertis enim tumulis à latere oratorij, hinc & inde effoſſa humo, inuentum eſt, non in tumulo de alabaſtro, ſed in alio marmoreo è regione ad dextram collocato, ingenti odoris fragrantia redolens ſubſequtis miraculis ſingularibus. Ex eius lingua adhuc tunc capiti, & gutturi adhærente, radix quædam cum ramuſculo fœniculi prominebat in longum, quæ radix diuiſa in particulas, hæ multis in locis tamquam reliquiæ aſſeruantur. *Bzou. num. 19. in antecedent.*

Ibi Carolus conuentum ædificauit, & Prædicatoribus conceſſit, vt dicetur infra anno 1295. In teſtimonium autem veritatis, atq; identitatis corporis S. Mariæ Magdalenæ inuenerunt in eius ſepulchro tale documentum. *Anno Natiuit.*

Domi-

nicæ ſeptingenteſimo decimo, ſexto die ſis Decemb. in nocte ſecretiſſimè, regnante doyno piiſſimo Rege Francorum, tempore feſtationis gentis perfidæ Saracenorum, latum fuit corpus chariſſimæ, ac venerdæ B. Mariæ Magdalenæ de ſepulchro alabaſtri in hoc marmoreo, timore dictæ tis perfidæ, & quia ſecretius eſt hic, amo corpore Sedonei. Bzouius in Annal. m. 19.

Conſtituitur Archiepiſcopus Antibari in Sclauonia P. Gaſpar Adamus, vir ctiſſimus, qui de mandato Ordinis cõſuit officium, & legendam, quibus vtitur in feſto S. Thomæ Aquinatis, cui ex uotione addictiſſimus ſemper fuit. *lod.*

P. Hugo Amelij de Caſtro Nouo cum oloſanus Prior eſſet, vt hæreſim in ea itione reuelleret, Inquiſitor creatus fuit; ir iuſtus, & rectus, S. Theol. Magiſter iſignis, atq; zelum Dei pro animarum alute in corde habens, qui cum plurium nnorum decurſu ſacrum Tribunal rexiſet, hæreticorum audaciam, ita fregit, vt in publicum prodire nequirent. Cum verò etiam contra eorum receptores ſeuerè, iuxtà ſacrorum Canonum documenta procederet, non habentes illi, vbi caput ſuum reclinarent, ex tota ditione Toloſana abire compulſi ſunt. Cumque neq; his ſatisfactus, contra eorum fautores, & hos potentes, etiam procederet, ac propterea multis moleſtijs vexaretur, Romam petere, & ad Nicolai pedes accedere, cuncta, quæ ſibi contingebant enarraturus, decreuit; & aſſumpto itinere in Nicienſi conuentu perrexit ad Chriſtũ. *Ex Mon. Arch. Toloſ.*

ANNO 1280. Cum Fraticelli, & Manichæi hæretici occaſionem nacti diſſidiorum in Italia vigentium, virus ſuum in Lombardiæ ciuitatibus, & Mediolani, Cremonæ, & Veronæ maximè diffunderent, à potentibus, & Prætoribus Ciuitatum protecti, contabeſcebat ſupra modum Pontifex Nicolaus, & Catholicæ fidei candorem illæſum ſeruaturus, Inquiſitoribus in Lombardia Apoſtolicis litteris calcar addidit, vt contra illos, fautores, protectores, necnon receptatores eorundem cum omni rigore procederent, illoſq; ferro, flammis, vltimoq; ſupplicio exterminare conarentur; iuſſitq; Prouinciali Lombardiæ, vt in illius ciuitatibus Inquiſitores multiplicaret, viros doctos, prudentes, ac ſagaces, qui zelo zelati pro Domino Deo tantam peſtem ex fidelibus totaliter euellere conarentur, *Paramus, & Taeg.*

Card. Latinus à Nicolao Pont. Florentiam miſſus, vt Guelfos, ac Gibellinos ad vnitatis, ac pacis fœdera reuocaret, ſupplicantibus Reipublicæ Florentinæ Magiſtrantibus, cum primùm ad Florentinos acceſſiſſet, & auctoritate pontificia, & priuatim, & publicè, & concione maximè, in foro plura de pace ſequenda dixiſſet, eam tandem ciuitati reſtituit: Formam Reipublicæ adminiſtrandæ ex quiete publica inſtituit; Matrimonijs eos deuinxit ad inuicem. Magiſtratum, nec perpetuum, nec ex vna factione; ſed mixtum ex Guelfis, & Ghibellinis Vrbi præpoſuit, pluraq; alia ad ſeruandam pacem, & vnitatem inter eos ſtabiliuit: & poſito primo lapide pro conſtructione Eccleſiæ S. Mariæ Nouellæ Fratrum Prædicatorum, in Vrbem ad Pont. Max. reuerſus eſt. *Bzou. in Annal. num.* 1.

P. Germanus verbi Dei annunciator, celebris, cum in Flagellantium prauam ſectam facundo ore vbique declamaret, illorum peſſima dogmata, ac delitamenta detegendo, ab eiſdem dolo captus, atq; trucidatus, proprio ſanguine candidatus perrexit ad Chriſtum martyrum Regem. *Plod. p.* 1. *l.* 2.

Cardinalis noſter Robertus Kiluarbius virtutibus cumulatus, cum etiam in Cardina-

dinalitia dignitate maxima in humilitate vixiſſet, duobus Fratribus Ord. ac duobus ſecularibus tantùm in ſui famulatum adhibitis, Viterbij perrexit ad Chriſtum in noſtra Eccleſia S. Mariæ ad Gradus electa ſepultura ad pedes Fratrum ſuorum. *Vghell. Ital.Sac.tom.1. inter Portuen. Ep. & Ciaccon.*

B. Albertus Magnus ſequtus eſt ad cœlum Card. Kiluarbium, qui poſt depoſitam Epiſcopalem curam Ratiſponen. Eccleſiæ, in conuentum Colonienſem ad pauperculam cellulam ſummoperè deſideratam ſe receperat. Ibi reaſſumpto priſtino vitæ inſtituto, atq; docendi, legendiq; more, ſanctiſſimè vixit vſq; ad nouiſſimum diem, quem ex diuina reuelatione cognouit; nam agens annum octuageſimum tertium, Coloniæ in publica lectione, ſicut ei prædictum fuerat à Virgine Beatiſſima, paſſus eſt memoriæ lapſum, ex quo intellexit ſibi mortis tempus imminere. Ac tandem completo anno ætatis octuageſimo ſeptimo euolauit ad ſuperos, miraculis corruſcans, cuius feſtum diem in toto Prædicatorum Ordine celebrandum Clemens Papa X. ad ſupplicationem Reuerendiſs. P. F. Io: Thomæ de Rocabertì Magiſtri noſtri Gen. voluit, de quo Pius Papa II. in Epiſtolarum libro hæc habet, poſt multa in honorem S. P. Dominici prolata Enconia: *Multi ex diſcipulis eius clariſſimi euaſerunt. Sed præcipua eſt Magni Alberti fama, qui nullum doctrinæ genus ignoraſſe creditus eſt: Nec minor eo Thomas Aquinas fuit in litteris; & ſi maior extitit in ſanctitate*; Hæc ille vbi ſup. *Bzou. vbi & Scriptt. Ord. ſup. num. 8. & 9.*

B. Robertus Saxo etiam ex hac vita diſceſſit, qui Palatina Friderici Imperat. Aula relicta, in Magdeburgen. cœnobio Dominicanam togam induerat, ſub qua **perpetua conſuetudine, triplici catenâ ferrea, aculeis acerrimis diſtincta, in ſingulas** noctes corpus flagellabat, & cruentabat. In cuius prætioſa morte auditi ſunt Angelici concentus, quibus inuitabatur ad gloriam. *Bzou. ibid. num. 10.*

P. Reginaldus Priuernas cum apud Mauros pro illorum cōuerſione ad Chriſtum Euangelium prædicaſſet, & multos ſuo ignito eloquio ſacra vnda lauaſſet, apud Maſſeam captus, & ad tribunal Iudicis raptatus, cum de deteſtanda vera fide, quam prædicabat, quæſitus, id exequi deteſtaretur, damnatus eſt ad Crucis mortem, **vt Ieſum Crucifixum, quem prædicabat, in morte ſequeretur. Itaq; Cruci** affixus, cum quinq; diebus in Cruce pendens, confluenti populo, maximo ſpiritus ardore prædicaret, quingentis & vltra ex barbari ſillis ad catholicam fidem attra**ctis, in cœlum euolauit, cœleſti luce ſuper eum deſcendente.** *Marcheſ. ſac. Diar. tom. 3.*

ANNO 1281. Martinus Papa IV. nouiter electus Pontifex P. Iaco**bum ad Aragoniæ Regem Petrum miſit, vt cauſam inquireret numeroſæ claſſis maritimæ congregatæ in oris Aragoniæ titulo inuadendi Africam, vel ſacri Hie**roſolymitani belli indicendi. Acceſſit Iacobus, & cauſam Pontificis nomine ſciſcitatus bellici apparatus maritimi, reſpōdit Rex; Pontificem ſuo tempore ſe de cauſa inſtructæ claſſis moniturum, quæ poſtea ad occupandam Siciliam directa eſt. *Bzou. in Annal. num. 8.*

Apud Ferrariam habita eſt Congregatio multorum Iuriſperitorum, atq; Theologorum à P. Florio Inquiſitore circa Hebræos ad fidem conuerſos, qui ad vomitum reuertebantur **ſectæ Iudaicæ: Interfuère autem ex Prædicatoribus Theologi PP. Raganus Prior Bononien. Iulianus de Cremona, & Franciſcus Renginus, nec** non & Guelicius Prior Ferrarien. atque Chriſtianus Supprior; & ſancitum eſt, quod ſeuerè punirentur, non ſolùm ipſi reuer-

ttentes ad Iudaiſmum, ſed etiam cofautores, protectores, ſuadentes, & entientes:& inſuper quòd ſynagogæ, aibus à fide facta eſt, vel fieret dein- apoſtaſia, ſolo æquarentur, totumq; quutioni, prout decretum, mandatum timore non modico hebræis cunctis uſſo. *Campegius in addit. ad Zanchin.* Electus Inquiſitor in Lōbardia ſuper P. rius Violetta, in negotio S. Inquiſinis verſatiſſimus, malleus hæreticon communi acclamatione dictus, hoc no in ſibi ſubditis ditionibus hæreticos aticellos inſectatus, plurimos extremo pplicio adiudicauit, igne conſumptos, gientibus reliquis. *Ciacon. Comen. hiſt.* P. Io: de Podio ventoſo apud Valenam multum inſudauit in Agarenorum onuerſione,eorum linguam edoctus:iam nim in Hiſpania ſtudium Arabicum à S. Raymundo inſtitutum, apud Prædicatoes vigebat, maximo cum Agarenorum ructu. Quare Petrus Aragonum Rex idem Ioanni, aliiſq; ſocijs Prædicatoribus iniunxit, vt in viſitandis, inſtruendis, & docendis neophytis omnem diligentiam adhiberent, illoſque in ſuſcepta catholica fide benè confirmarent, ne ad infidelitatis vomitum redirent. *Diag. lib. 2.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina in Gallia PP. Raymundus de Medullione, ad Vapicen. & Imbertus Gallus ad Ciſtaricen. viri doctrina, ac pietate celebres, qui verbi Dei pabulo ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei direxerunt in vitam æternam;& P. Nicolaus de Anapis Rhemenſis ex Prouincia Franciæ, Pœnitentiarius Domini Papæ, digniori honore inuentus habilis, à Pontifice promouetur hoc annò ad Patriarchalem Sedem Hieroſolymitanam. Nam cum Pontifex Cardinalibus mandaſſet, vt in ſequēti Conſiſtorio ſibi proponerent virum ad tantam eccleſiaſticam dignitatem aptum, poſt triduum cuncti in Nicolaum animū figentes, cum Martino pro Patriarchali infula digniſſimum obtulerunt. Conſecratus autem fuit ab eodem Pont. Max. datis huiuſmodi promotionis Apoſt. literis Kal. Maij, vixitq; in ea dignitate raro paſtoralis ſollicitudinis exemplo annos quatuor, & mortuus eſt. *Vghell. in manuſcript. & Plod. de vir. illuſt. Ord. Gall. Chriſt.*

ANNO 1282. Romanas turbas tumultuātes Martinus Pōt. ſedaturus, pacemq; diu optatam inter diſcordes nobiles redditurus, commiſit Priori Romano noſtro S. M. ſupra Mineruam, vt Franciſco Nicolai Creſcentij Romano Patritio diſpenſationem concederet, in matrimonium ſibi aſſociandi Magdalenam filiam Nicolai Ioannis de Inſula, quarto gradu conſanguinitatis ſibi deuīctam, quam coniunctionem procurauerat Hanibaldus de Hannibalis Romanus Senator. *Bzou. in Annal. num. 4.*

Tanta clarebat hoc tempore, & anno B. Ambroſius Sanſedonius apud Senen. exiſtimatione, vt ſuæ patriæ Epiſcopus electus ſit; attamen adduci non potuit, neq; etiam precibus pontificijs, vt eam dignitatem acceptaret, malens in propria cellula ſub paupertate animæ ſuæ conſulere, quàm in Senenſi cathedra animarum illi commiſſarum rationem omnipotenti Deo reddere. *Vghell. Ital. Sac. tom. 3. & Mon. Ord.*

Alij verò Eccleſiarum regimini acquieuerunt, Deo, atq; Apoſtolicæ Sedi in recto gubernio creditarum ſibi ouium inſeruituri. Ex his fuit P. Deodatus de Capua ex Romana Prouincia, qui Militen. Eccleſiæ Paſtor electus, à Martino Pont. cui Deodati doctrina, ac pietas innotuerat confirmatus eſt, præfuitq; gregi ſibi commiſſo raro humilitatis, atq; in pauperes, charitatis exemplo, vſq; ad annum 1286. quo carnis ſarcina depoſita perrexit ad Chriſtum. *Vghell. tom. 1.*

Cum

Cum hoc anno Aragonenſes inuaſo Siciliæ Regno contra Pont. Max. mandata, ad quem ius Regni Siculi ſpectabat, Ciuitatem Auguſtam ingreſſi, omnes Gallos perimere, Veſpere illo Siculo famoſo contenderent, iſtiq; cum Aragonenſibus præliarentur per vicos, & plateas, inſurgentes Dominicani Fratres è conuentu eiuſdem ciuitatis numero tredecim, iura Pontificis, atq; Sedis Apoſtolicæ defenſuri, vnà cum Gallis pro iuribus Eccleſiæ viriliter pugnarunt; at populo Auguſtano etiam arma contra eos ſuſcipiente, coacti ſunt Fratres cum Gallis ſe in arcem recipere, in quam tantùm ſex admiſſi ſunt excluſis reliquis, vnde quinque fuere trucidati, & duo capti. *Bzou. in Annal. num. 2.*

Apud Mediolanum, Comum, & Bergomum Manichæorum hæreſis ſerpebat nimis, maximo cum Catholicæ fidei detrimento; quare Martinus Pontifex tantam peſtem eradicaturus, P. Ioāni de Vercellis Magiſtro Generali per Apoſtolica ſcripta mandauit, vt viros cordatos, doctos, atq; inculpatæ vitæ in eas ciuitates Inquiſitores mitteret, qui zelo zelati pro Domino Deo, de hæreticis ipſis vltionem ſumentes, candorem ſanctæ fidei inuiolatum ibidem conſeruarent; ſcripſitq; inſuper eorundem ciuitatum Rectoribus, Magiſtratibus, ac Præfectis, vt omne conſilium, fauorem, atq; auxilium in capiendis hæreticis, eiſdem præberent. Delegit igitur Io: Patres charitate feruidos, ad tantum miniſterium præ cæteris aptiores, qui Rectorum, ac Præfectorum Vrbium protectione muniti, inconcuſſo animo in hæreticos irruentes, captos, & in vincula coniectos varijs ſupplicijs affecere, publicis ſuſpendijs, igne, ac ferro copioſa illorum multitudine perempta: & hoc modo Manichæorum audacia frænata eſt. *Taeg.*

ANNO 1283. Cum duellantes Reges Martinus Papa componere niteretur, Fratres Pyrronem de Aydeno Siculum, & Antonium de Monte Apulum in Siciliam direxit, qui Siculos hortarentur, vt à Petro Rege, ad Romanam Eccleſiam ſecederent. Hi Pontificis vota completuri, Meſſanam ad S. Mariam de Scalis aduecti, Guillelmum Maniacis Abbatem, vt à Martino edocti fuerant, conuenerunt, illiuſq; opera vſi ſunt. Re autem detecta, Iacobus filius Petri Regis noſtros Pyronem, & Antonium captos, muneribus oblatis ſibi allicere tentauit, & vt pacem cum Pontifice Max. tractarent, Romam dimiſit quod fecère illi. *Bzou. in Annal. num. 3.*

Carolus Claudus Princeps Salernitanus, Caroli Regis Siciliæ filius, in vinculis ad mortem detentus Barcinone, à Mag. Guillelmo de Tonais Dominicano confeſſario ſuo monitus, vt ſi vitæ periculum euadere vellet, ſe toto corde D. Mariæ Magdalenæ, quæ in terris ſibi ſubiectis prædicauerat, pœnitentiam egerat, atq; in Domino obdormierat, commendaret; quod ex intimis præcordijs præſtitit Carolus, lachrymis copioſis effuſis. Adfuit Apoſtolorum Apoſtola nocte in vigilia ſuæ feſtiuitatis, & illum ex carcere eductum cum familia ſua propè Narbonam adduxit, dicens illi: *Ecce propè Narbonam in tua ditione es. Tu Corpus meum ex loco vbi eſt leuabis, & Fratribus meis, ideſt Prædicatoribus, trades cum Eccleſia, ac Conuentu ibidem conſtructo*: & diſparuit. Carolus igitur beneficij memor mandata cuncta adimpleuit, atq; maximo affectus amore erga Ordinem, plures conuentus nobis ædificauit. *Bzou. ibid. num. 9.*

P. Raymundus Martinus Barchinonen. vir doctiſſimus, linguarum Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, atq; Hebraicæ peritia clarus, ſcripſit, ſeu potiùs euulgauit hoc anno librum ſpecialis eruditionis con-

ꝛra Alcoranum Saracenorum, nec
ı & alterum contra Iudæos,quem, *Carum Iudæorum*, prænotauit: Alterum
ɔq; contra eoſdem Hebræos inſcriptũ,
ɀio de diuerſitate errantium à via ſalutis,
ınè, & hebraicè exaratum. Laborauit
em indefeſsè Martinus in Iudæorum,
ɪȝ Maurorum conuerſione, ex quibus
ıltos ad agnitionem veræ fidei adduxit,
ɪribus diſputationibus, congreſſibuſq;
m eiſdem habitis. Sequenti autem an-
› laborum ſuorum præmia percepit, è
rra viuentium ſublatus. *Diag. lib. 2.*

Hoc anno datus eſt ſuperis P. Stefanus uſignanus Regum Cypri ſanguine orıs, qui cum in Ordine præſtantiſſimus ſet, atq; doctrina pollêret, Rempubliım Chriſtianam mirum in modũ, ſcrips, prædicationibus, virtutibus, atq; pieıte illuſtrauit, meritiſq. refertus, cum ʾaganos multos ad fidem conuertiſſet, ıpud Palæſtinam migrauit in cœlum fere nonagenarius. *Anton. Senen. in Chron. & Bzou. ad an.* 1222.

B. Io: de Vercellis poſt multos exantlatos pro Eccleſia Dei labores; poſt rectum Ordinem ſumma cum æquitate an. 20. poſt erectam S. P. Dominico apud Bononiam nobiliſſimam marmoream archam, in qua ſacrum corpus quieſcit, migrauit è vita 3. Kal. Decemb. ſub quo antiquum templum Mineruæ, procurante P. Hanibaldo de Anibalis Sacri Palatij Magiſtro datum eſt Ordini ab Alexandro IV. an. 1255. Claruère ſub ipſo viri præſtantiſſimi, in ſanctitate vitæ, regendis cathedris, atq. Eccleſijs gubernandis mirabiles, & Capitula Generalia viginti celebrauit, in quibus multa pro gentilium conuerſione ad Chriſtum ordinata ſunt. Primum fuit Pariſijs an. 1264. apud Mõtempeſſulanũ 1265. Treueris 1266. Bononiæ 1267. Viterbij 1268. Pariſijs 1269. Mediolani 1270. In Montepeſſulano 1271. Florẽtiæ 1272. Peſtis 1273. Lugduni 1274. Bononiæ 1275. Piſis 1276. Burdegalis 1277. Mediolani 1278. Pariſijs 1279. Oxoniæ 1280. Florentiæ 1281. Viennæ 1282. In Montepeſſulano 1283. Ordinem viſitauit ſolo baculo vſus. *Bzou. in Annal. num.* 9. 8. *ſub an.* 1225. *& Olmeda in eius vita.*

ANNO 1284. Martinus Pont. per Apoſtolicas litteras datas apud Vrbem Veterem 2. Non. Iunij, mandauit Prouincialibus noſtris, & Minoribus in Sardinia, Gallia, Corſica, alijſq. Prouincijs adiacentibus, vt ſacrum bellum prædicarent contra Petrum Regem Aragoniæ, qui Siciliam Apoſtolicæ Sedis feudum occupauerat. Deinde ius Regni, etiam Aragoniæ, & Valentiæ eidem abrogauit, quod Carolo Valeſij Comiti dedit. *Bzou. in Annal. num.* 3.

Eodem anno Pontifex Priori noſtro Moguntino facultatem conceſſit, vt cum Henrico Lanthgrauio Haſſiæ, qui cum Theodorica Comitis Cliuenſis ſorore in quarto contraxerat, diſpenſaret, vt in contracto matrimonio perſeuerare poſſent cum Apoſtolica benedictione. *Bzou. ibid. num.* 4.

P. Florius Inquiſitor in Lombardia inter innumeros, quos patibulo ſuſpenderat, atq; flammis adiudicauerat hæreticos, cum quandam mulierem relapſam hoc anno Parmæ rogo dum imponi feciſſet comburendam, conſpiratione ab hæreticis excogitata, qui ſub ſimulato habitu ibidem ad ſpectaculum conuenerant, ſeditio magna repentè facta eſt, irruentibus in cœnobium noſtrum hæreticis, eorumq; fautoribus innumeris de populo, vt Inquiſitorem cum Fratribus iugularent. Valuis igiur Eccleſiæ, & cœnobij confractis, dum peiora molirentur, ſuperuenientibus multis Catholicis in Fratrũ adiutorium receſsère hæretici ipſo Inquiſitore capitalibus iniurijs affecto, & aliquibus Fratribus fuſtigatis, imò & altero vul-

Q

vulneribus confoſſo, qui paulo poſt expirauit. Coacti ſunt igitur Fratres cum Inquiſitore, vt darent locum iræ, è ciuitate abire tanto ſcelere Card. Latino in Lombardia Legato Apoſt. nunciato, vacante tūc per obitū Martini Papæ IV. Sede. *Bzo.*

In Gallia apud Toloſam ſacrum Inquiſitionis tribunal regebat P. Hugo de Boniolis, Pariſinus doctor inſignis, qui zelo zelatus pro Domino Deo, vt candorem catholicæ fidei in ſibi creditis populis conſeruaret, Albigenſium reliquias taliter oppreſſit, vt neq; Toloſæ, neq; in adiacentibus locis, in quibus Hugonis authoritas vigebat, aliquis ſe hæreticum profiteri auderet; quotquot enim ex ipſis vinctos habebat, reſipiſcentes, & miſericordiam implorantes, impoſitis ſalutaribus pœnitentijs, iuxta ſacrorum Canonum tenorem, dimittebat; attamen ſuper eos inuigilans, ſi ad vomitum redirent; tunc enim ſtatim morti adiudicabantur: Obſtinatos autem brachio ſeculari tradebat viuos comburendos, vt cæteris fierent in documentum. *Ex Arch. Toloſ. & Ord.*

Caput VII.

P. MVNIONE Magiſtro Generali VII.

ANNO Dom. 1285. celebrata ſunt Generalia Ordinis Comitia Bononiæ pro Magiſtro eligendo ſub P. Iacobo de Voragine Prouinciali Lombardiæ, atq; Ord. Vicario, in quibus ſalutatus eſt Magiſter Generalis P. Munio de Zamorra Prior Prouincialis Hiſpaniæ. *Ex Act. eiuſd. Cap.*

Fuit Munio Zamorrenſis multis præſidentijs in Ordine clarus, & poſt plurium conuentuū regimen Prouincialis Hiſpaniæ electus, cum qua præfectura ad Generale Capitulum accedens, electorum ſuffragijs ad ſupremum Ordinis regimen, ac Magiſterium peruenit. Septimus fuit Generalis Magiſter, & vſq; ad ſeptennium Ordinem rexit, ſeptemq; Generalia Capitula celebrauit, Primum Bononiæ an. 1285. Pariſijs 1286. Burdegalis 1287. apud Lucam in Etruria 1288. Treueris 1289. Ferrariæ 1290. & Palentiæ 1291. in quibus ſancita ſunt plura ad incrementum, & conſeruationem Ordinis neceſſaria, inter quæ illud in primis, vt poſt matutinas preces, ac veſperas, ad implorandum auxilium Beatiſs. Virginis, Ordinis Protectricis, dicatur: *Protege Domine famulos tuos ſubſidijs pacis, &c.* Sub eo quoque decretum eſt dicendam eſſe Antiph. *Salue Regina, &c.* cum verſiculis, & orationibus pro Eccleſia poſt horas Canonicas.

Fratribus Tertij Ordinis S. Dominici Munio Regulam præſcripſit, atq; Ordinem illum Apoſtolicis Priuilegijs communiuit. Erat Munio egregia forma corporis, vultuſque præſtantia venerabilis, cuius frequens ſermo in Capitulis ad Fratres erat, quod, *manere in clauſtro eſt manere in Eremo.* Ipſo inſtantibus præcibus apud Nicolaum Pont. vrgente, plenaria exemptio primò conceſſa eſt Ordini vt ſoli Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubderetur. Sub eodem firmata eſt Conſtitutio de non procuranda vllo modo diuiſione Ordinis, vel immutando generali ſtatuto eius; ſiquidem inimicus homo ſuperſeminare cæpit zizania in agro Dominico, dicentibus aliquibus, Prædicatorum Ordinem iam vbiq; terrarum dilatatum, ſub vno, eodemq; capite, nequaquam poſſe benè militare, ac regi. *Olmeda in vita eiuſdem Munionis.*

Eodem anno 1284. electus eſt Pontifex

ſax. Honorius IV. gente Sabella noſſima Romana natus, qui erga Ordi optimè affectus Officium, quo Fratunc temporis vtebantur, à B. Vmo de Romanis Magiſtro Generali ſcriptum, laudauit, atq; approbauit, s litteris Apoſtolicis, quas adducit gius in Monumentis Ord. fol. 227. ou. *in Annal. num.* 2. *&* 11.

Idem Honorius Pont. Prædicatorum dinem ob multiplicia beneficia Eccle nctæ Dei collata deamans, nouis priuigijs cohoneſtauit, & auxit. *Olmeda in ta Mag. Munion.*

Prouinciali Poloniæ dedit poteſtatem onorius Pont. vt in cenſuris, atq; irrealaritatibus diſpenſare valeret cum Callanis Leſci Ducis Cracouien. anatheiate damnati, coram quo diuina celerauerant, ideòque in irregularitatis caionem inciderant. *Bzou. ibid. num.* 11.

Sceleri ab hæreticis Parmæ ſuperiori inno patrato in traditione relapſæ mulieris igni, cum irruptione in cœnobium, & Prædicatores, nec non & Inquiſitorem facta, qua multa damna, & etiã mortẽ eis intulère, quæ recenſet Pont. in ſuis litteris ſequent. condignam pœnam inflicturus Honorius nouiter electus, ad Ep. Parmen. dedit litteras Romæ apud S. Sabinam nonis Maij, incipien. *Olim ſicut accepimus dilectus filius Fr. Florius Ordinis Præd. Inquiſitor hæreticæ prauitatis in partibus Lombardiæ à Sede Apoſt. deputatus quandam mulierem, &c. Verùm nonnulli qui in loco incendij prædicti conuenerant, & etiam quamplures alij ex diuerſis prædictæ ciuitatis partibus confluentes, diabolico ſpiritu concitati, ad locum Fratrum dicti Ord. in ciuitate prædicta morantium hoſtiliter concurrerunt, ac in prædictum locum impetum facientes, valuas Eccleſiæ confringere, tecta lapidibus obruere, & officinas loci eiuſdem violenter ingredi præſumpſerunt, ac libris, veſtibus, & rebus alijs eorundem Fratrum iniquè direptis nonnullos ipſorum verberibus, ac vulneribus affecerunt, quorum vnus poſt paucos dies ex illatis ſibi vulneribus expirauit: unde præfati Fratres his, alijſque diuerſis iniurijs, damnis & grauaminibus per eoſdem malefactores affecti, &c.* quibus citauit Magiſtratum Parmenſem, Poteſtatem, Capitaneum, Anſianos, Conſiliarios, atq; Commune prædictæ ciuitatis, vt coram ſe venirent ad dicendam cauſam de tanto facinore commiſſo aduerſus P. Florium Inquiſitorem, & Fratres Prædicatores. *Bzou. ibid. num.* 12.

Prouinciali Lombardiæ, & Compſano Archiep. iniunxit Pont. vt cõtra Marchionẽ Montis Ferrati procederent, qui rumore incerto ferebatur occidiſſe Terdonen. Epiſcopum, & ſi inculpabilem reperiſſent, eidem purgationem canonicam indicerent, ad cautelam abſoluerent, atque ſalutarem pœnitentiam imponerent. *Bzou. ibid.*

P. Paparonus de Paparonibus nobiliſſima familia Romana natus ex Eccleſia Fulginaten. quam, dum regebat, conuentum Ordinis extra mœnia exiſtentem, intra ciuitatem voluit, transfertur hoc anno ab Honorio Pont. ad Spoletanam. P. Nicolaus autem de Anciris poſt deceſsũ alterius F. Nicolai de Anapijs conſtitutus eſt ab Honorio IV. Patriarcha Hieroſolymitanus, vir doctiſſimus, ac morum ſanctitate commendabilis, qui commiſſum ſibi gregem annis tribus ſanctiſſimè rexit, poſt quos mortalitatem compleuit. *Vghell. in m. s. & Plod.*

ANNO 1286. B. Ambroſius Sanſedonius Senenſis ad 13. Kal. Aprilis in cœlum euolauit, ſanctitate, prædicationibus, miraculiſq. conſpicuus, à Clemente VIII. Romano martirologio inter ſanctos adſcriptus. Fuit genere nobilis, & B. Alberto Magno Doctore, Diuoq. Thoma Aquinate commilitone Pariſijs Theologiam profeſſus; inde Co-

lonie, & Magiſtri, & Prædicatoris munijs functus eſt. Germanorum Principum diſcordias compoſuit; Hæreticos confudit; Patriam Gregorio X. Pont. Max. placato, ab interdicto liberauit, Europęos Principes ad ſacrum bellum contra infideles inſlammauit, Piſanos cum Florentinis conciliauit, Venetiſq; cum Genuenſibus arma deponere ſuaſit. Innummeros peccatores ad pœnitiam reuocauit. Spiritum Sanctum ad aures ſub columbæ ſpecie loquentem in prædicatione habere promeruit, vt ſuis locis dictum eſt. *Bzou. in Annal. num.* 8. *& ex Breu. Ord.*

Floruit quoq. B. Henricus Brabantinus, eruditione, pietate ac multarum linguarum cognitione nulli ſuo tempore ſecundus, qui ſacra prædicatione multos conuertit ad Chriſtum, & D. Thomæ Aquinatis auditor effectus, eo iubente, omnes fere Ariſtotelis libros latino reddidit ſermoni; Alber. Mag. etenim veteri traditione vſus fuerat. *Bzou. ibid. num. 9.*

Non Henrico inferior fuit Conradus Halbeſtadienſis, vir pietate inſignis, atq. puritate mirabilis, qui in ſacra Theologia, atq. naturali Philoſophia edoctus, varia opera in commune Studentium commodum euulgauit, & in plures Bibliorum libros commentaria doctiſſima edidit, inter quæ ſtudia occupatus, à prædicatione verbi diuini, vt animas ad Chriſtum perduceret, non ceſſabat. *Bzou. ibid. num.* 10.

Euelluntur ex Ordine magno cum eiuſdem incommodo; beneficio tamen ſingulari fidelium, quibus fuerè præfecti P. Raymundus, & Iacobus Caſtelbonus primus quidem Armachanæ Eccleſiæ; ſecundus verò Florentiæ addicti: Archiepiſcopus ille, Epiſcopus hic, vterq. pietate, charitateq; refulgens, qui ſibi creditum gregem optimis documentis imbuentes, illis, & ſibi viam vitæ patefecère. *Vghell. & Plod.*

Cum Inquiſitor Parmen. de iniurijs ſuperiori anno 1285. recenſitis, ſibi, Prædicatoribus, atq. ſacro tribunali à Parmenſi populo illatis cum noſtro Card. Latino Vrſino, Oſtien. Epſcop. in Lombardia Apoſtolico Legato conqueſtus fuiſſet, ille proceſſu formato contra eiuſdem ciuitatis Capitaneum, Primicerios, Anſianos, Conſilium, & Commune citauit eos ad dicendam cauſam coram ſe de perpetrato ſcelere in ſacrum Tribunal, & Conuentum Prædicatorum; ſtatuta die conuènere coram Legato Procuratores Capitanei, Anſianorum, Primicerei, & Conſilij ciuitatis, non verò Communitatis eiuſdem, eoſq; auditos dimiſit, & præfatos Officiales, & Commune contumaces diiudicans, in ipſos excommunicationis iaculo vibrato, ciuitatem ipſam eccleſiaſtico interdicto ſubegit. Cum autem perpetrati facinoris pœnitentes ad cor rediſſent illi, Honorium Pontificem per ſuos Procuratores adière, vt humanæ fragilitatis miſeratus, ſe ab eccleſiaſticis, quibus irretiti erant, cenſuris abſoluere dignaretur, qui P. Florio Inquiſitori, vt eiſdem abſolutionis beneficium, ſi humiliter ab ipſo peterent, impertiretur, ciuitatemque interdicto, quo affligebatur, diſſolueret iniunxit. *Bzouius in Annal. num.* 12. *anno anteced.*

ANNO 1287. Euolauit in cœlum B. Nera Ptolomei Senis in Etruria, magnæ ſanctitatis Virgo. Hæc ex manibus B. Ambroſij Sanſedonij conciuis ſui religioſum Tertiariarum habitum ſumpſit, & vſq; ad mortem ieiunauit dies quatuor ſingulis ſeptimanis in pane, & aqua; cilicium aſperrimum nocte, & die geſtauit; quinq; vicibus ſingulis diebus ferrea catena ſe, ad ſanguinem vſq; flagellauit, ſolo Euchariſtico pane ſumpto, ſex dierum ieiunium non ſemel protraxit. Propterea dæmonum inſultus non modicos experta, in extaſim rapiebatur. Spiritu

prophetico clara, etiam cordium in- cognouit. Incredibili charitate erga nos, & ægros flagrabat, quorum miſeriis ex corde condolebat. Tandem cum omnes virtutis gradus, ad faſtigium Chriſtianæ perfectionis perueniſſet, miraculis clara, euolauit in cœlum, & inter cætera patrata miracula duos mortuos ſuſcitauit. *Bzou. in Annal. num.* 10.

Cum poſt felicem in cœlum aſcenſum, Ambroſius Sanſedonius innumeris floreret miraculis, ex decreto Honorij Pontificis habitus eſt proceſſus de vita, moribus, ac miraculis eiuſdem, vt in Sanctorum album adſcriberetur. *Lopez p.* 5.

P. Florius in Lombardia Inquiſitor vigilantiſſimus, cum quandam mulierculam apud Mantuam vitæ ſanctitatem ſimulantem, atq; cordium ſecreta manifeſtantem, futura prædicentem, rarò manducantem, & bibentem, & ſola ſacra communione refectam viuentem audiſſet, proptereàque communi plebis voto ſanctam adiudicatam; & ab ipſo Mantuano Epiſcopo in veneratione ita habitam, vt eius ſe precibus ſummoperè commendaret: de tanta bonitate in ſeculari muliercula ſuſpicatus, cunctam eius vitæ rationem per Fratres noſtros obſeruari fecit, ac tandem hypocritam, hæreticam, & Manichæam repertam, in publico foro coram innumerabili populi multitudine viuam cremendam, ſæculari brachio relaxauit. *Taegius*.

Morte æquo pulſante pede pauperum tabernas Regumq; turres, Honorius Papa IV. ex nobiliſſima Sabellorum familia Romana, cuius deſcendentes, Albani Principes dictos, ſine ſucceſſione prolis temporibus noſtris deficere videmus, communem carnis viam ingreditur, Prædicatorum Ordinem vnicè diligens, qui deceſſoris Honorij III. gentilis ſui in ordinem charitatem æmulatus plura eidem contulit beneficia, promotis pluribus Patribus ad Eccleſias, vt dicetur. *Olmeda*.

Hoc tempore, inquit Bzouius, à duobus vaferrimis apoſtatis, vno Parmenſe, Geraldo Segarello dicto: altero Nouarienſe, Dulcino nuncupato, ortum habuit, Apoſtolorum dicebant ipſi, at melius à Catholicis, Pſeudo Apoſtolorum, ſecta. Quòd enim Apoſtolorum vitam imitari, moreſq; illorum ſe ſequi deblaterarent, quam pluribus ſeductis, ſectam cõgregarunt; at quia Inquiſitores in Lombardia peruigiles timebant, virus ſuum non niſi in occultu inter ignaram plebem, & mulierculas diffundebant; ſub ſpecie pietatis, & pœnitentiæ diſcalceati, atq; in abiectiſſimo pœnitentię habitu incedentes; nihil habentes, & omnia rapientes cõctis, amplexum pœnitentiæ, ſibi eleemoſynam præbentibus, ſuadebant dicentes: *Agite pænitentiam* quia appropinquauit regnum Dei. Quia verò in occulto virus hæreticale diffundebant, eorum vafrities Inquiſitoribus per plures annos non innotuit. De quibus infra an. 1300. & 1307. *Bzou. in Annal. ann.* 1285. *num.* 13.

ANNO 1288. eligitur in noſtro S. Sabinæ cœnobio Romano Pont. Max. Nicolaus IV. ex Minorum Ordine, qui ſe ſtatim orationibus Fratrum noſtrorum, tam publicis, quam priuatis commendauit, atq; erga noſtram Dominicanam Religionem optimè affectus, P. Hugonem Seguin de Biblimo, virum doctiſſimum, atq; concordantiarum ſacrorum Bibliorum auctorem S. R. E. Cardinalem creauit, & Archiepiſcopum Lugdunen. fecit. *Bzou. num.* 1. *&* *Vghell. tom.* 1.

Sanctiſſimæ Inquiſitionis munus exercebat in Mediolanenſi ditione P. Gulielmus de Aquis, vir fidei zelator, hæreticorumque perſecutor indefeſſus, qui hoc anno contra quendam Paganum Mediolanen-

lanenſem incœpit inquirere, cum fuiſſet denunciatus, quòd hæreticos fouèret, & reciperet,& cum eiſdem in benedicto pane communicaret: citatus autem vt ad ſacrum tribunal accederet, ad Apoſtolicam Sedem appellauit contra eundem Inquiſitorem:verùm cum ex Summi Pont. decreto in cauſæ proſequtione inſiſteret Gulielmus, è viuis ereptus eſt; quo audito, ex eiuſdem Pontificis ſententia P. Raynerius Pirouanus nobilis Mediolanenſis in eiuſdem locum, vt eandem cauſam ad optatum finẽ perduceret,fuit ſuffectus; quo etiam poſt paucos annos vniuerſæ carnis viam ingreſſo, P.Thomas de Moggio Inquiſitor renunciatus eſt, qui tandem cauſam hanc ſub Bonifatio VIII. Pont. Max. feliciter terminauit, damnato condignis pœnis Pagano, eiuſq; fautoribus tanquam hæreticis. *Taeg. in Monum. Ord.*

Statim ac Apoſtolicum culmen conſcendit Nicolaus, de liberando Carolo ſecundo Tarentino Principe in cuſtodia apud Alphonſum Regem Aragoniæ detento, cogitauit. Quapropter Apoſtolicos Nuntios tres delegit, P. Bonifatium ex Lauaniæ Comitibus Archiepiſc. Rauenaten. P. Raynerium Viterbienſem ex noſtris; necnon & D.Petrum Archiepiſc. Montis Regalis, quos ad Alphonſum miſit. Profecti igitur illi 3. Id. Septemb. Iaccæ conuenerunt, diemq. ei apud Apoſtolicam Sedem dixerunt, vt rationem redderet, cur Regnum Aragoniæ,Carolo Valeſio Regi legitimè renunciato, cedere recuſaret; & vna cum Iacobo fratre Regnum Siciliæ vſurparet; & Carolum in Cuſtodia detentũ dimittere renueret? Reſpondit Alphonſus ſe obſequentem fore mandatis Pot. Max. ſi ad eius pedes accedere licuiſſet. *Bzou. ibid. num. 2. & 3.*

Genuenſes, Siculis anathemate damnatis, & contra Eccleſiam arma gerentibus, opem ferentes, ijſdem diris ſe implicauère; cumq; pœnitentia criminis eos affligeret, Eccleſiæ conciliari poſtulabant. Pontifici igitur Max. ſupplices effecti, obtinuerunt, vt P. Iacobus de Voragine eos abſoluère poſſet ab omnibus cenſuris, dummodo iure iurando ſe aſtringerent Siculis nequaquam in poſterum communicaturos, neq; opem vllam præſtituros. *Bzou. ibid. num. 7.*

Eodem anno Nicolaus Pont. commiſſit Abbati Moyſiacenſi, & P. Bernardo Prouinciali Franciæ, vt viſitarent Religioſos Grandimontenſes, qui à regulari inſtituto multùm defecerant; neq., ab Honorio IV. moniti,reſipuerant, & in delinquentes Monachos ex legibus Eccleſiaſticis inquirerent, & quidquid collapſum in moribus, & ritibus fuerat, corrigerent, atq. inter illos regularem obſeruantiam firmarent, quæ cuncta iuxta Pontificis votum compleuère. *Bzou. ibid. num. 10.*

De Gentium conuerſione ad Catholicam fidem ſollicitus Nicolaus, cum audiret Ladiſlaum ex Cumanorum conuerſatione, aliarumq; barbarorum aſſociatione in dies longè deteriorem euadere, miſit quam plures Fratres Prædicatores, & Minores, qui non tantùm Cumanis; ſed & reliquis in Oriente gentilibus verbum vitæ prædicarent, quibus & priuilegia multa conceſſit. *Bzou. ibid. num. 11.*

B. Arditius de Mediolano dirigitur in cœlum hoc anno ab Ordine noſtro. Hic fuit S. Patris Dominici diſcipulus, ex quo tanquam virtutum omnium copioſo fonte hauſerat puritatem, charitatem, humilitatemq; cum cœteris virtutibus, & multa depoſuit in proceſſu pro eius canonizatione fabricato de ſanctis geſtis illius. Interfuit translationi ſacri corporis eiuſdem, & miram fragrantiam ex tumulo egredientem perſenſit. Claruit miraculis, & virtutibus Arditius, tandemq;

in

neƈtute bona in pace quieuit. *Bzou. nnal. num.*13.

·. Florius in Lombardia Inquiſitor lantiſſimus cum alijs ſibi collegis In- ;itoribus in hæreticorum erugine ex euellenda inuigilabat, & maximè tra Fraticellorum, Manichæorumq; am,quorum plurimos,dum varijs ſup- :ijs perdebat, exultabat ſpiritu, videns um caſtigatione candorem Catholicæ :i illibatum ſeruari. Perſequtiones ta- n multas ſuſtinuit, ab illorum fauto- us nobilibus, & potentibus illatas, as inconcuſſo pectore pro Domino :o, cuius cauſam agebat, pertulit. Qua- pter animo conſtrati illi in Septentrio- les partes, ſi ſalui eſſe vellent, aufuge- fuère coacti. *Taeg.*

Nicolao IV. Catholicæ Eccleſiæ Pa- ore celebratum fuit Generale Capitu- m Ord. noſtri apud Lucam in Romana rouincia ſub Magiſtro Generali Munio- c, ad quod Nicolaus Pont. ſequentes niſit Apoſtolicas litteras, Fratrum ora- ionibus ſe commendans, multaq. bona : Ordini collaturum ſpondens.

Nicolaus Epiſcop. Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & Diffinitoribus, & Capitulo Generali Ord. Præd. Salutem, & Apoſtol. benedictionem.

DIſponente Summi Regis arbitrio, cu- ius diſpoſitionem ſuſcipiunt vniuer- ſa, nos in eminenti Apoſtolatus ſpecula, quamuis immeriti, conſtituti, dum præſi- dentiæ noſtræ locum, quo cunctis Eccleſijs præſidemus, diligenter attendimus, vehe- menti, nec immeritò pauore concutimur: & pro incumbente nobis generalis ſollicitudinis cura quàm plurimùm dubitamus. Dumq. ſupremum Apoſtolicæ Sedis gradum ſedula diſcutimus conſideratione, illumq. cernimus ſuperiorem,tanquam de ſummo proſpicientes ad ima, deterremur: officio ſiquidem ſublimi perfruimur, ſed huiuſmodi miniſterij alti- tudo immenſas nobis occupationes ingerit, & anguſtias ſubminiſtrat, ex quibus nos iugiter afflictionum multitudo circundat. Nunc igi- tur ingentium cogitationum onere premimur. Nunc ſollicitudinum ſarcina prægrauamur. Nunc ingruentium vndique agendis impe- timur, infeſtamur, affligimur negotijs, tæ- dijs, curis diſtrahimur, & laborioſis exerci- tijs fatigamur adeo, quòd vix particula tem- poris reſtare dignoſcitur ad quietem. Cumq. tantorum molem nobis incumbere videamus ac ex vniuerſali ſuſcepto regimine ſimus ſin- gulis debitores, digna formidine dubitamus ne humerum noſtrorum debilitas ſub tanti ponderis grauitate ſuccumbat, ne vel minus ſufficienter, propter inſufficientiæ noſtræ de- fectum, ſeruitutis Apoſtolicæ debitum per- ſoluamus. Quamobrem aliorum ſuffragia fore nobis opportuna conſpicimus, vt illorum efficaciter ope ſuffulti, poſſimus ſalubriter, diuina fauente gratia, iniunctum nobis mi- niſterium adimplere. Ideoq. Vniuerſitatem veſtram attentè requirimus, & rogamus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, qua- tenus cum ad ferenda tot onera, uires noſtræ non ſuppetant, ueſtris nos ſacris impendijs adiuuantes, intercedatis pro nobis, & Ec- cleſia inſtanter ad Dominum, medullata pre- cum holocauſta, cum deuotæ orationis incen- ſo, in conſpectu eius ſinceris, ac totis animis offerentes, vt nobis ad gerendum vtiliter, & ſalubriter gubernandum commiſſum no- ſtræ cuſtodiæ gregem ſuum ſufficientem gra- tiam miſericorditer largiatur; diſcordes hu- miliet; conatus infringat; & per vitiorum inuia gradientes clementer reuocet ad ſuo- rum ſemitam mandatorum. Voſq; tanquam de ſpeciali, beneuolo, & benigno Patre ve- ſtri Ordinis, firmam ſpem, & fiduciam ha- beatis, cum Ordinem ipſum munire fauori- bus, augère gratijs, & beneficijs intenda- mus. Dat. Romæ apud S. Petrum 3. Idus April. Pontif. noſtri anno primo. Ex Act. eiuſd. Cap. Gen.

AN-

ANNO 1289. Cum res Chriſtianorum in Syria peſſum irent, eò quod Sultanus Ptolemaidam obſidione p ę nabat exercitu validiſſimo, equitum ſexaginta millibus,peditumq; centum ſexaginta, Nicolaus Pont. præcepit Prouinciali Romano in primis, vt triginta Fratres, diuini verbi præcones inſigniores, tum reliquis Prouincialibus Prædicatoribus, ac Miniſtris Minoribus vbique terrarum conſtitutis, vt tot, quot poſſent, prædicatores Crucis militiæ deſtinarent, qui populo Chriſtiano piam militiam indicerent, omneſq; ad ſuſcipienda arma, vel ad ſubſidia ferenda contra Chriſti inimicos inuitarent. *Bzou. in Annal. nu.* 1.

Apud Luſitanos veteres inter Regem Dionyſium, & Clerum diſſenſiones dirempturus Nicolaus Pont. præfecit cognoſcendis controuerſijs P. Latinũ Card. Epiſcopum Oſtien. & Veliternen. cum duobus alijs S. R. E. Cardinalibus,coram quibus Archiepiſc. Braccaren. atq; Epiſcopi illius Regni cauſam ſuam dicerent contra Regem, qui ſe ab excommunicatione, Regnumq; ab interdicto, abſolui ab Apoſtolica Sede enixè poſtulabat. Auditis igitur Regis Oratoribus, atq; Eccleſiaſticorum procuratoribus, abolitæ ſunt quædam leges contra libertatem eccleſiaſticam militantes, aliaq; impedimenta ſublata, & controuerſiæ deciſæ; ita vt, petente Rege veniam, Pontifex commiſerit Priori noſtro Vlyſiponen. & Guardiano Minorum, vt ex more Eccleſiæ, recepto à Rege, & reliquis qui deliquerant, iuramento de parendo mandatis Eccleſiæ, ipſum cum reliquis anathemate irretitis exoluerent, interdictumq; eccleſiaſticum ex vniuerſo regno amouèrent. *Bzou. ibid. num.* 8. *&* 10.

In cœleſtem patriam euolant P. Sanctes pater cum P. Simone filio; natus erat hic cæcus, & voto facto à Patre D. Hyacintho, lumen recepit, & poſt ſex menſes infirmatus eſt,quam infirmitatem vt euaderet filius,vouit Sanctes pater ſe,& filiũ ſuũ ingreſſuros Dominicanam Religionem, ſi ab infirmitate cõualuiſſet prout euenit.Ingreſſus igitur vterq; inOrdinē ita ſe obſeruantiæ regulari, cœteriſq; virtutibus addixère, vt ſtupori fierent,etiam ipſis veteranis Religioſis, & ita perſeuerantes vſq; in finem ſalui facti ſunt in vitam æternam. *Bzou. ibid. num.* 16.

Aſſumuntur à Pont. Max. Nicolao P. Raymundus de Summa Ripa ad regendam Epiſcopalem Laudenſem Eccleſiam, atq; F.Saluus ad Recanaten. à Card. Latino conſecratus, qui ab eodem Pont. Max. inſtituitur ſuus in Vrbe Vicarius Generalis, & ſequenti anno conceſſit Indulgentiam Eccleſiæ noſtræ Tiburtinæ in feſtis Sanctorum Dominici, & Petri Martyris. Dato Breui talis conceſſionis apud Sanctum Apollinarem de Vrbe, quod in Archiuio eiuſdem Conuentus cuſtoditur, prout vidimus. Item ad Archiepiſcopales promouentur ab eodem Pont. Max. P. Laurentius Blundus de Tuderto ad Compſanam, qui pallium de mandato Pontificis ſuſcepit à D. Iacobo Card. S.Mariæ in Coſmedin,fuitq; egregiarum virtutum vir, Pontifici Max. Nicolao in paucis charus, & P. Raymundus de Medullione, natalium claritate inſignis, qui primò Vapincenſi Eccleſiæ præfectus Epiſcopus, Ebredunen. poſtmodum Archiep. datus, de Pontificis Nicolai IV. mandato Reatino Concilio præfuit: mirum eſt quot, & quantas eleemoſynas in pauperes, & Eccleſias profunderet Raymundus. *Gall. Chriſt.Vghell.Ital. Sacr.*

Cum in Italia occaſione ciuilium bellorum hæreſes, plures Prouincias infeciſſent, tanto malo congruum remedium præſtiturus Nicolaus Pont.Inquiſitoribus cunctis Lombardiæ, & Siciliæ præcepit, vt tam in eos, quàm illorum fautores, defen-

res, atq; receptatores excommunionis ſententiam proferrent, atque in em animaduerterent, datis litteris ıæ 10. Kal. Maij, quibus receptis, ıiſitores in eos inſurgentes, compludignis ſupplicijs, & pęnis addixère ı eorum fautoribus. *Bzou. vbi ſupra t. 7.*

NNO 1290. Generale Ord. Capitulum congregatum eſt apud rariam Prouinciæ Lombardiæ ad inıtiam DD. eiuſdem ciuitatis, ad quod colaus Pont. Apoſtolicas litteras dire, cōmmendans Eccleſiam, & ſe Patrum ıtionibus, mandanſq; illis, vt erga Epi. ıpos, Eccleſiarumq; Prælatos ſe benelos, ac deuotos haberent, interdictum.e cum omni rigore ſeruarent, neq; ad ıina eidem ſuppoſitos admitterent. Dalitteris Romæ apud S. Mariam Maiom Pridie non. Maij Pont. ann. 3. incien. *Proceſſit ex intimæ dilectionis affectu, uo olim ante noſtræ promotionis initia ve. rum in agro Dominico plantatum Ordinem uimus proſequti, eumque proſequimur, &c.* Ex Act. eiuſd. Cap.

Receptis igitur à Patribus in Capitulo congregatis Apoſtolicis litteris ſupradictis, hæc, quæ ſequuntur, ſanxère in Pontif. Max. obſequium. *Ordinamus, volumus, & mandamus vt omnes Prouinciarum ſocij conſcribant, & ſecum ad ſuas prouincias deferant litteram Sanctiſs. Patris D. Nicolai Papæ Quarti, miſſam modò ad Capitulum. Et iniungimus, & mandamus vniuerſis Fratribus diſtrictè, vt circa admonitionem, & mandatum dicti Sanctiſſimi Patris Nicolai Papæ Quarti ad obſeruationem de interdictis; & ſententijs Prælatorum ſeruandis diligentiam adhibeant pleniorem.* Ex Act. eiuſd. Cap. Gen.

Non parua in toto Ordine, & in Capitulo Generali maximè, orta eſt inter Patres noſtros turbatio. Nam Cardinales Ordinis, F. Latinus Card. Oſtienſis, & F. Vgo tit. S. Sabinæ, datis epiſtolis mandauère PP. Diffinitoribus, vt Magiſtrum Ord. Munionem inducerent ad ſummum Ordinis regimen deponendū; quòd ſi facere renuiſſet, eundem à ſuo officio abſoluerent; huius mandati cauſam fuiſſe, aſſerit Olmeda in Chron. Ord. quia nimis laxaretur Ordo ſub eius regimine ſatis blando, & in puniendis delinquentibus tardè. Comiſſionem iniunxère PP. F. Saluo Prouinciali Romano, F. Iacobo de Foliano Priori S. Mariæ ſuper Mineruam, F. Alrado Priori Argentinenſi, & F. Iacobo de Voragine, datis litteris in hunc modum.

Permiſſione diuina F. Latinus Oſtienſis, & Velletren. Epiſcopus, & F. Vgo tit. S. Sabinæ Presb. Card. Religioſis viris Fratribus Saluo Prouinciali FF. Prædicatorum Romanæ Prouinciæ. F. Iacobo S. Mariæ in Minerua, Patri Alrado Argentinenſi Prioribus & F. Iacobo de voragine Ord. Præd. ſalutem in Domino ſempiternam.

CVm vobis Mag. Prioribus Prouincialibus, & alijs Fratribus Ord. veſtri Prædicat. litteras noſtras deſtinemus, auctoritate nobis commiſſa à Sanctiſs. Patre D. Nicolao Papa IV. vobis in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus vos tres, ſeu duo Fratrum, aut vnus eaſdem litteras ſecundum informationem, quam accepiſtis à nobis, ijs, quibus mittuntur ſollicitè præſentetis. Omnibus Prælatis, & alijs Fratribus eiuſdem Ordinis in eadem virtute ſub pœna excommunicationis diſtrictè præcipimus, vt nullus quomodolibet impedire præmat quominus mandatum noſtrum liberè adimplere poſſitis. Dat. Romæ Kalendis Maij Pont. prædicti D. Nicolai Papæ IV. anno tertio.

Eiſdem quoq; præfatis Patribus tradidère epiſtolam congregato Capitulo præſentandam, qui accedentes ad Capituli

R locum

locum, coram congregatis Diffinitoribus litteras exhibuère tenoris ſequentis.

Religioſis, & venerabilibus viris Prioribus Prouincialibus Ord. Prædicat. in Generali Capit. congregandis. Permiſſione Diuina F. Latinus Hoſtien. & Velletren. Epiſcopus, & F. Vgo tit. S. Sabinæ Presb. Card. ſalutem in Domino ſempiternam.

PRopter multa quæ ſentimus, quæq; multorum relatione fideli ad noſtram notitiam peruenerunt; honeſtati, & vtilitati veſtræ omninò credimus expedire, vt F. Munio Magiſter Ord. quieſcat deinceps ab officio Magiſtratus, in quo non paruo iam tempore noſcitur laboraſſe. Cum igitur id per officij noſtri ſolertiã conuenienter poſſit executioni mandari, prudentiam veſtram rogamus, & exhortamur in Domino, ſalubri conſilio ſuadentes, quatenus in Generali Capitulo proximo celebrando eundem Magiſtrum efficaciter inducatis, vt prædicto cedat officio, ſuamq; abſolutionem petat humiliter, & inſtanter, voſque ipſam eidem in ipſo Capitulo impendatis. Si verò, quod abſit, ipſe ad ceſſionem, ſeu abſolutionis petitionem ſe voluntarium non exhiberet, vos nihilominus honeſto verbo, in quo melius fieri poterit, ipſum ab eodem officio abſoluatis, & remoueatis õninò: Ita quod circa hoc nõ oporteat aliud fieri, quod fortè minus ipſius Magiſtri congrueret honeſtati. Datum Romæ 6. Kalend. Maij Pont. D. Nicolai Papæ IV. ann. 3.

Lectis igitur litteris in publico Diffinitorio, & manifeſtatis etiam coram omnibus Fratribus, qui ad Capitulum conuenerant, tantus fuit eorundem omnium mœror, tantę quærelæ, tot gemitus, totque lachrymæ, vt Prouinciales ipſi ex Diffinitorio egreſſi, conſolari Fratres ſint coacti maiora damna timentes, dato eiſdem verbo, quod nullo modo in Magiſtri Munionis, (qui ſupra modum in Ordine amabatur), abſolutione eſſent conſenſuri (quàm tamen præfati Fratres à Cardinalibus delegati, eidem non ſine graui periculo impendère poſteà.) Animaduertentes autem Diffinitores nullum ſibi exhibitum eſſe teſtimonium de mandato, & auctoritate Summi Pontificis ſuper hoc negocium; vt tantam Fratrum amaritudinem mitigare poſſent, atq; Ordinis maiori damno occurrerent, ad Apoſtolicam Sedem in voce appellationis recurrentes hoc pacto ſupplicauère

In Nomine Domini. Amen.

CVm Venerabiles Patres, & DD. videlicet D. Latinus Oſtien. & Veletren. Epiſcopus; & D. Vgo tit. S. Sabinæ Præsb. Cardinalis nobis Prioribus Prouincialibus Ord. FF. Prædicatorum in Generali Capitulo apud Ferrariam congregatis, ſcilicet Fratribus Aegidio Priori Prouinciali Hiſpaniæ, Bernardo Geraldi Priori Prouinciali Prouinciæ, Thomæ Prouinc. Franciæ, Bertoldo Prouinc. Lombardiæ, Saluo Prouinc. Romanæ Prouinciæ. Salomon Prouinc. Vngariæ, Hermanno Prouinc. Theutoniæ, Aegidio Prouinc. Poloniæ, Gulielmo Prouinc. Angliæ, Oliuerio Prouinciali Datiæ, Saluo Prouinciali Græciæ, & Rodulpho Prouinciali Terræ Sanctæ (Præfatæ autem duodecim tantùm Prouinciæ tunc erant in Ordine) *per ſuas litteras mandauiſſent, quod Venerabil. Patrem noſtrum F. Munionem Magiſtrum Ordin. Prædic. à Magiſterij officio, nulla aſſignata cauſa, vel oſtenſa, deberemus abſoluere; quatuor Fratres noſtri Ord. Fratrem Saluum Prouincialem Romanæ Prouinc. F. Alradum Priorem Argentinen. F. Iacobum de Foliano Priorem de Mineruæ: & F. Iacobum de Voragine, ad huiuſmodi exequen. mandatum, ſuos executores, & Nuncios faciendo, quibus per ſuas litteras ſecundum informationem præceperunt, vt quaſdam litteras ſecundum informationem quam ab ipſis acceperant, ſolicitè præſentarent, ex quarum præſentatione, & executione fiebat nobis & toti Ordini non modicum*

præ-

udicium, & grauamen; cæteris etiam ratis, & Fratribus Ordinis Prædic. per eim litteras, & ſub pæna excommunica-s præceperant, ne dictos executores aude-q uomodolibet impedire quominus poſſent n adimplere mandatum; abſoluerunt q; oritate propria, & ſine cauſæ cognitione ra iuris ordinem, contra conſuetudinem inis approbatam, & contra indulta eiuſ-: Ordinis priuilegia; pluraq; alia graua-a ſuo tempore exprimenda, intulerunt, i, vt dicunt, auctoritate cuiuſdã commiſ-is ſibi factæ per Sanctiſs. Patrem noſtrum colaum Papam Quartum, per quam aſſe-t ſibi fore commiſſum, vt circa perſonas dem Ord. omnes ordinandi, & diſpo-di, & quædam alia faciendi, liberam ha-nt poteſtatem, cuius commiſſionis copiam, n à dictis executoribus petiuiſſemus cum antia, ipſi eã nobis facere recuſarunt. Quæ nia contra iuris ordinem, ac contra Ordi-priuilegia, & etiam inſtituta, cedantq; noſtri Ord. præiudicium, & grauamen, pter quæ à præmiſſa auctoritate Domino-m Cardinalium, ſcilicet D. Latini Oſtien. Velitren. Epiſc. nec non D. Vgonis tit. S. bine Presb. Card. appellare intendentes caſione grauaminum prædictorum, & d præſens copiam de ipſorum auctoritate ha-ere commodè non valemus: Ne nobis tem-us præteriret, quod grauatis ad appellan-um à iure præfigitur, acceſſimus ad præſen-iam Venerab. Patris noſtri F. Munionis Magiſtri Ord. noſtri, F. Iacobi Prioris Me-iolanenſis, F. Arditionis Prioris Regij, F. Brondani Prioris Mutinenſis, & F. Fede-ici Prioris Cremonenſis, & in eorum præ-ſentia, grauamina prædicta nobis, & toti Ordini illata exprimentes, appellationem de-reuimus facere in hunc modum.

Nos F. Aegidius Prior Prouincialis Hi-ſpaniæ, & cæteri qui ſupra, Ordinis F. F. Prædicatorum, ſentientes nos, & Ordinem noſtrum, vt ſæpius exprimitur, per Vene-rabiles Patres & DD. Latinum Oſtien. & Veletren. Epiſcopum, & Vgonem tit. S. Sabinæ Presb. Card. contra iuris ordinem, & contra Ord. noſtri priuilegia, & etiam inſti-tuta, grauari indebitè, ac etiam in poſterum aggrauandos, vice noſtra, & omnium ſubdi-torum noſtrorum, quatenus de facto proceſ-ſerunt, vel procedunt, in his ſcriptis ad Se-dem Apoſtolicam appellamus, & Apoſtolos petimus, & inſtanter petimus, ac nos, & Fra-tres ſingulos Ordinis noſtri ſubditos defenſio-ni, & protectioni Sedis Apoſtolicæ duximus ſupponendos.

Per hanc autem appellationem noſtram nolumus, nec intendimus appellationi alicui propter dictum negotium per nos, ad eandem Sedem interpoſitæ præiudicium aliquod ge-nerare, vel ab ea recedere. Teſtes huius in-ſtrumenti, ſeu appellationis fuerunt rogati ſupradicti Fratres. Actum Ferrariæ in do-mo Fratrum Prædicat. anno Dom. 1290. die Sabbati ſextò exitus Maij.

His peractis congruum iudicauère Pa-tres, eoſdem Cardinales noſtros de facta appellatione admonère, ſupplicando eos, vt deſiſterent à moleſtijs Magiſtro Ord. Munioni inferendis, quòd ſequentibus litteris compleuere.

Venerabilibus in Chriſto Patribus, ac Do-minis ſpiritualibus DD. Latino Oſtienſi, & Veletrenſi Epiſcopo, & Vgoni Dei gratia tit. S. Sabinæ Presb. Card. ſui humiles, & deuoti Fratres Ord. Præd. ſcilicet, Aegidius Prouincialis Hiſpaniæ; Bernardus Geraldi Prouinc. Prouinciæ, Thomas Prouincialis Franciæ; Bertoldus Prouincialis Lombar-diæ, Hermanus Prouin. Theutoniæ; Saluus Prouinc. Romanæ Prou. Salomon Prouinc. Vngariæ; Aegidius Prouinc. Poloniæ Guil-lelmus Prouinc. Angliæ; Saluus Prouinc. Græciæ; Oliuerius Prouinc. Daciæ; Rodul-phus Prouinc. Terræ Sanctæ; & totum Ca-pitulum Generale apud Ferrariam congre-gatum, cum Dei reuerentia debita, & de-uota. Noſtris acreſceret gaudium cordibus ſi nobis per veſtram paternitatem illa exe-

Digitized by Google

quenda mandarentur, quæ poſſemus cum quiete Fratrum noſtri Ord. adimplere; cum noſter affectus ſit promotus ad veſtra beneplacita adimplenda, & ea facere, per quæ debeamus, & valeamus erga Ordinem veſtram gratiam promereri. Sed nouerit veſtra Reuerenda Paternitas, quòd cũ accepiſſemus litteras veſtras, antequam potuiſſemus ſuper ijs deliberare, innotuerunt rumores apud Fratres, & ad eorum importunitatem coacti ſumus litteras in Capitulo legere, & tunc tanta fuit lachrymarum effuſio, tantus gemitus, tantus dolor, à quibus clamantibus expoſiti ſumus diſcrimini, & diſſipationi facti ſerui multis, etiam magis Fratribus clamantibus, & licentiam tranſeundi ad alios Ordines coram toto Capitulo, cum tota amaritudine poſtulantibus; itaut ſi mors omnibus fuiſſet cœlitus nunciata, non fuiſſet forſitan maior doloris, & mœroris expreſſio, in tantum, vt vnuſquiſq; noſtrum, etiam cum gemitu in corde verſaret; væ nobis, vt quid nati ſumus tantam videre noſtri Ord. amaritudinem, & iacturam. Nec dubitamus ſi vos ipſi veſtris oculis vidiſſeits, non potuiſſetis lachrymas continere. Cum fraterna charitas, innata pietas, vos alligauerit noſtro Ordini vinculo ſalutari. Ideòq; vt tantum dolorem mitigare poſſemus, in vocem appellationis erupimus, ſcientes quod veſtra prudentia moleſtè non feret, quod tantis vulneribus vnguenta apponeremus ſanitati. Quare veſtræ Paternitati humiliter ſupplicamus, quatenus beneuolentiæ gratiam ad Ordinem conſeruetis, nec vobis placeat nouitate aliqua Ordini noſtro admirationem inducere; cum ſecundùm Auguſtinum ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ vtilitati militat, nouitate conturbat: Fratribus etiam multis dulciùs eſſet mori, quàm nouitati huiuſmodi ſubiacère. Quia verò multa frequenter falſa Principi ſuggeruntur, non dubitamus quin vobis de Venerabili P. Magiſtro Ord. multa falſa ſuggeſta ſint, cum eius conuerſationem nouerimus, non ſolùm experimento, ſed etiam Magiſtrorum relatu cognouerimus maniſeſtè noſtro Ordini fructuoſam. Eſt enim eius conuerſatio Ordini grata, quia per eius diligentiam, & corrigenda prouidè corriguntur, & promouenda ad viciniora ſalutis ſtudioſiùs augumentantur, & exempla ſalutaria aſpicientibus exhibentur. Omnipotens Deus vitam veſtram ad honorem ſuum, ad promotionem Eccleſiæ ſuæ, ad noſtri Ordinis conſolationem diutius conſeruare dignetur. Dat. Ferrariæ in noſtro Capitulo Generali anno Dom. 1290.

His peractis, Prouinciales cuncti in vnum conuenientes, omnem diligentiam pro Ordinis reparatione, atq; conſeruatione adhibuère; vnde maturiori vſi conſilio, iniunctione tàm diſtrictiori, quàm ſalubriori, merito obedientiæ quoq; impoſito, arctauère omnes Fratres in Generali Capitulo exiſtentes, vt omni timore propoſito, atq; amore ſemoto, ad correctionem, & præſeruationem Ordinis ardentiùs inflammati, ſi aliqua correctione digna in Fratribus agnoſcerent, cuiuſcumq; ſtatus, dignitatis, & conditionis eſſent; etiam in Magiſtro Ordinis, publica publicè, occulta verò, priuatim dicere tenerentur. Illicò Magiſter Munio approbans primò in ſe Diffinitorum zelum, ſpontè, ac humiliter publicæ examinationi, & correctioni coram omnibus in publico Capitulo ſe ſubdidit, & expoſuit: quòd Diffinitores omnes ægrè ferenres, vetuère, iniunxeruntq; Fratribus cunctis vt ad Diffinitorium accederent ſingillatim, & ſi aliquid contra eundem Magiſtrum Ord. alioſq; Fratres denunciandum haberent, exponerent; quod cum exacta diligentia præſtitère, & inuenère Diffinitores eundem Magiſtrum Munionem ab omnibus, virum iuſtum, virtutibus præditum, regulariſq; obſeruantiæ amatorem, acclamatum.

Nam & iuridica relatione compertum habuère, eundem ab habitus ſumptione, an-

is ſcilicet 33. carnibus nunquã vſum, .efectorio, & Completorio aſſiduum, ıibus Conuentibus, quos viſitauerat, ratum Deo, atq; hominibus amabi- exhibuiſſe, atq; in Generalibus Ca- ılis à nemine, tanquam culpabilem, clamatum fuiſſe, prout plures ex his ſentibus, qui Diffinitores in alijs Ca- ılis aliquando extiterant,pleno ore aſ- nauère, quòd & proprio calamo, ac ſi- lo expreſsère, vno P. F. Iacobo de Vo- ;ine quondam Prouinciali Lombardiæ, i proprium ſigillum amiſerat, excep- ,veruntamen ſua manu etiã ipſe ſe ſub- ipſit. *Caſtillus, & Taegius in Monum. dinis*.

His omnibus peractis Prouinciales ſin- ıli in ſuas Prouincias, & omnes ſimul, ardinalibus Oſtienſi & S. Sabinæ, litte- s, ſupradicta omnia continentes direxe- ınt ſequentis tenoris.

In Christo ſibi chariſſimis vniuerſis Fra- ribus Ordinis Prædicatorum, ad quos litte- æ iſtæ peruenerint: Priores Prouinciales duo- lecim eiuſdem Ord. ſcilicet F. Aegidius Pro- uincialis Hiſpaniæ, Bernardus Geraldi Pro- uincialis Prouinciæ, Thomas Prou. Franciæ, Bertoldus Prou. Lombardiæ, Hermanus Pro- uinc. Theutoniæ, Saluus Prouinc. Romanæ Prouinciæ, Salomon Prou. Vngariæ, Aegi- dius Prou. Poloniæ, Guillelmus Prou. An- gliæ, Saluus Prou. Græciæ, Oliuerius Prou. Daciæ, Rodulphus Prou. Terræ Sanctæ, & totum Capitulum Generale apud Ferrariam congregatum ſalutem, & Spiritus Sancti gratiam in omnibus gubernari.

Q*Via Venerabiles Patres, & Domini, ſcil. D. Latinus Oſtien. & Velle- trin. Epiſcopus, & D. Vgo tit. S. Sabinæ Presb. Card. ſicut per eorum litteras nobis tranſmiſſas patet prætextu cuiuſdam com- miſſionis, quam ſibi factam aſſerunt, & qua- rundam falſitatum ſibi ſuggeſtarum, quædam circa perſonam Venerab. Patris Magiſtri Ord. fieri mandabant, quæ in maximum ce- debant præiudicium, & grauamen. Nos li- bertati Ord. & veritati nolentes deeſſe nul- latenus, nec debentes, infraſcripto modo cui- libet prædictorum Dominorum duximus reſ- pondendum. Venerabili in Christo Patri, ſuo Domino ſpeciali D. Latino Oſtien. & Velletren. Epiſc. F. Aegidius Prouincialis Hiſpaniæ, Bernardus Geraldi Prou. Pro- uinciæ; Thomas Prou. Franciæ; Bertoldus Prou. Lombardiæ; Hermanus Prou. Theu- toniæ; Saluus Prou. Romanæ Prouinciæ; Salomon Prou. Vngariæ; Ægidius Prou: Poloniæ; Guillelmus Prou. Angliæ; Saluus Prou. Græciæ; Oliuerius Prou. Daciæ; Ro- dulphus Prou. Terræ Sanctæ, & totum Ca- pitulum Generale apud Ferrariam congre- gatum cum humili reuerentia, & ſubiectio- ne Reuerendæ Paternitatis. Veſtris litteris cum reuerentia multa ſuſceptis, veſtri filij, & Zelatores Ordinis, & Iudices, licet indi- gni, ab Ordine conſtituti; omnem diligen- tiam, omne conſilium, omnem ſolertiam, adhibere curauimus ampliorem ex ipſis, ac- ceſi zelo pro conſeruatione, & reformatio- ne noſtri, nulli deferentes ſtatui, vel perſo- næ. Et quia tam grandis, & ſubita mutatio, ſicut exhortationis paternæ litteræ contine- bant, fieri nequaquam poſſet ſine admiratio- ne, & ſcandalo plurimorum, niſi realis, vel ſaltem coloratus titulus appareret; matu- riori vſi conſilio, omnes in iunctione, tam di- ſtrictiori, quàm ſalubriori arctauimus in Ge- nerali Capitulo congregatos, vt omni timore poſtpoſito, & amore ſepoſito, ad correctio- nem, & conſeruationem Ordinis ardentius inflammati, ſi quæ ſcirent correctione digna de Fratre, vel de Fratribus, cuiuſcumq; ſtatus, ſeu gradus exiſtat; etiam de Magi- ſtro, publica publicè, occulta priuatè dice- rentur. Ipſe autem Venerabilis Pater Ma- giſter Ord. tantum circa Ordinem acceptans zelum, & approbans, prius in ſe, cui pre- eſt, Ordinis zelum excepit, & ſpontè, & humi-*

Digitized by Google

humiliter examinationi publicæ coram omnibus in Capitulo, ſubdendo, quod nequaquam ſuſtinuimus, Conſtitutione manifeſtius, & expreſſius prohibente, ſed in Diffinitorijs ſecundum Conſtitutionum noſtrarum tenorem omnibus dantes audientiam, ipſius merita diſcuſſimus indagine diligenti. Verùm præfatum Patrem diſcuſſionis lima clariorem oſtendit: ipſum enim reperimus virtutibus præditum, præclarum meritis, fama celebrem, aliorum exemplum, & ſpeculum ſui Ord. tam in vitiorum extirpatione, quam in ſanctarum ſatione virtutum, promotorem ſedulum, & præcipuum Zelatorem. Nam vt iuridica relatione accepimus ab ingreſſu Ordinis, annis videlicet 33. carnibus non eſt vſus. In Conuentu Pariſ. vbi 73. diebus fuit poſt Capitulum Treuerenſe etiam in Refectorio, & Completorio ſine intermiſſione ſe iugiter præſentauit. In Conuentibus, per quos tranſiuit aliquando, gratum Deo, & hominibus acceptum odorem ſanctæ conuerſationis effudit, & nunquam in Capitulis Generalibus; exceptis dumtaxat quibuſdam leuioribus culpis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quas Conſtitutio inter leues culpas connumerat, culpabilis eſt inuentus, ſicut plures ex ijs, qui Diffinitores fuerunt in diuerſis Capitulis, nunc præſentes, firmiter proteſtantur, & omnes ſigillis ſuis, circumſcripto F. Iacobo de Voragine, qui ſigillum ſuum amiſit, propter quod manu ſua ſcripſit, duxerunt teſtimonium roborandum. Vnde cum pace conſcientiæ, & ſine Dei, & Ordinis iniuria, qui ſolùm in duobus votis notis ab ipſo Patre, Magiſtri ceſſionem admittit, veſtro non valuimus parere mandato. Credimus tamen & fide tenemus non dubia, quod id quod factum eſt iuſtè, menti veſtræ nequaquam obſiſtit. Parati ſumus & prompti veſtris inſinuationibus obedire quantum noſtra conſcientia patietur Fratres, qui in diuerſis Capitulis diffinitionis officium habuerunt Magiſtro teſtimonium perhibentes, vobis reddimus. In Capitulo Pariſien. Diffinitores fuerunt F. Salomon nunc Prouincialis Vngariæ: Hermannus, nunc Prouincialis Theutoniæ; Aegidius, nunc Prouincialis Hiſpaniæ. P. de Gordiano. In Capitulo Burdegalen. FF. Hermannus nunc Prouincialis Theutoniæ, Thomas Prouincialis Franciæ, Aegidius Prouincialis Poloniæ, Oliuerius Prouincialis Daciæ, Antonius tunc Prouincialis Græciæ, Nicolaus tunc Prouincialis Lombardiæ. In Capitulo Lucano Fratres, Iacobus de Voragine quondam Prouincialis Lombardiæ, Bauduchius tunc Procurator Ordinis. In Capitulo Treueren. F. Iacobus de Burgolio, & Salomon, nunc Prouincialis Vngariæ. Prædictarum litterarum idcircò tenorem duximus tranſmittendum, vt vos de Magiſtro, & Patre noſtro veritatem pleniùs cognoſcentes, gaudendi ſimul, & falſis ſuggeſtionibus reſiſtendi materiam habeatis. Valete in Chriſto, & orate pro nobis. Dat. Ferrariæ in noſtro Capit. Generali anno Domini 1290. Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

Ex quibus colligitur Priores S. Mariæ ſuper Mineruã & Argẽtinæ ſupradictos, fuiſſe illos duos, de quibus ſupra fit mentio, qui Magiſtrum Munionem à Magiſterio Ord. abſoluerunt, nam Prouincialis Romanus, & F. Iacobus de Voragine, ſe in fauorem eiuſdem ſubſcripsère.

His terminatis ad Vrbem acceſſit Munio, à Nicolao Papa haud gratiosè receptus, eius tamen depoſitio à prædictis duobus facta, irrita fuit declarata in Romana Curia, perſeuerauitque in Ordinis regimine vſq; ad ſequentem annum, prout dicetur. *Ex Act. eiuſd. Capit. Gen. omnia ſupradicta fuère eruta.*

Eodem Anno Nobilis, ac ſancta Virgo Cæcilia Romana vitæ ſanctitate, nataliumq; ſplendore venerabilis, in cœlum conſcendit. Hanc ex præſtantiſſima Cæſarina Romana familia ortam fuiſſe ex ore Alexandri Card. Cæſarini Epiſcopi Viterbien. & Tuſcanen. non ſemel audiuimus, quæ ætatis annorum decem & ſeptem,

, S. Patris Dominici prædicationi-
ſueta, mundum calcans ſub pedi-
Deo ſub paupertatis regula ſeruire
ituit, primaq; fuit omnium ſoro-
ab ipſo ad habitum Ord. recepta.
eodem S. Patre in via Dei edocta,
um breui tempore in via Dei, ac vir-
us profecit; ita vt eam ex Vrbe Bo-
um ſecum duxerit ille pro fundando
netis Monaſterio, cui præfecta fuit
iſſa. Ibi ſuo exemplo ſorores ad re-
em obſeruantiam inflammabat, &
iliaquæque Monaſterij exequenda
exéplo prouocabat. Ieiunijs, vigilijs,
onibus, ac diſciplinis tandem fracta,
præſentis curſum conſummauit, &
è nonagenaria Agnú ſponſum Vir-
m ſequta eſt ad palmam, *Taeg. &*
r. Ord.

. Petrus Scaligerus, ſpectatæ nobili-
, & integritatis vir, vnus ex primis
ninicani inſtituti aſſeclis, qui à B.
ninico Bononiæ ad ſanctæ conuerſa-
is habitum fuère recepti, promouen-
Nicolao IV. Epiſcopalem Veronenſem
edram conſcendit; Hic, cum eſſet pe-
capularis ſenex, commiſſum ſibi gre-
n ad quatuor tantùm annos probè ſan-
q; rexit, ingreſſuſq; eſt vniuerſæ carnis
m. Præterea P. Iuo Gallus de Prouin-
Franciæ, vir apprimè eruditus, & fa-
præclarus, factus eſt Archiepiſcopus
zareti per prouiſionem Dom. Patriar-
e Hieroſolymitani, cui Eccleſiæ maxi-
cum fructu fidelium ſibi creditorum
efuit annos octo. *Plodius Ital. Sac. to. 5.*
Inter barbaras nationes inuicta animi
nſtantia laborabant Patres noſtri pro
nuerſione illarum ad Chriſtum, & co-
ſa Dominicani ſanguinis effuſione Ec-
ſias conſtruentes, Catholicam fidem
dem plantauerunt, pluribus ex illis po-
lis ſacro lauacro ouium Chriſti con-
rtio addictis, inter quos & nobiles mul-
propria Prædicatorum manu baptizati
ſunt, ſicuti relatum eſt in Generali Capi-
tulo Ferrarien. hoc anno celebrato ſup-
preſſis eorum nominibus. *Ex eiſd. Act.*

P. Florius Violetta in Lombardia In-
quiſitor vigilantiſſimus, hæreticorumque
hoſtis acerrimus in Manichæos, ac Frati-
cellos omni ſeueritate procedens, quot-
quot ex illis in vinculis habuit condignis
ſupplicijs affecit, & inter eos ſæculari bra-
chio relaxauit Eremitam quendam in
Veralliano Monte prope Vareſium ſimu-
latam pœnitentiam exercentem; ſpurci-
tijs tamen carnis inuolutum, in multis fi-
dei articulis deficientem, & in eoſdem er-
rores relapſum, quem viuum in cætero-
rum documentum comburendum fore
decreuit. *Taeg.*

ANNO 1291. Nicolaus Pont. in-
iunxit munus prædicandæ S. Cru-
cis, ad defenſandos Chriſtianos in Syria
à Saracenis bello oppreſſos, Fratribus Mi-
noribus, & Prædicatoribus, qui in cun-
ctis ſuorum Ordinum Prouincijs prædi-
cationibus, atq; exhortationibus, tàm pu-
blicis, quàm priuatis inducerent fideles
ad ſumenda arma, vel ad ſuppetias feren-
das ipſis propoſita remiſſione propriorum
peccaminum ijs, qui pecunias, vel arma
commeatum, vel ſubſidium quodcumque
Cruceſignatis militibus contuliſſent. *Bzo-
uius in Annal. num. 6.*

Die 27. Martij eiuſdem anni Otto Ar-
chiep. Mediolanen. in Eccleſia S. Teclæ
Mediolani Synodum Prouincialem Epi-
ſcoporum, vniuerſiq; Cleri congregauit,
in qua multa ad eccleſiaſticam diſcipli-
nam reuocandam ſtabilita ſunt, & P. Ste-
phanardo verba ad Concilium & popu-
lum faciento, plurimos ipſe Chriſtifide-
les ad auxilia Terræ Sanctæ, à Saracenis
oppreſſæ, auctoritate Pont. Max. cruceſi-
gnauit. *Bzou. ibid. num. 11.*

Celebrata ſunt noſtra Generalia Co-
mitia in Hiſpania apud Palentiam, in qui-
bus inter cætera ad fauorem promotionis
fidei

fidei Catholicæ decreta facta, ſtatutum fuit, vt in conuentu Setabitano apud Regnum Valentiæ linguarum Hebraicæ, & Arabicæ ſtudia, pro infidelium conuerſione ad Chriſtum erigerentur, ex quibus tot mirabiles fructus in Eccleſiam promanarunt, vt Blanca Aragonum Regina ducentarum librarum cenſum annualem in teſtamento reliquerit, quæ diſtribuerentur ſingulis annis in feſto S. Michaelis Archangeli Fratribus in eodem conuentu ad ſtudia prædicta incumbentibus. *Diag. lib. 1. cap. 2.*

In eodem Capitulo firmo decreto ſtabilitum eſt, vt hæreticæ prauitatis Inquiſitores officium ſuum ſolito diligentius exequerentur, alioquin per Priores Prouinciales corrigerentur, & ſi opus foret, à ſuis officijs amouerentur. Quod, vt facilius fieret, decretum eſt Priores actuales nullatenus poſſe Inquiſitoris onus ſuſtinere; quare ſi aſſumantur in Priores, vel Prioris, vel Inquiſitoris onus deponant. Actualibus verò Prioribus, atq; ſimul Inquiſitoribus, data fuit aptio retinendi vnũ altero dimiſſo, tali edito decreto. *Inquiſitores hæreticæ prauitatis officium ſuum ſolito diligentibus exequantur, alioquin per Priores Prouinciales corrigantur, vel ab officio penitus amoueantur, prouiſo quòd Priores actu non ſiant Inquiſitores, & facti ab altero duorum officiorum, prout citius fieri poteſt abſoluantur.* Ex Act. eiuſd. Capit.

P. Petro de Mulceone Gallo datum eſt ſacrum Inquiſitionis tribunal regendum apud Toloſam, vt ſua prudentia hæreticorum virus, quod ſerpebat, iugularet. Inualuit ille proprij muneris auctoritate in eos, quorum plurimos ad veritatis agnitionem perduxit S. Matri Eccleſiæ reconciliatos: obſtinatos autem quotquot vinctos habuit brachio ſeculari comburendos relaxauit; at breui tempore præfuit itidem. *Ex Monum. Archiu. Toloſ.*

Dantur diuerſis Eccleſijs Paſtores optimi; & quidem P. Petrus de Almanone Gallus, Siſtaricen. P. Adimarus Oſchen. in Hiſpania, qui in ſua Cathedrali diuinum cultum cum Canonicorum cœtu, vſq; ad numerum vicenarium auxit P. Ruffinus de Placentia Montis marrani, atq; P. Cherubinus Albingaunen. quam tamen ſuſcipère renuit, malens in ſua paupertate viuere, quàm animarum curam aſſumere. *Vghell. tom. 4. ſub num. 28. inter Albingaunen. Lopez & Gall. Chriſt.*

Terminato Capitulo cum Mag. Ord. Munio Conuentus Prouinciæ Hiſpaniæ viſitaret, Coloniam verſus ſuſcipiendo iter, vbi ſequenti anno Generale Capitulum fuerat indictum, in itinere nuncium ſuæ depoſitionis à regimine ſuſcipiens; magiſterio ceſſit, reuocatumq; eſt Capitulum in Vrbem ſequenti anno habendum. *Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.*

Caput VIII.

P. STEPHANO BISVNTINO Magiſtro Generali VIII.

Depoſitione facta Magiſtri Munionis. Celebratum eſt Capitulum Gen. anno 1292. Romæ ex Pont. Max. decreto, in quo ſalutatus eſt Magiſter Generalis P. Stephanus de Biſuntio Gallus, natione Burgundus, Doctor Pariſien. vir facundus, atq; Prædicator egregius, ex Priore Prouinciali Franciæ, qui tanquam doctrina, verbo, opere, atq; zelo cæteris præſtantior electus, Ordinem rexit in virga ferrea, & in obſeruantia regularis diſciplinæ peruigil, à licentijs, & diſpenſationibus abſtinuit. *Olmeda.*

Paupertatis religioſæ obſeruantiſſimus, illam

ı in cunctis Ordinis Eccleſijs, cœno-
¡; Fulgère volebat; quo circa eum per
Mediolanum tranſiens Eccleſiam S. Eu-
gij ingreſſus, cratem æneam penden-
ı ante D. Petri Mart. ſepulchrum, lam-
ibus circundatam, atq; eleganti opere
ɔoratam conſpexiſſet, eam inde ſtatim
oueri, tanquam noſtram paupertatem
formantem, mandauit. Cum verò in
lem ciuitate Mediolanen. Theologiæ
:hedra in communi ſtudio, ære publi-
copioſo perſoluenda Ordini fuiſſet cō-
ſſa. Cathedram accepit ille, ſtipendia
:rò recuſauit, dicens S. P. Dominicum
ɔn ſic docuiſſe Fratres ſuos aſtruere fi-
:m. *Olmeda.*

Sumptuoſa ædificia horruit, particula-
:s cameras deſtruxit, mutationemq; ha-
itus itinerantibus interdixit, quos & mo-
.eſtiores in itinere, quàm in conuenti-
ɔus eſſe voluit. Rigorem primæuum Or-
linis in omnibus manutenere procurauit,
ncipiens ipſe primus facere, deinde alios
docère. In quotidianis Capitulis non
omittendis inuigilabat, frequenter repe-
tens, quia longè abiuimus à via S. Patris,
& maiorum noſtrorum, & ſuperuacuè
inſtitutus foret Ordo Prædicatorum; ſi
tantum futurus, ſicut vnus ex cæteris. *Olmeda.*

Magnam partem Ordinis viſitauit breui temporis decurſu, (erat enim in opere velox) & Prouinciales aliquos, imo & Priores multos culpabiles repertos, in aliorum exemplum, à ſuis officijs abſoluit, terrore non modico alijs incuſſo. Electione autem facta S. Cæleſtini V. Pont. Max. an. 1294. vocatus à Card. F. Latino noſtro; vt ad eiuſdem pedes accederet, & quæ neceſſaria pro Ordinis augmento, & conſeruatione agnoſceret, ab eodem peteret, in itinere igitur poſitus, apud Lucam Romanæ Prouinciç deceſſit menſe Nouembris die S. Cœciliæ Virginis & Mart. ſacra, Generalatus anno 2. menſe 6. ibidem in noſtra Eccleſia S. Romani ſepulturæ traditus.

Tria celebrauit Capitula. Romæ, primum hoc anno ſuæ electionis, Inſulis ſecundum in Flandria 1293. & apud Montempeſſulanum in Gallia tertium anno 1294. cui interfuit P. Raymundus de Medullione Epiſcop. Ebredunen. eleemoſiynas copioſas eidem porrigendo, & paulo poſt in pace quieuit, apud Buxum, Ciſtaricum, poſtmodum translato corpore. *Olmeda in eius vita.*

Iacobus Aragonum Rex videns fructus vberrimos, quos faciebant Fratres Prædicatores in ſuis Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Maioricæ, & Cataloniæ in multorum Agarenorum, atq; Hæbreorum conuerſione; præcepit cunctis eorundem Regnorum prçfectis, & gubernatoribus, vt omne auxilium eiſdem præſtarent in negotio S. Officij, atq. capiendis, puniendiſq. hæreticis, eorumq. fautoribus, ac receptatoribus. Datis Regijs litteris Barchinonæ 10. Kal. Maij. *Bzou. in Annal. num. 5.*

Eccleſiæ Ianuen. præfectus eſt Archiep. P. Iacobus de Voragine, ex ſententia Sac. Collegij Cardinalium, à F. Latino Card. Oſtien. ſacris initiatus, vir in Romana Curia, atq; chriſtiano orbe famoſus, ob doctrinam maximam, pietatem ſingularem, atq. in pauperes charitatem, qui multos codices euulgauit, & inter ipſos, in commune fidelium commodum vtriuſq. teſtamenti diuina volumina primus omnium in linguam Italicam vertit. Erga pauperes, præſertim in Xenodochijs decumbentes tantis fuit charitatis viſceribus affectus, vt redditus omnes in eis alendis, & curandis conſumeret; totq. pauperes alebat, vt ſumptus Epiſcopalis menſæ non ſufficeret. *Bzou. ibid. num. 11.*

Florentiæ eodem anno in atrio horti S. Michaelis. B. Virginis Imago ſacra pa-

rieti affixa, multis clarebat miraculis, ob hocque factus eſt cuncurſus magnus populi ad eam, à Dæmonibus vexatos præcipuè liberantem. Ex auctoritate igitur Sacri Collegij Cardd. noſtri Prædicatores, vna cum Minoribus, inquiſitione ſumpta probauère omnia, an ex Deo eſſent, & cognoſcentes ope ſuprema cuncta patrari, in ſententiam piæ multitudinis, & ipſi conceſsère, laudantes, Dominum, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. *Bzou. ibid. num.* 9.

Rapiturè mortalium oculis Pontifex Nicolaus Papa IV. de Ordine noſtro optimè meritus, qui illius profeſſores vnicè dilexit, plurimoſq. ex eis varijs Eccleſiaſticis honoribus exaltauit, ob fructus vberrimos in Eccleſia ex eorum ſacra prędicatione, etiam inter infideles cum ſanguinis profuſione productos, quos, & Apoſtolicis priuilegijs communitos voluit datis Apoſtolicis Bullis in eorum fauorem. *In Bullario Ord. exiſten.*

ANNO 1293. ſub Stephano Biſuntino Mag. Generali florebat Religio viris præſtantiſſimis, ſalutis populorum ſitientiſſimis, qui ſuis ſacris eloquijs animas mortalium ad ſuperna inflammabant. Inter ipſos eminebat B. Bertrandus S. Patris Dominici diſcipulus, qui eiuſdem formam, & exemplar viuendi ſibi præfixerat; lachrymarum dono à Deo ita affectus, vt ei S. Dominicus interdixerit, ne amplius in futurum ſua, ſed peccatorum delicta deflèret; quod ille tam promptè exequutus eſt, vt quotidie hominum ſcelera deplorans, pro proprijs culpis, ſi quas habebat læues, nec minimam lachrymam effundère potuiſſet. Meritis igitur, & annis onuſtus, conſcendit in Cœlum, regnaturus cum Chriſto. *Olmeda in Vita Steph. Biſun.*

Fuère, & ſub Stephano alij viri Santiſſimi, qui zelo zelati pro Domino Deo exercituum, animas ſuas ponere pro amicis ſuis fidelibus non dubitabant. Hi fuère FF. Berengarius Notarij, Bernarduſq. de Trilia, qui ad cœnobiorum, atq. Prouinciarum regimina licet inuiti aſſumpti, in ſacris tamen prædicationibus aſſidui, atq. in audiendis peccatorum confeſſionibus frequentes, etiam lachrymis eos ad propriorum delictorum contritionem prouocabant; quo modo innumeras animas ad virtutum amplexum primò, ad cœlum poſtmodum perducentes, ſibi ipſis iter parauère ad gloriam. *Olmeda vbi ſup. & Taeg. in Mon. Ord.*

F. Antonius de Noto in Sicilia Inquiſitor peruigil, cum domum quandam nobilem, antiquos hæbraicos ritus ſequentem audiſſet, tamdiù ſimulauit, donec ad inueniret tempus celebrationis Paſchæ Iudæorum; & tunc de nocte clam domum ingreſſus, inuenit Patrem, matrem, filios, famulos, ac ſeruos cunctos hæbraicos ritus exercentes; quare in vincula coniectos, & reſipiſcentes, miſericordiamq. ab Eccleſia implorantes, poſt ſolemnem factam abiurationem, dimiſſis paruulis, in vincula coniecit, peractiſq. ſalutaribus pœnitentijs, tandem eiſdem indulſit. *Pyrrus.*

In Neapolitano Regno autem Sacrum Inquiſitionis tribunal ſumma ſeueritate regebat P. Angelus de Trano, etiam contra Magnates, & nobiles hæreſis labe inquinatos, inſurgens, quos, vt iuxta ſacrorũ Canonum decreta punire poſſet, à Carolo Rege auxilium brachij ſecularis obtinuit, datis eidem patentibus litteris, quibus præcipiebat Gubernatoribus Ciuitatum, & Prouinciarum, Regijſq. Miniſtris cunctis, vt auxilium omne, fauorem, ac gentem eidem in ſui muneris exequtionem concederent. Quare pluribus iudaizantibus, alijſq. de articulis fidei non rectè ſenticntibus, carceribus, ferro, ac igne punitis, tantum incuſſit cœteris timorem, ac metum, vt ſolo Inquiſitoris

no-

ıine audito, timore concuterentur. *Tus.*

n Toloſanis partibus contra hæretico- ı nequitiam conſtitutus eſt Inquiſitor Bernardus de Claromonte, Magnæ imationis vir, qui demandatam ſibi ɔilem præfecturam diligentia ſumma, ı. ad annum 1301. ſingulari cum ca- ɔlicæ fidei incremento multos ad am- xum catholicæ veritatis perducendo ercuit. Pertinaces verò, & ſubuerten- s catholicos maximè, ſeueri cenſura ca- gauit, factus, eiſdem odibilis ſupramo- ım. Tandem Burdegalen. Prior ele- us eſt anno 1301. & an. 1312. deceſ- :. *Ex Monum. Toloſ.*

Defuncto Gulielmo de Aquis Lom- ırdiæ Inquiſitore, datus eſt illi in Inquiſi- onis munere ſucceſſor P. Raynerius 'irouanus nobilis Mediolanenſis, qui eaſſumpta Pagani viri nobilis, & poten- is apud Mediolanéſes (quo de an. 1288.) oram Pontifice Max. cauſa, vt ille velut æreticorum fautor, & protector diudi- atus ſtatutis à ſacris legibus pœnis in cæterorum documentum caſtigaretur, dum cauſam per finalem ſententiam ter- minare nitebatur, non ſine ſuſpicione propinati veneni Raynerius de hoc ſecu- lo nequam ſublatus eſt. *Taeg. in Monum. Ord.*

ANNO 1294. Poſt diuturnum Apoſtolicæ Sedis interregnum, enixè procurante F. Latino Card. electus eſt ex Eremo S. Cœleſtinus V. in Pontifi- cem Max. vir vitæ ſanctitate celebris, qui ſolus ſine exemplo poſt paucos menſes papatum in hunc modum renunciauit, *Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, ideſt cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate populi, & infirmitate perſonæ, & , vt præteritæ conſo- lationis vitæ poſſim reparare quietem, ſponte, ac liberè cedo Papatui, & expreſsè renuntio loco, & dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc ſa- cro cœtui Cardinalium, eligendi, & proui- dendi dumtaxat canonicè Vniuerſali Eccle- ſiæ de Paſtore.* Congregati igitur Cardina- les pro noui Pontificis electione, elegère Benedictum Caietanum, qui ſibi Bonifatij VIII. nomen accepit. *Bzou. ibid. in An- nal. num. 2. 10. & 11.*

Card. Latinus Vrſinus Romanus no- biliſſimus genere virtutibuſq. clariſſi- mus, poſt multos pro Eccleſia Dei exan- tlatos labores, etiam miraculis clarus, ex hac lacrhymarum valle ſublatus eſt menſe Nouemb. decimo ſeptimo ab ac- cepta purpura anno, Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam conditus in ſe- pulchro, in quo, & F. Mathæus Vrſinus Card. ex noſtro Ord. aſſumptus requie- ſcit, viſiturq. vſq. in præſentem diem propè Aram Max. Compoſuit ſequentiã pro defunctis, qua vtitur Eccleſia in miſ- ſis defunctorum: *Dies iræ dies illa, &c. Bzou. ibid. num. 38. & 39.*

P. Romanus, Matthæi Vrſini Tit. S. Mariæ in Porticu Card. Germanus Fra- ter, & ipſe ex Vrſina Nobiliſſ. familia, Ordinem, atq. Eccleſiam Catholicam ſuis virtutibus plurimum illuſtrauit, qui ſub Nicolao III. Auunculo ab omnibus mundanis dignitatibus abhorrens, in amplexa paupertate ſoli Deo obſequi conſtituit, ſacris ſtudijs addictus, Theo- logus præſtantiſſimus euaſit, atq. in do- cendo, & prædicãdo animas multas Chri- ſto Domino peperit. S. Thomæ Doctori Angelico præcipua familiaritate deuin- ctus fuit, quem S. Doctor ob doctrinæ ſingularis, vitæq. inculpatæ præſtantiam ex corde diligebat. *Bzou. vbi ſup. num. 40.*

Impij hæretici, qui ſe Apoſtolos no- minabant hoc anno inſurrexère latenter, pleroſq; ſimplices in ſuam trahentes ſen- tentiam, peculiarem Religionem confin- gendo, multorum animas ſua perfida

doctrina perdebant; Contra quos inſurgentes Prædicatores in Lombardia, quot inter fortia ſacri tribunalis habuère, tot flammis adiudicauère, & ita Apoſtolorum Religio innanis euanuit. *Param. lib.* 2.

Apud Montempeſſulanum congregatum eſt Generale Ord. Capitulum, in quo mandatum eſt Inquiſitoribus vniuerſis, vt peruigiles eſſent in adminiſtratione propriorum officiorum contra hæreticos, præceptum illis, vt annis ſingulis de datis, & acceptis, ſuis Prouincialibus rationem redderent; tali emanato decreto. *Volumus, & ordinamus, quòd Inquiſitores hæreticæ prauitatis teneantur ſingulis annis de omnibus receptis, & expenſis Prioribus, Prouincialibus veras, & certas ſub iureiurãdo, prout requiſiti fuerint, reddere rationem, & ijdem Prouinciales rationes ſcripto commendatas, & ſigillo ſuo, ac Inquiſitorum ſignatas, venerabili P. Magiſtro Ordinis traſmittere teneantur.* Ex quibus Religionis zelus in ijs, quæ ad ſacrum Inquiſitionis ſpectant, apparet, modò autẽ Inquiſitores omnes de datis, & receptis rationem annis ſingulis S. Congregationi S.R.& Vniuerſalis Inquiſitionis reddunt. *Ex Act. eiuſd Capit.*

D. F. Raymundus de Medullione Ebredunen. Archiep. eidem Generali Capitulo interfuit, culpas ſuas coram Patribus dicturus, cuius humilitate mirati illi, eas audire renuerunt; quare contriſtatus plurimum S. Paſtor, elargitis Capitulo pia prodigalitate copioſis eleemoſynis, ad Eccleſiam ſuam ſumpto itinere, apud Buxum paulo poſt in pace quieuit corpore ad Ciſtericum tranſlato. *Taeg. & Olmed.*

S. Cœleſtinus Pont. ad Neapolitani Regis petitionem Romanam. Prouinciam, Siciliam totam, tam vltrà, quàm citrà Farum continentem, propter ſuam vaſtitatem, ab vno Prouinciali Romano regendam, viſitandã, & cum difficillimum id foret, illam in duas diuidendam voluit, quarum vna Etruriam, Vmbriam, Patrimonium, Latium, Campaniam, & Maritimam contineret, & Romana diceretur; altera verò vtriuſq. Siciliæ complectendo conuentus conditos in dictis duobus regnis comprehenſos; qua de re Apoſtolicas litteras dedit, in quibus Ordinem Præd. & illius filios ſommopere commendat dicens. *Clara Ord. Fratrum Prædicatorum Religio, virtutum fæcunditate referta, & tota per bonorum operum ſtudia Domino ſtabilita, ex ſuæ inſtitutionis exordio, ad robur, & monumentum erecta fidei Orthodoxæ per inſignium gratiam meritorum, & ſacra prædicationis doctrinam, vberes hactenus in vniuerſali Eccleſia honeſtatis fructus protulit, ac ſalutis, & proferre non deſinit inceſſanter. Quarè Religionem tam per inſignem, tam ſanctam, & profeſſores ipſius ſincera diligentes in Domino charitate, in his, quæ ipſius Religionis fauorem, & profectum reſpiciunt efficacis ſollicitudinis ſtudium libenti animo adhibemus, &c.* Vallus de Prou. Regni.

Noſter Card. Vgo Seguin Archiep. Lugdunen. à S. Cœleſtino Oſtienſis, atq. Veliternus Ep. creatus eſt. *Vghell.*

. P. Munio Zamorrenſis procurante Caſtellæ Rege Sanctio IV. Palentinus Epiſcopus deligitur, & à Cœleſtino V. confirmatur. Poſſeſſione autem Eccleſiæ inita, æmulis aliquibus inuidentibus, atq; apud Bonifacium VIII. inſtantibus Romam vocatus, declarata nulla eius electione, in Vrbe manſit vſq. ad mortem. *Gil. in Theat. Eccl. Palentin.*

ANNO 1295. Renuntiatione S. Cœleſtini ſequta, Conuenère in vnum Cardinales, & Summum Pont. ſalutauère Benedictum Caietanum, qui Bonifatij VIII. nomine aſſumpto, omnem adhibuit operã, vt ſchiſma ab Eccleſia Dei auerteret, quo illi ex renuntiatio-

ne

Cœleſtini imminebat, aſſerentibus tibus Bonifatio malè affectis, vel re itiationem Papatus non fuiſſe ritè fa-n, vel illam fieri non potuiſſe; & cum elestinus hinc inde diuerteret, maxi- populi concurſu eum ſequente, atq. apoli contra votum Pont. Max. diſceſ-t, ipſoq. inuito ad S. Germanum pro-tus fuiſſet, de Cardinalium conſenſu, oto ad euitandum ſchiſma, eundem Vrbem per Abbatem Caſſinen. & omanam Camerarium vocauit, qui au-giens, atq. in Apuliæ ſiluam ſe abſcon-ns, tandem à Carolo Rege Siciliæ ad onifatium cum cuſtodia miſſis, in caſtro imonis cum eadem recluſus eſt. Sicq; nnis ſchiſmatis occaſio ſublata eſt. *zou. in Annal. num. 1. 2.*

Non diſtulit Bonifatius Pont. res ten-re, vt Siciliæ Regnum Carolo Regi vin-caret, miſitq. F. Guillelmum de Monte Catano Vrgelitanum Epiſcopum, virum ordatum, atq. induſtrium in Siciliam poſtolicum Legatum, & tum Conſtan-æ Reginæ, tum Friderico, & Petro ſcrip-t, & reliquos Proceres Siciliæ monuit, t vniuerſæ Sicilia excederent, eamq. In-ulam iuris Eccleſiæ eſſe ſinerent, adeoq. Romanæ Sedi reſtituerent. *Bzou. ibid. num. 5.*

Eodem anno P. Dytherium Adolfi Regis Fratrem Pontifex Legatum miſit ad Adolphum Regem Romanorum pro grauiſſimis Eccleſiæ negotijs, & præci-puè ad conciliandam pacem inter eum, Gallorumq. Regem deſtinauit. *Bzou. ibid. num. 18.*

Idem Pont. Eccleſiam S. Maximini Diœc. Aquen. in qua requieſcit corpus S. Mariæ Magdalenæ in Prioratus titu-lum erexit ad Carolum Siciliæ Regis pre-ces, primumq. Priorem præfecit P. Guil-lelmum de Torras, virum Apoſtolicum, ſalutiſq. animarum cupidiſſimum, atq. in ſacris prædicationibus frequẽtẽ. *Bzo. ibid.*

Eodem anno ſacrum Inquiſitionis tri-bunal regebant magno cum catholicæ fi-dei incremento, atq; hæreticorum dam-no F. Angelus de Trano in vniuerſo Neapolitano Regno, & Toloſæ F. Ber-nardus de Vidone, qui multos hæreticos combuſſere. *Lopez p. 5.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina, populoſq. in viam ſalutis dirigendos PP. Aegidius de Ferraria ad Patriarchalem Grandenſem, Io. Iordanus Sabellus Ro-manus ex nobiliſſima Sabellorum Fami-lia ad Eccl. Patauinam, Stephanus Ta-ſca ad Balneoregien. P. Iacobus Buſce ad Marſorum Eccleſiam, & P. Rufinus Pla-centinus ex Eccleſia Montis manani transfertur ad Caſtren. in Tuſcia, qui Apoſtolicum ſibi munus iniunctum pro-bè, ſancteq. complentes, digni habiti ſunt æternis præmijs. *Vghell. Ital. Sac.*

Itèm ad maiores dignitates euecti ſunt hoc anno in populorum ſalutem Prædi-catores, vt lucerent in Eccleſia Sancta Dei ſicut præfulgebant in Religione. Et quidem P. F. Florius dum Prioris onus Venetijs ſuſtineret Gradenſis Patriarcha à Capitulo electus, à Bonifatio VIII. con-firmatus, ſed tantæ dignitatis ſe indignum exiſtimans, illam accceptare recuſauit. Et P. Raynaldus de Roma ad Theati-nam Sedem promouetur à Bonifatio VIII. qui vix inauguratus, ad Carolum II. Siciliæ Regem acceſſit, & ab eo impe-trauit, vt ſuæ Theatinæ ciuitatis viri eli-gere poſſent Iudicem annualem ad quie-tè, & benè viuendum, populumq; guber-nandum, multaq; alia in ſalutem ſibi cre-diti populi ab eodem Rege obtinuit, vt teſtatur Vghell. Ital. Sac. tom. 5. qui ſub-dit Raynaldum ſequenti anno 1296. conſequtum eſſe decretum ab eodem Ca-rolo de recuperatione bonorum pro ſua Eccleſia Caſtrorum Lactiniani, Furcæ, Montis Siluani, Scocciofæ Orni, & Scur-culæ. *Vghell. Ibid.*

Mi-

Migrauit ad Dominum hoc anno P. Petrus Muleronus, ſeu Mulerteonus die 27. Iulij, à Leandro, & Plodio inter Ordinis Beatos aſcriptos. Fuit hic patria Lemouicenſis nobilis ſanguine, ſed virtutibus longè nobilior; nam pietas, humilitas, exacta regularis obſeruantia, & orationis aſſiduitas in eodem mirabiliter eluxère; erga pauperes, & peccatores ad meliorem frugem redactos charitatis viſcera geſtabat, ipſis ex corde condolendo. Hæreticorum accerrimus hoſtis, & Tholoſanus Inquiſitor inſtitutus, illorum multos varijs ſuplicijs affecit. *Thaeg. in Monum. Ord.*

Caput IX.

F. NICOLAO DE TARVISIO Magiſtro Generali IX.

ANNO 1296. Celebrata ſunt noſtra Ordinis Comitia pro Magiſtri Generalis electione, in quibus apud Argentinã habitis electus eſt P. Nicolaus Bocaſinus de Taruiſio Prouincialis Lombardiæ, vir vitæ ſanctitate venerabilis, ad quod Capitulum miſſit Bonifatius Papa nouum decretalem de celebratione feſtorum SS. quatuor doctorum Eccleſiæ, Gregorij, Ambroſiij, Auguſtini, atq. Hieronymi. *Ex Actis eiuſdem Capit.*

Fuit Nicolaus omni laude dignus, vtpotè magna virtute præditus, religioſitate vitæ conſpicuus, varijs regiminibus in Ordine clarus, ſibi auſterus, alijs vero pius in victu, & veſtitu, tam in conuentibus, quàm extra, rigorem, & continentiam Ordinis aſſiduè ſeruare, atque à ſubditis ſeruari ſtuduit. Non in curribus, & in equis, ſed in nomine Domini, ſolo baculo vſus, pergebat ad Capitula, & viſitandas Prouincias, dicens, quia hæc eſt gloria noſtra, quod incedamus in paupertate. Tria Generalia Capitula celebrauit primum Argentinæ an. 1296. Venetijs 1297. & Methis 1298. Communitatis amator indefeſſus, Chori, ac Refectorij feruidus ſectator fuit. Ordinem in pace, ac æquitate duobus annis rexit, poſt quos Bonifatius Pont. eum S. R. E. Cardinalem, licet abſentem, nec talia cogitantem, creauit, vt dicetur infra. *Olmeda.*

Sub Nicolao Ordo plurima ſuſcepit incrementa additis per Chriſtiani orbis ſingulas partes conuentibus, ita vt Prouincias quoq. multiplicare neceſſe iudicatum fuerit. Et quidem Romanam in duas, ob ſuam maximam amplitudinem, quippe Prouincias Calabriæ Apuliæ, Aprutij, atq. Regni continebat, diuiſere Patres, quarum altera prouincia Regni Siciliæ vtriuſq. tam citra, quàm vltra Pharum dicta eſt; remanente Romana cum ditione Eccleſiaſtica, atq. Etruria tota, & hæc diuiſio procurante Carolo Rege incepta eſt à S. Cœleſtino V. Papa, non tamen exequtioni data, niſi ſub ſucceſſore Bonifatio VIII. atq. acceptata in Capit. Gen. apud Argentinam an. 1296.

Prouincia itidem Poloniæ diuiſa eſt in duas in Capitulo apud Metas an. 1298. quarum vna dicta eſt Prouincia Bohemiæ, altera verò Poloniæ; In quibus Capitulis ſtatutum eſt in Ordine celebranda eſſe feſta B. Mariæ Magdalenæ, cuius corpus apud noſtros requieſcit, & SS. Apoſtolorum ſub ritu duplici; nec non, & debere fieri per totum Ordinem officium de S. Nicolao Epiſc. & Confeſ. atq. de S. Ludouico Rege Franciæ à Bonifatio VIII. nuper inter Sanctos relato. Plura quoq. pro Nouitiorum educatione ſtabilita ſunt, clamante Nicolao; ex Nouitio-

tiorum receptione, receptorumq. educatione totum Ordinis bonum pendere.

Fratrum diſcurſus abſq. Ordinis vtilitate, animarumq. ſalute, & ſine honorabili ſocietate interdicti ſunt, multaq. alia ſtatuta fuère Ordini perutilia, & diuino cultui expedientia.

Claruerunt ſub regimine Nicolai viri inclyti, qui Ordinem plurimum illuſtrarunt, inter quos recenſendus eſt meritò I. Raymundus de Lanthario Toloſanus, Vicarius Ordinis poſt aſſumptionem Nicolai ad purpuram, nobilis quidem genere, virtutibus autem nobilior, qui ſibi ſubditos Fratres, tanquam filios vnicè diligebat, & optimis meritis euolauit in cœlum menſe Maij ſequentis an. 1299. cum ſæpè Dominum rogaret, vt ab Ordinis regimine, cuius ſe indignum profitebatur, liberare dignaretur.

P. Iordanus de Piſis ſub Magiſtro Nicolao, & ipſe floruit, dictus Capaciſſimus, totum nanq. Bibliorum librum memoriter retinens, Breuiarium quoque, ac Miſſale, & quæcumq. legebat, in promptu referebat, ingenti adſtantium admiratione. Placentiæ mortuus, Piſas transfertur, Piſano Senatu petente, atq. ibidem magno populi concurſu corpus eius receptum eſt; nam vitæ ſanctitate, atq. diuini verbi prædicatione famoſus erat apud omnes. *Olmeda in vita eiuſd. Mag. Ord.*

Suis quoq. virtutibus Ordinem illuſtrauit B. Io: Agnus Belga, qui ab humanis curis, atq; honoribus alienus, ſoli Deo vacabat, ſacris prædicationibus, audiendiſq; peccatorum confeſſionibus, ex corde addictus, euulgauitq; in pœnitentium commune bonum librum. quem inſcripſit. Formularium vitæ cuiuslibet Chriſtiani. Animas multas fidelium per viam ſalutis directas cœlo dedit, quas ipſe tandem ad gloriam ſequtus eſt. *Bibliot. Belg.*

Sub hoc Generali P. Guillelmus Durandus Ep. Mimaten. vir Apoſtolicis Legationibus clariſſimus, qui, & Rationale diuinorum officiorum compoſuit, & à Bonifatio Pont. ad Sultanum in Syriam Nuntius directus, apud Nicoſiam Dominicanum habitum aſſumpſit, mortuus eſt hoc anno, corpore in Vrbem tranſlato, atq; in ſui Ordinis Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam condito in nobili ſepulchro marmoreo, (quod hoc anno, quo hæc ſcribimus) 1671. apertum eſt atq; ex Sacello DD. de Alterijs omnium Sanctorum, quod eſt à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa X. per magnifice inſtaurato. vbi erat parieti affixum, in alium locum tranſlatum eſt extra Sacellum, & oſſa ipſius vidimus ſacris Epiſcopalibus paramentis ſericis capellini coloris coopreta. *Maiolus in eius vita.*

Pont. Bonifatius hoc anno dedit Priori Caietano noſtro; necnon, & Minorum Guardiano, Apoſtolica facultate abſoluendi ciues Caietanos, ob participationem cum Siculis, anathemate aſtrictos. *Bzou. in Annal. num. 6.*

P. Guido Ferrarien. Inquiſitor Hermannum hæreſiarcham, à cuius morte trigeſimus iam annus tranſierat, in cathedrali Eccleſia ſepultum, & tanquam ſanctum à Ferrarien. viciniſq; populis cultum, inquiſitione facta de illius vita, ac doctrina, Hæreticum fuiſſe per ſententiam declarauit, eiuſq; effoſſa oſſa igni adiudicauit. *Caſtill. p. 2. lib. 1.*

Eodem quoq. anno Iacobus II. Rex Aragoniæ in gratiam Bonifatij Pont. conatus eſt, vt Eccleſiæ, & Carolo Regi Regnum Siciliæ à Friderico Fratre reſtitueretur, ac propterea P. Petrum Corbalium Magiſtrum famoſum, ſummæ in agendis dexteritatis virum ad Fridericum fratrem deſtinauit, vt illum à bello contra Carolum auerteret; quod ſi renueret, bellum eidem ſuo nomine indiceret, ſeq; futu-

futurum copiarum Eccleſiæ in eum, & Siculos Ducem. *Bzou. in Annal. Eccl. num.* 4.

Plures aſſumpti ſunt ad dirigendas ſibi creditas oues in Viam Dei Epiſcopi, ex quibus recenſentur, P. Petrus de Bubiano Epiſcopus Bobien. & P. Dominicus de Cæſaraugusta Ep. Syracuſanus, ambo Paſtores inclyti, qui fugata omni cupiditate populos ſibi commiſſos per ſententiam mandatorum Deo deducentes, ſibi ipſis perpetuas manſiones in cœlo promeruère. *Sicil. Sac. & Ital. Sac.*

Migrauit ad Dominum hoc anno P. Berengarius Notarij de Arelate in ſenectute bona in Conuentu Montiſpeſſulani, ibidem ante B.P. Dominici Altare tumulatus. Fuit hic Pariſienſis Doctor celebris, docuitq. in eadem Vniuerſitate, & in Ordine in diuerſis prouincijs triginta quinq. annis, confluentibus ad eum, tanquam ad oraculum ſapientiæ, innumeris auditoribus. Prædicationis quoq; munere celebris, peccatores innumeros ad pœnitentiam, hæreticoſq; complures ad proprios eiurandos errores adduxit. Prior Prouincialis in prouincia Prouinciæ, electus anno Dom. 1282. in Capitulo prouinciali Carcaſſonæ celebrato, eandem prouinciam tribus annis ſummo zelo, atq. charitate rexit: eaq. præfectura terminata, iterum ad docendi munus rediens, tandem hoc anno requieuit à laboribus ſuis, & opera illius ſequuta ſunt illum. *Thaeg. in Chron. Ord. Plod. de Vir Illuſtr. Ord.*

ANNO 1297. Bonifatio Octauo Catholicæ Eccleſiæ Paſtore, noſtra Generalia Comitia fuère Venetijs in prouincia Lombardiæ celebrata, ſub Magiſtro Ord. Nicolao Boccaſino, & inter alia ſalubria decreta in obſequium Apoſt. Sedis fuit iniunctum omnibus Ordinis noſtri Alumnis, vt contra obloquentes de Pontifice Max. Bonifatio inſurgerent, ipſiuſq; auctoritatem in Vniuerſali Eccleſia defenderent lingua, & calamo, tam in publicis, quàm in priuatis ſermonibus, ſequenti edito decreto. *Admonemus quòd cum ex ordinatione ſtatus noſtri pacem Eccleſiæ querere, fouere, ac tueri pro viribus debeamus; diſtrictè præcipimus Fratribus vniuerſis in virtute S. obedientiæ, ne quis illis, qui contra D. N. Summum Pont. Bonifacium, & Romanam Eccleſiam ſe erexerunt audeat occultè, vel manifeſtè impendere conſilium, auxilium, vel fauorem: mandantes nihilominus, & diſtrictè iniungentes, quòd in prædicationibus publicis, & aliàs cum fuerit oportunum, prædicent, doceant, & conſtanter aſſerant D. Bonifacium eſſe verum Papam, Succeſſorem Petri, & Vicarium Ieſu Chriſti.* Prompto igitur animo Fratres, obedientiæ meritum percepturi, demandatum ſibi munus exequentes, & in prædicationibus, cathedris, & priuatis colloquijs, Bonifatij, veri & indubitati Chriſti in terris Vicarij auctoritatem annunciantes, atq. ab æmulatorum linguis vendicantes, eiuſdem Pontificis beneuolentiam erga Ordinem; æmulorum autem illius indignationem non paruam, moleſtiaſq; non ſpernendas, captauère. *Ex Act. eiuſd. Cap. Gen. & Chron. Taeg.*

Præcepit Bonifatius omnibus Inquiſitoribus, dat. Apoſt. litteris apud Vrbem Veterem 7. Id. Iulij, vt contra quoſdam Nobiles Romanos, tanquam ſchiſmaticos, ſchiſmaticorumq. fautores, necnon, & contra complices, fautores, receptatores, conſilium, vel fauorem, ſeu auxilium eis dantes procederent, atq. pro publicis concionibus diras contra eos ab Apoſt. Sede promulgatas diuulgarent. *Bzo. in Annal. num.* 4.

Promouit idem Pont. Max. multos ad Eccleſiarum regimina eodem anno, P. Huguccionum Spoletanum ad Senogallien. Guillelmum Ochumium ad Duplinen. & Fatium Donoraticum ad Sagonen.

Digitized by Google

viros inclytos, atque ſalutis anima- zelum dei habentes. P. autem Od- e Sala Piſanus ex primaria Reipubli- lius nobilitate, Vir virtutibus, do- ia, dicendique facundia ſingularis, cir- oc tempus ab eodem Pontifice Boni-) raptus ex Ordine, datus eſt Teral- . Eccleſiæ in Sardinia Paſtor, quam is pluribus, omnibus omnia factus, ctiſſimè gubernauit, ex qua ad no- ores Inſulas proceſſit, vt dicetur. *ou. ibidem Vghell. tom.* 5. *inter Po-*

Idem Bonifatius Pontifex Prædicato- n Ordinis Magiſtrum Generalem, & iniſtrum Generalem Fratrum Mino- m Apoſtolicos Legatos ad Reges Gal- :, & Angliæ miſit, vt rumores belli in- r ipſos ſedarēt, & inducias inter eoſdem eges indicerent, ac tempore induciarum icis rationes aliquas excogitarent. Inter as verò inducias Romam profecti ſunt omine Philippi Galliæ Regis Iacobus à 'ano Pauli: pro Eduardo autem Angliæ Lege Dunelmen. Epiſcopus, vt Bonifa- ij Pontif. ſententia omnes deciderentur liſcordiæ. *Bzou. in Annal. num.* 8. *ad an.* 1296.

F. Petrus Barchinonen. ardore fidei ſuccenſus, atque ab errorum tenebris er- rantes reuocandi cupidus, ſcripſit librum eruditum contra Iudæos, prænotatum. *Pugio Iudæorum*, quo eorum obſtinatam cæcitatem, atque induratum cor detegit, & damnat. *Luſitan. in Bibliot.*

P. Stephanardus de Vicomercato no- bilis Mediolanenſis hoc anno migrauit ad Dominum. Erat hic in ſeculo hono- rabilis Clericus, copioſis redditibus pa- ternis, atque Eccleſiaſticis præbendis dita- tus, & in ſacris canon. optimè verſatus. Dū autē quadā die Mediolani vnū ex no- ſtris, diuini verbi præconem celebrem, de mundi contēptu peregregiè loquentem audiret, Spiritu Sancto cor eius inflam- mante, calcatis omnibus, manum miſit ad fortia, in eiuſdē ciuitats cœnobio S. Euſtor- gij Dominicana toga indutus. Cum verò eſſet ſummo familiaritatis vinculo cum Dom. Ottone Vicecomite, Mediolanenſe Archiepiſcopo aſtrictus, ad eiuſdem præ- ces ſacras lectiones, tam canonum, quàm moralis theologiæ, in Cathedrali Eccle- ſia maximo audientium applauſu, conſti- tuto Ordini centum florenorum annuo ſtipendio, habuit, cui poſtmodum in eo- dem munere docendi ſucceſſit P. Iacobus de Gluſſiano Mediolanenſis, qui viginti quinque annis idem Magiſterium exer- cuit, perſeuerauitque diu in Ordine huiuſ- modi lectio. Reliquit Stephanardus po- ſteris ſuis præclara ingenij ſui monumen- ta, quæ ab Ordinis ſcriptoribus recenſen- tur, ſuntque in Bibliotheca S. Euſtorgij de Mediolano cuius cōuentus erat Alum- nus. *Taeg. in Monum. Ord. & Plod.*

ANNO 1298. Bonifatio Octauo Pont. Max. fuit Congregatum Generale Capitulum Metis in prouincia Franciæ ſub Magiſtro Ordinis Nicolao Taruiſino, in quo inter alia ſalubria decre- ta fuit iniunctum Prouincialibus, vt in ſuis capitulis Fratres admonerent, & induce- rent ad conferendum ſe ad infideles, no- men Domini noſtri Ieſu Chriſti eiſdem anunciaturi; & illos, qui in hoc Apoſtoli- co miniſterio ſe exercere voluiſſent, pe- culiaribus patentibus litteris ſociarent, eorumdem cathalogo, Magiſtro Odin. directo. His auditis in Ordine, co- pioſa Fratrum multitudo eaſdem patentes litteras à Prouincialibus ſuis petijt, qui ta- men ex eiſdem multos aptiores legentes, alioſque conuentibus ſuis in eorumdem miniſterium relinquentes, in ſeptentrio- nales, atque tranſmarinas partes, ibidē in vinea Domini Sabahot laboraturos, tranſ- miſère, ex quibus aliqui trucidati, alijque miſerè vexati, ſanguine ſuo Chriſtianam diſciplinam ſanxerē, vt infra referemus.

Celebrato Generali Capitulo, Magiſter Ordinis prouinciæ Franciæ cœnobia luſtrans, ad monaſterium Prulliani die 4. Decembris acceſſit, ibique quatuor hebdomadibus, & duobus diebus cõtinuè exhortationibus ſacris Sorores illas ad Dei amorem inflammando, permanſit. Cum autem in die Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti conuẽtualem Miſſam Solemniter ibidem celebraret, rumor quidam repente inſonuit in Eccleſia, quòd idem Magiſter factus eſſet S. R. E. Cardinalis. Die tertia autem menſis Ianuarij ex Prulliano diſcedens, Carcaſſonam petijt, vbi certiora nuncia de ſua promotione recepit; viſitato verò eodem conuentu, die 19. eiuſdem menſis diſceſſit Narbonam verſus; cũ autem ad Leſinhanum perueniſſet, ibi eodem ſero ſuæ promotionis Apoſtolicum Breue per Pontificium nuncium recepit, & ſequenti mane in Narbonenſem Ciuitatem ingreſſus ibidem in publico capitulo Fratrum noſtrorum, maioris Eccleſiæ præſentibus Canonicis, copioſoque populo, Apoſtolicas litteras publicari fecit ſequentis tenoris.

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei. Dilecto filio Nicolao de Taruiſio quondam Magiſtro Ordin. Fratrum Prædicatorum in Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Presb. Card. aſſumpto. Sal. & Apoſt. Benedict.

INter Ordines cæteros in agro plantatos Dominico, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem dileximus hactenus, ea, quæ proſperum ſtatum eius, ſuique honoris incrementa ſuſcipiunt, paternis ſtudijs intendentes. Volentes itaque perſonã tuam, quam laudabilis fama refert ac fide digna clamat aſſertio, claris virtutum inſignijs decoratam, & in te prædictum Ordinem multipliciter honorare, te nuper de Fratrum noſtrorum Conſilio in Presbyterum Cardinal. Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ duximus aſſignandum. Quo circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi à Dominõ onus prompta deuotione ſuſcipiens, te ſubmoto dilationis obſtaculo, præpares ad noſtram præſentiam quamcitius acceſſurus. Dat. Reate Nonis Decembris Pontificat. noſtri ann. 4.

Lectis ergò ſupradictis litteris, deliberato conſilio, Magiſterio Ordinis, lacrymantibus Fratribus, ceſſit; ſigillumque officij ſui in omnium oculis frangi demandauit, & conſenſum electioni de ſe factæ per Summum Pont. præbuit. *Ex act. eiuſd. capit Gen.*

In Vrbem ad Bonifatij pedes acceſſit Nicolaus, & in lacrymas prorumpens dixit: *Cur Pater ſancte onus tantum, humeris meis importabile appoſuiſti?* Cui reſpondit Bonifatius. *Adhuc & maius imponet tibi Dominus*, quaſi diuinans de futuro euentu. In Prælatorum aliquando conſeſſu, factus Pont. dixit rem conſideratione dignam: *Quarto decimo ætatis anno Ordinem ſum ingreſſus. Quatuordecim primis annis diſcipulus ſedi. Quatuordecim ſequentibus in cathedris docui, & quatuordecim in dicto Ordine præfui.* Subdentibus autem Prælatis. *Iurè ergo Pater ſancte totidem annis Eccleſia Dei miniſterium ſuſtinebis.* Reſpondit cum tremore: *Propitius ſit mihi Dominus, qui à tanta me potius mole, etiam nunc, dignetur eruere: mallem enim in feretro, quàm in trono Apoſtolico eleuari.* Quaſi diuinans de inſtante ſibi morte quæ paucis menſibus tranſactis ipſum ex Apoſtolico Trono ſublatum, feretro tradidit. *Olmeda.*

Iacturam magnam patitur Ordo Prædicatorum; imò & Militans Eccleſia, dum Cardinalis Hugo Seguin de Billiomo 3. Kal. Ianuarij maximo totius Ordinis, ac bonorum luctu, in triumphantem Eccleſiam, cum Deo in æternum regnaturus tranſit. Vir verè doctus, verè prudens, verè pius, atque ſententiarum Angelici Doctoris ſectator per egregius, pro quo in Capitulo Generali apud Metas, eodem

anno

anno congregato, impoſita ſunt ſuffragia trium miſſarum in toto Ordine ſingulis ſacerdotibus. Romæ deceſſit, atque apud S. Sabinam ante aram max. ſepulturam accepit. *Vghell. Ital. Sac. tom. 1.*

F. Petrus Pouala Polonus vir doctiſſimus, & magni nominis theologus, à Nicolao Papa IV. Minorita Maior S. R. E. Pœnitentiarius creatus, & à S. Cœleſtino in eodem munere confirmatus, à Bonifatio VIII. iterum in eodem munere conſtabilitus eſt, ac tandē ad Epiſcopatum Caminen. in Pomerania aſſumptus, dum ad paſcendas, ſuarum virtutum pabulo, ſibi creditas oues pergeret, Ianuæ ad Paſtorem æternum Chriſtum Dominum properauit hoc anno, apud noſtros electa ſepultura. *Bzou. de Prou. Pol. & in Annal. num. 15.*

F. Io: Iordanus ex nobiliſſima Sabellorum Romana familia, ſingularium virtutum vir, cūm Patauinas ſibi creditas oues inculpatæ vitæ exemplo, ac verbo diuino prouocaret ad cœlum, à Bonifatio Papa VIII. ad Bononien. Eccleſiam regendam aſſumitur, quam ſanctiſſimè rexit annos tres, poſt quos ineuitabilis mortis iaculo percuſſus, maximo pauperum luctu interijt. *Vghell. tom 2.*

F. Petrus de Podio, vir deuotus, mitis, ſingulariq. charitatis virtute præditus n cœlum euolauit. Huic morienti B. Virgo Maria viſibiliter apparuit, conſolationē naximam allatura, quam cum ille conſpeiſſet cœleſti lumine circundatam, coram oſitis Fratribus, & orantibus, ridère cœit, & inclynato capite reuerenter Virgiem ſalutauit. Interrogatus autem à Prio: de cauſa talis actus reuerentialis, reſondit: Non ne videtis venientem Saniſſimam Dei Genitricem, vt me in hac tima hora conſoletur, & ſecum ad ęter gaudia perducat: quibus dictis, ſpirim Deo, creatori ſuo reddidit. *Bzou. Annal. num. 15.*

Eodem anno Dominica prima Aduentus, quæ in S. Andreæ feſtum incidit, terremotus magni in ciuitate Reatina de repente ſuborti, maximam illius partem, proſtratis edificijs vaſtauère, multis millibus mortalium peremptis; & cum inter cœtera, etiam Apoſtolicum Palatium, in quo reſidebat Pontifex Bonifatius inuaſiſſent, aufugit ille ad Conuentum noſtrum, tanquam, ad aſylum, vbi ab omni malo extitit immunis, ipſo conuentu nulla in parte à terremotibus læſo. *Ex Monum. Ord. Taeg.*

P. Vido de Pileo Vicentinus ex Comitibus Montisbelli Ordinem ſuis præclaris virtutibus illuſtrabat: nam poſt rectas ſumma cum laude theologiæ cathedras, Ferrarienſis Inquiſitor effectus, tanquam leo impauidus contra hæreticos Fraticellos, Manicheos, atq; Pſeudoapoſtolos dictos, inuicta conſtantia dimicauit gladio ſpiritus, calamo, & lingua; necnon contra eorundem receptores, fautores, protectores, ac ſequaces, magnatum minas cludens. Quapropter multos ex eis captos, aſellis impoſitos, & per ciuitatem fuſtigatos carceribus addixit; alios condignis ſuplicijs adiudicauit; alios, vel relapſos, vel obſtinatos, viuos igne conſumpſit; plurimoſq. ad abiurandos errores proprios, priuatis diſputationibus, ac publicis colloquijs compulit. Quapropter in Lombardia hæreticis ipſis cunctis luctuoſum nimis reddebatur Vidonis nomen. Tandē à Benedicto XI. in exāthlatorum laborum condignum temporale pręmium Ferrarien. Epiſcopus creatus eſt, vt dicetur infra. *Thaeg. & Vghell. Ital. Sac.*

ANNO 1299. Cum Eduardus Rex Angliæ Scotiam inuaderet contra Pont. Max. mandata, Epiſcopoſq. carceribus manciparet, & Bonifacius Papa Regnum Scotiæ, non Regis Angliæ, ſed Eccleſiæ, atq. Summi Pont. iuris eſſe probaſſet, contra Eduardum inſurrexère Ec-

eleſiaſtici, ſacrorumq. Ordinum multi, & inter cœteros noſtri Prædicatores, Eccleſiæ iura eloquio, & calamo defendentes, quapropter iratus Rex, multos Religioſos, atq. Eccleſiaſticos ex ſuo regno eiecit, & inter cœteros vndecim Doctores theologos Dominicanos ex conuentu Enuernen. exulare coegit. *Bzou, in Annal. num. 6.*

P. Nicolaus Martini de Albertinis ex Comitibus Prati in Etruria, in Romana curia Procurator Generalis Ordinis à Bonifatio VIII. aſſumitur ad regendam Eccleſiam Spoletanam Kalen. Iunij, fitq; in Vrbe Vicegerens Pontificis, legationeſq. Apoſtolicas ad Galliæ, & Britaniæ Reges pro Eccleſia ſubiuit; ac tandem vt dicetur S. R. E. Card. creatus eſt à ſucceſſore Bonifatij. *Vghell. Ital. Sac. tom. 1.*

P. Munio Zammorren. Magiſterio Generali Ord. Præd. necnon, & Epiſcopali dignitate Palentina celebris, hoc anno, depoſito carnis onere ingreditur viam vniuerſæ carnis, apud S. Sabinam in Vrbe conditus. *Taeg. in Mon. Ord.*

P. Ioannes de Polo à Bonifatio Pont. præfectus eſt Archiep. Eccleſiæ Piſanæ Paſtor, cui ſumma prudentia ac zelo annos tredecim præfuit, iurium ſuæ Eccleſiæ, immunitatiſque Eccleſiaſticæ vindex acerrimus: Vnde Gualterien. Epiſcopum in Sardinia, qui iure Metropolitico illi ſubdebatur, eò quod citatus non comparuiſſet, excommunicauit anno 1302. die 6. Febr. Tranſlatus fuit poſtmodum ad Nicoſienſem Sedē an. 1312. P. Conſilius Gattus quoque Viterbien. promotus eſt ad Arboren. in Sardinia Epiſcopalem Eccleſiam, translatus ſequenti anno ab eodē Bonifatio VIII. Pont. M. ad Compſanam qui fuit Martini IV. Capellanus & in Romana Curia Apoſtolicus Pœnitentiarius. *Vghell. Ital. Sac. tom. 3.*

Defuncto Pirouano, P. Thomas de Muggio Inquiſitor in Lombardia à Pont. Max. Bonifatio VIII. creatus eſt, qui anteceſſoris mortem vlturus, in varijs Lombardiæ ciuitatibus Subinquiſitoribus, ſeu Vicarijs inſtitutis, contra Hæreticos inſæuire tanto cum ſpiritus ardore incœpit, & maximè contra nobiles quoſdam Mediolanenſes eorum fautores, vt quotquot in vincula coniectos habuerit ſupplicio dignos, viuos flammis adureret; quòd tantum terrorem reliquis incuſſit, vt aliqui in deſperationem acti, de Thoma è viuis tollendo conuenticula fecerint. His Inquiſitori nunciatis ſuper congregatos illos armata ſociorum manu irruit, & captos vltimo patibulo peremit. Quare tantus eiſdem incuſſus eſt timor, vt cuncti ſe hæreticos eſſe, tàm in publico, quam in priuato, fateri perhoreſcerent, ac formidarent, hæreſi hoc modo elumbata, ac ſienata. *Taeg. in Mon. Ord.*

Caput X.

P. ALBERTO CLAVARIO Magiſtro Generali X.

ANNO 1300. Congregata ſunt Generalia Ordinis comitia apud Maſſiliam pro noui Magiſtri electione, in quibus cum multi ſpectatæ virtutis, prudentiæ, ac doctrinæ viri, tanto Magiſterio digni proponerentur, tandem maior Patrum pars P. Albertum Clauarium Genuenſem ex prouincia Lombardiæ Magiſtrum Ordinis ſalutauit ſub Vicario Ordinis Prouinciali Prouinciæ.

Ad hoc Capitulum binas Apoſtolicas litteras direxit Bonifatius VIII. vnam quidem pro Prouinciarum Ordinis diuiſione: nam ita multiplicati fuerant in Reli-

Religione conuentus; vt difficile nimis foret Prouincialibus ſingulos viſitare propter diſtantiam maximam terminorum Prouinciarum. Alteram verò exhortatoriam ad Patres, vt eligerent Magiſtrum, qui laudabiliter Ordinem regere regularemque obſeruantiam promouère eſſet, quæ talis erat tenoris.

Bonifatius Papa VIII.
Dilectis Filijs Fratribus Ordin. Præd. apud Maſſiliam in Capitulo Gener. congregatis, Sal. & Apoſt. Benedict.

DEbitum Paſtoralis officij exequentes, ad illa vos paternis monitis inuitamus, per quæ ſacer Ordo veſter pacis abundantia, & vbertate quietis aſſiduè perfruatur. Charitatem ergo veſtram, ac veſtrum ſingulos rogamus, in Dominoque hortamur, quatenus illum ad gerendum Magiſterij huius officium ſtudeatis eligere, qui tanto congruat oneri, & honori: quique ſit Religionis zelo feruidus, conſilij maturitate præclarus, diſcretionis prudentia præditus, & induſtria prouidentia circumpectus. Conuerſatione vitæ, dono manſuetudinis, & gratia humilitatis reſplendeat. Sit plantator virtutum ſedulus, & extirpator vitiorum aſſiduus, ſciensque ſibi pro meritis proficere, & alios exemplis ſalutaribus erudire. In quo demum Marthæ ſollicitudo non deſit, & contemplationis Mariæ celſitudo non deficiat. Dat. apud Anagniam, &c.

Conuenientibus igitur electoribus in vnum, quaſi numero triginta, dirigente Card. Nicolao, electus eſt in ſecundo ſcrutinio Magiſter Albertus de Genua, prout optabat idem Nicolaus, vir doctiſſimus, Baccalaureus Pariſien. ac quondam Lector in Montepeſſulano, regularis obſeruantiæ ſectator feruidus, eo tamen plurimum reluctante, atque aſſerente ſe eſſe tanta præfectura indignum, & ad ſuſtinendum tantum onus impotentem. Præualuit Patrum conſtantia, in concuſſaque Ordinis obedientia; & gauiſus eſt Pontifex cum Cardinali Nicolao de huiuſmodi electione, quia ſanctus Dei, auctorque pacis, & amator à cunctis dicebatur.

Erat Albertus feruens animarum zelator, regulariſque obſeruantiæ ad vnguem ſectator, veſtes viles, & abiectas induens, carneſque non niſi in infirmitate comedens. A vino quoque ita abſtinuit, vt abſtemius diceretur, pedeſter itinera Ordinis conficiens, & ſemper ſe moriturum cogitans, cuncta facilè contemnebat. In capitulis Fratres ad ſalutem animarum, ſacris colloquijs, prædicationibus, atque ſuſcipiendis confeſſionibus procurandam inflammabat, dicens: *Mementote ſermonis Domini, quoniam vos eſtis ſal terræ; quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Olmeda.

Sed heu cito nimis ſublatus eſt iuſtus de terra viuentiū. Nam à Pontifice Max. ad Curiam accitus Albertus, cum Anagniam perueniſſet, Bonifatijque pedes oſculatus eſſet menſe Auguſto, incidit in morbum, compleuitq; dies ſuos ibidem, in noſtra Eccleſia ſepulturę traditus magno totius Ordinis luctu.

Plura in dicto Capitulo Generali ordinata fuere ad augendam fidelium pietatem, & deuotionem, necnon & Eccleſiaſticorum erga Ordinem beneuolentiam captandam; & inter cætera decretum eſt firma lege, vt Fratres Prædicatores erga Apoſtolicam Sedem, ſummumque pro tempore Pontificem reuerentes, atque obedientes ſe habeant: ſacrum Cardinalium Collegium pari obſequio proſequantur, atque cum Eccleſiaſticis omnibus pacem conſeruent, foueant, & enutriant, violatoribus illius grauibus pœnis impoſitis. *Olmeda.*

Anno eodem celebratur à Bonifatio VIII. Pont. Max. in Vrbe, & orbe primus annus Iubilæi, innumera vtriuſque ſexus multi-

multitudine ad Vrbem confluente: quo Geraldus Segarellus Parmen. & Dulcinus Nouarien. nouarum hæreſum inuentores, mortales ad pœnitentiam inuitabant dicentes, ſe eſſe nouos Apoſtolos à Chriſto ad hoc deſtinatos, ſoli Deo ſubditos: publiceque mendicabant, in humilitate maxima diſcalceati incedentes. Contra quos Fr. Manfredus Inquiſitor Parmen. ſecretò inquirens de doctrina, ac modo viuendi, comprobauit ſupra viginti hæreſes eos docuiſſe. Quapropter in Geraldum manus iniecit, atque duro carceri ſubactum, tandem 5. Kal. Auguſti coram innumerabili populo igne conſumi publicè voluit, Dulcino fuga ſibi conſulente. *Param. lib. 2.*

Inquiſitor verò Mediolan. P. Guido oſſa mulieris cuiuſdam hæreticæ vaferrimæ; Guillelmæ nuncupatæ effodi mandauit, quæ ſimulata ſanctitate, atque fictis miraculis tantam ſibi apud plebem ſanctitatis opinionem comparauerat, vt à Catholica fidè copioſam fidelium multitudinem auertiſſet. Veritate igitur comperta, Guillelmę oſſa ex eccleſiaſtica apud Monachos de Clarau alle ſepultura effoſſa, per manus carnificis coram populi vtriuſque ſexus multitudine copioſa concremari iuſſit, virumque illius, Andream nomine, eiſdem hæreſibus irretitum brachio ſeculari tradidit comburendum. *Param. vbi ſup. eo ſponden. in Annal.*

P. Angelus Negronius de Viterbio, vir eruditus, atque in ſanctorum Patrum lectione verſatiſſimus, Pariſinus Doctor, atq; in Vrbe apud Vaticanam Baſilicam Pontificius Pœnitentiarius mãdante Bonifatio Pont. ſcripſit, atque euulgauit librum, *de Auctoritate Summi Pont.* aduerſus eos, qui deblaterantes illam labefactare conabantur. *Plod. de ſcript. Ord.*

Eodem anno P. Andreas de Peruſio infidelium prædicationi toto ſpiritus ardore deditus in vltramarinis partibus, cum multos infideles Chriſtianis ritibus imbuiſſet, capitis obtruncatione Athleta Chriſti in cœlum euolauit, cuius cadauer cœleſti lumine perfuſum, prętioſam illius mortem in conſpectu Domini indicauit. *Plod. de Vir. illus Ord.*

Cardinalis Bocaſinus à Bonifatio Papa VIII. Epiſcop. Oſtien. & Veliternus, & P. Franciſcus Arpus Ceneten. Paſtor à Nicolao IV. creatus, hoc anno vale dixit mortalibus poſt rectum ſumma cum laude ſibi commiſſum gregem annis pluribus. *Vghell. Ital. Sac. & S. Antonin. 3. p. tit. 23.*

P. Dietherius Germanus Adolphi Naſſouij Romanorum Imperatoris germanus frater, de quo ſup. an. 1295. cum pietate, virtutibus, doctrina, atque Legationibus Ordinem plurimum illuſtraſſet, à Bonifatio Pont. Treuerenſem Eccleſiã regendam promeruit, quã ſeptem annorum decurſu in humilitate maxima, atq; aſſiduis eleemoſynis ſanctiſſimè rexit, ouibus ſibi creditis virtutum omnium exemplar factus, tandemque morte æquo pulſante pede pauperum tabernas, Regumque turres, laborum ſuorum premia conſequuturus migrauit à ſeculo. *S. Antonin. 3. p. tit. 23. Gallia Chriſt. tom. 1.*

P. Gentilis de Roma dictus, ex nobiliſſima familia de Vrſinis, virtutum præſtantia, atque in agendis dexteritate clariſſimus, ac propterea Bonifatio Pont. in paucis charus, ab eodem præfectus eſt Archiepiſcopalibus Eccleſijs Acheruntinæ, ac Materanæ, vt facilius negotia Apoſtolicæ Sedis cum Carolo Rege Siciliæ pertractare poſſet. Fuit quoque Paſtor bonus Catanen. Epiſcopus, quibus nobilibus Eccleſijs cum pauperum pater dictus, optimè præfuiſſet, ab omni ſeculi luxu alienus, deceſſit anno 1303. *Vghell. & Sicil. Sacra Pyrri.*

Eodem anno Bonifatius Pont. P. Guidoni Inquiſitori Mediolanen. ſupradicto iniunxit;

Digitized by Google

iniunxit, vt inquireret in Hermannum Pungilupum Ferrarien. qui iam olim defunctus, à multis tanquam ſanctus honorabatur: Hunc autem, inquiſitione facta, defunctum hæreticum exhumauit, ignique tradidit comburendum. *Spondan. in Annal. ad hunc an.*

P. Io. Pariſienſis Doctor celeberrimus inter alia opera complura, ſcripſit *de Poteſtate Papæ, & Regis*, occaſione diſcordiæ inter Bonifacium Pont. & Philippum Pulchrum Regem Galliæ. *Mirræus Biblioт. Eccleſ.*

Card. noſter Boccaſinus eodem anno mittitur Apoſtolicus Legatus de Latere ob grauiſſima Sedis Apoſtolicæ negotia in Etruriam, Poloniam, Dalmatiā, Croatiam, Daniam, Sueciam, atque Pannoniam: & cum cuncta pro Bonifacij Pont. Max. voto compleuiſſet, ſequenti anno in Vrbem reuerſus, à Romanis, Apoſtolica Curia, atque Pontifice ipſo, applaudentibus ſummis lætitiæ ſignis receptus eſt. *Olmeda.*

Caput XI.

P. BERNARDO GALLICO

Magiſtro Generali

XI.

ANNO 1301. Defuncto iam Alberto ante S. Michaelis feſtum, indictum eſt Capitulum Generale pro alterius Magiſtri Ord. electione facienda in præſentis anni feſto Pentecoſtes, in quo P. Bernardus Gallicus, genere Vaſco, ex oppido Landarico Vaſſaten. Diœceſis, Prouincialiſque Prouinciæ Prouinciæ à 18. vocalibus, nec diſſentientibus cœteris, in ſecundo ſcrutinio electus eſt Generalis Magiſter apud Coloniam. *Olmeda in eius vita.*

Ad Patres in Capitulo congregatos epiſtolam miſit Card. Boccaſinus, exhortans eos, vt eligerent Magiſtrum Ordinis alterum ex ſua prouincia Lombardiæ, P. Lambertum Laudenſem, virum aliàs tanta præfectura dignum; At Patres perpendentes ſpeciem coactionis induci in Ordine, reiecto Lamberto, Bernardum præfatum elegerunt, virum doctiſſimum, agendorumque experientia apud vltramontanos clariſſimum, quippè qui apud Burdegalas Lector, ac Prior, necnon Toloſæ quoque Prior, & Prædicator celebris, vir literatus, ac prudens habebatur. *Olmeda.*

Sub hoc Magiſtro Prouinciarum multarum in Ordine diuiſio facta eſt iuxta Pont. Max. voluntatem ob multiplicatos in conuentus plurimos; & quidem ex prouincia Hiſpaniæ ortum habuit prouincia Aragoniæ, Cataloniæ atque Nauarrę conuentibus eidem attributis; ex Prouincia verò Poloniæ extracta eſt prouincia Boemiæ, ex Boemiæ, Morauiæq; conuent. illi ſubiectis. Lõbardiæ quoq; prouincia diuiſa eſt in duas, nempe in Inferiorem, & Superiorem Lombardiam; itaut conuentus ſub Archiepiſcopatibus Mediolanen., & Ianuen. cum Papien. Placentino, & Nouocomen. ſpectarent ad Superiorem; cœteri verò ad Inferiorem prouinciam Lombardiæ: ac tandem ex Theutoniæ prouincia prodijt prouincia Saxoniæ, cui aſſignata fuère cœnobia exiſtentia in Miſnia, Turingia, Haſſia, Saxonia, Friſia, Slauia, Marchia, Vueſtphalia, Zelandia, & Hollandia. *Ex Actis Capit.*

Multiplicatis igitur in Ordine prouincijs decretum eſt, vnamquamque ſuos vocales proprijs expenſis ad Generalia Capi-

Capitula debere mittere, cũ priùs expenſis conuentuum, ex vno in alterum propinquiorem dirigerentur. *Ex eiſdem Actis.*

Præter Colonien. Capitulum ſupradictum, duo alia Capitula celebrauit Bernardus, nempè Bononiæ vnum an. 1302. & apud Biſuntium alterum an. 1303. quo completo vitam cum morte commutauit antequam aſſumptum videret ad Summum Pontificatum noſtrum Card. Nicolaum Boccaſinum. In Capitulo autem Biſuntino diuiſa eſt prouincia Prouinciæ in duas, quarum vna retineret Prouinciæ nomen; altera verò vocaretur prouincia Toloſana, aſſignatis eidem conuentibus Toloſano, Carcaſſonen. Appamien. Caſtren. cum reliquis conuentibus versùs Lemouicen. Burdegalen. & Baionen. Epp. cum Monaſterijs Sororum intra eorundem terminos exiſtentibus, datuſque eſt illi primus locus in choro ſiniſtro, Toloſæ quòd ex eo prima Ordinis fundamenta iecerat S. P. Dominicus. *Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.*

Bernardus igitur Magiſter Ordinis poſt tertium Generale Capitulum celebratum Biſuntij in Burgundia (ſicut enim Domino placuit, ita factum eſt) ex hac luce migrauit in Conuentu Treuerenſi prouinciæ Theutoniæ menſe Septembri 15. Kal. Octobr. ob nimiam corporis macerationem à cibo, potuq; abſtinendo; factus quippe fuerat ſicut prædeceſſor, famis, ſitiſque tolerantiſſimus. *Olmeda.*

Claruerunt ſub Bernardi Magiſterio viri præſtantiſſimi ad ſacras infulas aſsũpti, de quibus proprijs locis dicemus, atque ſub ipſo Raymundus de Ponte Valentinus Epiſcopus Dominicanum habitum induit, & profeſſus eſt ex indulto Bonifacij Pontificis, vir inculpatæ vitæ, egregiarumque virtutum. *Olmeda:*

Anno eodem, die 12. Iulij Card. Nicolaus Boccaſinus à Bonifacio VIII. Apoſtolicus Legatus in Hungariam directus ex Vrbe diſceſſit, & Pontifex ſcrĩpſit Venceſlao Regi Boemiæ, vt eundem Cardinalem honorificè reciperet, atque vt Hungaros ad obedientiam Carolo Regi præſtandam induceret. *Spondan. in Annal. num. 11. & Ferrar. p. 3. lib. 4.*

F. Guillelmus militis Inquiſitor Carcaſſonen. in Gallia hæreticorum vindex acerrimus hoc anno multos hæreticos flammis adiudicauit, alioſque exilio, varijſque ſupplicijs mulctauit. *Lopez par. 5.*

Cœlo dedit hoc anno Dominicana Religio B. Ioannem de Pinguentos Hiſpanum, qui in conuertendis ad Catholicam fidem, atque in illa inſtruendis Mauris Valentinis ex mandato Petri Regis Aragoniæ plurimùm inſudauit. Arabicam linguam pro Maurorum conuerſione Valentiæ pluribus annis docuit, miraculiſq; coruſcans die 13. Nouembr. euolauit in cœlum. *Plodius.*

B. Iacobus de Blanconibus ex Meuania (de quo ſupra anno 1272.) poſt multos in hæreticorum aliorumq; perditorum hominum conuerſione ſuſceptos labores, dum pro ſua humilitate iugiter metuebat ne forſitan ipſemet foret in numero reproborum, ante Crucifixi imaginem proſtratus, & ex illius latere perfuſus copioſo ſanguine, hanc vocem audire meruit; *Sanguis iſte tibi ſignum ſalutis eſto.* Sæpiùs actum de ipſius Canonizatione. Interim Clemens Papa X. ob inſtantiam Magiſtri Generalis ex decreto S. Congreg. Rituum anno 1673. 17. Maij indulſit oppido Meuaniæ, quòd illic feſtum B. Viri quotannis ab vniuerſo Clero tam ſeculari quàm regulari ſolemniter celebretur. Mox anno 1674. die 8. Auguſti ad nouam eiuſdem Patris Magiſtri Generalis inſtantiam Apoſtolica hæc gratia ad totum Prædicatorum Ordinem clementer extenſa fuit, quæ antea ſoli Meuaniæ indul-

indulta fuerat. Decretum verò in Sacra Cardd. Congregatione ſtabilitum eſt die 4. Auguſti S.P. Dominico ſacra, vt dicetur ſuo loco. S. Antoninus autem de hoc Beato loquens 3. p. Hiſt. tit. 22. ait. *In Conuentu Meuaniæ propè Fulgineum requieſcit corpus Fratris Iacobi, inde oriundi, cuius corpus ego vidi integrum, & deſiccatum ad modum ſtatuæ ligneæ: hic valde deuotus fuit, & miraculis glorioſus.* Ex hiſt. Prou. Rom. à nobis euulgata.

ANNO 1302. P. Gaufridus de Abluuijs Generalis Inquiſitor in Gallia zelo Catholicæ fidei dilatandæ, atque hæreticalis peſtis è ſibi ſubditis ditionibus eliminandæ clariſſimus, dum Samſonis vulpes indefeſſo labore inſequitur, ab ijſdem ad mortem quęritur, ſed fruſtra; nam protegente Dei gratia ſeruatus illæſus, & multos eorum igni tradidit, & illorum fautores, protectores, atque receptatores iuxta conſtitutiones Apoſtolicas condignis pœnis caſtigauit. *Param.*

Illuſtrabant Ordinem, atq; Eccleſiam Dei hoc anno, & tempore Fratres, Remigius Florentinus ſcientia, & moribus apud Deum, & homines probatus, varijſq; legationibus conſpicuus, (qui à Bonifacio Pont. cum Aycardo Theutonico, viro ſpectatiſſimo coactus eſt ad ſuſcipiendum Magiſterij gradum, conſtitutus primus Prouinciæ Saxoniæ nouiter erectæ Prouincialis,) necnon & Romeus Maioricenſis, Doctor Pariſien. qui obijt primus Prouincialis Aragoniæ, in Prouinciam etiam nouiter erectæ. *Olmeda.*

P. Bernardus Generalis Inquiſitor in Aragonia contra hæreticos, multos ex illis, imò & conuerſos ad fidem iudaizantes varijs pœnis affectos, carceribus, atque morti adiudicauit. *Lopez. par. 5.*

P. Guido Inquiſitor Mediolanenſis, inuigilans pro puritate Catholicæ fidei conſeruanda in ſibi credita ab Apoſtolica Sede ditione, multas alias mulierculas, Gulielmæ recenſitæ ſup. anno 1300. ſectatrices, atque à nitore S. fidei deuias, obſtinatas igne conſumendas ſæculari brachio tradidit: reſipiſcentes autem, & miſericordiam Eccleſiæ implorantes, poſt factam abiurationem, condigniſque pœnitentijs mulctatas, S. Matri Eccleſiæ reconciliauit. *Taegius.*

P. Io. Vigoroſi poſt Bernardum Claromontanum Toloſanus Inquiſitor delectus eſt, vt negotium fidei in partibus illis dilatandum, & conſeruandum aſſumeret, cui cum totis viribus operam daret, & quoſdam ad abiurationem errorum perduxiſſet, electus Prior Prouincialis in Capitulo apud Montempeſſulanum, Inquiſitionis officio dimiſſo, paulò poſt cum prouincialatûs munere etiam vitam dimiſit 10. Kal. Martij an. 1304. *Ex Archi. Toloſ.*

P. Thomas de Muggio in Lombardia Inquiſitor contra inſanientes hæreticos, tam Fraticellos, quàm Manichęos inuigilabat, eorum vafritiem puniturus. Cum ergò apud Bergomum quædam familia à maiori vſque ad minimum eſſet tota hæreticali Manichæorum veneno inquinata, ſuper eam de nocte irruens Thomas cunctos, etiam paruulos, captiuos fecit, & pueris Catholica fide imbuendis, aliquibus catholicis traditis, eorum parentes relapſos publico igne viuos conſumendos ſæculari brachio relaxauit, pluribus alijs carceribus, & ſalutaribus pœnitentijs caſtigatis, & hoc modo hæreticorum arrogantia frœnata eſt. *Taeg. in mon. Ord.*

P. Oddo de Sala Piſanus cum ouibus ſibi commiſſis à Bonifacio Pont. in Eccleſia Teralben, apud Sardiniam omnibus virtutibus, tanquam lucerna ſuper candelabrum, prælucêret, ab eodem ad Polenſem in Dalmatia transfertur maximo cum dimiſſorum Teralben. fidelium luctu, qui ſe patrem amantiſſimũ amiſiſſe dolebant. *Vghell. tom. 5.*

ANNO 1303. Ad Bonifaciũ Pont. P. Iacobus Caiazza Capuanus Orator mittitur à Carolo II. Neapolitano Rege pro grauioribus, atque vrgentibus negotijs, ad S. Apoſtolicam Sedem ſpectantibus, qui à Pontifice Max. honorificè exceptus eſt Anagniæ vbi morabatur, at poſt paucos dies in Vrbem reuerſus, in pace quieuit Pont. *Vallus de Prou. Regni.*

Nicolaus Goranus Prouenzanus, Philippi Regis Franciæ Confeſſarius, vocatus fuerat in Vrbem à Bonifacio VIII. ſuſpicante Regem ipſum conſilijs ſuis, atque monitis ab obedientia erga Apoſtolicam Sedem receſſiſſe. Venit ad pedes Pont. Max. Nicolaus, & cauſa diſcuſſa, inuentus eſt innocens, imò & optimè affectus erga S. Sedem Apoſtolicam, malèque ſentiens de Philippi geſtis contra eandem; vnde gratia Bonifacij ſibi captata, in Galliam redijt. *Taeg. & Spond. in Annal. Eccl.*

Annus hic felix fauſtuſq; illuxit Prædicatorum Ordini, dum orbi, atque Eccleſię dedit Pontificem Maximum P. Nicolaum Boccaſinum Card. Oſtien. Nam cum Bonifacius VIII. diem clauſiſſet extremum die xj. Octob. ipſe xj. Kal. Nouemb. electus eſt in Summum Eccleſiæ Catholicæ Pontificem Romæ apud Lateranum, & Benedicti ſibi aſſumpto nomine, dictus eſt Benedictus XI. Cardinalium beneuolentiã promeruit Nicolaus, dum ab hoſtibus Eccleſiæ captus Bonifacius Pont. per proditionem Anagniæ in lectulo ſuo quieſcens, nihilque tale ſibi metuens, fugientibus cunctis, qui aderant Cardinalibus, ipſe ſolus cum Petro Hiſpano Card. Sabinen. ad Bonifacij cuſtodiam remanſit, quem & in Vrbem ſequutus eſt inflexibili conſtantia, à cunctis Apoſtolicæ Curiæ miniſtris ſummopere commendatus. *Spond. in Annalibus Eccl.*

Benedictus Pontifex, vt hęreticos cunctos penitùs ex Lombardia profligaret, poteſtatem dedit Prouinciali Lombardiæ inſtituendi decem Inquiſitores ex ſibi ſubditis Fratribus, qui diligenter inquirerent contra hæreticos, eorumque fautores, ac receptatores. Iuſſa Pontificis exequutioni dedit Prouincialis, ſelegitque ex ſibi ſubditis decem Patres grauiores, & ad idem munus magis aptos, qui contra hæreticos inſurgentes, maximum fidei Catholicæ augmentum attulère, pluribus ex eis perditis. *Lopez. p. 5. direct. Inquiſit.*

Eodem anno Benedictus XI. die 18. Decemb. in quatuor temporibus Aduentùs creauit duos ex Prędicatoribus S. R. E. Cardd. P. Nicolaum Martini de Albertinis Pratenſem, Epiſcopum Spoletanum; atque Viceſgerentem Vrbis, quem ad Epiſcopatum Oſtien. & Veliternen. tranſtulit; & P. Guillelmum Maresfeldium Prouincialem Angliæ, quorum conſilio, atque opera in D. Petri nauicula gubernanda vti decreuerat. *Vghell.*

B. Auguſtinus Zagabrien. Epiſcopus apud Hungaros à Benedicto Pont. inſtituitur, vbi multùm inſudauit pro Catholica fide conſtabilienda, atque Regni totius tranquillitate firmanda. Eius opera ad ardua diſſidia Regni componenda, Carolumque Bertum in Regem confirmandum vſus eſt Gentilis Apoſt. Sedis Card. Legatus. *Vghellus tom. 8.*

Eodem anno Benedictus Pont. Legatum Apoſtolicum pro pace Italiæ, ac Florentinis maximè, factionibus Guelphorum, & Gibellinorum vexatis, reddenda, deſtinauit P. Nicolaum de Prato nouiter S. R. E. Cardinalem creatum. *Vghell. Ital. Sac. tom. 1.*

Nunciata Benedicti Pontificis aſſumptione ad culmen Apoſtolicum Carolo Berto Hungariæ Regi, hic P. Andræam Hungarum Oratorem ſuum ad eundem miſit, vt de canonizatione B. Margaritæ filiæ Regis Hungariæ Sororis noſtræ tractaret: qui in Italiam veniens, & Benedictum prædefunctum intelligens, negotium

cium cum Clemente V.ſucceſſore tractauit,à quo Antiliaren. Epiſcop. creatus eſt. *Ferrar. de Reb. Hung. Prou.*

Caput XII.

P. AYMERICO PLACENTINO Magiſtro Generali XII.

ANNO 1304. Congregatis comitijs Generalibus Ordinis apud Toloſam in Feſto Pentecoſtes, electus eſt Magiſter Ord. F. Aymericus de Placentia à Patribus, vt ſatisfacerent Benedicto Pont. Max. qui Magiſtrum Italum optabat, & hunc ex Prouincia Lombardiæ. Erat Aymericus tunc temporis Toloſæ, Prouincialis inſtitutus nouæ Prouinciæ Greciæ, in eodem Capitulo confirmandus, non tamen votum habebat in electione,in qua diuiſi erant vocales, alijs P. Guillelmũ Baionen. Frãciæ Prouincialẽ eligentibus, alijs verò Aymericum nominantibus, qui tandem in tertio ſcrutinio Magiſter euaſit, & Guillelmus poſtmodum purpurã adeptus eſt. Scripſit autem ad PP. Capituli Benedictus Pont. ſequentes litteras.

Benedictus Epiſcop. Seruus Seruorũ Dei, Dilectis filijs Magiſtro, Prioribus, & Fratribus vniuerſis Ord. Prædicat. apud Toloſam in Generali Capitulo congregatis. Sal. & Apoſt. Benedict.

EX horto delitioſo Eccleſiæ Sacroſanctæ ineffabilis prouidentia conditoris pro ſui nominis attollenda gloria, & ſalute fidelium procuranda, præclarum Ordinem Prædicatorum diebus nouiſſimis inter ſpecioſa plantaria, quaſi lignum vitæ produxit, quod ſuperni roris benedictione perfuſum ſic à ſuis primordijs laudabilibus incrementis ſucceſſiuè proceſſit; ſic ſe diuina operante gratia in altum prouexit; ſic ſe longè, lateque diffudit, vt ſublimitate ſua pertigerit cœlos, ac ad fines vltimos orbis terrarum ſuos extenderit palmites generoſos. Iſti ſunt palmites prætioſi, Chriſto viti veraciter inhærentes, Fratres videlicet Ordinis dicti, qui à ſuperfluitatibus terrenorum purgati, & ſarcinis diuitiarum abiectis, abnegauerunt ſalubriter ſemetipſos, & amplexi paupertatem, regularem vitam profeſſi, ad conuiuium Regis, honoris, & honeſtatis flores ſuaues, & fructus vberes attulerunt. Iſti ſunt electi Chriſti miniſtri conſpicua Religione fulgentes, & honeſtate vitæ clariſſimi, quos in lumen gentium Dei ſapientiam dediſſe dignoſcitur, velut ſplendentia ſydera in Eccleſiæ firmamento, & tanquam lucernas ardentes in Domo Dei, illuminantes cunctos euangelicis documentis, & ſpiritualibus radijs oſtendentes mortalibus viam vitæ. Iſti ſunt egregij bellatores, qui hoſtes animæ, & inimicos S. Matris Eccleſiæ per fidei ſcutum, gladium ſpiritus, & arma iuſtitiæ debellantes obruere conati ſunt, vt Catholicis vniuerſis virtutum augmenta proueniant ſalutis, peccatoribus pateat portus, & hereticæ prauitatis inſania deſtruatur. Conſideretis igitur dilectiſſimi nobis, & vigili intuitione penſetis præfati Ord. firmiſſima fundamenta, duces inſignes, milites ſtrenuos, pugiles indefeſſos, ex quibus aliquot iam in ſupernam prouecti patriam in Sanctorum numero ſolemniter ſunt aſcripti, menſæ cœleſtis conuiuæ, & ſecuri æternæ patriæ poſſeſſores; & ideo talium non vos degeneres, ſed legitimi filij, & fideles imitatores eſſe debetis, ac indeſinenter eorum ſequi tuta veſtigia, qui vobis tàm clara, tàm certa religioſè, & ordinatè viuendi reliquerunt exempla, & Ordinem ipſum, habentem in ſe perfectæ pulchritudinis decus diuina, & Apoſtolicæ Se-

dis clementia tot gratijs dotatum, ſublimatum donis, & priuilegijs roboratum, immunem prorſus ab omni macula conſeruare. Verùm quia proni ſunt ab adoleſcentia ſenſus hominis ad malum, & indomita caro de facili vergit in culpam, ſumma cum diligentia ſtudeatis, vt inueniatur in vobis Religionis feruor, iuſtitiæ zelus, iudicij rectitudo, & in reſecandis vitijs correctionis vigeat diſciplina. In moribus veſtris humilitas prætioſa reſplendeat; pia deuotio creſcat; obedientia ſancta complaceat, vera patientia perſeueret. Sitis in cunctis agendis vnanimes: obedientia ſancta complaceat: vera patientia perſeueret. Charitate concordes, pace tranquilli; & in ijs, quæ regularis requirit honeſtas coram Deo, & hominibus ordinati, vt etiam à ſpiritualibus nequitijs ſitis tuti, nec per otij diſſidia callidi hoſtis inſidijs pateatis. Circa ſtudium doctrinæ ſacræ, per quod obſequium Deo, & vobis meritum comparatis, ſitis aſſiduè vigiles, & attenti prædicationum frequentiæ, & confeſſionum audientiæ, ad quas eſtis ſpecialiter deputati, diligenter, & ſolicitè inſiſtendo, & ſic vitam veſtram circa prædicta, & alia honeſta, ſeu licita occupetis, quod in vobis illicita locum habere non poſſint, totum in auctore ſalutis, ſpei, & conſolationis veſtræ anchoram ſtatuentes. Porrò Eccleſiarum Prælatis quorum patrocinijs, & fauoribus indigetis, tantam exhibeatis reuerentiam, & honorem, & ſic ad eos vos humiliter habeatis, ſic ab ipſorum iniurijs, & diſplicentijs abſtineatis omninò, vt eorum gratiam, & beneuolentiam conſequi valeatis; taliter enim vobis per vitæ meritum, & alijs proficere poteritis per exempla, taliter ſemina veſtra cum labore mittentes reportabitis cum lætitia in cæleſtem aream manipulos glorioſos; taliter vobis & proximis ſicut veſtram condecet ſanctitatem, aquiretis gloriam perpetuæ claritatis. Nos autem, quos licet immeritos ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, & curam Vniuerſalis Eccleſiæ, diſpoſitio diuina promouit, vos, & Ordinem ipſum, cuius à iuuentute noſtra cultores fuimus voluntarij; cuius alimentis fuimus temporibus multis, tàm in vita, quàm in ſcientia, & moribus educati, ſinceriſſima affectione diligimus, & intimæ charitatis viſceribus amplexamur, & tantò propenſius intendentes, veſtra ſalutifera commoda, & Ordinis incrementa, gratijs Apoſtolicis, & fauoribus proſequi, ac diligenti ſolertia procurare, quantò facultas potior nobis cælitus eſt conceſſa; itaut vos, & Ordo prædictus ſemper Domino tribuente, de bono proficiatis in melius, & vbique terrarum tranquillo ſtatu, & pacifico gaudeatis. Sanè, quia debilibus humeris noſtris ſummi Apoſtolatus onus impoſitum, quod vires noſtras ſupra modum excedit, ſupportare, niſi ſuffragante Dei gratia, non valemus, charitatem veſtram, de cuius meritis, & virtute grandis nobis ineſt fiducia, rogamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, quatenus deuotas mentes paternis affectibus exhibentes, aſſiduis orationibus oſtium diuinæ clementiæ ita propulſetis, vt ſollicitudines noſtras, & labores officij paſtoralis beneplacitis ſuis coaptare dignetur, & nobis ſua pietate concedere, vt gregem nobis creditum ſic in præſenti vtiliter gubernemus, quod abſtrhatur à noxijs, & ad ſalutaria dirigatur, & in futuro nos cum eodem ſempiterna conſequi gaudia valeamus. Dat. Laterani 6. Idus Martij Pont. noſtri ann. 1. Ex Act. eiud. Capit. Gener.

Fuit autem Aymericus vir doctus, qui & Bononiæ, & alibi ſpatio viginti trium annorũ docuit; & Bononiæ præfuit Prior. Terminato Capitulo Romam verſus iter aſſumpſit; Pontificem ex Ordine aſſumptum adoraturus, at heu cito nimis verſus eſt in luctum chorus noſter: ſequenti namque menſe Iulij, ſeptima die Benedictus Papa apud Peruſium migrauit à ſeculo, vt viueret cum Chriſto. Fleuit autem illum inconſolabiliter Religio Prædicatorum, quaſi propriam ruinam illius morte præ-

præſagiens,& Eccleſia Catholica tanto orbata Paſtore,qui eius reformationi,fideiq; dilatationi totus erat intentus. Sepultus verò eſt apud noſtros non abſque magna ſanctitatis opinione obſigna veneranda, quæ illius obitum fuere ſubſequta. *Olmeda, & Vghell.*

Benedicto igitur mortuo, cum per annum ferè vacaſſet Apoſt. Sedes, induſtria P. Nicolai Card. de Prato electus eſt tandem Burdegalen. Archiepiſcopus, qui Lugduni coronationis inſignia ſolemni ritu ſuſcipiens, & Concilium Viennenſe celebrauit, in quo tot Eccleſiarum Paſtores ex Prædicatoribus effulsère, vt multis ſtupor, nonnullis liuor, Ordini verò laus, & honor fieret. Ibi plurimæ cõſtitutiones in Predicatores, & Minores, ob quærelas Parochorum, aliorumque Eccleſiaſticorum, editæ ſunt, ex quibus Clementinarum liber confectus eſt: multos tamen ex Ordine prouexit ad dignitates, etiam maiores, vt dicetur. *Olmeda.*

De Canonizatione S. Thomæ Aquinatis tractatum eſt ſub Aymerico, qui omnem conatum adhibuit, vt eam ad optatũ finem perduceret ſub Clemenle V. Pont Max. at non niſi ſub Ioanne XXII. ſucceſſore completa eſt: fuit enim eiuſdem S. Doctoris cultor eximius,illiuſque illibatæ doctrinæ ſectator feruidus, quam & in Ordine doceri, ac promoueri voluit. *Olmeda in vita Aymerici.*

Capitula Generalia iuxta morem Ordinis celebrauit: primum quidem Toloſæ hoc anno,ſecundũ Genuæ 1305.tertiũ Pariſijs 1306. quartũ Argentinæ 1307. quintum Patauij 1308.ſextum Cæſarauguſtæ 1309. ſeptimum Placentiæ 1310. & octauum apud Neapolim 1311.in quibus Capitulis multa decreta ſunt pro augmento Ordinis, ſtudiorum, atque conuerſione animarum, necnon, & infidelium ad Chriſtum, ac propterea linguarũ ſtudia in cunctis prouincijs, & decreta ſũt,& exequtioni mandata,atq; in hoc vltimo, Magiſterio, ac regimini Ordinis vltima die Capit.ceſſit,dolẽtibus ſatis Patribus, remanſitque Vicarius Generalis P. Berengarius de Landorora Prouincialis Prouinciæ Toloſanæ, in cuius prouincia futurum Capitulum, nempe apud Carcaſſonam erat celebrandum. *Olmeda in eius vita.*

Eodem anno 1304. Benedictus XI. in Quadrageſima creauit S. R. E. Cardinalem Fr. Gualterum Vinkterburnum Anglum, patria Sareſburienſem, Eduardo Angliæ Regi à ſacris confeſſionibus, virum doctrina, ac prudentia ornatiſſimum, qui recepto ſuæ promotionis nuncio, ex Anglia ſecedens, Peruſium ad pedes Pontificis venit, quem è viuis ſublatum reperiens, Conclaue ingreſſus, cum alijs Cardd. elegit Pont. Max. Clementem V. & electione peracta, delectus eſt à purpuratis Patribus cum altero noſtro Card. Nicolao de Prato Legatus ſacri Collegij ad nouum Pontificem in Gallia exiſten. vt electioni de ſe factæ aſſenſum præberet, atque in Vrbem veniret. Perrexère Legati Cardinales in Galliam, at vrgentibus in æſtate caloribus maximis, Gualterus apud Ianuam infirmatus, ibidẽcorporis ſarcinam depoſuit an. 1305. apud noſtros conditus, Nicolao ſuſceptũ iter proſequente. *Olmeda, & Ciaccon.*

Eodem anno Card. de Prato miſſus Legatus Apoſtolicus in Etruriam ad componẽdam pacem inter Guelphos, & Ghibellinos, a Benedicto XI. ipſo Pont.apud Peruſium exiſtente, vt facilius, ſubortas difficultates, de medio tollere poſſet cum nihil proficeret,Florentia diſcedens,illam ſacris interdixit, vſquequo ad ſeniorem mentem reuerterentur Florentini. *Spondanus in Annal. num. 1*

Indulſit Benedictus, vt de ſtigmatibus S. Franciſci officium celebraretur anniuerſaria ſolemnitate. *Spond. vbi ſup.nu.8.*

Cla-

Claruerunt viri præſtantiſſimi, ac Theologi præclariſſimi, de Eccleſia, deq; Republica litteraria benemeriti, qui multa in ſtudioſorum commodū ſcripsère, & in peccatorum conuerſione geſsère, inter quos eminent PP. Io: Pariſienſis, dictus *Pungentis Aſinum*: Io: Barchalli, & Nicolaus Goranus, de quo anno anteceden. *Spondan. & Bibliot. Belg.*

In Capitulo Tholoſano hoc anno celebrato, data eſt facultas omnibus Fratribus deſtinatis ad conuerſionem gentium inter infideles, vt poſſent ſocios ſibi aſſumere pro eodem Apoſtolico miniſterio exequendo Fratres illos, qui voluntariè tam pio operi ſe aſſociare vellent: exceptis tamen Fratribus Prouinciarum Terræ Sanctæ, & Greciæ, quos fidei catholicæ miniſtros neceſſarios in ſuis prouincijs permanère debère decreuerunt. Multi igitur Deo dirigente, prædicatione Euangelij ſuſcepta, ad gentes, quæ Deū non nouerant, perrexère, multoſq; filios Eccl. Sāctæ dedère. *Ex Act. Cap. eiuſd.*

P. Bernardus Peregrinus Generalis Inquiſitor in Regnis Aragoniæ, & Valentiæ, Iacobi II. Regis Aragoniæ ope, atque auxilio hæreticos ex dictis Regnis exterminauit, multis ſæculari brachio traditis in mortem, irruente ſuper cœteros timore maximo. *Diag. lib. 1.*

Multi viri preclariſſimi euelluntur ex clauſtris, & ad regimen ouium Chriſti in Eccleſijs ſibi commiſſis aſſumpti à Benedicto Pont. regnante, inter quos recenſentur P. Iacobus de Bononia promotus ad regimen Mantuanæ Eccleſiæ, quā tribus annis ſanctiſſimè gubernauit. P. Petrus Monticellus ad Comaclen. quam annos viginti tres, tanquam vir Apoſtolicus, pauperumque pater optimè rexit. P. Vido de Pileo ex Comitibus Montis Belli Vicentinus vir doctiſſimus, & eloquentiſſimus, Ferrarien. Inquiſitor, necnon Lombardiæ inferioris Prouincialis, Commiſſariuſque Apoſtolicus Benedicti Papæ, ad Ferrarien. Sedem, cui an. viginti ſeptem ſumma integritate præfuit, Et P. Benincaſa de Grammatico Siculus, vir doctrina, multiplicique eruditione præditus actualis Prior noſtri cœnobij Syracuſani, necnon, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, à Capitulo poſt deceſſum P. Dominici Cæſarauguſtani, pariter ex noſtris, Syracuſanus Epiſcopus electus eſt, & à Benedicto Pont. confirmatus: at ante inaugurationem ſpiritum creatori ſuo tradiddiſſe, ſcriptores tradunt. *Vghell. & Sicil. Sac.*

P. Rodulpho Burgundo Carolo Siciliæ Regi à ſacris confeſſionibus demandatur à Benediſto XI cura Patriarchalis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, poſtquam Prouincialis Terræ Sanctæ inſtitutus, Ordinem in oriente viſitaſſet, & multos ad Catholicā fidem verbo euangelico attraxiſſet. *Pyrrus Sicil. Sac.*

ANNO 1305. Clemens Papa V. Nicolai noſtri Card, Praten. opera Pont. electus, Lugduni ſuæ coronationis peractis ſolemnijs, die 17. Decemb. duodecim S. R. Eccleſiæ Cardinales creauit, inter quos fuère duo ex Prædicatoribus, & primus P. Thomas Iorge Anglus, qui Lōdini nobili ex ſanguine natus, ibiq; dominicana toga indutus, ſuis exhortationibus quinque alios ſuos germanos fratres ad Ordinem adduxit, viros, qui ſuis virtutibus eundem plurimùm illuſtrauère, & inter illos maximè effulſit P. Gualterus, vir doctiſſimus, Armachanus Archiep. Hiberniæque Primas. Anglicanæ Prouiciæ Prouincialis factus Thomas, ſeptem annos illam ſumma pietate, ac zelo regularis diſciplinæ promouendæ rexit. Ab Eduardo Angliæ Rege in propriæ conſcientiæ directorem aſſumptus, eodem petente, ad purpuram promotus eſt die 17. Decem. in quatuor temporibus Aduentus. *Ciaccon. & Plodius.*

Al-

Digitized by Google

Alter fuit P. Nicolaus Farinula Gallus Rhotomagen. doctiſſimus vir prudentia, ac pietate ſingulari præditus, cuius virtutum fama electus Philippus IV. Galliæ Rex, eundem in animæ ſuæ directorem, atque intimum conſiliarium delegit, egitque cum Clemente Pont. vt eum ſacra purpura cohoneſtaret, prout fecit die, & anno ſupradictis. *Ciaccon.*

Indefeſſo labore pugnauit viriliter cõtra hæreticos P. Io: Taſcherius Bononien. Inquiſitor inſtitutus, quos hoc anno ex ſibi credita ditione fugare curauit aliquibus ad pœnitentiam, receptis, alijs brachio ſeculari traditis. *Param. lib. 2.*

In Polonia verò P. Ioannes Polonus ſacrum Inquiſitionis tribunal, chriſtianæ fidei dilatandæ zelo inflammatus regebat, qui deſertores ipſius, carceribus, ferro, ac igne perſequendo deſtruxit, & ex ſibi creditis ditionibus eliminauit. *Lopez par. 5.*

P. Arnaldus de Prato poſt deceſſum Ioannis Vigoroſi factus eſt Toloſanus Inquiſitor ſuperiori anno menſe martio, cum ad Pontificis Clementis V. Curiam acceſſiſſet pro negocijs S. Inquiſitionis cũ eo pertractandis, at in Apoſtolica Curia hoc anno deceſſit apud Burdegalam. Fuit Arnaldus vir doctiſſimus, & magni nominis Theologus, qui pluribus annis Theologiæ cathedram Pariſijs ſingulari cum aplauſu rexit. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

P. Philippus Bonihominis ex Prouincia Prouinciæ laborum ſuorum præmia percepturus, perrexit ad Chriſtum, qui hæreticos ore facundo, calamoque infatigabili, vſque ad decrepitam ætatem inſectari non deſtitit, pluribus ex eis per propriorum errorum abiurationem Eccleſiæ reconciliatis. Salutis animarum cupidiſſimus, in audiendis peccatorum confeſſionibus aſſiduus erat, & eorum peccata deflendo, ipſos ad compunctionis lachrymas trahebat. Infirmatus autem ad mortẽ, cum nauſeam maximam in ſumendo cibo pateretur, rogatus ab Infirmario, vt quo cibo refici cuperet, innueret; ſe perdicis fructum libaturum reſpondit. Contriſtatus eſt infirmarius, quia perdicum tempus non erat, vtpotè Quadrageſimale, & cum ſibi deeſſet modus ſatisfaciendi infirmo, cruciabatur nimis. Cum autẽ ad matutinũ ſurrexiſſet, tranſiens per clauſtrum, cecidit ad pedes eius perdix, quam lætus accipiens, Philippo coctam comedendam attulit, mirabilem eius inuentionem ediſſerens, qui gratias agens Deo bonorum largitori, deguſtata perdice ſpiritum creatori reddidit. *Taeg. in Monum. Ord.*

ANNO 1306. Cum Etruria tota rumoribus bellicis inter factiones Guelphorum, Gibellinorum, Nigrorumque, atque Alborum quateretur; necnon & Lucenſes cum Florentinis vniti, accito Roberto Calabriæ Duce, filio Regis Siciliæ, Piſtorium ab Albis, & Gibellinis detentum, obſidione vallaſſent, Nicolaus Card. Praten. rogauit Clementem Pontificem, vt Piſtorienſibus fieret propitius in ſalutem, obſidionem eorundem ſolui præcipiendo, pace inter eoſdem & Lucen. necnon, & Florentinos firmata. Petitionibus iuſtis Nicolai annuit Clemens, miſſiſq; duobus Clericis Vaſconibus, præcepit Lucenſibus, ac Florentinis, vt Piſtorien. obſidionem ſoluerent, grauiſſimis intentatis cenſuris, ni parerent. Pontificis Max. præceptis obtemperauit Robertus, qui diſcedens ex Etruria, ad ſalutandum Clementem in Galliam perrexit: Florentinis, ac Lucenſibus obedire renuentibus, Eccleſiaſticis cenſuris punitis. *Spondanus in Annal. num. 4.*

Sub Clemente Pont. varijs Apoſtolicis Legationibus claruit idem Card. Nicolaus de Prato: nam cum Arnoldo Card. Sabinen. & Luca Card. de Fliſco adiun-

ctis

ctis ſibi collegij coronauit Henricum II. Imperatorem; necnon & altera Legatione ſuſcepta, in Siciliæ Principem eandem Regiam contulit dignitatem. *Vghell. Ital. Sac. tom.* 1.

P. Malachias Italus in ſacris paginis eruditiſſimus ſcripſit contra hæreticos librum inſcriptum: *Venenum contra hæreticos*, in quo eorum vafritiem detexit, & impugnauit. *Luſitanus*.

P. Taſcherius Bononienſis Inquiſitor inſtitutus, ſuperiori anno tanquam Leo impauidus in hæreticos inuehitur, & neque ſexui, neque ætati, neque nobilitati parcens, omni rigore, iuxta ſacras ſanctiones contra eos proceſſit, & plurimos igne conſumpſit, alioſque reſipiſcentes condignis pœnitentijs impoſitis per publicas abiurationes in templo noſtro S. Dominici, ſolemni ritu factas, S. Matri Eccleſiæ ſociauit, quibus exequtionibus tantum incuſſit terrorem hæreticis, eorumque fautoribus, vt nullus ex ipſis pedem figere auderet, ne dum Bononiæ; ſed nec in caſtris eius ditioni ſubiectis; vnde Taſcherij nomen apud eos formidabile erat, & iure meritò: nam: *Optimus fidei zelator* dicitur à Paramo.

Datus eſt Arnaldo in Toloſano S. Inquiſitionis tribunali regendo ſucceſſor P. Fulco de S. Gregorio, qui paulo poſt infirmatus, cum recuperandæ corporalis ſalutis ſpe eſſet deſtitutus ob diutinam morbi laſſitudinem, ſibi iniuncto muneri ſequenti anno ceſſit, & paulo poſt in pace deceſſit. *Ex Arch. Toloſ.*

ANNO 1307. Templariorum cauſa agitatur à Clemente Pont. contra quos adducebantur multa ſcandaloſa otia, ebrietates, inpudicitiæ, atque hæreſes, qui, ne in re tanti momenti aliquid precipiti deliberatione fieret, præcepit Prælatis Eccleſiarum, vt inquiſitione de eis habita, referrent cuncta Apoſtolicæ Sedi. Mandauitq; inſuper, vt in huiuſmodi faciendis inquiſitionibus à Prælatis, duo FF. Prædicatores aſſumerentur, qui cum duobus Minoribus intereſsēt, vt cauſa iuſtè procederet. *Spondan. in Annal. num.* 13.

Aitonus Aitoni Armeniæ Regis filius Dominicana toga aſſumpta, plures fecit in via Dei progreſſus, & Tartaris Chriſti Euangelium annunciauit, multis illorum ad fidem conuerſis propter tanti viri pietatem. quorum hiſtoriam contexuit, inſcriptam *Itinerarium Orientis*. de quo Myræus in Biblioth. Eccleſiaſt.

Dulcinus de Nouaria hæreſiarcha pertinax in Gerardi Segarelli erroribus, de quibus ſupra an. 1300. plebem ita ſuis prauis dogmatibus ſibi allexit, vt ad eaſdem hæreſes, & dogmata defenſanda trium millium virorum exercitum collegerit: contra quem inſurgentes omnes Inquiſitores noſtri in Lombardia, Pontificis Max. auctoritate, & indulto, Cruceſignatorum militia conuocata, in eos impetum fecerunt, & ſub montibus obſeſſos, partim trucidarunt, & partim compræhenſos, cum Dulcino eorum capite, ac duce publicè combuſſerunt. Margarita verò de Trento Dulcini vxor, vel potius cuncubina, & dogmatiſta obſtinata, & pertinax, exquiſitis tormentis, flagitiorum ſuorum dignas pœnas, & ipſa perſoluit, publico tortoreo igne viua tandem conſumpta. *Spondan. in Annal. & Caſtill. p. p. lib.* 3.

P. Guillelmus de Pariſio eodem anno à Pont. Max. Generalis Inquiſitor in Gallia inſtitutus, contra hæreticos viriliter inſurrexit, quos cum eorum fautoribus, atque receptatoribus multis ſupplicijs affectos ex ſibi ſubditis ditionibus eliminauit. *Diag. lib.* 1.

In Regno quoque Siciliæ viriliter decertabat Generalis Inquiſitor P. Robertus de S. Valentino, vt Catholicam fidem illibatam, & incontaminatam ab hæreticorum impijs dogmatibus vindicaret,

Ca-

Carolo II. Rege auxilium præbente. Quare cum Petrus de Bucclanico Archipreſbyter, aliàs à P. Benedicto ſuo in Inquiſitionis munere prædeceſſore inquiſitus, atque de hæreſi conuictus, & punitus, relapſus in eoſdem errores incidiſſet, eoſq. publicè, & doceret, & defenſaret, incarceratus, & brachio ſæculari relaxatus, ſceleris ſui pœnam luit, viuus combuſtus, eius ſequacibus in varias regiones diſperſis. *Vallus*.

Apud Toloſam autem P. Guilielmus de Morerijs, vir ſingulariter eruditus, & pietate clarus, factus eſt Inquiſitor, vt deuotum populum illū in catholicæ fidei candore conſeruaret illæſum, & pululantes hæreſes eradicaret; qui cum hæreticis, eorumque fautoribus perpetuum bellum indixiſſet, illorumque aliquos publicè caſtigaſſet, (alijs ad Catholicā fidē atractis,) perſequtiones non læues expertus eſt, & pro ſui muneris exequtione ad Clementis Pont. pedes accedens contra Ambianen. Epiſcopum, Peruſij, vbi Apoſtolica Sedes erat, deceſſit, in noſtra Eccleſia tumulatus. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

ANNO 1308. Mittitur à Clemente Pontifice P. Aegidius de Ferraria Theologus inſignis, Gradenſiſque Patriarcha, à Bonifatio VIII. inſtitutus, vna cum P. Lapo Ord. Præd. Generali Procuratore, atque Athanaſio Ord. Minorum, Apoſtolicus Legatus ad Regem Raſſiæ Vroſium pro grauibus Eccleſiæ negotijs; cumque in ea legatione cuncta pro Pontificis voto compleuiſſet, ad Apoſtolicam Curiam reuerſus, ab eodm Clemente Alexandrinus Patriarcha creatus fuit. *Oderic. in Annal. & Vghell. tom.* 1.

Card. Nicolaus Farinula cum Clemēte Pontifice egit de Templariorum Ordine ab Eccleſia eliminando, qui nouis, impijſq. hæreſibus in dies ſe coinquinabant cum totius Chriſtianitatis ſcandalo maximo, ob laxatos mores, vitamque, quam ducebant, ſcandaloſam; quod tandem in Viennen. Concilio concluſum eſt. *Spondan. in Annal. & Caſtil. p.* 1.

Idem Pont. P. Raymundum de Ponte Commiſſarium Apoſtolicum cōſtituit cū pleniſſima auctoritate ad inquirendum in Regno Valentiæ contra eoſdem Religioſos Templarios ob eorum crimina cunctis fidelibus notiſſima, atque viuendi modum ſcandaloſiſſimum, qui cuncta rimatus, in publico Concilio Viennen. retulit fideliter. *Diag. lib.* 1. *cap.* 8.

P. Guillelmus Pariſien. Inquiſitor Generalis Franciæ & ipſe ex mandato Pontificio in Templarios ſecretò inquiſiuit vna cum alijs Inquiſitoribus ſibi ſubditis PP. Herueo Natali, Durando de S. Portiano, atque Romèo è Burgacia. *Param. lib.* 2.

In Hiſpania quoque contra Tēplarios ex Clementis mandato inquiſitionem ſecretò ſumpsère in Regno Aragoniæ, Valentino, ac principatu Cathaloniæ Inquiſitor Generalis P. Io: Lothgerius Barchinonen. & P. Guillelmus Aragonius Cōfeſſarius Regis Aragoniæ, qui ex conſilio eiuſdem Regis die 3. Decemb. cunctis Templarijs eorumdem Regnorum diem dixèrunt ad comparendum in cœnobio noſtro Valentino, examen ſubituris de fide Catholica quid ſentirent. *Ex Paramo, & Diago vbi ſup.*

Pontifex Clemens præcepit Regibus, & Inquiſitoribus Maioricarum, Siciliæ, Nauarræ, Daciæ, Sueciæ, Portugalliæ, Cypri, Hungariæ, Noruegiæ, Boemiæ, Aragoniæ, Trinacriæ, Caſtellæ, Comiti Sabaudiæ, Duci, & Senatui Venetiarum, vt ſi qui adhuc Templariorum capti non eſſent, eos caperent, & tum loca, tum bona eorum in fideli cuſtodia, ad Apoſtolicæ Sedis diſpoſitionem retinerent. *Ferrar. p.* 3. *lib.* 4.

P. Io: Hiſpanus à Ferdinando IV. Hiſpaniæ Rege Orator ad Bonifatium VIII.

X pro

pro iuribus Eccleſiarum Regni ſui ſuſtinendis, miſſus; atque mandante Alphonſo Rege cum eodem titulo ad Clementem Papam V. reuerſus, ab eodem Salmanticenſis Paſtor creatur, vt commiſſum ſibi gregem verbo, atque exemplo in viam ſalutis dirigeret. Gulielmus Aranyon, cũ eſſet Barchinonen. Prior, à Clero Ilerden. proprius Paſtor electus, à Clemente Pont. confirmatus eſt, vir virtutum omnium ſectator egregius; & P. Oddo de Sala ſpectatæ probitatis vir, cum multas Eccleſias optimè, velut Apoſtolicus Paſtor rexiſſet, ad Arboren. trãsfertur à Clemente V. vt ſuis virtutibus ſibi commiſſis ouibus prælucèret. *Gil. in Theatro eccleſ. Salman. Lopez p. 5. & Vghell. tom. 3.*

ANNO 1309. Moritur Carolus Claudus Rex Neapolitanus annum agens ſexageſimum primum inter Fratrum noſtrorum manus, quos ſuę conſcientiæ directores, quoad vixit, eſſe voluit: Vir beneficentia, magnanimitate, atque pietate verè Magnus, qui cor ſuum cum viſceribus in templo S. Dominici de Neapoli; corpus verò in Prouinciam delatum, in Eccleſia Arelaten. Monialium Dominicanarum condi legauit, quod monaſterium à fundamentis ipſe conſtruxerat. *Spondan. in Annal. num. 3.*

F. Ricardus de monte Crucis Florentinus linguarum Syriacæ, & Arabicæ cognitione præclarus, vertit Alcoranum ex Arabico in Latinum, Agarenorum errores detegens, atque impugnans, docendo modum diſputandi cum ipſis, cui tit. *Improbatio Alchorani*. Scripſit quoque de differentia Hebræorum, Mahometanorum, & Gentilium, & per plures annos in Aſia permanens atque eorum conuerſioni inuigilans, multos ad Catholicam fidẽ attraxit; deinde reuerſus eſt in patriam annorum pondere preſſus. *Plod. p. 2. lib. 1.*

F. P. Philippus quoque de Peyre, linguarum peritia celebris, ſcripſit & hoc anno migrauit ad Chriſtũ, laborum præmia percepturus Græcè, & Latinè librũ contra Græcorum errores ſingulari eruditione refertum, eos validis argumentis impugnans. *Plod. vbi ſup.*

Cum Card. F. Gentilis de Roma Ordin. Minorum pro negotijs Regni Hungariæ componendis à Clemente V. Pont. Legatus miſſus fuiſſet in illud regnum, opera noſtri B. Auguſtini Hungari vſus eſt tunc Zagabrien. Epiſcopi; vt arduum opus aſſumptum ad optatum finem perduceret, qui Magnates ſingulos allocutus ſeorſim prius, luculenta deinde oratione in totius Regni Principum conſeſſu habita, ſolidis rationibus demonſtrauit Carolo Roberto regnum iure deberi, adeoque ſuaſit; vt vnanimi conſenſu illud eidem decernerent. *Ferrarius de Rub. Hungar. Prouinc. p. 3. lib. 4.*

Ab eodem quoque Gentili Apoſtolico Legato impetrauit B. Auguſtinus, vt Ordinem S. Pauli primi Eremitæ, ſub S. Auguſtini Regula confirmaret. *Ferrarius in Apendice hiſt. de Prou. Hungar.*

ANNO 1310. Cardinalis F. Thomas Iorge Angelus Tit. S. Sabinæ à Clemente Pont. Max. creatus, ab eodem mittitur de Latere Legatus ad Henricum VII. Imperatorem pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, qui aſſumpto Legationis itinere, in Sabaudiam veniens, ibidem compleuit dies ſuos 17. Decemb. corpore in Angliam delato, atque in Oxonen. Ordinis Eccleſia ſepulto. *Ciaccon. Plodius.*

P. Andreas Hungarus doctrina, prudentiaque præcellens ã Rege Hungariæ ad Pont. Max. Clementem Nuncius, & Orator mittitur, vt Margarita filia quondam Regis Hungariæ, quæ virginitatem ſub Regula, ac profeſſione Dominicana vouerat, miraculiſque, necnon, & vitæ ſanctitate effulſerat, inter, Sanctas Virgines referretur. Interim autem dum fabri-

bricabatur proceſſus pro re ad optatum finem perducenda ipſe Andreas Antilia-
1 ren. Archiep. creatus eſt, qui tamen defuncto Clemente, dimiſſa Eccleſia ad Ordinem reuerſus eſt. *Olmeda in Vita Aymerici Mag. Gen.*

Aſſumitur quoque ad regendam Emonien. Eccleſiam, ac plebem à Clemente Pont. P. Petrus de Venetijs, vir magnarum virtutum, ſalutiſque animarum ſibi creditarum ſitientiſſimus, qui ſequenti anno Auenionem petens Pontificis pedes veneraturus, ibidem ſancto fine quieuit. *Vghell. tom. 5.*

P. Aegidio autem Ferrarienſi demandauit Pontifex Clemens V. regimen Eccleſiæ Patriarchalis Alexandrinæ, vt oues illius per ſemitam mandatorum Dei in vitam æternam dirigeret. *Plodius.*

Eodem anno (aliqui id in ſequenti referunt) congregatum eſt Capitulum Prouinciale Prouinciæ Lombardiæ ſuperioris apud Nouariam ſub P. Barnaba de Vercellis Priore Prouinciali continuatũ, in pace, & quiete multa vſque ad diem vltimam præſcriptam à Conſtitutionibus noſtris, qua cum eſſent omnes in diffinitorio incluſi, irruentes multi filij tenebrarum, à ciuibus quibuſdam ex præſtantioribus, hæreticis tamen, miſſi, in Patrum conclaue cum gladijs & fuſtibus, multos ex ipſis vulnerauere, etiam ad mortem, & contumelijs affectos, veſtibuſque denudatos per ciuitatem aufugere coegère, cunctoſq; peſſimè tractauère. Aufugit Prouincialis Comum verſùs, & inde Brixiam, vbi Legatus Apoſtolicus per Lombardiam noſter Card. de Prato erat, & facinore nunciato, cum in Sabaudiam abijſſent ſceleris auctores, Legatus ſiluit, factumq; Pontifici Max. nunciauit. *Taeg. in Monum. Ord.*

ANNO 1311. celebratur Ordinis Generale Capitulum apud Neapolim, in quo inter cætera ſancita inſtitutus eſt Vicarius Generalis in Terra Sancta P. Roſtangus Alardi, emunctæ naris vir, vt Fratres in illis conuentibus pro conſeruatione Fidei Catholicæ, eiuſdemq; dilatatione, exiſtentes regeret illiſq; ad aſſumptum Apoſtolicum miniſterium calcar eſſet. Mandatum eſt inſuper omnibus Fratribus, vt in ſuis prædicationibus frequenter populos monèrent, imò & inducerent, ad dandas decimas, iuraq; alia reddenda ſuis Eccleſijs, vt tenentur; atq; inſuper ad porrigendum adiutrices manus pro Terræ Sanctæ ſubſidio. Terminato autem Capitulo in vltima ſeſſione Aymericus ceſſit Magiſterio Ordinis, cui ſuffectus fuit Vicarius illius P. Berengarius de Landora Prouincialis Toloſanus. *Ex Actis eiuſdem Capit.*

Octo Generalia Capitula celebrata ſunt ſub Aymerico. Primum Toloſæ ann. 1304. in quo fuit electus, ſecundum Genuæ 1305. Tertium Pariſijs 1306. Quartum Argentinæ 1307. Quintum Patauij 1308. Sextum Cæſarauguſtæ 1309. Septimum Placentiæ 1310. Octauum verò apud Neapolim 1311. in quo regimini Ordinis ceſſit. Qua autem ratione ad ſpontaneam hanc ceſſionem motus fuerit, liquidò non conſtat, niſi quod putetur amore quietioris vitæ ad priuatam ſortem rediјſſe in bona ſenectute. *Olmeda.*

Aymericus autem in ſuo Ordinis regimine plurima ſalutifera decreta edidit, & inter alia decreuit, vt in vnaquaque Prouincia determinaretur vnus conuentus, in quo trium linguarum ad infidelium, hebræorumque conuerſionem neceſſariarum idioma edoceretur: ex quo ſtudio maxima prouènit Eccleſiæ vtilitas, ex Agarenorum, Gentilium, atque Hebræorum ad Fidem conuerſione. Promotionem quoque ſacrorum ſtudiorum ex corde voluit Aymericus, & maximè doctrinæ Angelici præceptoris,

Digitized by Google

ris, pro cuius canonizatione multùm inſudauit; aiebat enim quòd nihil ignorare decet eos, quos in ſalutem animarum dedit Deus Eccleſiæ ſuæ, quoſdam quidem Doctores; alios autem Paſtores, & Rectores Eccleſiarum; omnes verò Euangelij Prædicatores; & non tantùm in vna, vel altera mundi parte; ſed in omnem gentem, populum, & linguam. *Olmeda vbi ſupra*.

Sub hoc Magiſtro viriliter dimicarunt Dominicanæ Religionis inclyti filij aduersùs Dulcini Nouarien. necnon Boguardorum, ac Beguinarum hæreſum ſectatores Eccleſiam perturbantes, fideleſq; ſuo veneno inficientes; contra quas inſurrexerunt ſacris prædicationibus, diſputationibus, ſcriptiſq; Prædicatores, Inquiſitoribus ipſis hæreticæ prauitatis, ne inter populos ſibi ſubditos eorum venena ſerperent inuigilantibus, donec in Generali Viennen. Concilio fuerint damnatæ. *Olmeda*.

Celebratur hoc anno Generale Concilium Vienneuſe à Clemente V. Pont. Max. indictum pro reformatione, tàm Eccleſiaſticorum, quàm Laicorum, Templariorum cauſa diſcutienda, atq; damnandis Beguardis & Beguinis. Cui præfuit idem Pont. cum nobili Cardinalium, Archiepp. atq; Epp. corona, inter quos effulsère duo purpurati ex Prædicatorum Ordine Cardd. Nicolaus de Prato, qui B. Auguſtinum Zagabrien. Epiſcopum ſocium itineris, & Concilij ſibi aſſumpſit, atq; Nicolaus Farinula. *Spond. & Bzou. in Annal. Ferrar. de Prou. Hungar. in Append.*

Adſtitère eidem ſacræ Synodo ex noſtris Archiepp. & Epp. multi, ex quibus recenſentur, Robertus Archiep. Acheruntin. Antonius Archiep. Antibaren. Andræas Archiep. Antiliaren. Oddo de Sala Archiep. Arboren. Georgius Archiep. Tarentin. Raymundus Archiep. Valentin. Gualterius Iorge, Cardinalis P. Thomæ Iorgi germanus frater Archiep. Armachanus. P. Roſtangus Gallus Archiepiſc. Neupoten. Guido Chiprius Archiep. Arboren. Iſnardus Tacconus Archiepiſc. Theban. Vuolfangus Epiſc. Bambergen. Lucas Epiſcop. Caſtren. Matthæus Epiſc. Cluſinus, Corradus Epiſc. Feſulanus, & Io. Fernandi Epiſc. Lucen. in Gallæcia, & B. Auguſtinus Epiſc. Zagabrien. *Denique numerati ſunt in Concilio Vienn. Eccleſiarum Pontifices ex Ordine tot, vt multis ſtupor; nonnullis liuor fieret, & vtinam ipſis non pudor, ſed laus & honor*, inquit Olmeda in vita Aymerici Mag. Ord.

Vocauit Clemens Pont. ad Concilium eundem Aymericum tunc Generalem Magiſtrum; at cum ipſe ceſſiſſet Magiſterio in Capitulo, acceſſit ad illud Vicarius Ordinis Patres Berengarius de Landora Prouincialis Toloſanus eidem Clementi acceptiſſimus, ac vir doctiſſimus cum præſtantioribus ſelectis Patribus, ex quorum voto, & Templarij deſtructi, & Beguardi, ac Beguinæ tanquam hæretici damnati ſunt. *Olmeda vbi ſupra*.

P. Raymundus de Ponte Valentin. Archiepiſcop. Theologus præſtantiſſimus vltimam manum in Templariorum abolitione appoſuit; qui ex Pontificis Max. decreto in eos inquiſierat, & hæreſibus multis, varijſque criminibus, nec non & proditionibus inquinatos repererat, eorum proceſſum ad Concilium detulit, & coram Clemente, ac Patribus propalauit. Damnati ſunt igitur Templarij Prædicatorum opera in ſeſſ. 2. tertio non. April. ſequentis anni 1312. *Olmeda vbi ſupra*.

Eodem anno Henricus Romanorum Rex Romam petens, Clementem Pont. vt ad Vrbem accederet rogauit, ipſum ſolemni pompa, aliorum Imperatorum more

more, coronaturum, qui celebrationem Concilij in excuſationem adducens, præcepit Ianuenſibus, vt Henrico obedirent in omnibus, atq; ad illius coronationem ritè peragendam quinq; Cardinales Apoſtolicos Legatos inſtituit, quos in Vrbem miſit, Nicolaum noſtrum Epiſc. Oſtien. Franciſcum tit. S. Luciæ, Leonardum Alben. Arnaldum de Pelagrua Diac. S. Mariæ in Porticu, atq; Lucam S. Mariæ in Vialata, qui Romam petière, vt Henricũ Romanorum Imperatorem ſolemni ritu inaugurarent. *Spondan. in Annal. numer. 16.*

Oues Eccleſiæ Patriarchalis Antiochenæ datæ ſunt curæ P. Iſnardi Tacconi Papienſis, vt illas viam veritatis edoceret, & ad vitam æternam perduceret, qui & Papienſem Eccleſiam commendatam habuit. *Vghell. Ital. Sac.*

Caput XIII.

P. BERENGARIO TOLOSANO Magiſtro Generali XIII.

ANNO 1312. continuatum eſt Viennen. Concilium, ac terminatum; in quo ſeſſ. 3. poſt diſcuſſos, ac reprobatos à noſtris errores Beguardorum, ac Beguinarum, impiè aſſerentium, vſuram peccatum nequaquam eſſe, hominemq; in perfectionis ſtatu exiſtentem, non teneri alicui homini obedire, neque vlla opera bona facere; tanquam hæretici damnati ſunt in ſeſſ. 3. mandatumque Chriſtiani Orbis Inquiſitoribus cunctis, vt quos huius viæ viros, ac mulieres inuenirent, ſeuerè punirent, & ni reſipiſcerent, brachio ſæculari comburendos traderent. *Olmeda vbi ſup. & Lucarin. in Chron. Ord.*

Celebrata ſunt Comitia Generalia Ord. apud Carcaſſonam, electuſque eſt Magiſter eiuſdem P. Berengarius de Landora ex Toloſana Prouincia, qui erat Vicarius Ord. ac Prouincialis Toloſanus in vigilia Pentecoſtes, quæ tunc euenit 3. Id. Maij cõcurrentibus 36. vocalibus ad illius electionem ex 45. cæteris 9. P. Heruèum Prouincialem Franciæ eligentibus: & gloriabatur Berengarius ſe eadẽ die compleuiſſe trigeſimum à ſumptione habitus Ord. annum, qua ad illius ſupremum regimen aſſumptus eſt. *Olmeda.*

Sub Berengario tribulationes multas, & malas paſſus eſt Ordo noſter, in Germania maximè, oblatrantibus inuidis multis in eum, propter quas auertendas mandatum eſt in Capitulo Londinen. vt Litaniæ B. Virginis ſingulis diebus publicè in choro dicerentur ſecundum morem Ordinis, necnon, & miſſa de B. Virgine, & B. Dominico ſingulis hebdomadibus ſolemniter cantaretur. Erant tamen in Curia Apoſtolica tres purpurati Patres ex noſtris contra oblatrantes, Nicolaus videlicet de Prato, Nicolaus Farinula, atque Villermus de Baiona, qui cauſam noſtram ſtrenuè ſuſcipientes, non ſinebant quidquam mali contra Ordinẽ ſucceſſu potiri. *Olmeda.*

Sex habita ſunt Generalia Capitula ſub Berengario, nempe Carcaſſonæ hoc anno. Metis 1313. Londinij 1314. Bononiæ 1315. Montepeſſulani 1316. & Pampilonæ 1317. in quibus multa mandata ſunt pro ſtudiorum promotione, atque compeſcendis vagis Fratrum diſcurſibus, nec non amouendis electionũ inductionibus; iniunctumque ſuperioribus cunctis fuit vt ſeuerè in tranſgreſſores procederent, & in exemplum aliorum grauiter punirent. *Olmeda in vita Berengarij.*

Hoc

Hoc anno ex mandato Generalis Berengarij erigitur in Ordine Congregatio peculiaris in Affrica pro Agarenorum cōuerſione; cumq; in Hiſpania linguę Arabicæ ſtudijs diligenter incumberent, Fratres ex ea eommuniter pro hoc ſacro miniſterio aſſumebantur. *Diag. lib.1.*

P. Villermus Petri de Godiuo Baionen. Magiſter Sacri Palatij plurimùm illuſtrabat Ordinem ſuis virtutibus hoc tempore & anno, qui ab omni Eccleſiarum regimine alienus, oblatas ſibi Infulas à Bonifacio VIII. Benedicto XI. atque Clemente V. quibus Pontt. Maxx. in Magiſterio Sacri Palatij inſeruiuit, conſtantiſſimè recuſauit, malens ſub religioſa Dominicana toga Apoſtolicæ Sedi obſequi, quàm infulatus in cathedris reſidère. Tandem hoc anno (non 1317. vt in noſtro Sac. Theatro falsò Scriptorum Ord. teſtimonio adhærentes diximus). S. R. E. Presb. Card. S. Cæciliæ die 24. Decemb. a Clemente V. creatur, vir doctrina & virtutibus præclariſſimus. *Taeg. tom. 1. inter Sabin. Epp. & ex lib. Obligat. Prælat. eiuſdem Vrb. Pont.*

P. Petrus Ferrer de Manuſa inſtituitur Vicarius Congregationis Affricanæ ſupradictæ poſt P. Petrum Scarramat, datum pro prima viee Vicarium eiuſdem, ex cuius, ſicuti & reliquorum noſtrorum, prædicationibus, atq; exhortationibus, Agarenorum Affricanorum multa millia reiecto Mahomete, in Chriſtum crediderunt. *Diag. vbi ſup.*

Aſſumuntur ex religioſa quiete ad Eccleſiarum regimina, dirigendoſq; in via Dei populos à Clemente Pont. Venerabiles aliqui ſerui Dei, & quidem P. Io. de Polo ex Eccleſia Archiep. Piſana trāſfertur ad Nicoſien. Oddo de Sala euehitur ad Archiep. Piſanam, translatus ex Metropolitana Arboren. Nicolaus de Setia ad Iadren. & Franciſcus Pogius ad Peruſinam, Tramunduſq; Monaldeſcus ad Suanen. Epiſcopales Eccleſias, qui commiſſum ſibi gregem vnicè diligentes, verbo, atq; exemplo hortabantur illum ad vitam æternam. *Vghell. Ital. Sac.*

Coronatur ſolemni ritu, ac pompa Romæ apud Lateranum Henricus Romanorum Rex à Cardinali de Prato cum alijs S. R. E. Cardinalibus ſupra relatis, ipſo die ſolemnitatis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, in Lateranen. Baſilica, eundemq; Henricum ſolemni ritu, aurea corona, & ſacro oleo inunctum Imperatoriæ maieſtatis inſignijs adſtante populi multitudinè innumera decorauère. *Spondan. in Annal. num. 2.*

P. Durandus de S. Portiano qui poſteà fuit Melden. Epiſcop. euulgauit librum doctiſſimum contra hæreticos, atq; hæreſes, eorum originem, atque incrementum cum hæreſibus, referendo, & impugnando eas, illorumq; argumenta, ac fundamenta diſſoluendo. *Plod. p. 2.*

P. Gulielmus Gauantus aſſumpto Petro de Godiuo ad purpuram, Mag. Sacri Palatij in eius locum ſublectus eſt à Clemente V. vir doctiſſimus, magniq; nominis Theologus. *Gall. Chriſt.*

P. Io: de Prato Normannus, de Prouincia tamen Franciæ, Pariſinus Doctor inſignis, atq; Carcaſſonen. Inquiſitor demandatam ſibi præfecturam in catholicæ fidei augmentum ſingulari zelo exequēs, hæreticis infenſiſſimus fuit, quorum plurimos condignis ſuplicijs caſtigauit, alijs miſericordiam Eccleſię implorantibus, eidem reconciliatis; quod cum Clementi Pontifici innotuiſset, eum poſt obitum Matthæi de Eſsartis Ebroicen. Epiſcopum nominauit, quàm tamen Eccleſiam regere, ac gubernare recuſauit, mallens Deo, & Catholicæ fidei in paupercula cella inſeruire, quàm mitratus in Palatijs diuitijs abundare. *Olmeda.*

AN-

ANno 1313. Noſter Card. Nicolaus Farinula à Pont. Clemente mittitur Legatus Apoſtolicus Pariſios pro negotio Terræ Sanctæ, occaſione ſolemnitatis ibi habitæ diebus Pentecoſtes ad exibitionem baltei militaris à Rege tribus filijs ſuis factam, atq; aduentum Eduardi Regis Anglorum, eiuſq; coniugis Iſabellæ filiæ Philippi Regis. Qua ſolemnitate tres Reges, nempè Philippus, Eduardus, ac Ludouicus Rex Nauarræ, vnà cum cœteris filijs, ac fratribus Regis, innumeriſq; alijs Principibus, ac nobilibus Crucem de manu Farinulæ Card. Legati ſuſcipientes, voto ſe aſtrinxerunt pro expeditione Hieroſolymitana, pro qua Clemens Regi conceſſit decimationem bonorum Eccleſiaſticorum. *Spondan. in Annal. num. 9.*

Cum Robertus Flandriæ Comes fidem Regi Franciæ iurare detrectaret, niſi receptis oppidis, quæ Rex vltimo bello retinuerat; ac propterea Rex in eum arma mouiſſet, noſtri Card. Farinulæ Legati opera induciæ factæ ſunt. *Spondan. vbi ſup.*

Moritur hoc anno Henricus Imperator apud Bonconuentum 24. die Auguſti propè Senas, aſſiſtente illius morti P. Bernardo Politiano eius confeſſario, qui Sacramenta omnia eidem contulit, atq; ſpiritualia ſubſidia pro vita æterna conſequenda exhibuit. Tres mortis cauſas ſinceri adducunt Scriptores illius temporis; nimirum, natum ſub genu anthracem vlceris genus; ſciſſam ad ſtranguriā veſicam, quo morbo aſſiduè affligtabatur, atq; pleuriſim, quam merſo iam ſpiritu vomuiſſe conſtitit. *Spondan. vbi ſupra num. 6.*

Antequam autem è viuis excederet Henricus, Oddo de Sala Archiepiſc. Ianuen. ex noſtris, ad euertendas, ac dirimendas lites omnes, quæ cauſa iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſuboriebantur in dies, inter eiuſdem Ciuitatis Rectores, & Archiepiſcopos, iura omnia, ac priuilegia Ianuen. Eccleſiæ ab Imperatoribus anteceſſoribus conceſſa ab eodem confirmari, ac ſtabiliri in perpetuum obtinuit, edocto de Oddonis integritate maxima, atq; inculpata vita. *Vghell. in Archiepp. Ianuen.*

In Lombardia P. Io. Inquiſitor Taurinenſis cum audiſset quoſdam Iudæos ad catholicam fidem conuerſos, in Biella, cum alijs hebræis conuerſantes, ad vomitum rediјſse, ac propterea in derelictæ veræ fidei teſtimonium, in eorum ſynagoga, adſtantibus principalioribus Rabinis Crucifixum conſpuiſse, ac diuerſimodè flagellaſse, de nocte ſuper eos, & tanti ſceleris complices irruens, vinctos cunctos in carcere recluſit; ac tandem tormentorum vi patrati facinoris veritate patefacta, cunctos, tam principales, quam criminis ſocios viuos comburendos ſæculari brachio relaxauit, adſtante innumera populi multitudine. *Taeg.*

ANNO 1314. moritur Clemens Pont. varijs ægritudinibus afflictus apud Rupē Maurū 12. Kal. Maias, & propter diſcordias Cardinalium in duas factiones diuiſorum, Vaſconibus Vaſconem, Italis verò Italum Pontificem volētibus, vacauit Sedes Apoſtolica per duos integros annos, & vltra, maximo cum Eccleſiæ Dei damno, atque fidelium ſcandalo. Factum deplorauit noſter Bernardus Guidonis, qui fuit Epiſcopus Luteuenſis, & tunc temporis viuebat, retulitq; in ſuo Chronico Pontificum. Interim per totum Ordinem noſtrum indictæ ſunt Litaniæ, ac præces apud Deum, vt miſereri dignaretur Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, concedendo ei Paſtorem optimum. *Ex Act. Capitulorum General. & Spondan. in Annal. num. 3.*

Moritur & hoc anno Philippus Pulcher Galliæ Rex, qui cor ſuum Poſſiacum

cum deferri voluit, & in Eccleſia Monialium noſtrarum, quàm cum cœnobio ipſe conſtruxerat, ſepeliri mandauit, prout factum eſt, *Spondan. ibid. num. 7.*

Diriguntur in cœlum B. Iacobus Salomonius Venetus annum agens 83. & miraculis coruſcans, cuius corpus inhumanum triduo, ſuauiſſimum odorẽ ſemper dedit: necnon & B. Albertus de Brixia S. Thomæ Aquinatis dilectus diſcipulus, cui ipſe cum S. Auguſtino dicente, *Thomas mihi par eſt in gloria, Virginali præſtans munditia*, apparuit, & ad cœlum inuitauit. *Plod. & Lefebure.*

P. Io. quoque Friburgenſis Theutonicus Oſſunen. Epiſc. in Hungaria oues ſibi creditas Deo commendans, ad Paſtorem æternum Ieſum Chriſtum perrexit, & ſalutis animarum ſitientiſſimus ſummã pro Prædicatoribus, necnon ex alteram pro confeſſarijs pro peccatoribus in viam ſalutis dirigendis euulgauit. Friburgi quieſcit. *Mirræus de Script. Eccl.*

Habentur Ordinis noſtri Generalia comitia apud Londinum in Anglia, in quibus mandatum eſt Fratribus, vt ſacris prædicationibus, atq. gentium conuerſioni ſeduli vacarent, inſtitutuſq. eſt P. Matthæus Vrſinus Rom., qui poſtmodũ S. R. E. Card. euaſit, Doctor ad legendum ſententias Pariſijs pro ſequenti anno. *Olmeda.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina fideliumque gubernium P. Ottonellus ad Clugien. & Angelus Acciaiolus ad Aquilanam. *Vghell. Ital. Sac.*

Sacrum Inquiſitionis Tribunal ſolertia ſumma regebat in Regnis Aragoniæ, ac Valentiæ Inquiſitor Generalis P. Bernardus Puigcercos, qui hæreticos plures hoc anno, & ſequentibus in eiſdem Regnis combuſſit, & exterminauit. *Diag. lib. 1.*

Nec minori ſolertia Sacræ Inquiſitionis Tribunal regebat Nouocomen. Inquiſitor, qui cum blaſphemum quendam Sacerdotem, huic iniquitati aſſuetum, in vincula conieciſſet, ipſeque ex eiſdem in peiores prorumperet blaſphemias cõtra Deum, Sanctos, atq; ſacrum Tribunal, aduſtis in cæterorum documentum labijs, ante fores Eccleſiæ conuentus noſtri Nouocomen. S. Ioannis conſtitutus eſt Dominica die, fræno ori eius appoſito, hoc medicamine eius audacia frænata. *Taeg.*

ANNO 1315. multa hæreticorum millia Lollardo eorum duce igni fuère adiudicata ab Inquiſitoribus noſtris in diuerſis Lombardiæ partibus, qui apud Cremam, Patauium, Cremonam, vicinaſque Vrbes, nec non & in Archiducatu Auſtriæ maximè emerſerant; dogmata inſana, deteſtabileſq. errores prædicantes, atque Sacramenta omnia eccleſiaſtica impudentiſſimè peruertẽtes. Virginitatis ſtatum impiè quoque damnabant, & hoc ex odio, quo ferebantur in noſtros Inquiſitores, prædicabant, ad excitandos populares tumultus in illos. Contra hos igitur, Inquiſitores noſtri PP. Paganus de Lecco, Io. Taſcherius, Thomas de Mugio, Pax de Vedano, Guido Mediolanen. atque P. Pirouanus cum alijs inſurgentes virili pectore, ac indefeſſo labore (quibus Apoſtolicis litteris calcar fuit Clemens V.) nemini, neque ſexui, neque ætati parcentes, iuxta ſancitas ab Eccleſia leges cunctos caſtigauère non ſine vitæ periculo, ob ſubſequtam Pontificis Max. in Gallia eodem anno mortem: nam in interregno illo Eccleſiaſtico, quod annis duobus, menſibuſque tribus, maximo cum fidelium ſcandalo perſeuerauit, calamitates multas & perſequtiones ſæuiſſimas ab eorum fautoribus, viris potentibus experti, ibant gaudentes, quoniam pro fidei candore illæſo ſeruando hæc & maiora inconcuſſo animo perferre erant parati. *Param. lib. 2.*

Digitized by Google

lib. 2. Spondan. num. 5. in Annal. & Taeg.

P. Franciſcus Poggius Lucenſis à Pontifice Max. Clemente ad Peruſinæ Eccleſiæ, populiq; eiuſdem regimen aſſumptus, commiſſum ſibi gregem ſacris monitionibus, atq; vitæ exemplo per viam ſalutis dirigens, Commiſſarij Apoſtolici munus adimpleuit, dum de B. Clara Virgine de Monte Falco in SS. Virginum Album referenda, ſeriò per teſtes ageretur; Corpus quoque B. Corradi ex Offida Peruſium tranſtulit, & in Minorum templo condidit, ſolemneſque in vigilia S. Conſtantij præces inſtituit: ac tandem eius conſilio, auxilio, atq; opera nouum permagnificum S. P. Dominici templum Peruſij inceptum eſt. *Vghell.*

P. Io: Ruſſim Luxemburgen. hoc anno, & tempore ſuis prædicationibus, ac virtutibus Ordinem, atq; Eccleſiam plurimùm illuſtrabat; & ſacris confeſſionibus audiendis addictus, peccatores, etiam obſtinatos, ad deflenda exhortationibus ſuis peccata inducebat, ac præter multos libros, *Directorium* Pœnitentium, atque Confeſſorum, euulgauit. *Ex Bibl. Belg.*

Hoc anno, & ſequenti tanta fame, & peſte laboratum eſt in pluribus prouincijs, & in ſeptentrionalibus maximè, vt tertia pars mortalium fuerit abſumpta, & in Polonia, ac Sileſia parentes à proprijs filijs, & viui à cadaueribus, immundiſq; cibis ad ſui ſuſtentationem non abſtinuerint. Quare deficientibus eleemoſynis, copioſa pars Fratrum peſte infectis inſeruiendo, & fame, & lue interijt, dolente ſupra modum de hoc Helia Toloſano Magiſtro Generali, qui filijs ſuis in tantis anguſtijs conſtitutis opem, prout optabat, ferre non poterat. *Spond. in Auct. & Taeg. in Mon. Ord. in vita Heliæ.*

P. Bernardus Guidonis factus eſt Toloſanus Inquiſitor, vir in Ordine famoſus, qui hæreticorum terror dictus, illos ita fuit perſequutus, vt ad eorundem exterminium proceſſerit. Quia verò ſolus non poterat facilè contra eos procedere, habuit coadiutorem P. Gaufridum de Abluuijs, & ambo per vicinas ciuitates, & caſtra diuiſim incedentes, plures ex eis captos ad veritatis agnitionem ſuis ignitis eloquijs attraxère, copioſiori numero igne conſumpto. Quare in præmiſſorum laborum præmium ad infulas euectus eſt, vt dicetur. Vt verò etiam mortuus, prout faciebat viuus, futuris temporibus inſanientes hæreticos perpetuò inſectaretur, euulgauit contra illos librum prænotatũ *Practica Inquiſitoris*, ex quo Paramus multa hauſit, eſtq; manuſcript. in Toloſani conuentus Bibliotheca. *Ex relat. præd. Inquiſit.*

P. Petrus Hungarus Cardinali noſtro Praten. in paucis charus, à Clemente Papa V. Boſnen. Ep. creatus anno antecedenti, vt aliquibus Scriptoribus placet, cum ad ſuam perueniſſet Eccleſiam, commiſſi ſibi gregis mores inſtauraturus, ſe probitatis exemplum in humilitate, eleemoſynis, atque charitatis operibus exhibendo, ſibi commiſſarum ouium corda ita alexit, vt etiam ſchiſmaticos multos ad Eccleſiæ vnitatem ſuis ignitis eloquijs atraxerit, quos vſque ad mortem, vt in aſſumpta catholica fide perſeuerarent, frequentibus exhortationibus confouère non ommiſit. *Ferrar. de Hung. Prou.*

Celebratum eſt Generale Capitulum in feſto Pentecoſtes xj Maij apud Bononiam, in quo mandatum eſt Patribus cunctis Ord. vt in animarum ſalute procuranda, iuxta propriæ profeſſionis documentum, eſſent peruigiles: P. Matthæo Vrſino (qui fuit poſtmodum S. R. E. Card.) ad legendum ſententias Pariſijs delecto. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Inſuper ex eiuſdem Capit. decreto in ſtudioſorum commodum, Philoſophiæ moralis ſtudium in Ordine introductum

eſt, primo Lectore in S. Euſtorgij cœnobio Mediolanen. P. Galuaneo de Flamma Mediolanenſi inſtituto, qui cum eſſet in veneratione max. apud Mediolanenſes, eius opera prædictus conuentus non modica ſumpſit incrementa. Scripſit Hiſtoriam Ordinis ab illius fundatione ad annum vſque 1343. Item aliam Imperatorum, necnon & Mediolanenſis Ciuitatis ad ſua vſque tempora. Hoc Auctore noſter P. Ambroſius Taegius, pluries in opere hoc citatus, vſus eſt in Mon. Ord. vt ipſe in ſuis operibus pag. 88. à ter. fatetur.

Hæc ſunt obſequia, quæ à D. Patris Dominici inclytis filijs Prædicatoribus, amictis auro primo ſanctæ charitatis, Catholicæ Eccleſiæ, atq; Apoſtolicæ Sedi, necnon & Fidelibus hoc primo ſeculo ab Ordinis confirmatione, anno 1216. facta enumerato, fuère exhibita.

Benedictus Deus.

PARS II.

DE OBSEQVIIS PRAESTITIS

Seculo II.

FLVCTVANTE in hoc ſæculo mirum in modum D. Petri nauiculam ob dira, diuturnaq; in Catholica Eccleſia ſchiſmata ſuborta, fouère omni ex parte ſatagũt labore indefeſſo noſtri Prædicatores, contra mundi Rectores, & Principes tenebrarum harum, illam opprimere contendentes, nouaque monſtra Sathanica eidem præficere intentantes; quorum impietatibus cum ſe virili pectore opponerent noſtri Patres, velut fidi Domini Canes, electam vineam Domini cuſtodientes, & ab eorumdem iniurijs, contumelijs, atque oppreſſionibus, ſacris latratibus, calamo, atramento, imo, & ſanguine ipſo, vindicantes, experti ſunt Imperatorum, Regum, ac Principum indignationes, ad quas ſequtę ſunt propriæ eiectiones ex Regnis, Prouincijs, & conuentibus; exilia, carceres, fuſtigationes, lapidationes, ac mortes. Quæ omnia conſtanti pectore pertulère, iurium S. Matris Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedis facti ipſi defenſores inconcuſſi, vt ſuis locis referemus.

ANNO 1316. Vacante Apoſtolica Sede, à duobus annis, & vltra ſuo viduata Paſtore: & Magiſtro Generali Ordinis P. Berengario Toloſano, cum Patauij Petrus Aponius medicinæ periti ſſimus de hæreſi, ac necromantia inquiſitus, pendente iudicio deceſſiſet, corpore apud S. Antonij Eccleſiam ſepulto, Inquiſitor Generalis Lombardiæ ex noſtris cauſam proſequtus, ex proprijs eiuſdem ſcriptis, hæreſis, atque impietatis conuictum damnauit, necnon cadauer flammis

adiudicauit, ſed eo interim ab eius ſequacibus furtim ſublato, ſtatua ipſius publicè cremata eſt. *Spondan. in Annal. num.* 8.

Haud abſimilis Petro fuit Ioanninus Sanguinaccius, doctrina, & experientia medendi adeò excellens in Lombardia; vt nec inſpecta vrina, neq; exploratis brachiorum arterijs, ex ſolo aſpectu infirmi, & genus, & tempus, & qualitatem morborum diuinaret; qui accuſatus & ipſe apud Inquiſitores noſtros de hæreſi, ac magia, cum ſe purgare ſufficienter non poſſet, in Melitam inſulam relegatus eſt. *Spondan. vbſup.*

P. Peregrinus de Pactis Meſſanenſis, ſanguine, atq; virtutibus conſpicuus, in Regia Aula Friderici II. Regis Siciliæ Maior Capellanus, eidemq; chariſſimus, miſſus eſt Regius Orator cum Damiano Palicio ad Ioannem XXII. apud Auenionem, vt inito iam fœdere à ſe cum Roberto Rege Neapolitano, conuenientibus Apoſt. Nuntijs, oppida omnia à Friderico occupata, Roberto reſtituerentur. *Pyrrus Sicil. Sac.*

Poſt diuturnam duorum annorum, & vltra Apoſtolicæ Sedis vacationem congregatum eſt Sacrum Cardd. Collegium Lugduni in Conuentu noſtro electo pro conclaui ad nouam celebrandam Pont. Max. electionem, & tandem afflante Deo, electus eſt Pontifex Iacobus de Oſſa Card. Portuen. dictus Ioannes XXII. qui ſtatim ſcripſit Inquiſitoribus in Germania, vt inſurgerent in nouos hæreticos Lollardos, ita dictos ab eorum capite, & hæreſiarcha Lollardo Vvaltero Vviclephi ſequace, in multis tamen ab ipſo diſſentiente: nec non & P. Ptolomæum de Luca S. Thomæ de Aquino aliquando auditorem, virum, qui animam ſuam ponere pro fidelium ſalute paratus erat, Apoſtolicum Bibliothecarium creauit, & poſt annos duos Torcellanæ Eccleſiæ Paſtorem præfecit. *Vghell. & Plod.*

P. Berengarius de Landora, Magiſter Ordinis ab electo Ioanne XXII. Pontifice ad Regem Galliæ Apoſtolicus Legatus mittitur pro grauibus Eccleſiæ negotijs, qui propterea Generali Capitulo apud Pampilonam ſequenti anno celebrato nō interfuit, ſed habito cum Pontifice Max. verbo, ſuum Vicarium ad illud miſit inſignem illum virum, Pariſienſem Doctorem famoſum P. Petrum de Palude, qui Capitulo præfuit, factus poſtmodum Hieroſolymitanus Patriarcha. *Taeg. in Monum. Ord.*

Hoc anno in ditione Præſti Ioannis octo ex noſtris PP. Prædicatoribus magnos, ac copioſos fructus catholicæ fidei ſuis prædicationibus attuliſſe certum eſt, licet eorum nomina ſileantur à Scriptoribus Ord. Hi Ioannis XXII. pedibus oſculatis ad inuiſendam Terram Sanctam ac S. Sepulchrum Roma egreſſi, cum eſſent ſalutis animarum ſitientiſſimi, poſt viſitatam Terram Sanctam per Aegiptum trāſeuntes, magnis ac laborioſiſſimis itineribus penetrarunt ad Aetiopes, & Abiſſinos, vbi tam magno omnium, præcipuè Abiſſinorum fructu, in prædicatione Euangelij laborauère, vt innumeros ſacro regenerationis lauacro abluere, & Eccleſiæ filios dare promeruerint, alioſq; ſacro Religionis noſtræ habitu veſtire decreuerint, inter quos vnus ex Regali ſanguine, poſt profeſſionem emiſſam, factus eſt ibidem Inquiſitor, vt nouiter conuerſos ad fidem, in eadem illos conſeruaret. *Param. de S. Inquiſit. tit. 2. cap. 19.*

Noctes ducebant inſomnes noſtri PP. Inquiſitores in Lombardia, ſuperius recenſiti, vt Lollardorum hæreticorum latitantes reliquias comprimerent, perderent, eradicarent; quòd animaduertentes illi, ſuſcepta fuga in Boemiæ Regnum tranſiere, relictis in itinere quibuſdam mulierculis pueros ad vbera geſtantibus,

quæ

quæ publico igne fuère conſumptæ, puerulis catholicæ fidei documentis imbuendis fidelibus traditis. *Taeg.*

ANNO 1317. Inſurrexère quidam pertinaces dirum ſchiſma Ordini Seraphico S. P. Franciſci inuehentes, vtpote qui ſpecie rigidioris obſeruantiæ, & cultus paupertatis, ab alijs ſegregati, & ſequiorem habitum ſibi formabant, & quicquam ad victum neceſſarium, ſiue in granarijs, ſiue in cellarijs quacumq; neceſſitate ſeruari poſſe, (non obſtantibus indultis Apoſtolicis hac de re Ord. Minorum à Nicolao III. ac Clemente V. Summis Pontt. conceſsis) pertinaciter negabant; quorum cœca temeritate motus Ioannes Pont. Apoſtolicam Conſtitutionem edidit Idib. April. declarans ſupradicta omnia haberi poſſe in conuentibus à Fratribus Minoribus de Superiorũ licentia. Contra Pontificem inſurrexère tunc huiuſmodi refractarij, & quemdam F. Henricum de Ceua Apoſtatam ſibi Generalem præfigentes, blaſphemias multas in Pont. Max. protulère, atq; in multas hæreſes ſeſe præcipitauère, aſſerentes publicè duas eſſe Eccleſias, vnã carnalem diuitijs preſſam, delitijſq; affluentem, ac ſceleribus commaculatam, cui præerat Romanus Pont. alteram ſpititualem, frugalitate mundam, & paupertate decoram, in qua ipſi ſoli, eorumque ſequaces continerentur: & hæc publicè prædicabant. Contra hos igitur Io: Pont. Conſtitutionem Apoſt. edidit, eorum errores damnans, præcepitq; Inquiſitoribus vniuerſis, vt contrà eos, velut hæreticos, procederent, atq; pertinaces repertos igni adiudicarent, quod prompto animo exequentes Inquiſitores, ex ipſis Maſsiliæ quatuor viui fuère combuſti anno ſequenti. *Spondan. in Annal. num. 6. & 2.*

Poſt terminatam Legationem ad Ioannis Pont. mentem, Auenionem reuerſus Berengarius Mag. Ord. creatus eſt Archiep. Compoſtellanus, quam dignitatem, vt onus Magiſterij Ordinis deponeret, acceptauit; quod poſtmodum defleuit; nam grauioribus nexibus ſeſe, mirantibus cunctis, irretiuit. Diſceſsit ipſe ex Vrbe Auenionen. die 30. Iunij eiuſdem anni Legatus Apoſtolicus ad Hiſpaniarum Regem directus ab eodem Pont. Max. *Olmeda vbi ſupra.*

Plures quoque alij aſſumpti ſunt hoc anno ad Eccleſiarum regimina maxima cum ſibi creditarum ouium vtilitate, at Ordinis magno incommodo, qui principalioribus ſuis filijs priuatus eſt, & Card. P. Guillelmus de Baiona aſsumptus eſt ad Epiſcopatum Sabinæ, Simon Saltarellus ad Parmen. Guillelmus de Labora Ioanni Pont. agnatione proximus ad Cadurcen. qui pluribus annis eandem Eccleſiam rexit, Bernardus de Crema ad Archiep. Halicien. ac tandem B. Auguſtinus Caiſota ex Zagabrien. in Hungaria translatus eſt ad Lucerinam in Apulia. *Vghell. & Script. Ord.*

P. Arnaldus Burgnetus Generalis Inquiſitor in Aragonia proceſsus confecit contra errores hæreticorum Beguinorum, recognitos ab aliquibus Theologis, & à noſtro Epiſcop. Ilerden. P. Guillelmo Aranione inuenti ſunt hæreſim vndique ſapientes; atq; adeò eorundem errorum ſequaces, tanquam hæreticos, condignis pœnis affecit. *Diag. lib. 1.*

P. Peregrinus de Pactis fit Mazarienſis Epiſcopus, cum ſuperiori anno à Rege Siculo Friderico Orator ad Pontificem Max. fuiſſet miſſus pro Oppidorum & Reghien. ciuitatis reſtitutione conſequẽda, & cuncta iuxtà Regis votum ad optatum finem perduxiſſet, *Pyrrus Sicilia Sacra.*

Munera ſua direxit in cœlum hoc quoque anno Dominicana Religio Beatum virum Nicolaum de Auenione, pœnitentijs, vigilijs, abſtinentijs illuſtrem, mira-

miraculorum gloria, tam in vita, quàm in morte corruſcantem, quem ſequta eſt ad gloriam S. Agnes de Monte Politiano Virgo Deo dilectiſſima, miraculis innumeris effulgens. *Plodius*.

Caput I.

P. HERVEO BRITANNO

Magiſtro Generali XIX.

ANNO 1318. Io. Pontifex XXII ad petitionem Regis Armeniæ ad illum direxit per Fratres Prædicatores fidei formulam, quam cum ſibi ſubditis, ſi ſaluus eſſe vellet, profiteri teneretur, eamque detulit P. Bartholomæus Paruus, de Piſcialis dictus, natione Bononien. qui Regem illum cum principalioribus eius Curiæ miniſtris; nec non & copioſum populum ſacris dogmatibus imbuit, reſiſtentibus illi Monachis Baſilianis hæreticis, atq; ab Eccleſia Romana alienis. Pluribus annis ibidem in conuerſione Armenorum inſudauit, tandemq; relictis ibi aliquibus Euangelij Miniſtris Patribus noſtris ex Prouincia Terræ Sanctæ ſelectis, in Vrbem reuerſus eſt. *Spondan. in Annal. lib. Galanus de Reconciliat. Eccl. Armenæ cum Latina. Plodius & Script. Ord.*

Celebrantur Ordinis Generalia comitia apud Lugdunum, in quibus P. Heruèus Britannus Vicarius Ordinis, Prouincialiſque Franciæ ſalutatus eſt Magiſter Generalis à vocalibus omnibus. Fuit Heruèus inſignis Doctor Pariſien. præſtantiſſimi ingenij vir, qui multa ſubtiliter ſcripſit, tam in Phyſicis, quàm in Theologicis; vnde vulgo maior Theologus orbis dicebatur communiter, cum quo & floruerunt in Ordine Durandus de S. Portiano Claromonten. Mag. S. Palatij; qui tamen cum à ſententijs Angelici Doctoris deuiaſſet, multos habuit impugnatores Fratres ſuos: necnon & P. Petrus de Palude maximus Theologus, & Iuriſta præclarus, fidusq; eiuſdem S. Thomæ ſectator, qui egregiè ſuper ſententias ſcripſit. P. quoque Iacobus de Lauſana diuini verbi declamator famoſus poſt Heruèum Prouincialis Franciæ, cum Bernardo Guidonis de Caſtris, (hic multa in hiſtorijs ſcripſit, quas vſq; ad Ioannem XXII. Pont. protraxit) Toloſanus Inquiſitor, qui plurimùm Ordinem illuſtrauit cum alijs. *Olmeda*.

Porrò Heruèus ſacris litteris addictiſſimus, chorum non neglexit, etiam nocte; poſt horam autem Completorij difficilè quemquam ad ſe introduci ſinebat dicens, diem proximo, noctem verò Deo impendendam fore; & ſubdens non debere pernoctationes fieri in Prædicatorũ Ordine, niſi in ſtudio, & oratione. Generalia autem Capitula habuit de more Ord. primum quidem Lugduni, hoc anno 1318. ſecundum verò apud Cadurcum 1319. patriam Pont. Max. ad eiuſdem petitionem, quod eleemoſynis copioſis fouit; Tertium apud Rothomagum ad inſtantiam Card. S. Euſebij 1320. Quartum Florentiæ intuitu Card. Pratenſis 1321. Quintum apud Viennam 1322. & vltimum apud Barchinonam 1323. in quibus multa ſancita ſunt pro bono Ordinis, & fidelium ſalute procuranda. *Olmeda*.

Heruèus tandem cum omnem conatum adhibuiſſet apud Pont. Maximum Ioannem XXII. vt lumen Eccleſiæ S. Thomam de Aquino ſolemni canonizationis ritu in Sanctorum album referre dignaretur, voti compos effectus eſt; nam anno 1322. id Pontifex præſtitit poſt feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vt dicetur, & tunc clamauit ad Dominum

Her-

Heruęus præ gaudio cum Simeone. *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Cupiebat enim diſſolui, & eſſe cum Chriſto; cuius præces exaudiuit Dominus; nam poſt paucos dies, nempe 10. Auguſti, S. Laurentio ſacra, maximo Ordinis Juctu, euolauit in cœlum florenti adhuc ætate. *Olmeda in eius vita.*

Sub Heruęo viri præſtantiſſimi ex Ordine euulſi, diuerſis Eccleſijs ad fidelium ſalutem procurandam præfecti ſunt; & quidem hoc anno P. Berengarius Rodes multiplicibus Legationibus Apoſtolicis in Hiſpania famoſus, factus eſt à Ioanne XXII. Compoſtellanus Archiepiſc. Petrus Fontana, cum eſſet Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, datus eſt Eccleſiæ Lucenſi Paſtor. Ptolomeus Lucenſis Eccleſiæ Torcellanæ, Federicus Sardus Eccleſiæ S. Iuſtæ in Sardinia. P. Ayciardus verò de Nouaria à Io: XXII. factus eſt hoc anno Archiep. Mediolan. inflexibilis conſtantiæ vir, qui pro defenſandis ſuæ Eccleſiæ iuribus à Vicecomitibus multa mala pertulit, ex ſua Eccleſia exulare coactus. *Bzou. & Spondan. in Annal. Eccleſ.*

Damnatis à Pont. Max. Ioanne Fraticellorum erroribus, contra eos inſurgentes noſtri Inquiſitores in Italia, necnon & P. Io: Lothgerius in Aragonia, & Catalonia, cum P. Arnaldo Burgueto, ex Italia, Hiſpania, atq; Catalonia effugauère, pluribus captis, atque condignis ſupplicijs mulctatis. *Diag. lib. 1.*

Eodem anno P. Peregrinus de Pactis Ep. Mazarien. iurium ſuæ Eccleſiæ defenſor egregius, litteras obtinuit à Friderico Rege Siciliæ 15. Decemb. datas, quibus eidem, & futuris Epiſcopis indulſit, vt iuxta antiqum morem Epiſcopus Iudæorum cauſas audiret, atq; iudicaret, ipſique ad plenam Epiſcopalem iuriſdictionem in poſterum, pleno iure ſpectarent. *Pyrr. Sicil. Sac.*

Eodem anno Robertus Siciliæ Rex cũ vxore ſua Regina, & fratribus ſuis cum magna procerum multitudine Ianuam per mare cum 25. triremibus petijt, atque in Conuentu S. Dominici cum tota ſua Curia recipi popoſcit, quod libenti animo perſtitère Patres; fueruntq; honorificè recepti, diebus multis ibidem permanentes, quibus ſupra modũ mirati ſunt de ſilentio, nocturni, diurniq; frequentia chori, ad quem cum Fratribus non ſemel ipſi quoque deuoti acceſsère. *Taeg.*

Ad congregatos hoc anno Patres in Generali Capitulo Io: Papa Apoſtolicas litteras direxit, exhortans eos, vt in Magiſtrum Ord. virum tanto magiſterio dignum eligerent; & erga Eccleſiarum Prælatos ſe reuerenter haberent, Ordinem commendans in hunc modum.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Diffinitoribus Capituli Generalis Ord. Fratrum Præd. & cæteris Fratribus eiuſdem Ord. apud Lugdunum in Capitulo Generali congregatis. Sal. & Apoſtol. benedict.

LVcis creator optimus ſaluti humani generis clementer intendens, ſacrum veſtrum Ord. lucernam pedibus hominum, & eorum ſemitis lumen dedit, vt videlicet tanquam lucerna igne charitatis ardèret, & velut lumen, doctrinæ fulgore perlucidum, & ſuper candelabrum eminentis Religionis erectum, omnibus in domo Domini relucèret. Ad hunc Ordinem, & inclytos profeſſores illius, (qui opere prædicantes, & verbo, ſic hominum lucent aſpectibus, vt illos exemplis ſalutaribus dirigant, eoſque, quaſi cæcis facti oculi, pedes claudis in dominicorum ſemitam mandatorum quibuſdam greſſibus rectæ operationis adducant) nimirum afficimur, & conceptum ad ipſos ab olim, continuè amplíamus affectum, tota mente, totoque corde ſolliciti, vt ſpiritualibus incrementis proficiant, & in ſuis etiam oportunitatibus temporą.

poralibus non decreſcant. Cum itaque iuſta Prophetarum encomium Magna opera Domini in conſilio, & cogitatione iuſtorum, optamus id in hac ſalutari congregatione veſtri Capituli Generalis impleri, vt videlicet cogitetis Domino inſpirante, quæ recta ſunt, & eo gubernante eadem faciatis. Et quia imminet de Mag. Ord. creando tractatus, ſinceritatẽ veſtrã rogamus, & exhortamur in Domino quatenus deuotos animos paternis affectibus exhibentes, in ipſius electione Magiſtri ſic habeatis præ oculis ſolum Deum, quòd nihil in illa ſibi fauor, aut odium vendicet; nihil affectus inordinatus vſurpet, ſed iuxta morem laudabilem hactenus obſeruatum, illum per electionem vnanimem, & concordem ad gerendum Magiſterij Ordinis eiuſdem officium ſtudeatis eligere, qui tanto congruat oneri, & honori; qui non ſolum vtilis ſit Ordini, ſed & orbi ſe reddere nouerit, velit, & valeat, prout negociorum expoſcet varietas, ex tanto Magiſterio, reuerendum, & ex humili miniſterio gratioſum, &c. Fratres ad inquirendum contra hæreticos per Sedem Apoſtolicam deputatos moneatis, ac ſollicitetis attentiùs, eiſdemque diſtrictius iniungatis, vt Inquiſitionis officium puro corde, puriſq; manibus, cum peruigili dexteritate, omni propulſata ſegnitie, & tam fauoris dextera, quàm odij ſiniſtra reiectis, ſic diſcretè, ſic maturè, ac cautè ſtudeant exequi, quòd proprium præmium apud Deũ, & laudem apud homines valeant promereri. Et demum ad ea, quæ Dei ſunt, & quæ in ijs, & alijs Religionem foueant, & eius decorem obſeruent. Adeò ſint corda veſtra concordia, & opera manifeſta, quod intus ipſius Religionis veritas, & exterius fama integritas conſeruetur. Cæterum quia pelagus mundi huius adeo diſcordiarum, & diſſenſionum flatibus quatitur, & exaltatis fluctibus cõmouetur, vt vix liceat vacare pietatis operibus; imò dum mens ſollicitudinibus occupatur iniquis, pia negliguntur opera, inſidijs intenditur, & de terra illa, in qua ipſe Dei filius homo, diræ mortis ſubijt paſſionem, myſterium noſtræ redemptionis perficiens, ſine qua parum nobis ſua natiuitas profuiſſet, eripienda de prophanis hoſtium fidei manibus non curatur, ad eum, qui ad dexteram Patris in cœlis reſidet, eſt deuotis pracibus recurrendum, vt ipſe ceſſationem flatuum, ſedationem fluctuum omnipotentiæ ſuæ inducat imperio, & tranquillitatis gratiam benignè concedat. Ad quod faciliùs obtinendum de veſtra deuotione præcipuè fidentes, Vniuerſitatem veſtram monemus, rogamus, & obſecramus in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quòd apud Deum, cuius pax omnem ſenſum exuperat, ſedulis orationibus inſiſtatis, & per Fratres Ordinis veſtri ſubeatis inſiſti, vt ipſe, cuius eſt iſta pacis perfecta conceſſio, quòd ipſo eam concedente, non ſit qui condemnet iudicio, poteſtate deterreat, vel terrore perturbet: in vniuerſa Eccleſia pacis, & concordiæ fluenta diffundat cunctis fidei Chriſtianæ cultoribus, & præcipuè Principibus, & Magnatibus ſtatum pacificum ſua omnipotenti virtute tribuat, eoſq; faciat ſua pietate concordes, ac proſequutionem negocij Terræ Sanctæ eorum cordibus influat. Dedique licet indubiè ſupponamus quòd paternum, quem ad vos gerimus orationum ſuffragijs recompenſetis, affectum, vt tamen adijciat humilitas petitionis ad meritum, & ad illarum reddat participationem aptiores, deuotè petimus, & humiliter imploramus, vt in eodem Capitulo ſingulis Conuentibus indicatis, quod humiles pro nobis fundant praces ad Deum, vt ipſe, qui tanti oneris impoſuit nobis ſarcinam, non patiatur ipſius oenre nos opprimi, ſed operi manuum ſuarum porrigat dexteram, debilitatem noſtram ſuo robore fulciat, ſuaq; virtute ſuſtentet, velle, ſcire, & poſſe nobis miſericorditer tribuat, qualiter in commiſſi exequutione regiminis, ſic ſuum exequamur beneplacitum, quòd æternæ retributionis gloriam, vnà cum grege nobis credito de ſua benignitatis gratia conſequamur. Dat.

Aue-

Auenione 3. Kal. Iunij Pont. noſtri ann. 2. Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

Pontificis Maximi igitur vota complesturi PP. Diffinitores tale decretum ſanxère. *Volumus & ordinamus; quod cùm Sanctiſs. Pater, ac Dominus Summus Pont. ad præſens Capitulum litteras direxerit gratioſas, nos ad multa ſalutaria, & Ordini neceſſaria dulciter exhortando, prædictæ litteræ in ſingulis Conuentibus cum iſtis ordinationibus legantur Prouinciæ Fratribus, vt eſt moris; & contenta in eiſdem litteris diligentius obſeruentur à Fratribus vniuerſis, &c.* Ex Act. eiuſdem Cap. Gen.

ANNO 1319. Dimicabant viriliter contra hæreticos in omnibus locis, in quibus ſacræ Inquiſitionis tribunal vigebat, noſtri Inquiſitores, vt eorum nequitiam euellere, & eradicare ex chriſtiano orbe poſſent: In Lombardia autem contra iniquos Fraticellos præcipua illorum colluctatio erat, quorum plurimos, errores abiurare compulerunt; alijs in ſua pertinacia perſeuerantibus coram cõgregata copioſa populi multitudine viuis igne conſumptis: quare in alias partes, ac prouincias digreſſi, Inquiſitorum manus effugientes propriæ vitæ conſuluère. *Param. & Taeg.*

Archiep. Mediolanen. P. Ayciardus cum Fratribus Pace, ac Iordano Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in Lombardia ſuperiori; necnon & Barnaba ibidem Prouinciali, proceſſum inſtruxit contra Matthæum Vicecomitem, Mediolanenſem dominum, eiuſque filios, ac ſequaces, grauiter de hæreticæ prauitatis labe ſuſpectos, & vbi contumaces reperit, proceſſum ad Ioannem Pont. per Fratres Prædicatores Auenionem miſit: quare ira percitus Matthæus multas calamitates, & perſequtiones Ordini noſtro intulit, quas Fratres inflexibili conſtantia pro iuſtitia pertulerunt. Interim cum cauſa in Apoſtolica Curia tractareretur, mortuus eſt ille, eius corpore diu inſepulto iacente: poſt multos autem annos lis repetita eſt, an in extremo vitæ diſcrimine fuiſſet Eccleſiæ reconciliatus, an verò hæretica lue contaminatus perijſſet Matthæus Mediolani Dux, ſeu Dominus. *Vghell. Ital. Sac. tom. 4. inter Archiep. Mediolan. num. 102.*

Magiſter Heruèus Generalis multa doctiſs. opera, ingenij ſui monumenta præclara euulgauit, inter quæ opus: *De poteſtate Papæ*, aliquibus eam impugnantibus inuiſum; quod Pontifici Maximo obtulit gratiſſimum, & ad obſtruendum os loquentium iniqua, accommodatiſſimum. *Taeg. in Mon. Ord. & Olm.*

In Aragoniæ Regno erat Generalis Inquiſitor P. Mag. Bernardus Puigcercos, qui contra hæreticos, eiuſque fautores iuxta Apoſtolicas ſanctiones, & documenta impræter miſsè procedebat; etiam ſi nobiles, etiam ſi magnates. Cum autem nuntiatum illi fuiſſet quendam Bonatum nouorum dogmatum inter ignaram plebem, & mulierculas diſſeminatorem, conuenticula, quandoque in tenebris, nocturnoque tempore cum ſuis aſſeclis extra populi frequentiam celebrantẽ, multos ſua hæreticali pice infeciſſe, iruẽs ſuper congregatos armata ſatellitum manu, cunctis in vincula coniectis, contra Bonatum tanti ſceleris auctorem primò proceſſit, quem veniam ab Eccleſia petentem condignis pœnitentijs caſtigatum tandem dimiſſit, reliquis criminis ſocijs idem præſtantibus, de quo infra an. 1334. *Diag. lib. 1.*

ANNO 1320. Celebratum eſt Generale Ord. Capitulum apud Rothomagum, in quo tale decretum ſancitum fuit in fauorem canonizationis S. Thomæ Aquinatis, quam omni conatu procurabat Magiſter Generalis Heruèus. *Cum de canonizatione Fratris Thomæ de Aquino bona ſpes habeatur, volumus, &* Z di-

diſtrictè iniungimus Prioribus Prouincialibus, quod tot florenos ad Capitulum Generale mittere teneantur, quot Fratrum Conuentus in ſuis Prouincijs habent, quem florenorum numerum per Conuentus ſuarum Prouinciarum condiuidant, ſecundum quod eis videbitur expedire. Ex Act.eiuſd.Capit.

P. Bernardus Puigcercos Inquiſitor Generalis Aragoniæ Petrum Oleriuni Maioricen. nouarum hæreſum inuentorem, eiuſq; complices, ſequaces, ac fautores in vincula coniecit, & brachio ſeculari tradidit comburendum, illius erroribus damnatis, ipſiſq; ſequacibus reſipiſcentibus. *Diag. lib.* 1.

P. Matthæus quoque de Pontiano Generalis Inquiſitor in Sicilia multos iudaizantes condignis pœnis affecit. Idem præſtabant noſtri Inquiſitores in reos ad ſua tribunalia delatos in Dalmatia, Croatia, Iſtria, Boſna, & apud Raguſiam, atque Iadram, vt ex bulla Ioannis Pont. apparet, in qua mandat Fratribus noſtris, ne in negotio Inquiſitionis ſocios ſibi aſſumant Fratres Minores, ſicuti teſtantur *Gonzaga in ſua hiſtoria Seraphica*.

Vrgente Pontifice, & calcar Apoſtolicis mandatis Inquſitoribus Lombardiæ addente contra iniquos Fraticellos hæreticos, eorumque receptores iterum inſurgunt in illos, & ſedula perquiſitione facta, quot quot inuenère, ſeueriſſimè caſtigauère. *Param.*

In cœlum aſſumitur ex hac lacryarum valle Beatus Ioannes Baptiſta de Tolomeis Senen. prophetiæ dono conſpicuus, qui à Ioanne XXII. in Galliam vocatus, atq; ad conuertendos hæreticos miſſus in Alemaniam, Angliam, & Galliam, prædicauit tanto cum hæreticoruni fructu, vt innumeros ad hæreſes abiurandas induxerit. Quare ab hæreticis pluries ad mortem quæſitus, diuina ope paratos laqueos eluſit. Euolauit in cœlum laborum ſuorum præmia conſecuturus apud Auenionem, tanti viri iactura à Ioanne Pont. ibidem ſedente, deplorata. *Plód.*

Aſſumuntur ad fidelium regimina in diuerſis Eccleſijs, P. Iacobus de Beneſactis in Mantuana, & Io. de Lucemburgo in Ratiſponen. qui ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei dirigentes, cũ eiſdem cœlum conſcendère. *Vghell. Ital. Sacr.*

B. Bartholomæus Paruus Bononien. de Piſcialis dictus, de quo ſup. an. 1318. cum apud Armenos pro illorum conuerſione eſſet (erant enim ſchiſmate polluti) ſociorum, quos ſecum ex Vrbe duxerat, opera vſus, Euangeliorum librum, Apoſtolorum Symbolum, nec non & orationem Dominicam in Armenam linguam traduxit pro illorum, qui ad Catholicam fidem conuertebantur, inſtructione: Diſputabat autem quotidie ſtudio infatigabili cum Baſilianis Monachis ſchiſmaticis, vt eos ad ouile Chriſti perduceret; nec in caſſum laborauit; nam tandem aliquando voti compos effectus eſt, vt dicetur. *Galanus cap.* 30.

Euolauit in cœlum B. Margarita de Caſtello, in Metola tamen oculorum lumine orbata nata, quæ adhuc ſeptennis cilicio præcincta, ſingulis ſextis ferijs ſolo pane, & aqua corpuſculum macerabat. A parentibus Tiphernum ad ſepulchrum cuiuſdam Minoritæ miraculis coruſcantis, vt viſum reciperet perducta, ſed minimè ſanata, ibidem derelicta eſt. Chriſto Domino in patrem, Beataq; Dei Genitrice in Matrẽ delectis, Tertij Ord. noſtri habitum amplexata, innumeris à Deo affecta eſt beneficijs; inter quæ illud mirandum quòd ſingulis diebus, dum ſacroſancto miſſæ ſacrificio adſtabat, puerum Ieſum in humana carne ſuper altare intuebatur. In cœlum euolauit miraculis clara ętatis ſuę trigeſimo tertio anno, cuius corpus denudatum, dum eſſet coram chirurgis exenterandum, atq; cum aromatibus

bus ſepeliendum, extenſis illa manibus pudenda ſibi cooperuit, inuentis in eius corde calculis, ſiue lapillis tribus, in quibus erat inſculptum Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti myſterium. Cuius feſtum cum officio de Communi vnius Virginis ex Apoſtolica Pauli V. conceſſione, ac Sacræ Rituum Congregat. decreto an. 1609. emanato apud Tiphernates celebratur; & modò cauſa in eadem Congregatione agitur, vt Apoſtolica gratia, Tiphernatibus conceſſa, per totũ noſtrũ Ordinẽ diffundatur, Eminent. Card. Azolino in Sac. Congreg. Ponente. *Ex eius vita.*

ANNO 1321. F. Nicolaus Card. de Prato Apoſtolicis Legationibus, multiſq; exantlatis pro Eccleſia ſancta Dei laboribus clarus, æterna præmia conſequturus, perrexit ad Chriſtum, dolente Ioanne Pont. Max. cum Apoſtolica Curia de tanti viri iactura. Auenione ſepultus eſt. *Vghell. tom. 1.*

P. Arnaldus Burguetus Generalis Inquiſitor Aragoniæ Petrum Durandum de Baldach, hæreticum relapſum brachio ſeculari tradidit comburendum, qui concrematus eſt 4. Id. Iulij in foro Cathedralis Eccleſiæ, aſſiſtentibus pro Tribunali Inquiſitore prædicto cum Aragonum Rege, duobus eius filijs, necnon & Epiſcopis Dertuſen. ac Valentino, infinitaque populi multitudine: quod factum timorem maximum cunctis incuſſit, ne hæreſibus ſe coinquinarent. *Diag. lib. 1.*

Eodem anno cum Io. Pont. fuiſſet certioratus de progreſſibus Fratrum noſtrorum, & Minorum in conuerſione infidelium apud Tartaros, Aethiopes, Armenos (ad quos miſſus fuerat B. Bartholomæus Paruus ſupra relatus) Saracenos, aliaſq; Orientales nationes, plures alios ex vtraq; Religione operarios Apoſtolicos, ad eoſdem populos conuertendos delegauit, quibus & multa priuilegia conceſſit, datis Apoſtolicis litteris in eorum fauorem ad Muſſayd Tartarorum Imperatorem, alioſque Reges, ac Principes; & Kiouiæ in Ruthenorũ confinibus Epiſcopum reſtituit, cum propter ſchiſma Græcanicum, Paſtorem, & Clerum catholicum, quin & populum ferè non haberet, & hoc tempore opera noſtrorum Prædicatorum ad fidem reuerti cœpiſſent. *Spond. in Annal. num. 3.*

Aſſumuntur ex Dominicana Religione filij ad fidelium regimen in diuerſis Eccleſijs, inter quos recenſentur P. Bartholomæus de Bononia præfectus Eccleſiæ Signinæ, cui ſacrum ius dixit optimus Paſtor vſq; ad annum 1333. quo ad Comaclen. translatus eſt: & P. Vgolinus de Arimino datus Eccleſiæ Senogallien. Eccleſiæ quoq; Armenæ datum eſſe Paſtorem hoc anno vnum ex Prędicatoribus noſtris aſſerit Spondanus vbi ſup. at hoc non eueniſſe niſi anno 1333. certum eſt. *Vghell. Ital. Sac.*

Cum leproſi hoc anno in Gallia detecti infeciſſent aquas fontium, ac puteorum ſacculis venenato puluere plenis; vt hominibus mortem, vel lepram ſaltem afferrent, ex regio Philippi Longi publico edicto in toto regno capti, de confeſſis condigno ſupplicio fuere affecti, principalioribus ſceleris auctoribus igni adiudicatis: reliqui verò iuſſi ſunt ſub pœna mortis noſocomijs ſuis ſeſe continere, neque extra diuagari. Cumq; tanti ſceleris auctores ab eiſdem Iudæi dicerentur, capti ſunt plures ex eis, atq; populari impetu concremati, multis etiam lapidibus obrutis: cumq; de communi ſupplicio cunctis infligendo tractaretur, decretum eſt, ſuadente P. Guillelmo de Lugduno Philippi Regis confeſſario, vt ex toto Regno eijcerentur, perpetuo decreto edito contra eos, nullo modo, aut tempore in illud reuertendi. *Spondan. & Olmeda.*

P. Io. de Lemoyſi quoq; vir doctiſſimus, atq; diuini honoris zelantiſſimus,

eidem Philippo Galliæ Regi à ſacris prædicationibus, cum videret in Gallia multa patrari ſcelera in odiū fidei ab hebræis, inſtitit apud eundem Regem, etiam ipſe, vt eijcerentur omnes ex ſibi ſubditis ditionibus ſub pœna perpetuæ ſeruitutis, prout factum eſt, promulgato Regio in eos edicto, ex quo catholica fides magna ſumpſit incrementa, *Olmeda.*

P. Raymundus Bequinus conſtituitur Sacri Palatij Magiſter per translationem Guillelmi de Gauanto ad Archiep. Eccleſiam Viennen. inſeruiuitque in eo munere Apoſtolicæ Sedi annos duos, factus deinde Nemauſen. Epiſcopus. *Olmeda in vita Heruei, & Lucarin.*

ANNO 1322. Fœlix, fauſtuſque illuxit annus hic, & Orbi, & Ordini, & Eccleſiæ catholicæ, quo Ioannes Pontifex Prædicatorum Ordinem vnicè deamans, ſolemni canonizationis ritu in Sanctorum Confeſſorum catalogum retulit noſtrum Doctorem glorioſiſſimum S. Thomam de Aquino, in cuius laudem ſermonem habuit Pont. aſſumens pro themate; *Magnus es tu, & faciens mirabilia.* & in commendationem Ordinis noſtri, ac S. Doctoris tot, ac tanta declamauit, vt tota Apoſtolica Curia miraretur cum reliquis adſtantibus: Addiditque dicens, quod S. Doctor: *Tot miracula fecit, quot Articulos ſcripſit.* Celebrata ſunt eius ſolemnia, pompa ſolemniſſima à S. R. E. Cardinalibus, Epiſcopis, Principibus Curiæ Apoſt. atque Vniuerſitatibus Doctorum, laudantibus cunctis Dominum, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. Diem autem feſtum eiuſdem Doctoris Sancti Nonis Martij, quando ex hoc exilio ad patriam iuſtorum tranſijt, celebrandum voluit idem Pontifex Max. *Olmeda in vita Heruei Mag. ord.*

P. Bernardus Guidonis iuſſu Magiſtri Ord. Heruei, rem gratam Ioanni Pontifici facturi, cum Toloſæ contra Albigenſes eſſet Inquiſitor, ſcripſit Chronicum, ſeu *Speculum hiſtoriale* Romanorum Pont. Imperatorum, Regumque Franciæ, exaratum vſque ad hunc annum, quo illi finem impoſuit, factus per Dom. Io: Pontificem Tuden. Epiſcopus in Gallia. Scripſit prætera *de Concilijs, de Officio Miſſæ*, atque *de Epiſcopis Toloſanis & Lemouicen.* Gallia Chriſt. tom. 2.

Io: Pont. Apoſtolicum de Latere Legatum miſit in Hiſpaniam, ſeu Caſtellam P. Guillelmum Card. de Baiona, vt malis, quæ vniuerſam regionem illam affligebant, finem imponeret, eoque auctore apud Palentiam Regni conuentus indicti ſunt, ſed Reginæ Auiæ morte impediti; & quòd ex eius obitu Regni calamitates augerentur, viſum eſt bonum, vt Rex Alphonſus, & ſi quintum decimum tantùm annum attingeret, Regni adminiſtrationem ſumeret, prout fecit. Legatus poſtmodum Guillelmus, Epiſcopis conuocatis apud Valliſoletum, Conciliū celebrauit 4. non. Auguſti, quo complures ſalutares leges pro eccleſiarum regimine, atque cleri moribus ſancitæ ſunt, necnon & pro concubinarijs eccleſiaſticis comprimendis, quorum erat copioſus numerus ſcandaloſus. *Spondan. in Annal. num. 12. & 13.*

Moritur hoc anno Rex Galliæ Philippus Longus, vir pijſſimus, qui cor ſuum legauit FF. Minoribus, viſcera autem noſtris Prædicatoribus; poſt S. Ludouici mortem enim, qui litteras ab eiſdem Religioſis didicerat, conſueuerunt Prædicatores, & Minores defunctorum Regum inteſtinorum partes ad ſepulturam ſibi vendicare. *Spondan. vbi ſup. num. 1.*

Paſtores dedit pro Eccleſijs aſſumendos Dominicana Religio hoc anno P. Odonem de Sala pro Caſſinen., quem, & Abbatem Caſſinen. Monaſterij inſtituit Pont. Io: XXII., vt Monachos ad priſtinum monaſticè obſeruantiæ nitorem reuo-

reuocaret, necnon, & Aegidium de Gallutijs pro Torcellana, qui poſtea ad Archiepiſcopalem Creten. poſt annos ſeptē tranſijt, & P. Ioannem Concos ad Archiep. Aquen. *Vghell. Ital. Sac.*

P. Gherardus de Montepeſſulano Gallus, doctrina, pietate, morumque candore venerabilis Epiſcopus Diatagiren. inſtittuus, & in Præſidē promouendæ fidei cauſa à Clemente V. Pont. directus, infideles plurimos ſua prædicatione, & inculpatæ vitæ exemplo ad Catholicam fidem attraxit, & cum alijs Fratribus ſocijs ſuis in Oriente maximos, & vberrimos fructus Catholicæ Eccleſiæ dantibus, eam numeroſa fidelium multitudine felicibus incrementis dilatauit, atq; laborum ſuorum præmium condignum percepturus, hoc anno, carnis onere depoſito, ad Chriſtum properauit. *Plod. par. 2.*

P. Io. de Polo Piſanus, de quo ſupra, cum Archiepp. Eccleſijs Piſanæ, & Nicoſien. ſanctiſſimè præfuiſſet, moritur, ab ouibus ſibi commiſſis deploratus. Hic cum eſſet Piſanus Archiepiſcop. in propria patria moleſtias non modicas à Conciuibus ſuis expertus, infracta animi conſtantia pro Eccleſiaſt. libertate tuenda eas pertulit. Qua de cauſa in Piſanos & Reipub. Rectores proceſſu fabricato cum ad vlteriora ipſe procederet, ex ciuitate eiectus, atq; exilio mulctatus, Florentiam petijt, natalitia domo publica ira in cineres redacta. Re ad Ioannem Pont. delata, Ioannis conſtantia ſupra modum commendata, eumdem Nicoſinen. Archiepiſcopum in Cypro creauit, vt dictum eſt an. 1312. *Vghell. & Plod.*

ANNO 1323. Io. Pont. Prædicatorum Ordinem, & profeſſores illius diligens ad Septentrionales partes miſit P. Guillelmum Gallum, Soldanien. Archiepiſcopum creatum, dato ei pro ſe, & ſucceſsoribus Archiepiſcopali pallio, vt cum ſocijs ſibi ab Ordine, Apoſtolica auctoritate traditis, fideles in partibus illis in catholica fide conſolidaret, atq; infideles ad Chriſti venerationem adduceret. Septem quoque alios Prædicatores Epiſcopos creauit, in Septentrionem & ipſos miſſos, inter quos eminebat P. Tadeus Caphen. Epiſcopus; nam cum in Septentrionalibus regionibus Fratres Prædicatores copioſā infidelium multitudinē ſuaui Chriſti iugo ſubegiſſent, neceſſarij erant ad confirmandos Neophitos in fide, populoſque illos regendos Epiſcopi, qui tanquam Paſtores peruigiles, oues nouiter ad catholicam fidem accedentes, in fide conſolidarent. Prædicti verò Archiep. & Epiſcopus ſe ſubſcripsère exemplari Bullæ canonizationis S. Thomæ Aquinatis, quod in noſtro conuentu Tiburtino aſſeruatur, in hunc modum: *Nos Fratres Guillelmus Dei gratia Soldanien. Epiſc. & Taddeus Caphen. Ep. Notum facimus &c.* de quibus Paſtoribus ferè omnes Ord. Scriptores mentionem faciunt, nomina autem illorum tacent. *Bzou. de Rebus Polon.*

Alios quoq; multos ex noſtris ad Eccleſiarum gubernia aſſumpſit Io. Pont. hoc anno; Nam P. Simon Saltarellus ad Piſanam Archiepiſcopalem, Raimundus Bequinus S. Palatij Mag. ad Nemauſen. Bernardus Guidonis ad Luteuen. Hieronymus de Fiſicis ad Ariminen. Vgolinus de Arimino ad Foropopilien. & Bertinorien. euecti ſunt, P. Gregorio ex Soren. ad Bellunen. tranſlato. *Vghell. Ital. Sacra.*

Card. Nicolaus Farinula facta canonizatione S. Thomæ de Aquino, cuius principalis Author fuit cum Magiſtro Gener. Heruèo, hoc anno lætus deceſſit apud Lugdunum, maximo cum Ordinis damno, & luctu, apud noſtros conditus. *S. Antonin. p. 1. & Leander.*

Damnauit Pont. hoc anno errores Fraticellorum, quorum caput fuit P. Michael

chael de Ceſena, aſſerentium Chriſtum Dominum, ita pauperem fuiſſe cum ſuis diſcipulis; vt nihil omnino habuerit, neque eleemoſynas Apoſtolos ſeruaſſe pro ſibi neceſſarijs emendis; quod cum expreſsè ſacro Euangelio contradicat; (nam Apoſtoli, dum Chriſtus cum muliere Sammaritana loquebatur, iuerant in ciuitatem, vt cibos emerent; & Iudas loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat; & cum illi dixiſſet Chriſtus, quod facis, fac citò, intellexerunt diſcipuli, quòd Iudæ mandaret neceſſaria pro ſolemnitate Paſchali præparare, aut vt egenis aliquid daret:) iure merito damnati ſunt tanquam hæretici; contra quos inſurrexerunt Inquiſitores noſtri P. Pax de Vedano ſuperioris Lombardiæ Inquiſitor, P. Lambertus Inquiſitor Lombardiæ inferioris; necnon & P. Bartholomæus Ferrarienſis, Inquiſitor in Marchia Anconitana, qui in vincula eos coniecère, & pertinaces aliquos igni tradidère. Apud Fabrianum autem, & Aeſium maximè, necnon & Florentiæ hæc hæreſis inualeſcebat. *Diag. lib. 2. & S. Antonin. 3. p. tit. 21.*

Eodem anno Io. Pontifex erexit in Cathedralem Eccleſiam de Monte Caſſino annuis redditibus pinguem, cui primum Epiſcopum, atq; Monaſterio Abbatem, præfecit P. Oddonem de Sala è Primaria Piſanorum nobilitate, virum libertatis Eccleſiaſticæ vindicem ſtrenuum; propter quod Ludouici Bauari odium, atq; Pontificis Maximi beneuolentiam promeruit. Anno vno & Eccleſiam, & Monaſterium rexit, Monachos ſuæ inculpatæ vitæ exẽplo per viam mandatorum Dei, regulariſq; obſeruantiæ ſemitam dirigendo. Deceſſitq; ibidem, vbi & ſepultus quieſcit. *Vghell. tom. 2.*

Conſtituto Nemauſen. Ep. Bequino, factus eſt S. Palatij Mag. P. Durandus de S. Portiano, vir doctiſſimus, à Io. XXII. quo in munere inſeruiuit Apoſtolicæ Sedi vſq; ad annum 1326. quo Meldenſis Ep. creatus eſt. *Lucarin. & Gall. Chriſt.*

Caput II.

P. BARNABA DE VERCELLIS Magiſtro Generali XV.

ANNO 1324. Apud Burdegalam in Vaſconia congregatum eſt Capitulum Ordinis pro noui Magiſtri electione celebranda, in quo ſalutatus fuit Magiſter Generalis P. Barnabas de Vercellis Prouincialis Lombardiæ, Pontificij iuris doctor famoſus. Affuère autem Prouinciales omnes, nouemque Magiſtri in Theologia, inter quos effulgebat P. Matthæus de Vrſinis vir nobiliſſimus, Romanuſq; Prouincialis, qui ibidem infirmatus ad mortem, & conualeſcens de infirmitate, infulas ſacras, & purpuram promeruit. *Olmeda.*

Barnabas igitur ad regimen Ordinis aſſumptus, ſe benignum, & amabilem cunctis exhibuit; erat enim aſpectu decorus, atque humilis, vnaquaq; die celebrans, ac chorum de nocte frequentans, maximè cum conuentus ex officio viſitaret; miſerias compatiens, atq; in gratijs conferendis liberalis, ſibi ſubditorum pium affectum conſequi exoptans, propter quæ in Ordine vnicè amabatur. *Olm.*

Annos ſeptem, totidemq; menſes Ordinem rexit laudabiliter, minus tamen feliciter: Nam ſub eo perſequtiones multas, & malas paſſus eſt Ordo à Ludouico Bauaro, aſſerto Imperatore, hoſte Eccleſiæ, adhærentibus Fratribus pontificijs decretis. At cum Ioannes ipſe Pontifex Max.

Max. incidiſſet in ſententiam, differri diuinam viſionem animabus iuſtorum vſq; ad diem iudicij; etiam contra Pontificis vt priuati Doctoris opinionem, Scholis inuiſam, atq; damnabilem, & verbo, & calamo inſurrexerunt noſtri, eam ſententiam impugnantes publicè: quapropter promeruerunt, vt ab eodem Bauaro nobis infenſiſſimo, Ordo noſter Prædicatorum, *Ordo veritatis* diceretur; de quo ipſemet Pontifex paulò ante dixerat: *Ordo Prædicatorum venit, vt teſtimonium perhibeat veritati.* Et expertus eſt in ſe veritatem ſui dicti, diuinans ea, quæ erant futura ſibi. *Olmeda.*

Indignatus eſt igitur Pontifex contra Ordinem, Fratreſq; illius contradicentes ſibi, & maximè contra Barnabam Mag. Gen. cui propterea in Capitulo Generali apud Victoriam Hiſpaniæ congregato interdixit reditum in Italiam; & cumperacto Capitulo Patres Itali ab eo benedictionem peterent ad ſuas prouincias reuerſuris, in lachrymas prorumpens dixit. *Ite fælices filij, & Dominus ſit vobiſcum, in Italiam reuerſuris; ego autem infælix ab huiuſmodi regreſſu abſtinere compellor. Benedictus Deus.* Afflictus eſt autem & humiliatus nimis propter hoc Barnabas, & Victoria diſcedens, Pariſium ingreſſus, ibi eodem anno quieuit in pace, celebratis anteà de more Ordinis ſingulis annis Generalibus Capitulis. Et quidem primo apud Burdegalam hoc anno. ſecundo apud Venetias 1325. tertio apud Pariſium 1326. quarto apud Perpinianum 1327. quinto apud Toloſam 1328. ſexto apud Ciſtaricum 1329. ſeptimo apud Traiectum 1330. atq; octauo apud Victorium 1331. *Olmeda in vita ipſius.*

In Capitulo, hoc anno apud Burdegalam celebrato, præceptum eſt omnibus hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt in ſuis officijs eſſent peruigiles, & ab omni nota cupiditatis ſe alienos exhiberent; quod vt faciliùs exequerentur, mandatum eſt illis in meritum ſanctæ obedientiæ, vt bona ad ſacrum tribunal ſpectantia fideliter cuſtodirent, & adminiſtrarent; & quòd ſingulis annis de datis, & receptis exactiſſimam rationem ſuis Prouincialibus redderent, ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs. Modò autem Inquiſitores de datis, & receptis rationem reddunt S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis Cardinalibus. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Cum Ludouicus Bauarus aſſertus Imperator prætenderet ſe auctoritatem habere ſuper Pontificem, & Eccleſiam, non defuère qui eius deliramenta ſcriptis fouère contenderent, inter quos fuit Marſilius de Padua, & Io. Iandunus, quorum errores recenſet Io. Pont. in ſententia excommunicationis contra eos lata. Contra hos inſurrexit P. Petrus de Palude inſignis Theologus, ediditque librum. *De cauſa immediata Eccleſiæ poteſtatis*, quē in ſex capita diuiſit. 1. De poteſtate Petri. 2. De poteſtate Apoſtolorum. 3. De poteſtate Diſcipulorum. 4. De poteſtate Papæ. 5. De poteſtate Epiſcoporum, & 6. De poteſtate Curatorum Eccleſiaſticorū, in quibus reſpondit ad obiectiones illorum, quorum errores concludenter reijcit, ac confutat. *Spondanus in Annal. num.* 7.

Eodem anno Io. Pont. iniunxit Magiſtro Generali Barnabæ de Vercellis per Bullam Apoſt. cuius initium eſt, *Gratias agimus, &c.* vt Vicarium Generalem præfigeret Fratribus verbum Dei inter gentes annunciantibus, ex quibus peculiaris quędam Congregatio conflata eſt, quæ Fratrum peregrinantium inter gentes propter Chriſtum dicta eſt, vt ipſe eos dirigeret in infidelium partes illas, in quibus pro promulgatione Euangelij eſſent neceſſarij: quod cum Barnabas præſtitiſſet; indefeſſo labore fidei Chriſtianæ vexillū portantes illi inter remotiſſimas barbarorum

rum

rum Prouincias, multas efferatas gentes Chriſti iugo ſuaui ſubdidère, Dominicanoque ſanguine abundè effuſo, plurimos Eccleſiæ filios dedère. *Bzou. in Annal. Polon.*

P. Iordanus de Monte Cucco Placentinus, nobilis ſanguine, & virtutibus, ex Inquiſitore Lombardiæ aſſumitur à Pont. Max. ad regendam Eccleſiam Bobien. cũque oues ſibi creditas ſancto gubernio per ſalutis ſemitam dirigeret, D. Columbani Monaſterium, mandante eodem Ioanne Pont. viſitauit, & reformauit, depoſito à gubernio illius Abbate Alberto: Abbatiæ quoque S. Mauri de Pulcheria Adminiſtrator fuit, necnon & Cruciatam pro recuperatione Terræ Sanctę iubente Pontifice publicauit; quieuit autem in pace circa annum 1338. ſibi creditarum ouiũ lachrymis parentatus. *Vghell. tom. 4.*

P. Io. de Pratis Carcaſſonen. Inquiſitor hoc anno, & tempore inuigilabat contra iniquos hæreticos Beguardos, quorum plures carceribus addixit, & ſalutaribus iniunctis pœnitentijs S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, pertinacibus igni adiudicatis. Fuit autem Io. Diffinitor pro Prouincia Toloſana in Capitulo hoc anno apud Burdegalam congregato. *Ex Act. eiuſdem Capit.*

B. Io. Dominici Card. in Dalmatiam pro grauibus Eccleſiæ negotijs miſsus, in Italiam hoc anno reuocatur à Pontifice informando de collectis auxilijs mittendis contra Saracenos. *Ferrarius p. 3. lib. 4.*

P. Raymundus Bequinus Toloſanus ex Magiſterio Sacri Palatij ad Epiſcopatum Nemauſenſem euectus, transfertur ad Patriarchatum Hieroſolymitanum, vt Eccleſiam illam in lege Domini cuſtodiret, illius fideles in viam pacis per ſemitam diuinorum mandatorum dirigendo, qui ſolitum ſubſidium Cardinalium Collegio perſoluit hoc anno 21. Iulij, & per 4. annos Patriarchalem Infulam geſſit ad patres appoſitus. P. Bernardus Guidonis autem à Pontifice Max. Ioanne ex Luteuen. Eccleſia, ſeu Lodouen. translatus eſt ad Tuden. *Gall. Chriſt. & Plod.*

Cum P. Pax de Vedano in Lombardia hæreticæ prauitatis Inquiſitor ſacrum tribunal regeret, hæreticos inſectatus, multas familias hæreticali veneno latenter inquinatas detexit, inter quas erant & nobiles eiuſdem ciuitatis; quare diuino zelo loricatus, contra eos, etiam cum vitæ periculo procedens, obſtinatos plures igne conſumpſit, pœnitentes ſalutaribus pœnitentijs caſtigauit, eorum receptores proſcriptis bonis exilio mulctando, cœteroſque latentes hoc exemplo ex Lombardia fugando. *Taegius.*

ANNO 1325. Habitum eſt Generale Ordinis Capitulum in Italia apud Venetias, in quo inter alia ſalubria decreta confirmatum eſt quod ſuperiori anno emanatum fuerat circa Inquiſitores decretum; vt eſsent in inquirendis hæreticis peruigiles, atque cuſtodiendis bonis ad ſacrum tribunal ſpectantibus ſagaces, aliàs à ſuis officijs eſsent à Prouincialibus amouendi. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Ad congregatos Patres in Capitulo Pont. Max. Io. XXII. ſequentes Apoſtolicas litteras direxit Ordinem mirabiliter commendans, iniungenſq. omnibus, vt erga Eccleſiarum Prælatos, locorumque Ordinarios ſe reuerenter haberent, atque nonniſi doctos, idoneoſq. ad Ordinis exercenda munia aſsumerent.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus Ord. Fratrum Prædicat. in Generali Capitulo celebrando Venetijs congregatis. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

IN Eccleſiæ firmamento veſter Ordo, inter alios cæleſti ſplendore coruſcans, immenſam Dominici gregis aulam illuminat, & cur-

cur-

currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quo ad ſalutis brauium fœlicius peruenitur; in valle terrenæ paupertatis militans, & triumphans in cæleſtium eminentia facultatum. Nimirum igitur in ipſius ſiderea claritate delectamur, & in ſuæ religionis ſtabilitate quieſcimus, dum vos & alios eiuſdem Ord. Fratres circa virtutum exercitium iugiter inſudantes per deuotorum animorum inſtantiam, quia Dei mediatores, & hominum, ſalutem quæritis animarum, & proſperi ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ feruidi zelatores eidem indefeſſis laboribus, & argumentoſis operibus deſeruitis. Sanè quia cò vobis parat ſubtiliores inſidias humani generis inimicus, quo vos animoſiùs conſpicit ſpiritualis ingreſſos campum certaminis, à ſarcinis rerum temporalium expeditos, ſcuto protectos fidei, & euangelicæ gladio prædicationis accinctos, nec veſtræ tantummodo ſalutis proſequentes negocium, ſed molas iniqui conterere, ac de faucibus eius prædam eripere ſatagentes, vos & Ordinem prædictum, quos brachijs internæ charitatis, & dilectionis amplectim r, aduerſus eiuſdem inimici inſidias eſſe fortes, & ſedulos in humilitatis ſpiritu, & deuotionis promptitudine cupientes, ad quæque ſalubria libenter paternis monitis, & benignis exhortationibus inuitamus. Quocirca vniuerſitatem veſtrã monemus, rogamus, & hortamur quatenus ſic dicti compagem Ordinis in ſolita charitatis obſeruantia, & vnitatis gratia conſeruetis, ſtatuendo, & ordinando vtilia, & nociua proinde reſecando, quod ſemper ſuſcipiat, diuina fauente clementia, fœlicitatis augmentum, & dignæ laudis præconijs attollatur. Creſcat aſſiduè deuotio prompta fidelium apud eum, voſque cæleſtis vitæ plenitudinem promerentes, valeatis æternæ gloriæ brauium apprehendere vobis, tanquam benedictionis filijs virtute beatæ perſeuerantiæ repromiſſum. Porrò quia in promotione ſufficientium, & benemeritorum, quorum exemplis ad bonum inuitantur alij, Ordo proſperatur prædictus, exhortationibus noſtris adijcimus, vt in lecturis, & alijs ipſius Ord. officijs vos, ſcientia præditos, circumſcriptione, & vitæ honeſtate probatos, & morum virtutibus inſignitos ordinare, & conſtituere prudenter, & prouidè ſtudeatis; attentiùs nihilominus prouiſuri quod eius Fratres Ordinis erga Prælatos, & locorum Ordinarios ſe reuerenter, & deuotè gerant, vt ſint alijs in ſpeculum, & exemplum, ac inter ipſos nullum ſcandalum quauis occaſione conſurgat, nec inde quorumcumque nobis iuſta quærimonia deferatur. Cæterum cum in hominibus non ſit auxilium, ſed infirmitas, & defectus; & propter hoc oporteat imbecillitatem noſtrã diuinæ manus ſubſtentari præſidijs, pias affectiones veſtras circa nos excites debitum charitatis, vt ad portanda fœliciter impoſita nobis onera ſeruitutis, veſtris, & eiuſdem Ordinis apud Deum interceſſionibus adiuuemur. Dat. Auenioni 6. Kal. Maij Pontif. noſtri ann. 9.

Lectis in publico Capitulo præfatis litteris, à PP. Diffinitoribus ſequens decretum fuit ſtabilitum. *Cum Sanctiſſimus Pater, & D.D. Summus Pontifex ad præſens Generale Capitulum litteras direxerit gratioſas, ſpecialem curam gerens, tanquam Pater, & Promotor Ordinis præcipuus, ad multa ſalutaria Ordini dulciter exhortando: Volumus & ordinamus quod prædictæ litteræ eiuſdem Sanctiſs. Patris in ſingulis Conuentibus; & Prouincialibus Capitulis legantur Fratribus vniuerſis, & propter litterarum Papalium reuerentiam, & ſufficientiam, Mag. Ord. à conſueta litterarum miſſione per Ordinem deſiſtit iſto anno: & nihilominus diſtrictè imponimus quod contenta in eiſdem litteris pleniùs obſeruentur; ſpecialiter de reuerentia ad Prælatos, & ſummè cauenda eorum offenſa; nec Fratres dent eis materiam ſcandali, & turbationis vllo modo.* Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

Hoc anno nonnulli Alemanorum hæreſibus imbuti, cum in Poloniam pene-

trare intentarent, vt ibi ſua peſtifera dogmata euomerent, à Prædicatoribus noſtris retardati ſunt, donec Pontificem Maximum de hoc negotio admonerent, mala omnia, quæ ex tali in Poloniam ingreſſu Catholicæ Eccleſiæ, ac fidelibus illis imminebant, eidem ſignificantes: qui opportuna eis remedia ſequenti anno exhibuit. *Bzou. de Prou. Polon.*

Conſtituto Generali Vicario Fratribus Congregationis Peregrinantium propter Chriſtum ad infideles cõuertendos à Magiſtro Generali Barnaba de Vercellis iuxta Pontificis mandata, atque licentia, ac benedictione communi omnibus Fratribus voluntarijs illi ſe ſociandi, elargita, tanta fuit Fratrum multitudo, qui ſe dictæ Congregationi aſſociauère; vt deſolatæ prorſus remanſerint Prouinciæ Ordinis, & Conuentus propter hoc multa incommoda, & damna paterentur, quæ cum Magiſter Generalis Ioanni Pontifici nunciaſſet, miratus Pontifex, & Fratrum Prædicatorum charitatem, pietatem, zelũq; animarũ cõmendans in hæc prorupit verba coram adſtantibus. *Hi quidem poſiti ſunt, Vt luceant, & ardeant in Eccleſia Dei.*

Scripſit igitur Pont. ad Patres in Capitulo Venetijs congregatos, ne ſinerent tot Fratres ad infideles accedere pro prædicatione Euangelij, ſed illos tantùm, qui ad hoc ſpeciales litteras à Superioribus ſuis haberent; & hi in talibus miſſionibus ſeligerent aptiores, & doctiores ad hoc ſacrum miniſterium, reliquis in ſuos conuentus reuertentibus, prout exequtioni datum eſt. *Olmeda in vita Barnabæ Gen. & Spondan. in Annal. num. 7. & ex Act. Capit. Gen. in quibus ſunt inſertæ litteræ Pont.*

P. Petrus Siculus aſſumitur à Pont. Max. Epiſcopus Eccleſiarum Liparitanæ, atque Pactenſis ad inuicem vnitarum, qui earundem iuribus infatigabili ſtudio patrocinatus ſub Regibus Friderico II. & Petro II. antiquam ſuarũm Eccleſiarum iuriſdictionem in cognoſcendis Iudæorũ cauſis, temporis lapſu deperditam, reſtitutam obtinuit. *Pyrrus Sicil. Sac.*

Magiſter Generalis Barnabas præ cæteris negotia S. Rom. Eccleſiæ apud Inſubres, & in Aemilia agebat. Quamobrem datis ad eum Io. Pontifex litteris ſerio admonuit, vt maximam, quam poſſet, diligentiam in promouendis ijs adhiberet, deque omnibus Sedem Apoſtolicam certiorem redderet. *Bzou. in Annal. num. 7.*

Inquiſitionis onus in Lombardia inferiori viriliter ſuſtinebat P. Lambertus, cui Io. Pont. vt contra pullulantes hæreſes, excitatas partim à principibus factionis Gibellinorum, partim ab impunitate graſſatorum, inſurgeret, mandauit, eaſque radicitus euellere conaretur, cum omni rigore contra hæreticos fautores, ac defenſores, necnon & receptatores eorum procedendo, datis Apoſt. litteris Auenione 12. Kal. Septemb. Pontificat. ann. 10. *Bzou. in Annal. num. 35.*

Collecto Cruceſignatorum, aliorumq; Chriſtianorum valido exercitu in Saracenos inualeſcentes, & occupantes terras eorundem, initum eſt prælium magnum inter vtramq; partem, in quo noſter Berengarius Archiep. Compoſtellanus Pontificis Ioannis partes ſuſtinens, militeſq; ad pugnam ſui feruidis eloquijs exhortãs, telis confoſſus, & ad mortem vulneratus, fœlici agone dies ſuos compleuit die 1. Septemb. in Corduben. conuentum trãſlato corpore, ibidemq; ſepulto. *Gil. in Theat. Eccl.*

ANNO 1325. Cum in Lombardia inferiori multi, etiam eccleſiaſtici, cum hæreticis confœderationem haberent, atque illis fauère non erubeſcerent, P. Lambertus ibi Inquiſitor Pontificem Max. de hoc monitum voluit, vt, quid ſibi exequendum eſſet edocèret: qui Apoſtolicis litteris datis Auenione 12.

Kal.

Kal. Septemb. eidem præcepit, vt contra confederatos fautores, receptatoreſque hæreticum ex officio inquireret, & delinquentes ſeuerè puniret. Litterarum autẽ initium tale eſt. *Cum nonnulli de Prouincia noſtra Romandiolæ, tàm Clerici, quàm Laici, Deum, & Romanam Matrem Eccleſiam offendere, &c.* Ex Director. Inquiſ. & Bzou. in Annal. num. 7.

In Generali Capitulo Ord. apud Pariſium celebrato, ex mandato Pontificis iniunctum eſt omnibus Prædicatoribus verbum Dei annunciantibus, vt fideles à taxillorum, alearumque ludis, in quibus nomen Dei iugiter blaſphematur, auertere totis viribus procurarent: tali edito decreto, hoc loco digno. *Cum in ludo taxillorum, & alearum nomen Chriſti, & B. Virginis Matris ſuæ prophanis Chriſtianorum labijs (proh dolor) iugiter blaſphemetur; de voluntate, & mandato Sanctiſs. Patris, & Dom. noſtri Ioannis diuina prouid. Summi Pontificis ordinamus, & omnibus Fratribus verbũ Dei, tàm Clero, quàm populo nunciantibus, diſtrictè mandamus, quòd in ſuis prædicationibus per ſanctas exhortationes, & feruidas, à ludo taxillorum prædicto, & alearum eos, quibus prædicabunt conentur retinere, ipſaſque graues Dei offenſas exprimere, qualiter ſecundum iura ea, quæ in tali ludo lucrantur, reſtituere tenentur, & qualiter qui de ſic lucratis, quòd iura diffinierunt, non adimplent, periculo ſuæ animæ ſe exponunt.* Iuſſa Pontificis igitur adimplentes noſtri Prædicatores omnem conatum adhibuère, vt hoc immane vitium ex fidelibus, atque Eccleſiaſticis maximè, eliminaretur. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Io: Pontifex Alexandro Archiep. Creten. ex Ord. Præd. conceſſit, vt Græcis ad Eccleſiam Romanam venientibus, ſeu etiam redeuntibus, poſſet multa ſpiritualia impendere beneficia. *Bzou. in Annal. num. 17.*

Initio præſentis anni Ioannes Pontifex ſelectis aliquibus principalioribus Fratribus noſtris, eos Inquiſitores cum plena auctoritate Apoſtolica in Poloniam miſit, vt Alemanis impijs hæreticis ſe opponerent, illorumq; ingreſſum in prædictum Regnum impedirent, ne venenum ſuum inter fideles illos diffundere poſſẽt; & quot quot ex eis inuenirent, caperent, ac ſeuero iudicio condemnarent. Inuigilauère igitur noui Inquiſitores ſuper fideles ſibi commiſſos; ita vt tales hæretici ad partes illas accedere formidauerint fidei candore illæſo ſeruato. *Bzou. de Prou. Polon.*

P. Matthæus Vrſinus Romanus de Campo Floræ, Franciſci Neapoleonis Vrſini Card. ex fratre nepos Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis electus apud Vrbem Veterem 1322. hoc anno mittitur à S.P.Q.R. Orator ad Ioannem XXII. Pont. Max. Auenione commorantem, vt Apoſtolicam Sedem Romanæ Vrbi reſtituere dignaretur. Acceſſit Matthæus, cauſam ſui aduentus exponens, atque vt Romanos conſolari dignaretur, enixè nõ ſemel Pont. ſupplicauit. Ioannes autem cognita viri prudentia, eundem Agrigentinum Epiſcopum creauit, de quo infra. *Ex Monum. Ord. & Vghell. Ital. Sac.*

Aſſumuntur & alij viri inclyti ex Ordine ad Eccleſiarum regimina P. Arnaldus Fredeti ad Condomien. in Gallia. Iacobus Gallus ad Coriſopiten. Durandus de S. Portiano al Melden. & Petrus Roganus ad Mazaren. qui anteceſſoris ſui Peregrini iuriſdictionem de cognoſcendis cauſis Iudæorum ſuæ diœceſis exequtioni dedit annuente Friderico Rege. *Pyrr. Sicil. Sac. & Gallia Chriſt. antiqua.*

Euecto ad Melden. Sedem Durando Sacri Palatij Mag. Io. XXII. in eodem Magiſterio P. Dominicum Grenier Toloſanum, Doctorem Pariſinum, virum doctiſſimum ſubſtituit, qui vix ſapientiæ,

atque dexteritatis ſuæ propalata Apoſtolicæ Curiæ notitia, poſt tranſactos binos menſes Appamienſem Eccleſiam conſequtus, ad regendas ſibi commiſſas oues celeri pede proceſſit, inſtituto à Pôt. Sacri Palatij Mag. B. Bartholomæo de Piſcialis Bononien. ex Armenia reuerſo. *Galanus & Vghell. inter Epp. Torcell.*

Celebrantur noſtra Generalia Comitia apud Perpinianum ſub Magiſtro Ordine Barnaba Vercellenſi pro Religionis neceſſitatibus, in quibus aliquæ fuerunt factæ ordinationes, quæ à Ioanne XXII. Pont. Max. Ordinem deamante confirmatæ, Conſtitutionum vim ſunt conſequutæ, inter quas vna emicat in Apoſtolicæ Sedis obſequium ſequentis tenoris. *Quicumque in publica prædicatione, vel in communi coram ſæcularium multitudine vllo tempore Summum Pont. diffamauerit, vel ipſius proceſſus, vel facta; vel irreuerentiam notabiliter fecerit, carcerali cuſtodiæ mancipetur; nec inde liberetur niſi per Capitulum Generale: & cogatur, ſi commodè fieri poſſit in publico reuocare. Qui autem in priuato, poſtquam per teſtes legitimos conſtiterit, vel iudicialiter confeſſus fuerit, pœna grauioris culpæ puniatur; & niſi per Prouinciale Capitulum, vel per Prouincialem de maturo conſilio diſcretorum cum eo minimè diſpenſetur.* Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

Cum Ordo noſter in Conſtantinopolitana Ciuitate apud Peram, atque in Chienſi Inſula domus, ſeu paruos conuentus, quos Vicarias nuncupamus, tunc temporis haberet, ſancitum fuit in hoc Capitulo, vt in Conuentus erigerentur, in quibus Fratres pro gentium conuerſione miſſi permanerent, atque ab eodem quoq; aſſumerentur pro exterarum nationum conuerſione. Decretum autem Capituli tale fuit. *Declaramus, volumus, & ordinamus quod loca de Pera, & de Chyo ſimpliciter ad Prouinciam Græciæ pertineant, & Prouincialis, & Diffinitores Capituli Prouincialis. Græciæ ponant ibi Conuentus, quando eis videbitur expedire; qui numerum duodenarium non excedant. Fratres autem pro Chriſto peregrinantes in eiſdem recipiantur Conuentibus, & teneantur, & inde mittantur, & reuocentur, ad loca inter nationes gentium ſituata, vt fructum ferant, & faciāt obedientiā, quē intenduñt ſecundū quod Vicarij Magiſtri Ord. dictorum Fratrum peregrinantium diſcretio iudicabit.* Prouinciæ verò Terræ Sanctæ fuerunt conceſſæ duę domus, quarum vna in Rhodo, alia vero in Armenia poneretur pro ſalute gentium, & conuerſione infidelium ad ſanctam Catholicam fidem. *Ex eiſdem Actis.*

Eodem anno 1327. creatur à Ioanne Pont. S. R. E. Cardinalis P. Matthæus Vrſinus de Campo Florę, quem S.P.Q.R. Oratorem ſuum ad eundem Ioannem miſerat; vt Apoſtolicam Sedem Romanæ Vrbi reſtituere dignaret, translatum prius ex Agrigentina Ep. Eccleſia in Sicilia, ad Sipontinam Archiepiſcopalem in Apulia. *Ciaccon. & Vghell.*

Monitus hoc anno Pont. ab Inquiſitoribus noſtris, anno ſuperiori in Poloniam ab ipſo miſſis, quòd nonnulli Catholicorum nobiles fraudibus hæreticorum paulatim in eorundem errores declinarent, P. Petrum de Colomeis Prouincialem Poloniæ, eiuſq; ſucceſſores contra hæreticam prauitatem Inquiſitores cum plenaria auctoritate Apoſtolica ſuo muneri neceſſaria conſtituit; Audierat enim Pont. à Ladislao Poloniæ Rege, quod Fratres Prædicatores pro viribus hæreticis, etiam cùm ſanguinis effuſione reſiſtebant, vt tantùm morbum ſuis feruidis declamationibus ex Polonia expellerent. Qua de re in eorundem fauorem Apoſtolicum diploma expediuit incipiens. *Inter alia, quæ nobis ex Apoſtolatus incumbunt officio, &c.* Bzou. de Prou. Pol. cap. 8.

Scripſit prætereà Pontifex ad Poloniæ Re-

Regem Vladiſlauum, vt Fratribus Prædicatoribus contra hæreticam prauitatem decertantibus ſuum Regium auxilium ad inquirendum contra hæreticos, eorumq; fautores exhiberet, datis litteris Apoſtolicis apud Auenionem Kalendis Aprilis, incipientibus. *Quantum honoris, & laudis Deo, & vniuerſali Eccleſiæ, &c.* Bzou. vbi ſupra.

Scripſit & Archiep. Gneſnen. vniuerſiſq; Prælatis in Regno Poloniæ exiſtentibus, quatenus prædictis Inquiſitoribus omne auxilium, conſilium, atq; fauorem ad munus ſuum exequendum, hæreticoſque capiendos, ac puniendos præſtarent. Tenor autem litterarum talis eſt. *Præ cunctis noſtræ mentis deſiderabilibus Catholicæ incrementum fidei affectantes, &c.* Dat. Auenione Kal. April. *Bzou. vbi ſup.*

His igitur Pontificijs litteris excitati Rex Poloniæ, Archiep. & Epiſcopi, Barones, & Proceres maximum Inquiſitoribus præbentes auxilium, pullulantes hæreſes ab eo Regno exterminarunt, magno Catholicæ fidei incremento. *Bzouius vbi ſupra.*

Eodem anno Eccleſiam Dei hoſtiliter perſequente Ludouico Bauaro, electo Imperatore, Magiſter Generalis Barnabas de Vercellis diſtrictè præcepit Fratribus omnibus ſibi ſubditis, vt eundem Ludouicum Bauarum, tanquam excommunicatum, & ſchiſmaticum, in omnibus euitarent, atque in terris eidem ſubditis Apoſtolicum interdictum obſeruarent in omni rigore. Præcepit inſuper, vt tàm priuatim, quàm publicè in concionibus, & colloquijs Ioannis Pont. Maximi cauſam totis viribus contra eumdem Ludouicum, & Nicolaum Antipapam ab eo creatum, conſtanti pectore defenſarent quæ omnia adimplentes Apoſtolicæ Sedi; fideles Prædicatores, innumeras moleſtias, & perſequtiones ab eodem Ludouico, & ſequacibus paſſi ſunt, alijs exilio mulctatis, alijs fuſtigatis, alijs lapidatis, cunctiſque ludibrijs expoſitis. *Plodius.*

Eodem pariter anno ſatis ſuperque infelici Fraticelli hæretici, qui in ſumma paupertate viuentes, cunctorum ſimplicium animos, atque oculos ad ſe trahentes, ſuis peſſimis deliramentis Catholicam Eccleſiam perdere conabantur, Ioannem Summum Pontificem, auxilio pertinacis Ludouici Bauari communiti, ſchiſmate excitato, in maximas anguſtias reduxerunt, eundem Chriſti Vicarium, hæreticum, atque Apoſtatam à fide decantantes; necnon & alterum de ſua ſecta Antipapam acclamantes. Vt tantis igitur malis opportunè occurrerct Pōtifex Max. eundem Ludouicum ab Imperio depoſuit, & Antipapam ad abiurandam hæreſim coegit. Inquiſitoribus cunctis inſuper ſeuerè mandans, vt eiuſdem hæreſis ſectatores igne, ac ferro ex Eccleſia Dei exterminare ſatagerent, quòd virili pectore præſtantes illi, neque etiam fœminis parcentes, innumeros igni tradidère: & hoc modo hæreſis Fraticellorum quaſi totaliter delumbata, tandem an. 1341. extirpata eſt. *Param. lib. 2. & Bzou.*

P. Prouinciali Poloniæ Petro de Colomeis præcepit inſuper Pont. vt Inquiſitores in Polonia inſtitueret, qui hæreticis viriliter reſiſterent, atque illos ſeuerè punirent, data ei ſuper hoc Apoſtolica auctoritate per litteras in forma Breuis. *Bzouius.*

Inter cœteros verò Prædicatores, qui cauſam Ioannis Pont. Max. omni timore poſtpoſito validiſſimè defenſarunt, fuit P. Benedictus de Aſſignano Nouocomenſis, qui poſtmodum eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, ac Legatus Apoſtolicus factus ab eodem Pont. cunctos Ludouici fautores, necnon & Antipapæ adhærentes, & Comi, & Cremonæ anathemate innodauit, Eccleſiaſticos beneficijs priuauit, & oppida quædam ſchiſmaticis adhæren-

hærentia Eccleſiaſtico interdicto, conſtanti pectore ſubegit. Quare Bauaro, eiuſq; aſſeclis odibilis ſupra modum factus, pluries inſidijs impetitus ad mortem, diuina ope illæſus euaſit. *Plod. & Param.*

Non defuère quoq; alij ex Prædicatoribus, qui calamo cauſam Pontificis Max. Ioannis defenſauère, inter quos emicuit P. Durandus de S. Portiano, qui doctum opus de origine iuriſdictionum edidit, ab eodem Pont. ex Magiſterio Sacri Palatij ad Melden. Infulam aſſumptus anno antecedenti. *Plod. & Myræus de Script.*

Aſſumpti ſunt à Io. Pont. ex ſuis fidelibus Prædicatoribus ad regimina Eccleſiarum P. Alexander Hungarus, factus Archiep. Creten. Petrus de Portillo inſignis Theologus Valentinæ Vniuerſitatis, necnon & Iacobo Aragoniæ Regi à ſacris confeſſionibus, factus Archiepiſc. Saceranus in Sardinia, & P. Vgolinus de S. Marco Parmen. factus Cremonen. Epiſcop. contra quem Nicolaus Antipapa Piſis exiſtens, quendam Bandinum ſibi adhærentem, Cremonen. Ep. fecit, in quem Vgolinus infracti animi vir, Ioannis veri Pont. iura defenſaturus inſurrexit, & oratione ad populum habita, ad fugandum Bandinum ſchiſmaticum inflammauit. Permanſit Vgolinus deinde in pace, & quiete in eadem ciuitate Epiſcopus, à ſibi creditis ouibus vnice adamatus, vſque ad annum 1349. quo ſenio confectus, abdicâta Epiſcopali cura, ad clauſtra Ordinis reuerſus eſt. *Vghell. & Plod.*

Cum Ludouicus Bauarus hoſtis Eccleſiæ Imperatorium diadema apud Mediolanum in templo S. Ambroſij à Guidone Tarlato Pſeudoepiſc. Aretino iã iam eſſet ſumpturus, P. Aycardus Dominicanus Archiep. Mediolanen. adduci non potuit neq; minis, neq; precibus, vt hoc Ludouico præſtaret, ſed Mediolano diſcedens tali coronationi intereſſe noluit. *Bzou. in Annal. num. 4.*

ANNO 1328. Infelix, infauſtuſq; nimis chriſtiano orbi illuxit propter ſcandala maxima in Eccleſia S. Dei ſuborta. Nam cum Ludouicus Bauarus Imperator electus odio maximo Summũ Pontificem Ioannem XXII. Auenione exiſtentem proſequeretur, die 12. Maij Aſcenſioni Dominicæ ſacra Imperatorio amictu veſtitus, Romæ ad gradus Baſilicæ S. Petri cum ſuis ſequacibus comparens, ſubſidente ad eius pedes quodam P. Petro de Corbaria, oppido Reatinæ Diœceſis, (qui olim legitimo matrimonij vinculo legatus, reclamante vxore, Ordinem Minorum ingreſſus erat, & ſanctitatis opinione in eodem viuebat, donec à P. Ioanne Miniſtro Romanæ Prouinciæ pro ſuis delictis excommunicatus, & ad carceres fuiſſet damnatus) poſt concionem populo habitam à P. Nicolao de Fabriano Apoſtata Eremitano, de conſtituendo Pontifice ipſo F. Petro de Corbaria, ſurgens Ludouicus, eundem Petrum Pontificem conſtituit, Nicolai V. nomine tradito, manto eidem impoſito, atq; anulo digito aptato; qui triduo poſt nempe 15. eiuſdem menſis ſeptem Pſeudocardinales nominauit, ſcilicet Venetũ Epiſcopum, iam pridem à Ioanne Pont. depoſitum, cum Fabrianen. & Abb. Fulden. & Abbatem S. Ambroſij Mediolanen. olim ob crimen hæreſis exauctoratum, Mutinen. Epiſcopum, duoſq; populares Romanos ſchiſmaticos, atq; Eccleſiæ rebelles, nominatis etiam aliquibus nobilibus Romanis, qui tali vituperio maculari renuentes, eidem obedientiã præſtare recuſarũt. Cœteros autem creatos Pſeudocardinales Ludouicus Imperiali auctoritate confirmauit. *Spondan. in Annal. num. 6.*

Conſtituit Corbarius ſuos Legatos ad Principes Chriſtianos, & Rectores Prouinciarum, & Ciuitatum Italiæ; Epiſcopos quoq; creauit ſibi ſimiles, necnon & multa

multa alia indigna præſtitit, & 6. Kal. Iunij aduerſus Ioannem Pontificem Max. decretum promulgauit, ne ſe Pontificem diceret, ſed Ioannem de Cadurco. Hæc ſunt ſcandala quæ fidelibus data ſunt hoc anno à perfidijs Sathanæ miniſtris, Prædicatoribus cunctis in Ioannis Pontificis fauorem inſurgentibus. *Spondan. in Annal. Eccleſ. num.6.*

Anno eodem congregatum eſt Generale Capitulum apud Toloſam, in quo primo loco decretum eſt, vt Fratres cuncti Prædicatores Ioannis Pont. cauſam ſuſciperent inconcuſſi, ac defenſarent viriliter, proceſſuſq; contra Ludouicum Bauarum ab Apoſtolica Sede factos interdictaque, & cenſuras contra eum, Petrum de Corbaria, dictum Antipapam, atque eius ſequaces ſchiſmaticos vbique terrarum publicarent. Decretum Capituli hoc loco dignum tale fuit: *Cum illi, qui debent eſſe aliorum exemplaria, in actibus virtuoſis exhibitent: ab illo verò, quem Dominus Ducem, ac Principem aliorum in tota vniuerſali Eccleſia inſtituit, ſequatur in grege Dominico pernicioſus error, ſcandaloſa inuitatio, ac damnatum principium plurimorum: Mandamus, & omni diſtrictione, qua poſſumus, imponimus Fratribus vniuerſis; necnon, & Magiſter Ord. in virtute S. Obedientiæ præcipit Fratribus omnibus de Diffinitorum conſilio, & aſſenſu, quòd Ludouicum quondam Ducem Bauariæ, hoſtem, & perſequutorem Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, ac per eandem tanquam hæreticum condemnatum; necnon, & alios fautores eiuſdem, tanquam hæreticos condemnatos vitent, ac interdictum occaſione dicti perfidi Bauari per S. Rom. Eccleſiam poſitum inuiolabiliter ſeruent; nec eidem Bauaro, vel ſuis prædictis fautoribus quocumque modo præbeant auxilium, conſilium, vel fauorem. Si qui autem contrarium inuenti fuerint facientes, pœna carceris, ad quem eos nunc pro tunc adiudicamus, inuiolabiliter puniri volumus, & mandamus; eiſdem mandatis, & impoſitionibus, quibus ſupra iniungentes, quòd Fratres in ſuis prædicationibus iuxta formam mandati Apoſtolici proceſſus nouiter factos contra dictum Bauarum, cum omni diligentia ſtudeant publicare.* Et quale poterant quæſo teſtimonium maius ſuæ fidelitatis erga S. Matrem Eccleſiam, atque Apoſtolicam Sedem præbere Fratres Prædicatores? Indictæ præterea ſunt in eodē Capitulo præces communes in toto Ordine pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ, ita petente Pontifice. *Ex Act. eiuſdem Capituli.*

Mandata Capituli fuère protinus in Ordine toto à Fratribus exequtioni data. Ex quo damna innumera Ordini prouenère; nam Piſis, Lucæ, Aretij, Viterbij, in Tuſcia, atque in pluribus alijs ciuitatibus Bauaro, & Antipapæ adhærentibus, Ioanne Pontifice Max. apud Auenionem exiſtente, Fratres noſtri ex conuentibus eiecti, delutati, irriſi, fuſtigati ſunt, poſſeſſione illorum ab earundem ciuitatum Rectoribus inita. Cumq; finitimi conuentus, ad quos exules Fratres declinabant, eos alere neutiquam poſſent, Io. Pont. dedit Ordini facultatem recipiendi nouos conuentus in locis, vbi non erant, & ita erecti ſunt conuentus SanMiniaten. S. Geminiani, Montis Politiani, apud Volateranam ciuitatem, & alijs in locis. *S. Antonin. & Luſitan.*

In Germania autem, & Bauaria maximè, necnon & alijs locis Ludouico Bauaro ſubiectis multa peiora damna paſſi ſunt FF. Prædicatores; nam ex conuentibus eiecti, atque contumelijs innumeris affecti, lapidibus, fruſtibus, alijſque modis afflicti, etiam ſanguine effuſo, glorioſum pro Chriſto agonem; imò & pro eius Vicario, atq; dilecta ſponſa Eccleſia pertulerunt. Quibus Ioanni Pontifici nunciatis, gratias egit Deo bonorum omniū largitori, qui tales fidos operarios ad excolen-

colendam vineam ſuam miſerat. *Ex Auctor. ſuprad. & Lopez p. 2.*

Videns Io. Pont. tantam Fratrum Prædicat. erga ſe, ſanctamque Matrem Eccleſiam, atq; Apoſtolicā Sedē fidelitatem, illos ex corde dilexit, & vt eſſent murus, & antemurale contra Ludouicum Bauarū, & Antipapam Nicolaum, multos ex eis ad Eccleſias, quæ tunc temporis Paſtore erant deſtitutæ, promouit. Et primò P. Aegidium Gallutium ad Creten. Archiepiſc. Guillelmum de Lauduno ad Toloſanam, ex Viennen. Eccleſia translatum; Benedictum de Aſſignano Epiſcop. Comen. Bartholomæum de Piſcialis Epiſc. Torcellanum; Petrum de Malocello Ep. Albintimilien. Philippum Benciuenne Ep. Groſſetanum; Tramum de Monaldeſchis Ep. Balneoregien. deinde Vrbeuetanum; Gentilem Bentiuenga Ep. Nepeſinum, Angelumq; Acciaiolum Ep. Aquilanū creauit, qui omnes Eccle. Catholicæ, atq; Ioannis Pont. cauſam infracto animo ſuſcepère. *Olmeda, & Vghell.*

In tantis preſſuris conſtitutus Io. Pont. ſalutis gentium non eſt oblitus, ac proptereà Taurien. Eccleſiæ in Perſide præfecit Epiſcopum P. Guillelmum Ligium, multoſque ex noſtris, ac Minoribus ad Imperium Elgigaddai, & terras Choraſam, Turguſtan, & Indeſtan ad Regna Perſidis, Indiarum, atq; Armeniæ direxit pro illorum populorum ad fidem Catholicam conuerſione. *Spondan. in Annal. num. 17.*

Opera Fratrum Prædicatorum in Armenia à B. Bartholomæo relictorum, F. Io. Cherna, & Magiſter Iſaias Armenorū Monachorum (ſchiſmatis tamen labe affectorum) Patres, cum ſibi ſubditis Monachis abiuratis erroribus ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ venientes, Ioannem Pontificem per littaras venerati ſunt, tanquam viſibile Eccleſiæ caput, & Chriſti Domini Vicarium, petentes vt cum noſtris in ſeruitio Dei, ac religioſo viuendi modo vniri poſſent, vt Galanus teſtatur in lib. *Conciliationis Eccl. Armenæ cum latina* p. 1. & refert §. *De Progreſſibus Fratrū Prædicatorum in reducendis ad Catholicam fidem Armenis.*

Alios quoque ex noſtris ad conuerſionem infidelium mitti voluit Ioannes Pontifex. Quapropter Patribus in Generali Capitulo apud Toloſam hoc anno congregatis præcepit; vt ad minus quinquaginta Fratres ſeligerent, idoneos, Euangelij miniſtros voluntarios, qui ad conuerſionem gentium properarent, datis Apoſtolicis litteris ſequentis tenoris.

Dilectis filijs Magiſtro, & Fratribus Ord. Prædicat. Io. Papa XXII. Salutem, & Apoſt. benedictionem.

INexplicabili deſiderantes affectu, vt diuini cultus officium, iam in plerіſq; Gentilium partibus (auctore Deo) propagatum, eò magis vigeat, quo miniſtris potioribus frequentatur, ſollicita deliberatione prouidimus; vt in hac veſtra congregatione per vos filij prouideatur, vt de Ordine veſtro, qui ſpirante Deo, velut cælum micat ſideribus, ſic perſonarum numero, & virtute coruſcat, ad minus quinquaginta Fratres ad hoc voluntarios, aliàs diſcreti, & ſufficientes mittantur ad partes Gentilium per ſingulos Ordinis veſtri Conuentus ad exercenda ibi diuina miſteria, prout expediens fuerit, diuidendi. Nos enim vniuerſis, & ſingulis, quos ad hoc duxeritis taliter eligendos, licentiam, & indulgentiam, quam merentur tranſeuntes vltra mare in ſubſidium Terræ Sanctæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium elargimur &c. Dat. Auen. Olmeda in vita Barnabæ Vercellen.

Delecti igitur ſunt Fratres, id enixè petentes, ſupra centum, qui ad conuerſionem gentium varias in Orbis partes directi, maximum fructum in animarum con-

conuerſione Eccleſiæ Sanctæ dedère. *Ex Act. Cap. Gen.*

Eodem anno P. Guillelmus Coſta, & ipſe Ioannis Pontificis partes ſuſcipiens; cum eſſet Barchinonen. Conuentus noſtri Prior, atque Friderico Regi Siciliæ in paucis charus, in Siciliam profectus eſt ad eundem Fridericum, vt illum à Ludouici Bauari amicitia ſegregaret, Ioanniſque Pont. partes ſuſciperet; quod maioris odij in Prædicatores fomes Ludouico fuit. *Luſitan. & Caſtill.*

Io: Pontifex P. Thomam Mantaſſolium Cathedrali Semiſcanten. in Imperio Elgigaddai, & terris Corraſin in Minori Armenia, & P. Iordanum Columbenſi Eccleſiæ præfecit; necnon & P. Guillelmum Ligium Epiſc. Taurien. Chriſti fidelibus Indianis plurimùm commendauit, qui meſſem copioſam in horrea Eccleſiæ congregarunt. *Bzou. in Annal. n. 28.*

Aſſumitur P. Petrus de Pireto Gallus à Io: XXII. ad Magiſterium Sacri Palatij, Apoſtolicæ Sedi inſeruiturus, quo in munere permanſit vſque ad annum 1335. ad Mirapicen. Eccleſiam promotus. *Gall. Chriſt.*

Ad Congregatos Patres in Capitulo alias Apoſtolicas litteras direxit Io: Pontifex, exhortans illos, vt pro dilatatione euangelij ſeligerent Patres idoneos, qui decertarent in gentilium conuerſione ad Chriſtum, ſpecialem Indulgentiam tribuens ijs, qui ad hoc ſubeundum Apoſtolicum miniſterium ad gentes properaſſent. Litteræ autem ſunt.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus Ord. Prædic. in Tholoſano Capitulo congregandis. Salutem & Apoſt. bened.

INexplicabili deſiderantes affectu, & ſūmo ſtudio perquirentes, quod diuini cultus officium, iam in pleriſque gentilium partibus auctore Domino propagatum, eo indeſinentius frequentetur, & vigeat, quo miniſtris potioribus inualeſcat, ſollicita deliberatione prouidimus, vt in hac veſtra Congregatione ſalubri, in qua Dominus Deus noſter, de cuius dilatatione nominis agitur, medius noſcitur conſtitutus, per vos filij ordinetur, prouideatur, & fiat, quod de Ordine veſtro, qui ſpirante Deo, velut cœlum micat ſtellis, ſic perſonarum numero, & virtute coruſcat, ad minus quinquaginta Fratres ad hoc voluntarij, non nimis tamen iuuenes, nec antiqui, ſed benè religioſi, aliàs & diſcreti, & ſufficientes competenter, Clerici, mittantur ad partes dictorum Gentilium per ſingulos Ordinis prædicti Conuentus, ad exercenda ibi diuina myſtereria, prout expediens fuerit, diuidendi. Quocirca vniuerſitatem, & diſcretionem veſtram monemus, requirimus, & hortamur atentè, nihilominus vobis per Apoſtolica ſcripta iniungentes, quatenus præmiſſa celeriter exequi ſtudeatis: nos enim omnibus, & ſingulis prædictis Fratribus, quos ad hoc duxeritis taliter eligendos, & tranſeundi ad partes prædictas licentiam, ac nihilominus illis, & ipſorum ſingulis, quos illuc tranſire contigerit, vt ſpirituali munere inuitentur, Indulgentiam, quam merentur transfretantes vltra mare in Terræ Sanctæ ſubſidium, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur. Datum Auenioni VII. Idus Maij Pont. noſtri anno 12. Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

Pontificis Maximi pijs votis ſatisfacturi Patres in eodem Capitulo congregati tale ſanxère decretum. *Cum Sanctiſs. Pater, & Dom. noſter Sum. Pont. Magiſtro Ord. & Diffinitoribus Capit. Gen. apud Toloſam nuper celebrati littaras exhortatorias commiſerit, pro Fratribus ſufficientibus ad gentes conuertendas ad fidem Chriſti, mittendis cum plena Indulgentia, quæ ſolet dari tranſeuntibus ad Terram Sanctam, ſignificamus Fratribus vniuerſis, quod R. P. Mag. Ord. commiſit ſingulis Prouincialibus, quod aſſignare*

 poſſint

poſſint Fratres de ſuis prouincijs, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuuenes, nec nimis antiquos, benè religioſos, diſcretos, ac ſufficienter literatos ſocietati aſſignare peregrinãtiũ propter Chriſtum; qui ſic aſſignati ad ſuas nõ poſſint reuocari prouincias quouſq; ibidẽ experti nouerint quem fructũ per eos inter infideles fecerit Ieſus Chriſtus: ipſique Prouinciales ſtudeant quantocius Magiſtro Ord. intimare quot, quos, & quales Fratres de ſuis Prouincijs inuenerint ad hoc opus aptos: tenorem autem dictæ litteræ Sanctiſſimi D. Noſtri mittit Magiſter Ord. loco ſuæ litteræ, per totum Ordinem in Actis Capit. Gen. ſcriptæ. Ex eiſd. Actis.

ANNO 1329. Celebratum eſt Capitulum Ordinis apud Ciſtaricum, in quo iterum iniunctum eſt Fratribus cunctis, vt partes ſuſceptas pro Ioanne Pont. Max. proſequerentur, impietatem, ac perſequtiones à Ludouico Bauaro Eccleſiæ illatas referentes; quod in ſuis ſacris prædicationibus complentes Fratres, ita eiuſdem Ludouici odium in ſe concitarunt, vt de eis trucidandis, ac perdendis decreuerit ipſe, ſicut ſequenti anno molitus eſt. *Ex Act. Capit.*

Patribus in Capitulo congregatis tales Apoſtolicas litteras direxit, orationum auxilia in ſuis calamitatibus ab eiſdem enixè petens Pont. Io:

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ord. F F. Prædicatorum & cæteris FF. eiuſdem Ord. Ciſteriaci in eodem Capitulo congregatis. Sal. & Apoſtol. benedict.

QVàm procelloſis commotionum fluctibus; quàm periculoſis turbinibus tẽpeſtatum hoſtis ille humani generis, qui ab initio in veritate non ſtetit cum ſuis nequam miniſtris, Petri nauiculam, vt operiretur fluctibus, viſus eſt his temporibus agitare, veſtra prudentia non ignorat, cum ex ijs etiam nonnulli de veſtro Ordine Fratres tribulationes, & perſecutiones varias paſſi ſint, quorum fidem, & conſtantiam ſuper ijs commendamus multipliciter in Domino Ieſu Chriſto, qui, cum cælos aſcenderet, eidem Eccleſiæ in perſona Apoſtolorum promiſit vſque ad finem ſæculi eſſe cum ipſa pace ſua, clementi pietate videtur imperare tẽpeſtatibus huiuſmodi vt quieſcant. Nos ipſi Saluatori noſtro, in cuius miſericordiam fiximus, & figimus anchoram ſpei noſtræ, gratiarum actiones exſoluere pro tantis beneficijs collatis eidem Eccleſiæ non ceſſamus; ſinceritatem veſtram attentius exhortantes, quatenus hoc idem per veſtrum Ordinem fieri, præces perdeuotas ordinetis effundi, vt Deus ipſe, cuius perfecta ſunt opera, quod tàm benignè cœpit, in hac parte perficere ad ſui gloriã, & honorẽ nominis; ac eiuſdem exaltationem Eccleſiæ, fideique dilatationem Catholicæ ceſſantibus aduerſitatibus, & deſtructis erroribus vniuerſis ſolidare dignetur; noſque, quibus licet immeritis, tanti ſarcinam impoſuit oneris, mole ipſius non ſinat opprimi, ſed ſic debilitatem noſtram ſua potenti virtute fulciat, & ſuſtentet, quod ſemper quæ ſuis ſunt grata oculis exequentes, vna cum grege nobis commiſſo dirigamur ad ſalutaria, & poſt præſentis vitæ decurſum perennis mercedem præmij de ſua plenitudine gratiæ conſequamur. Cæterùm cum circa dictum Ordinem, ne quidquam in eo reperiatur incongruum, ſeu cuiuſuis indecentiæ nota reſperſum, ſed ſic in eo potius totius honeſtatis ſplendor eluceat, quod in ſui nitore delectetur Altiſſimus, & meritò Eccleſia generalis exultet, vos curam decet ſedulam adhibere: exhortationibus noſtris adijcimus vt ad hæc, & alia ſalubria in præſenti veſtro Capitulo, diuina vobis aſſiſtente gratia ordinanda vigilantibus ſtudijs intendatis. Datum Auenioni Nonis Iunij Pontificat. noſtri ann. 13. Ex Act. eiuſd. Capit.

Receptis Apoſtolicis litteris, & in publico Capitulo lectis, tale decretum ſanxere

re

re Patres. *Cum Sanctiſſimus Pater, & Dominus Sum. Pont. Generali Capit. nuper Ciſtarici celebrato litteras exhortatorias miſerit, & quamplurimùm gratioſas, tenorem ipſarum litterarum mittit Magiſter Ord. loco ſuæ litteræ per totum Ordinem in Actis Capit. Gen. inſertam: volumus autem, & ordinamus quod prò bono, & tranquillo ſtatu S. & vniuerſalis Eccleſiæ fiat ſingulis diebus in miſſis Conuentualibus oratio, quam ipſe Dom. Noſter ſub Bulla ſua ordinauit, pro qua oratione dicenda viginti dies de Indulgentia pro qualibet vice dedit. Immediatè dicto* Pater noſter, &c. *proſtratis Fratribus ſuper formas dicatur Pſal.* Lætatus ſum, &c. Kyrie el. Pater noſter, &c. *quo finito Sacerdos, qui dicit Miſſam, dicat*: Et ne nos, &c. *& reſponſo.* Sed libera nos à malo. *Sacerdos ſubiungat Verſiculum:* Domine ſaluos fac Reges: *& chorus reſpondeat*: Et exaudi nos, &c. *Item verſiculum:* Saluum fac populum tuum, &c. *& verſ.* Fiat pax in vitute tua. Domine exaudi orat. meam: *Et ſubiungat Sacerdos*: Dominus vobiſcum: *cum Orationibus*: Eccleſiæ tuæ, &c. *Item Hoſtium noſtrorum quæſumus Dom. elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Chriſtum Dom. noſtrum. Amen.* Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

In eodem Cpitulo de mandato eiuſd. Pontificis Max. PP. Arnaldus de S. Michaele ex Tholoſana Prouincia, pro primo anno, & Lupus Alfonſi ex Prouinc. Hiſpaniæ, pro ſecundo, viri doctiſſimi, atque in eiuſdem Summi Pontificis Curia in maxima exiſtimatione habiti, ad legendas ſententias in Vniuerſitate Pariſienſi fuere aſſumpti; quod munus maxima fuit, atque Ordinis laude impleuere cauſam Pontificis Max. ore, & calamo ſemper defenſantes contra eius perſequtores. *Ex Act. eiuſd. Cap. Gen.*

Eodem anno Pontifex certioratus de fructu vberrimo à Prædicatoribus Catholicæ Eccleſiæ in animarum ſalutē procuranda allato, dedit in eorum fauorē Apoſtolicas litteras incipien. *Inexplicabili, &c.* in quibus refert vberes fructus Eccleſiæ uenientes ex eorum prædicationibus, ex quibus alij Archiepiſcopi, alij Epiſcopi, alij Sacerdotes erant in Apoſtolico conuerſionis gentium miniſterio occupati, in cunctis Orbis partibus, ad Orientem, & Meridiem, & Septentrionem: & plura priuilegia ipſis cōcedēdo, illos hortatus eſt vt ſicuti à Deo gratiam receperant tot infideles ad veram fidem pertrahendi, ita non grauarentur in eodem munere ad maiorem Dei gloriam perſeuerare. *Luſitan. in Chron. & Plod.*

Cum F. Michael de Ceſena Generalis miniſter Ord. Minorū cōtra Ioannē Pont. Maximum, ob decretum ſupra relatum de Chriſti paupertate factum, obloqui non ceſſaret, & Auenionem vocato eidem ſub excommunicationis, atque priuationis ſui officij pœna vetitum fuiſſet à Pont. ne ex eadem ciuitate diſcederet cum ſibi ſocijs F. Gulielmo Okamo, & Bonagratia Conuerſo, & iuramento ab eiſdem de hoc Pontifici Max. præſtito ijq. clam aufugiſſent omnes, & Corbario adhæſiſſent, Ioannes Pont. Michaelem à regimine, & Miniſterio Generali ſuorum abſobluit. Rem enim ſic geſtā eſſe prolixè narrat ipſe Io. in proceſſu contra eos facto, & ſententia hoc anno in eundem Michaelem repetita; commiſſo interim Ordinis regimine, donec alter Miniſter eligeretur, Fratri Bernardo de Turre Card. Epiſcopo Tuſculano aſſumpto ex Ordine Seraphico. *Spondan. in Annal. Eccl. ad an. ſuperiorem num.* 12.

Denique cum prædictus F. Michael pro Generali Minorum ſe gerere pergens, ſcelera multa, tàm in ipſo Ordine, quàm extra illū patraſſet, in Pont. odium. illique adherentium, (cum etiam peiora timerentur) cogitauit aliquando Pont. Io:

totum Ordinem recenti Templariorum exemplo extinguere; ſed vt inquit S. Antoninus, conſiderata aliorum innocentia, necnon & vberibus fructibus in Eccleſia ab eiſdem promanantibus; atque etiam inſtantibus Regum, & Principum pro eiuſdem Ordinis conſeruatione præcibus; diuino inſtinctu ab ira quieuit, & ad priſtinum Ordinis amorem rediit. At cum præter cœtera mala per præfatos Religioſos, aliosque eis adhærentes multi errores contra fidem, atquæ Apoſtolicam Sedem diſſeminari cæpiſſent; Inquiſitoribus noſtris commiſit Pont., vt eos comprehenderent, atque cum omni rigore punirent; quorum cum eſſet dux, & anteſignanus idem F. Michael de Ceſena, qui pro Generali adhuc ſe gerebat, atque Pſeudopontifici Corbario, & ſuis ſequacibus, necnon & Bauaro in omnibus adhærebat, idem Pontifex nouam ſententiam excommunicationis contra eundem protulit 12. Kal. Maij huius anni, qua vti fautorem hæreticorum, manifeſtum hæreticum, hæreſiarcham, & Schiſmaticum condemnauit, priuatumque omnibus officijs, dignitatibus, & honoribus, necnon, & priuilegio Eccleſiaſtico declarauit. *Spondan. In Annal. num. 6.*

Ioannes Pontifex ad auertenda mala, ſuperſtitiones, & hæreſes, quæ in Regno Neapolitano cauſa noui ſchiſmatis in Eccleſiã inundauerant, P. Ioannem de Auerſa Generalem Inquiſitorem in illud miſit, vt oportuna remedia eiſdem exhiberet. Peragrauit totum Regnum nouus Inquiſitor, & Apoſtolica, Regiaque auctoritate munitus, inuicta conſtantia cõtra multos, etiam potentes proceſſit, quos igne conſumpſit, non ſine euidenti vitæ periculo, morte illi pluries à ſceleratis intentata, à qua diuina ope ſeruatus fuit illæſus. *Valius.*

Vacantes Eccleſias Io: Pontifex hoc quoque anno noſtris Prædicatoribus regendas dedit, vt tanquam fidi Domini, atque Catholicæ Eccleſiæ canes, eam defenſarent contra Bauarum, continendo populos in veneratione eiuſdem veri Pont. & auertendo ab obedientia aſſumpti Corbarij. Et quidem Petro de Palude Patriarchalem Hieroſolymitanam, qui ſcripſit. *De cauſa immediata Eccleſiaſtica poteſtatis* in fauorem eiuſdem Pont. P. Bartholomeo Bóghuſino Eccleſiam Adrien. ad mare Adriaticum, Franciſco de Boaterijs Comaclen., Guillelmo Dulcino Lucanam in Tuſcia conceſſit. *Vghell. Ital. Sac.*

Eiectis Patribus noſtris ex ciuitatibus pluribus Romanæ prouinciæ Ioannis Põtificis cauſam defenſantibus, vt anno ſuperiori retulimus, & cum non haberent vbi caput ſuum ſecuri reclinarent in prædictis ciuitatibus, idem Pontifex ex intimis præcordijs ipſorum miſertus, facultatem dedit P. Barnabæ de Vercellis Magiſtro Generali fundandi nouos conuentus, apud Montem Politianum, Sanctum Miniatem, & Sanctum Geminianum dato Apoſtolico breui ſequentis tenoris.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Mag. Ord. Fratrum Prædicatorum. Salutem, & Apoſtolicam benedict.

SAcer Ordo tuus in agro Dominico diuina diſpoſitione plantatus, vt eo amplius, & latius diffundatur per orbem, ab Apoſtolica Sede meretur attoli, quo ipſius profeſſores erga Sedem ipſam per ingentis deuotionis conſtantiam, & bonorum ſtudia operum, ad robur & monumentum fidei Orthodoxæ ſe exhibeant plus deuotos. Sanè exhibita nobis tua petitio continebat, quòd propter rebellionem, quam Piſana, Lucana, Aretina, Caſtellana, Viterbienſis & Tudertina ciuitates, & Villa Serzanen. Lunen. Diœceſis communem contra Romanam Eccleſiam deſumpſerunt, & fecerunt, adhærentes

Ludo-

Ludouico de Bauaria hæretico, ac de hereſi condemnato, Fratres eiuſdem Ordinis in prædictis locis ſoliti commorari, ab eiſdem recedere ſunt coacti, & ad alia loca eiuſdem Ordinis Eccleſiæ prædictæ deuota confugere; quodque Fratres prædictorum locorum deuotorum propter paupertatem ipſorum eoſdem fratres confugientes nequeunt ſubſtentare. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, vt prouidere tibi, & eis ſuper hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, recipiendi loca de nouo in de S. Geminiano, & de S. Miniate, ac de Monte politiano Caſtris Vulterran. Lucan. & Aretinæ diœceſis, in ſingulis videlicet eorum, ſi aliàs à te iuſto titulo acquirantur, in quibus prædictos confugientes, & alios fratres dicti Ordinis, quos expedire videris, valeas collocare, dummodo in quolibet eorum locorum recipiendorum, duodecim fratres, inibi commerantes congruè, & honeſtè valeant ſubſtentari, in eis conſtruendi oratoria, domos, & neceſſarias officinas, non obſtantibus fel. record. Bonifatij Papæ VIII. prædeceſſ. noſtri, qua inhibetur, ne fratres Ordinis mendicantium in aliqua Ciuitate, Caſtro, Villa, vel loco quocumque ad inhabitandum, domus, vel loca quecumque recipere denuo præſumant abſque Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam dictæ prohibitionis mentionem, & qualibet alia Conſtitutione contraria, ſeu ſi perſonis aliquibus Eccleſiaſticis, vel ſecularibus locorum eorumdem a prædicta ſit Sede indultum quod nullis Religioſis mendicantibus liceat loca denuo in eiſdem Caſtris, & locis ſine eorum conſenſu recipere, etiam de licentia dictæ Sedis, niſi in huiuſmodi licentia de prædicto indulto, eiuſque tenor de Verbo ad verbum fiat mentio ſpecialis, plenam, & liberam tibi concedimus authoritate præſentium facultatem. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſiquis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolotorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Auenioni 8. Kal. Martij M.CCC.XXIX. Pont. noſtri an. XIII.

Supradictum Breue eſt in Archiuio Conuentus noſtri S. Geminiani Rom. Prou.

ANNO 1330. Coloniæ celebrándum erat Generale Ordinis Capitulum ex decreto antecedentis Capituli Ciſtaricen. At quia Deus non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus, apud Tiaiectum collectum eſt. Nam cum Ludouicus Bauarus Eccleſiæ, atque Ordini noſtro infenſiſſimus, certioratus fuiſſet de Capitulo habendo apud Coloniam, quæ ſub ipſius erat ditione, inſtante Capituli tempore multos milites ſibi fideles, infideles autem maximè Eccleſiæ S. Dei Coloniam miſit, qui latitantes, dum congregati eſſent Fratres noſtri in Capitulo, ſuper eos irruerent, & cunctos Ordinis Prouinciales, ac præſtantiores Patres trucidarent, cœnobiumque incendio deuaſtarent. Acceſsère innocentes Patres Coloniam, nihil tale cogitantes, & nocte antecedente Dominicam infra Octauam Aſcenſionis, qua die Capitulum intrare tenebantur, Soror quædam ex noſtris monita in ſomnis à S. Seruatio de cęde, quam parauerat Ludouicus, mane diluculo ad conuentum accedens, reuelata ſibi, Patribus nunciauit, qui clam bini, & bini ſecedentes, ac de nocte fugientes, Capitulum, atque ſe in proximam ciuitatem Traiecenſem tranſtulère, Bauaro deluſo. Ibi igitur Capitulum celebrantes à iuriſdictione, & dominio illius alieni, in tanti recepti beneficij memoriam, decreuerunt Patres, quod in toto Ordine officium de S. Seruatio 3. Id. Maij, qui Ordinem ab imminenti tanto periculo vndicauerat, haberetur perpetuis futuris temporibus: & quod Fratres magis, ac magis partes Ioannis veri Pontificis contra Ludouicum hoſtem Eccleſiæ, vbique,

in

in publicicis, ac priuatis congreſſibus ſuſciperent, ac defenſarent. *Olmeda in vita Barnabæ Mag. Generalis, Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ. Bzou. in Annal. num.* 11.

Fuit S. Seruatius Tungren. Epiſcopus, ſanctitate inſignis, qui Sardicen. Concilio interfuit, vbi Nicenæ Synodi fides cõfirmata eſt. A Magnentio tyranno vna cum S. Maximino Treueren. Epiſcopo ad Conſtantium Imperatorem Legatus miſſus, cum Alexandriam peruenisſet à S. Athanaſio honorificè receptus fuit. In Galliam deinde rediens, mala à Barbaris illi Prouinciæ illata, ſuſtinere non valens, apud Traiectum euolauit in cœlum, vbi tanquam illius ciuitatis Patronus à cunctis honoratur. Ibi igitur patrocinari voluit etiam noſtris Prædicatoribus, qui cauſam Eccleſiæ Catholicæ, atque illius Paſtoris Maximi conſtanti pectore defenſabant. *Ex Breuiar. Ord.*

Io: Pont. hoc anno, ſiue ſuperiori Prædicatores, & Minores multos in Perſidem, & Orientis Regna Apoſtolicos Euangelij miniſtros miſit; quos Imperatori Trapeſundæ commendauit, necnon, & Regibus, Georgiæ, & Croatiæ per quorum dominia erant tranſituri. Deinde alias litteras dedit Archiepiſcopo S. Tadæi, atque chriſtianis Imperij Perſici, aliorumque Principum, ad Imperatorem Aethiopiæ in fauorem eorumdem pro conuerſione gentium facienda. *Plod. & Spondan. num.* 11.

Cum Bauarus ſuperiori anno derelictus à Mediolanenſibus, Piſanis, Lucenſibus, alijſque ciuitatibus eidem adhærentibus, in Germaniam ſe recepiſſet, Petrus de Corbaria Antipapa relictus ſolus, de ſua ſalute temporali, atque æterna cogitans, veniam à Ioanne Pontifice petijt, ſupplicans, vt ſe à vinculis Eccleſiaſticis, quibus innodatus erat, abſoluere dignaretur, paratũ ad perſoluendas pænitentias ſibi ab Eccleſia imponendas, & datochirograhpo propria manu ſcripto, cuncta patrata ſe abiuraturum promiſit. Gauiſus eſt ſupra modum Io: de hac re, videns iam iam imponendum eſſe finem tantis malis Eccleſiæ, & miſſis ad eum, apud Piſas exiſten. P. Guillelmo Dulcino Ep. Lucen. cum Raymundo Stephani Camere Apoſt. Clerico, vt coram Archiep Piſano, atque ipſis, publicè ſua crimina deteſtaretur, confecto de huiuſmodi abiuratione publico documento, ipſe coram præfatis delegatis Apoſtolicis, multiſque Religioſis noſtris, aliorumque Ordinum, nobilibus Prælatis, omniſque conditionis hominibus, ſponte, & cum ingenti cordis amaritudine errores agnouit, & deteſtatus eſt, iuramento præſtito de ſtando mandatis Apoſtolicis. Quibus præmiſſis, beneficium abſolutionis à cenſuris ab eiſdem delegatis Apoſtolicis accepit, & ſchedam abiurationis ſuæ ad Pontificem miſit. Auenionem deinde acceſſit hoc anno, vbi in publico Conſiſtorio ad Ioanis Pont. pedes proſtratus, reſtem ad collum geſtans, ex ſcheda à ſe conſcripta proprios errores ſponte deteſtatus eſt, ſe Pontificis iudicio ſubdens cum imploratione veniæ, ac reſtitutionis ad communionem Eccleſiæ, quem cum lacrymis amplexatum oſculatus eſt Pontifex. Cæterum ne Corbarij occaſione rurſus Eccleſia turbaretur, ſi liberè vagari ſineretur, eum Ioanes Auenione retinendum voluit, datis illi in Palatio libris, ſocijs, cœteriſque neceſſarijs ad honeſtè viuendum, hac vnica cautela adhibita, ne quis eum inſcio Pontifice alloqueretur. Quem annis tribus, & menſibus vno ita vixiſſe ſcribunt Authores, mortuumque honorifice ſepultum eſſe in ſimplici Religioſo Minorum habitu apud ſuos minoritas. *Spondan. in Annal. hoc anno ſub num. 6. & antecedenti ſub num. 9.*

Cum Malendæ, & Alani Gentiles ſub dominio Hieratinio ex Hungariæ Regum ſtirpe

ſtirpe progeniti, prædicatores poſtulaſſent à Pont. Max. P. Thomam Senuſcaten. Epiſcopum cum ſocijs pluribus ad illos miſit, vt edoctos in fide ſacro lauacro regeneraret, prout præſtitère ipſi magno cum fidei catholicæ augmento. *Ferrar. p. 3. lib. 4.*

P. Benuenutus Bonguſinus deſignatus Ep. Hadrianen. cum Aegidio Gallutio, atque Lamberto de Cingulo, non ſine vitæ periculo excommunicauerunt publicè Pontificia auctoritate ſibi tradita, Orlandinum, qui ſe Mutinen. Epiſcopum nominabat, & alterum, qui ſe Nouarien. Paſtorem iactabat, ab Antipapa creatos, necnon, & Ludouici Bauari ſequaces. *Bzou. in Annal. num. 10.*

P. Paulus Guaſtaferrus ex cœnobio Peruſino in Orientem à Sede Apoſtolica deſtinatus, maiore parte Græciæ perluſtrata, Cõſtãtinopoli apud Perã Nigropõtano in littore, & alibi multis pro vnitate fidei, & communione Eccleſiæ exantlatis laboribus, plurimos ad gremium Romanæ Sedis doctrina, ac ſuaſionibus ſuis reduxit. Scitis quoque in Theodoſia, ſeu Caffà cum verbum Dei diſſeminaſſet, in Aſiam Minorem profectus, in templo S. Ioannis plures ſacro lauacro abluit, ingentes laborum ſuorum fructus Deo omnipotenti dando, quod, & apud Cyprum copioſè preſtitit. *Bzou. in Annal. num. 9.*

B. Nicolaus Voſinerius Peruſinus, & ipſe Euangelicus præco celebris vitæ auſteritate mirabilis, & ſanctitate inſignis poſt Hieroſolymitanam, & totius Palæſtinæ peregrinationem peractam, fideles conſtabiliendo in fide, infideleſque ſacro lauacro Eccleſiæ regenerando, à peregrinatione huius ſeculi in æternam Patriam peruenit. Vir verè Apoſtolicus, qui cilicij loco thorace ferreo nudum corpus nocte, dieque affligebat. *Bzou. vbi ſup.*

Cum P. Matthæus de Adria Inquiſitoris onus in Siciliæ Regno exercuiſſet, populos illos in veneratione veri Pontificis Ioannis contra intruſum Pſeudopontificem Nicolaum à Ludouico Bauaro, conſtabiliſſet, regnumque illud omni hæreſi purgaſſet, Polymnianenſis Epiſcopus ab eodem Pont. Max. creatus eſt, vt populum illum per viam ſalutis ad æternitatem dirigeret. PP. autem Angelo de Porta ſolis ex Sulcitanen. Eccleſia tranſlato dedit regimen fidelium Eccleſiæ Groſſetanæ: & Petro de Neapoli, Aarchiep. Nazarenæ. *Vallus, & Vghell.*

P. Petrus Brunus verò apud Toloſam Inquiſitor, in euertendis hæreticis illis erat indefeſſus perſcrutans eos ad necem, ne catholicos inficerent; quare multos ex eis de latibulis erutos diuerſis pœnis affectos, vel errores abiurare, vel mori coegit obſtinatos. *Ex Relat. Archiu. Toloſ.*

ANNO 1331. Reddita pace Eccleſiæ in Corbarij ſuorum ſcelerum abiuratione, F. Michael de Ceſena alter minorita eam perturbabat in Germania cum Ludouico Bauaro, atque ſuis ſequacibus Guillelmo Okano, Bonagratia conuerſo, Henricoque de Thalheim. necnon, & Franciſco de Eſculo, eidem Ludouico adhærentibus, & per Germaniam hæreſes multas publicè prædicantibus. Hos Ioannes Pont. in dicta die ad comparendum coram ſe excommunicauit tanquam hæreticos, hæreſes multas ſuſtinentes cont. Pontificis Max. auctoritatem; quas Spondanus in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis num. 2. refert. Contra illos igitur de mente Pontificis inſurgentes noſtri Inquiſitores, omnem adhibuère diligentiam, ne in ſibi ſubditis ditionibus huiuſmodi hæreſes ſerperent, neque inter eiuſdem Ordinis profeſſores inueniretur, qui eiſdem adhæreret. *Spondan. vbi ſup. & Taeg. in Mon. Ord.*

Reuerſus ex Syria P. Petrus de Palude Patriarcha Ieroſolymit. & narrans Philippo Galliæ Regi, necnon & Ioanni Põt. Max.

Max. obſtinationem Soldani cum malis, quæ patiebantur ſub tyrannide in terra Sancta fideles, cum eiſdem egit, vt arma ſumerent pro tantis malis ab eiſdem auertendis: At Philippo Rege conditiones multas, imò, & impoſſibiles ab eodem Ioanne petente, res dilata eſt, de qua infra. *Spondan. vbi ſup. num.* 7.

P. Gherardus de Auxora in Gallia hæreticæ prauitatis Inquiſitor vigilantiſſimus, cum hæreticos perſequendo ex ſibi ſubdita ditione fugaſſet, atque ſeuerè caſtigaſſet, ſenio confectus apud Biſuntium, laborum ſuorum fœlicia præmia cõſequturus, perexit ad Chriſtum in Vigilia Aſſumptionis B. Virg. huius anni. *Loix. in Specul. Inquiſit.*

Promouentur ad regimen ouiũ Chriſti in diuerſis Eccleſijs PP. Prædicatores à Ioanne Pont. & primò Pax de Vedano Prouincialis Lombardiæ, necnon & hæticæ prauitatis Inquiſitor, in Eccl. Tergeſtina. Ferrarius autem de Abello in Sicilia Inquiſitor, in Mazarenſi, atque eodem anno vacante Sede Archiep. Mogũtina Io: Pont. eidem præfecit P. Ioannem Germanum, virum & pietate, & doctrina conſpicuum, at reclamante Capitulo, eoquòd ius eligendi Archiepiſcopum ad illud ſpectaret, Pontifex Ioannem Verdenſi Eccleſiæ non inuitis canonicis præfecit. *Bzou. in Annal. num.* 10. *& Vghell.*

P. Bernardus Guidonis Lermouicenſis autem, Ioanni XXII. Pont. Max. charus, à quo Epiſcopus Tullen. deinde Lodouen. creatus, plures Apoſtolicas legationes pro Eccleſia S. Dei, atque Apoſtolica Sede obiuit per Italiam, Flandriam, & Galliam, ſicuti elogium eius ſepulchro appoſitum teſtatur, & annis, atque meritis onuſtus hoc anno vitam cum morte commutauit. *Gall. Chriſt.*

Ex conuentu noſtro de Pera Diœceſis Conſtantinop. & ex ceteris ad Terræ Sanctæ prouinciam ſpectantibus erumpebant inclyti S. P. Dominici filij, auro primo charitatis erga proximum amicti, per diuerſas Aſiæ ciuitates incedentes, vt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti inter barbaras nationes portarent, quod maximò cum populorum fructu præſtabant. Horum duces, Saracenorum, ac Gentilium animæ ſalutem ex corde ſitienties, fuère PP. Franciſcus de Camelino, & Ricardus Anglicus, qui cum multos ſacro regenerationis lauacro Eccleſiæ filios poſt ærumnoſos labores, calamitateſque non modicas aſſociaſſent, videntes meſſem multam, operarios autem paucos, ab Ordine, & Apoſtolica Sede coadiutores miniſtros expetere fuère coacti, vt dicetur an. 1333. *Ex Act. Capit. Gen.*

ANNO 1332. Cum Io: Pont. ex priuato genio non rectè ſentiret de viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus iuſtis, & purgatis in Purgatorio, conſequenda ante diem Iudicij finalis, qua omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; imò & putaret animarum damnatarum pœnas ipſas imperfectas eſſe ante extremi Iudicij diem, ac poſt illud longè atrociores fore, hanc ſuam ſententiam (non dum ab Eccleſia damnatam, & reprobatam expreſsè) non palam, ſed in oculto, & priuatim aliquibus manifeſtauit; quod tamen anno ſequenti præſtitit publicè. Cum verò innotuiſſet id Philippo Galliæ Regi, voluit eandem ſententiã per noſtrum P. Petrum Paludanum, alioſque præſtantiſſimos theologos examinari, à quibus omnibus in pluribus habitis Congregationibus diſcuſſa eſt, ac tandem reprobata, die 2. ſequentis anni. *Spondan. in Annal. ſub ann.* 1333. *num.* 2.

Contra Pontificis ſententiam inſurrexit quoque doctiſſimus vir P. Thomas Vualen Anglus, qui cum Auenione die S. Ioanni Euangeliſtæ ſacra in publico Epiſcoporum, ac Cardinalium conſeſſu eam, & ſcripturis ſacris, & exemplis impugna-

impugnaſſet, diuinam maledictionem imprecatus eſt contra illam ſuſtinentes: quare ab Inquiſitore tunc Franciſcano in carcerem coniectus, ſuadente Philippo Galliæ Rege dimiſſus eſt: ſcripſit autem, ac euulgauit librum doctiſſimum: *De ſtatu animarum poſt mortem*. Idemque in periculum incidit P. Durandus de S. Portiano Ep. Melden. ob eandem cauſam. *Bzou. in Annal. ad ann.* 1331. *num.* 11.

P. Henricus de Traiecto cenſuras, & diras in Fridericum à Pont. Max. prolatas denuncians, hoc anno euulgauit per totam Germaniam, tàm Superiorem, quàm Inferiorem libellum de auctoritate Papæ ſupra Imperatorem, & Reges quoſcumque; & de pertinacia P. Michaelis de Ceſena, Okam, & ſequacium eorundem, Friderico adhærentium, quos tanquam hæreticos, & ſchiſmaticos euitandos demonſtrauit; illorum hæreſes, hac deliramenta impugnando: quod cum Pontifici Max. innotuiſſet, laudauit ille zelum optimum Henrici, & ad ſe accerſitum, Epiſcopum Cabellionen. nominauit. At tantæ dignitatis ſe indignum agnoſcens ille, oblatam infulam acceptare renuit à Pontifice, pauperis Fratris modeſtiam mirante. *Taeg. in Monum. Ord.*

Noſter quoque Cardinalis F. Matthæus Vrſinus euulgauit opuſculum doctiſſimum: *De auctoritate Eccleſiæ* in fauorem Ioannis XXII. Pontificis contra illos Principes, qui eam infirmare nitebantur. *Lucarin.*

Ioannes Pontifex de recuperatione Terræ Sanctæ ſollicitus, Simoni Saltarello Ordinis Prædicatorum profeſſori Archiepiſcopo Piſano per Apoſtolicas litteras, datas apud Auenionem 7. Kalendi Auguſti Pontificat. anno 17. mandauit, vt vnà cum ſuis Suffraganeis Epiſcopis ſacrum bellum contra fidei hoſtes prædicaret, atque ad ſuppetias ferendas Piſanos, alioſque Principes, ac populos hortaretur, quod fideliter præſtitit Simon multis collectis, & militibus, & pecunijs in ſacri belli ſubſidium, atque Eccleſiæ S. Dei commodum. *Vghell. inter Archiep. Piſanos.*

Caput III.

P. VGONE CAMPANO Magiſtro Generali XVI.

ANNO 1333. Sedente adhuc Ioanne XXII. congregatum eſt Generale Capitulum apud Diuionem in Gallia pro Magiſtri Generalis electione facienda in quo aſſumptus eſt ad Ordinis regimen in Vigilia Pentecoſtes P. Vgo Campanus, natione Gallus; Doctor Pariſien. Pontifice Maximo de tali electione ſummoperè gaudente, vtpotè de viro ſibi notiſſimo, qui doctrina, prudentia, opinioneque apud omnes præſtabat, multiplici præſidentia in Ordine probatus. At ipſe quoque laborioſo ſucceſſu præfuit Ordini. Siquidem temporibus ſuis Religionem noſtram valida tempeſtas aforis ſat diu afflixit. Concutiebantur ipſa fundamenta noſtræ Profeſſionis, agebatur de introducenda viuendi formula prorſus à ſcopo noſtræ Vocationis aliena. Vnde plurimum huic optimo viro laborandum & tolerandum fuit, vt huiuſmodi noxie mutationi ſe murum fortiſſimum in Curia & vbique opponeret. Tam diu verò protracta ſunt hæc, donec Hugo animi moleſtia tabeſcens, laboribuſque plurimis cruciatus, die 2. Auguſti acuta febri

Digitized by Google

ſebri decumbens, in craſtino S. P. Dominici animam efflauerit Auenione, vni cum præſtantioribus Ordinis Patribus apud Curiam pro diſſipandis iſtis grauiſſimis procellis morabatur. Defuncti funus & exequias honorarunt præſentes inibi Cardinales, & anno ſequenti menſe Aprili redijt agitato Ordini ſerena tranquillitas, poſt obitum Benedicti XII. ſuccedente Pontifice Clemente VI. *Olmeda.*

Annos octo, & vltra Ordinem rexit Vgo, quibus ſequentia Generalia Capitula congregata ſunt: primum quidem Diuione hoc anno ſuæ electionis, ſecundum Lemouicis 1334. Deinde Londinij 1335. Brugis 1336. Valenzenis 1337. ſequenti autem anno 1338. ex Pont. decreto non fuit factum apud Claromontem 1339. Mediolani 1340. & vltimum apud Auenionem 1341. in quibus multa fuere decreta pro Gentilium conuerſione ad catholicam fidem, peccatorumque vocatione ad pœnitentiam, miſſis à ſingulis prouincijs ſex Fratribus ad Congregationem peregrinantium pro dilatatione fidei Catholicæ expetitis ad illius Vicario. *Olmeda.*

Hoc anno Ioan. Pontifex, quod iam antea mente conceperat de viſione beatifica animarum, publicè tractare cœpit; nam in concione ad Cardinales habita, dixit animas ſeparatas à corpore, & ab omni peccati macula purgatas, ſiue in hac vita per pœnitentiam, ſiue in altera per ignem purgatorij, beata viſione Dei ante extremum Iudicij diem nequaquam perfectè frui, ſed ſuorum reſurrectionem corporum expectare; ſimul cum ipſis perfectam beatitudinem conſequuturas, eandemque eſſe ſententiam SS. Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, Iuſtini, Irenæi, Origenis, Theodoreti, Tertulliani Lactantij, Victorini, ac Prudentij aſſeuerare non dubitabat. Qua de re multos in ſe concitauit aduerſarios zelatores, tam ex Cardinalibus, quam Prælatis, ac Religioſis, & Doctoribus; *è quibus* (vt Spondani verbis vtamur) *nonnullorum Dominicanorum, etiam vſque ad pœnas, zelus enituit*; qui cum Rege Galliæ egère, vt Pontificem de peregrina eius opinione, quæ damnum maximum inferebat Eccleſiæ, commoneret. Gerardus autem miniſter Generalis Minorum, Ioannis Pontificis, erga proprium Ordinem ob antecedentia relata offendicula malè affecti, gratiam conſequuturus, eandem opinionem publicè Pariſijs coram eruditis prædicauit; ſed quòd à Pariſienſis Doctoribus ſeuera fuerit reprehenſione caſtigatus; necnon & à Rege ipſo, qui à Pariſienſis Doctoribus doctrinam diligentiſſimè trutinatam, antea voluit, ſua dicta retractare, & contrarium docère iuſſus; ni vt hæreticus comburi vellet viuus, eo quòd ſuum Regnum nullam hæreſim retineret; neceſſe habuit Gerardus publicè profiteri, id ſe diſputationis tantùm gratia dixiſſe; credereque ea de re, quod Sancta Mater Eccleſia conſueuiſſet tenere, atque hoc pacto Regis ira quieuit. *Spondan. in Annal. numero 1.*

Contra ſupradictam inuiſam ſententiam inſurrexè, e noſtri Prædicatores, calamum in eam, ac ſequaces illius acuentes, (ea tamen reuerentia, ac modeſtia, quę debebatur Pontifici Max.) Theodoricus Germanus, Durandus Epiſcopus, Guillelmus Anglicus, necnon, & Thomas Anglicus, cognomento Valens, qui & vſque ad mortem penè pro veritate decertauit; non ſine tamen moleſtijs, & afflictionibus. Doctores quoque noſtri Pariſien. mordicus eandem impugnantes, ex fideliũ cordibus abolère curauerunt egregij viri PP. Petrus de Palma, Gulielmus de Caſtro Reginaldi, Garinus de Græco, Guillelmus de Celto, Aegidius de Puceyo

ceyo, Durandusq; de Aurillac. *Olmeda ubi ſup. & Leſebure in Manuali Hiſt.*

Rex autem Francorum Philippus Ioānis ſententiam per doctiſſimos omnium Ordinum Religioſos Teologos prius diſcutiendam voluit, ante quam Pontificem de illius falſitate admoneret, cui & eorundem Theologorum cenſuram, proprijs caracteribus ſignatam, miſit. Hi verò fuère Petrus de Palude Patriarcha Hieroſolymitanus ex Prædicatoribus: Petrus Rogerius Archiepiſc. Rotomagen. ex Benedictinis; Guillelmus Bernardi Cancellarius Pariſien. Nicolaus Liranus ex Minoribus; Petrus de Caſa Generalis Carmelitanorum; Petrus de Verberia Ordinis Vallis Scholarium, & Nicolaus de Alexandria ex Auguſtinianis, qui & ſigillis ſuis eam firmarunt die 2. Ianuar. huius anni 1333. cum in pluribus congregationibus rem anteà plenè diſcuſſiſſent. *Spondan. ubi ſup. num. 2.*

Talibus licet, ac tantis Prædicatorum calamis Ioannis Pontificis ſententia in cunctis Chriſtiani Orbis partibus vexaretur, qua de re non modicum affligebatur ille, ipſum tamen Ordinem, quem *Ordinē veritatis* agnoſcebat, ſummoperè diligebat, illius aſſeclis, tam in Apoſtolicis Legationibus ad Principes, quàm in Eccleſiarum regimine ſemper vſus. *Olmeda.*

Aſſumpſit propterea Pontifex aliquos ex Prædicatoribus ad cuſtodiendam Domini vineam cum ouibus Eccleſijs illis addictis; & quidem P. Nicolaus Sozenſis cum Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis eſſet, promotus eſt ad Archiepiſcopalem Iadrenſem in Dalmatia; B. Bartholomæus verò Paruus de Bononia ex Torcellana ad Archiep. Armenam aſſumptus eſt, qui ad ſibi commiſſum gregem celeri pede cum P. Angelo de Bononia, & Fr. Iacobo Conuerſo properans, Monachos Armenos ex ſchiſmate ad Catholicam fidem attractos à noſtris inueniens, gauiſus eſt ſupra modum, ſperans cum eis, & reliquos ſchiſmaticos ad Catholicam fidem acceſſuros. *Galanus.*

Celebrata ſunt hoc anno Comitia Ordinis, in quibus inter alia ſaluberrima ſancita decreta Vicario Magiſtri Ord. ſuper Congregationem Fratrum peregrinantiū propter Chriſtum apud infideles fuit iniūctum, vt in Conuentibus principalioribus ſuis ſcientias linguarum inſtitueret, vt Fratres in eiſdem inſtructi ad Gentes properantes, earumdem ad fidem Catholicā conuerſionem faciliori negotio, cooperante Deo, à quo bona cuncta procedunt, conſequerentur. *Ex Act. eiuſdem Capit. Generali.*

Prædicta verò inſtitutio ſtudij linguarum fuit facta eò quia ad Pont. Max. pedes acceſſerant PP. Franciſcus de Camelino, & Ricardus Anglicus noſtri Dominicani inſtituti profeſſores, eiq; retulerant vberem fructum inter gentes à ſe ipſis productum, meſſemq; ibidem eſſe multam, operarios autem paucos: vnde idem Pont. præfato Capitulo Apoſtolicas litteras direxit, prout ſequitur.

Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filijs Magiſtro, & Diffinitoribus Capituli Generalis Fratrum Prædicat. Salutem, & Apoſt. benedict.

NVper ad Apoſtolatus noſtri præſentiā accedentes dilecti filij Franciſcus de Camelino, & Ricardus, dictus Anglicus dicti Ordinis magno gaudio, viua voce, ac per virorum notabilium, quos aſſerebant conuerſos ad Chriſtum, litteram retulerunt, quòd Dominus, qui de tenebris ſecundùm Apoſtolum, ſplendeſcere lumen dicit, in illis regionibus ſic cordibus gentium illuxit, vt verum eſſe dicatur, quod inuocatione Spiritus Sancti, gratia eſt diffuſa, quodq; cum meſſis multa appareat, ſunt diuini verbi operarij multum pauci. Nos igitur qui diuerſitatem gen-

trum adunari in confeſſione Chriſti nominis feruentibus deſiderijs affectamus, vos lucentes in mundo, quaſi luminaria commendatia verbum vitæ, affectuosè duximus exhortandos, hoc ipſum vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum nihilominus iniungentes, quatenus perſonas aliquas in dicto veſtro Ordine in competenti numero ad tam ſanctum, tamque ſalubre miniſterium idoneas eligatis, ac ſic electas ad regiones illas tranſmittatis, quæ diuini verbi prædicatione, ſanctitate vitæ, & honeſtate morum, nec non, & doctrina ſana Dei mereantur fieri adiutores, triticumque purum, & mundum, ac à vitiorum paleis expurgatum in horrea Domini Sabbaoth congregare valeant de labore ſuo, fructumque permanſurum in ſæcula reportare. Datum Auenioni 11. Kalend. Iunij Pontificatus noſtri an. 17. Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.

ANNO 1334. Conſideratis à Ioanne Pontifice datis ſcripturis à P. Petro de Palude Patriarcha Hieroſolymitano, alijſque nobilibus Theologis ſupra recenſitis, contra ſuam ſententiam, de animabus videntibus clarè diuinam eſſentiam ante expectationem nouiſſimi Iudicij, rationibus in eiſdem adductis acquieuit, ita vt ſuam ſententiam retractauerit, & ad finem huius anni, nempe 3. Non. Decemb. ne aliqua ſiniſtra opinio de integra eius fide circa hanc ſententiam remaneret, Conſtitutionem edidit, qua declarauit credere ſe animas fideles purgatas, ſeparatas à corporibus, eſſe in Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio ſanctorum Angelorum vidère clarè Diuinam eſſentiam facie ad faciem. Si aliqua verò aliter, tam circa dictã quæſtionem, quàm alias qualcumque materias Fidem Catholicam, Sacram Scripturam, aut bonos mores concernentia dixiſſet, ea nolle eſſe dicta, ſed reuocare expreſsè; nec niſi inquantum eſſent conſona Catholicæ Fidei ſe approbare. *Spondan. vbi ſup. num. 2.*

Eodem anno Io. Pont. ad mortem infirmatus, profluuio exitiali ventris correptus, ſuſceptis cum deuotione maxima Eccleſiaſticis Sacramentis, orans & pſallens ſpiritu, Deo animã reddidit in Palatio Apoſt. Auenionen. nonagenario maior: cui Nouemdialibus, maxima cum pompa ab adſtantibus in Curia Cardinalibus de more perſolutis, vacauit Romana Sedes diebus quindecim. Patres autem noſtri beneficiorum à Ioanne Pont. Max. obtentorum non immemores, ne dum Auenione ſolemnes exequias, ſed etiam in toto Ordine celebrandas indixère pro ipſius anima, tanquam Pont. vnicè Ord. diligentis. *Spondan. ibid. num. 6.*

Plures Prædicatores pro Eccleſiarum regimine aſſumpti ſunt hoc anno à Ioanne XXII. & primò P. Iacobus, de Cingulo ad regendam Eccleſiam Firmanam; Ferrarius de Abella Apulus ad Barchinonen. & Petrus Auogadrus de Vercellis ad Alben. *Taeg. & Vghel.*

Generale Capitulum noſtrum apud Lemouicas celebratum eſt, in quo conſiderantes Patres ſcandala, quæ in Eccleſia Dei ex opinione Pontificis Max. de Animabus ſeparatis à corpore ſupra relata ſuborta erant, & damna peiora, quæ illi, atq; Ordini noſtro, eam impugnanti viriliter, imminebant, decreuerunt ad impetrandũ diuinum auxilium, quod poſt *Fidelium:* dictum poſt Matutinum, Horas, & Veſperas, impræter miſsè diceretur in Choro, & extra illum à ſingulis Fratribus Antiph. *Salue Regina*, & *Pie Pater Dominice*, *&c.* flexis genibus, & ſine nota cum orationibus de B. Virg. S. P. Dominico, & pro Eccleſia, cum de præſidijs Genitricis Dei Prædicatorum Religio ſpecialiter in Domino glorietur. *Olmeda in vita Vgonis Gener.*

Eodem anno P. Guillelmus Coſta Generalis Inquiſitor in Aragonia dexteritate maxima (de quo ſup. an. 1319.) in vincu-

la co-

la coniecit vaferrimum hæreſiarcham Bonatum, cum in priſtinos reincidiſſet errores, quos ante quatuordecim annos abiurauerat, & tanquam hæreticum relapſum in cæterorum documentum tradidit ſæculari brachio comburendum, ſocijs eius hæreſes abiurantibus; necnon & domo apud Villam francam, in qua conuenticula faciebant, ſolo æquata. *Diag. lib. 1.*

In Armeniā illius Archiep. B. Bartholomæus Paruus ingreſſus, ad Regem venerabundus accedens, receptas à Ioanne Pont. ſuæ promotionis Bullas tradidit, qui virum Dei ſibi optimè notum, tanquam Angelum de cęlo miſſum amplexatus eſt. Poſſeſſione igitur Eccleſiæ inita, ad conuertendos ſchiſmaticos à Romana Sede alienos ſe accinxit, nec quotidianas ad populum prædicationes ommittens, Deo corda dirigente, & Rege adiutrices manus porrigente, conſtabilita eſt ibi Catholica Eccleſia Armena, quæ vſq; in hodiernum diem illibata, noſtrorum opera perſeuerat: pro cuius conſeruatione, iuxta temporum varietatem, calamitates multas, ærumnoſoſq; labores perferentes, etiā cum multa ſanguinis effuſione, plantatam ibi Eccleſiam colunt, & excolunt, manibus ſuis laborantes, vt Mahumetanis tributum perſoluant, & fideles illos in via Dei, iuxta Romanæ Eccleſiæ ſacrum ritum dirigere, permittantur. *Grauina de Chriſtianitate in Armenia & Galanus.*

Cum Auenione pridie Nonas Decēb. Io. XXII. Pont. vitam cum morte cōmutaſſet, vt diximus eſſetq; ſucceſſoris electio celebranda, illam non niſi apud Prædicatores exequi decreuère Cardinales, qui erant numero 24. Electo igitur conuentu noſtro pro Conclaui, in eo recluſi ſunt à Comite Monatio, qui pro Rege Roberto Narbonen. Prouinciam regebat, & ſeptimo incluſionis die elegerunt Pontificem Max. Card. Iacobum Furnerium, Benedictum XII. nuncupatum ex Ciſtercien. Ordine. *Baron. in Annal.*

Factum eiuſdem Ioannis Pontificis Prædicatorum Ordinem deamantis, ne ſilentij tenebris inuolutum euaneſcat, hoc loco referemus. Cum ex iteratis Generalium Capitulorum, imo & Summorum Pontificum decretis ad prædicandum Euangelium pacis noſtri Prædicatores, ſalutis animarum ſitientiſſimi in Septentrionales, atq; Orientales partes, Regna, ac Prouincias directi, maximum Catholicæ Eccleſiæ in gentium cōuerſione ad Chriſtum fructum dediſſent, copioſamq; nobilium multitudinem ſacro regenerationis lauacro abluiſſent, inter eos Alexandra Maſſoviæ Principiſſa fidei lumine à Spiritu Sancto illuſtrata, infidelitatis tenebris deiectis, ſacro baptiſmatis fonte renouata, ſe, cunctaq; ſua Deo in odorem ſuauitatis obtulit, cœlum lucrifactura. Vt autem animæ ſuæ directores haberet Prædicatores, in Plocen. ciuitate ſui Principatus nobili ſede conuentum Ordinis extruxit, cum tunc temporis ibidem in pauperum hoſpitali eiſdem inſeruientes, tanquam in vili hoſpitio permanerent tranſeunter; necnon. & alium apud Niodlum Culmen. Diœceſis, & ad eandem Principiſſam legitimè pertinen. nobili ædificio conſtruxit, in quos ingredi recuſantes Prædicatores ob decretalem Bonifatij VIII. *De nouis locis à Mendicantibus Religioſis non recipien.* ſupplicauit illa Ioannem Pont. vt Prædicatores in conſtructis conuentibus permanere de Apoſtolicæ Sedis benignitate permitteret. Qui principiſſæ iuſtis petitionibus ſatisfacturus Plocen. Epiſcopo per Apoſt. ſcripta mandauit, vt piam deuotæ mulieris charitatem conſolari non ommitteret, Prædicatoribus in conuentuum poſſeſſionem immiſſis, incipien.

IOANNES PAPA XXII.

Venerab. Frat. Ep. Plocen.

P*ijs & honeſtis ſupplicum votis &c. ſanè petitio pro parte dilectæ in Chriſto filiæ*

filiæ nobilis mulieris Alexandræ Principiſſa Muſſoniæ nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipſa poſtquam diuina ſit ſuffragante clementia de infidelitatis tenebris, & paganiſſimi erroribus ad veram lucem, & fidei catholicæ profeſſionem vocata, ac ſacri fontis Baptiſmatis renouata fuerit, de propria ſalute recogitans, &c. Dat. Romæ apud S. Petrū 13. Kal. Iunij an. 2. Ex Arch. Ord. Hoc autem ſub an. 1317. erat referendum.

Idem Ioannes Pontifex cum generoſam S. Patris Dominici prolem ſibi, atq; Apoſtolicæ Sedi deuotiſſimam, ac fideliſſimam (contra Ludouicū Bauarumq;) eiuſq; inclytos filios in diuerſis mundi partibus lingua calamo, ac ſanguine Apoſtolicæ Sedis auctoritatē facūdo ore defenſaſſe ſciret: plures ex eis cōdignis remmunerationibus exaltaturus, Apoſt. Cappellanos honoris creauit: inter quos infraſcripti recenſentur per Apoſtolicas litteras datas. F. Marcus de Caſcite 3. Id. Octob. an. 1. Aluarus Gometius 16. Kal. Iunij ann. 2. Vvilhelmus Thorp. 17. Kal. Aug. an. 2. Ludouicus Thoriæ 12. Kal. Maij ann. 3. Iacobus de Conſtanco 8. Kal. April. eiuſd. an. 3. Ricardus Scandon Kalend. Febr. an. 3. Io. Comyntre 16. Kal. Maij an. 3. Iacobus de Confluentia 12. Kal. April. an. 3. Theodoricus Slegil 3. Non. Iunij ann. 3. Franciſcus Lippus de Piſtorio Kalend. Nouemb. an. 4. Ioannes Seijl 6. Id. Maij an. 5. quæ omnes Apoſt. litteræ ſunt in Ord. Archiuio.

ANNO 1335. Benedictus XII. Pōtifex, in fine ſuperioris anni electus ad congregatos Fratres noſtros in Capitulo Gen. apud Londinum Apoſtolicas litteras dedit; commendans ſe, & Eccleſiam eorum orationibus; vt Omnipotens Deus eum dirigeret in S. Matris Eccleſiæ gubernio ſalutari, & rogans eos, vt in aſſumpto miniſterio propagationis Euangelij inter infideles perſeuerarent, ſe erga eundem Ordinem optimè affectum teſtificans. *Olmeda.*

Magiſter Generalis Vgo Campanus, vt Fratres ſibi ſubditos aptiores redderet ad conuerſionem gentium, aſſignauit duos conuentus, in quibus inſtruerentur Fratres Congregationis peregrinantium inter gentes propter Chriſtum; vnum quidem apud Conſtantinopolim in Pera, alterum verò apud Capham, in quibus linguas gentium edocti, earundem conuerſionem faciliùs conſequerentur. Ex quo fructus mirabiles in Euangelij dilatatione Eccleſiæ prouenère. *Plodius p. 2. & Ferrar.*

B. Venturinus Ceraſolus de Bergomo, ætatis triginta annorum innumerabilem fidelium multitudinem ad pœnitentiam ſuis concionibus, atque exhortationibus adduxit, quos ſupra quadraginta millia, peculiari veſte indutos, Romam ſecum turmatim adduxit ad feſta S. Natiuitatis Domini, ſeſe flagellantes in locis, ad quos declinabant, atq; pœnitentiam, miſericordiam, & pacem conclamantes, & vbique magna charitate recipiebātur. B. Venturinus verò in ſingulis terris, per quas tranſibant, ſermones ad populū habebat, ſuis efficacibus exhortationibus, pacem (cum Italia tota armis quateretur) & pœnitentiam peccatorum annuncians. Auenionem inde digreſſus ad Benedictū XII. Pontificem pro impetrandis peregrinis ſuis Indulgentijs, ex aliquorum inuidia accuſatus apud Pontificem in multis, cuncta legitimè purgauit. At Pontifex veritus tantæ multitudinis damna, quæ prouenire poterant ex ſimili congreſſu, interdixit Venturino in Italiam regreſſum, iniungēdo illi, vt ſequaces ſuos ad propria dimitteret; manſitq; in Gallia vſq; ad electionē Clementis ſucceſſoris. *Spondan. in Annal. num. 1X.*

Euexit Benedictus XII. Pont. hoc anno ad regendas Chriſti oues in Eccleſia Mirapicen. in Gallia P. Mag. Sacri Palatij Petrum de Pireto, in cuius locum con-

Digitized by Google

ſtituit Magiſtrum P. Armandum de Bellouiſu Hiſpanum, virum doctiſſimum, & tanta præfectura dignum, qui ab Inſulis alienus, perſeuerauit in aſſumpto Magiſterio vſq; ad mortem, quæ illi euenit circa annum 1341. *Olmeda*.

Cum Benedictus Pontifex ſententiam à deceſſore ſuo Ioanne Pont. in Ludouicum Bauarum latam confirmaſſet, Piſaſque Bauarus cùm Corbario Antipapa ingreſſus fuiſſet; P. Simon Saltarellus noſter eiuſdem ciuitaris Archiep. (de quo ſupra an. 1332.) debitam fidelitatem erga verum Pontificem Benedictum conſeruaturus, ne cogeretur Corbario obſequium præſtare, Florentiam profugit, proteſtatus ſe in morte, ac vita verò Pontifici obſequium debitum præſtiturum. Quare indignationem Ludouici promeruit, illiuſq; duriorem tyrannidem expertus, rebellis ac præſcriptus declaratus eſt, Piſanæ Eccleſię intruſo Archiepiſcopo Geraldo Alerien. Epiſcopo, ipſo Simone ex ſua Eccleſia exulante. *Vghell. inter Piſan. Archiep. num. 56.*

ANNO 1336. Celebrantibus Fratribus Generale Capitulum Brugis in Flandria, Benedictus Pont. dedit Apoſtolicas litteras, eiſdem mandans, vt de animarum ſalute eſſent ſolliciti, & Fratrum Ordinis numerum, fideliter per Prouincias cunctas deſumptum, ſibi traderēt: quod timorem non modicum eis incuſſit, eò quòd reformationi Ordinum S. Benedicti & Ciſtercienſis ipſe intentus, de immutatione Conſtitutionum noſtrarum actutus timebatur; eò vel maximè quòd ſtrictam paupertatem in Religioſis non laudabat. Auxilium de Sancto igitur implorare neceſsè animaduertentes Patres, Litanias in Ordine; necnon & communes præces indixère, Miſſam de B. Dominico P. Noſtro ſingulis tertijs ferijs cantantes, vt filijs ſuis fieret in ſalutem. *Ex Act. eiuſdem Capit. & Olmeda.*

Idem Benedictus Pontifex animaduertens fructus vberrimos in Eccleſia promanatos ex peccatorum conuerſione ad meliorem frugem, facta per Prædicatores, mandat Leriden. Vniuerſitati, vt ad eorūdem ſermones pro ſuarum animarum vtilitate vadant. *Lopez p. 5.*

Card. P. Villermus de Godriuo Baionen. poſt multas propter Eccleſiam obitas Lègationes, poſt fundationem quinquę Conuentuum Ordinis; necnon & trium nobilium Eccleſiarum, varijs in partibus pro fidelium ſalute procuranda, capularis ſenex effectus, laborum ſuorum præmia conſequtus eſt in æternitare, ad cœlum properando in eadem Apoſtolica Curia apud Auenionem, corpore Toloſam trāſlato. *Ciaccon. & Vghell.*

B. Mauritius de Hungaria apud Iauarinum miraculis coruſcans in cœlum hoc anno euolauit, qui Regio Hngariæ Regum ſanguine ortus, primò vxorem duxit nobiliſſimam puellam, vt Regi parentibus, ac conſanguineis, id enixè petentibus ſatisfaceret, cum qua annos tres in ſumma concordia vixit, quibus tranſactis Budæ cum vxore Dominicanum inſtitutum amplexatus eſt; multas propterea parentum inſidias experti, in aſſumpto religioſo ſtatu inuenti ſunt fideles, in quo vſq; ad mortem permanſère; ac tandem virtutibus & meritis onuſti, cœlum conſcendère. Habuit autem in Ordine Mauritius germanum fratrem, Charum nomine, qui vitæ ſanctitate, ac virtutibus illuſtris eundem ſequtus eſt ad gloriam. *Spondan. in Annal. num. 10. & Plod. lib. 2. Bzou. in Annal. num. 28.*

Beatus quoque Techainahot cœlum hoc anno conſcendit virtutibus, & miraculis clarus, qui in Indijs Orientalibus & Euangelium nunciauit, & Ordinis conuentus fundauit, Regem Botlemium ad fidem conuertit, & Mauros eidem ſubditos baptizauit. *Plod. lib. 2.*

Be-

Benedictus Pont. P. Petrum Fundanum Epiſcopum conſtituit; vt oues Chriſti ſibi creditas verbo, & exemplo virtutum paſceret. *Vghell. tom. 1.*

ANNO 1337. Conuenerunt Fratres pro Generalis Capituli celebratione Valencenis ſub Magiſtro Ord. Vgone Campano, in quo pro gentium conuerſione ad catholicam fidem omnibus, & ſingulis Prouinciarum Ordinis Prioribus Prouincialibus fuit iniunctũ, vt quilibet eorum ſex Religioſos Patres, ſcientia, & moribus ditatos, ad Prouincias Græciæ, & Terræ Sanctæ, necnon ſocietati peregrinantium propter Chriſtum, delegarent, hoc ſancito decreto. *Committit Magiſter* (ſcilicet Generalis) *ſingulis Prioribus Prouincialibus, quod de ſuis prouincijs aſſignare poſſit quilibet eorum ſex Fratres Prouinciæ Græciæ, & Terræ Sanctæ, & Societati peregrinantium propter Chriſtum; voluntarios tamen, & illæſos in vita pariter, & in fama.* Cum autem tunc in Ordine eſſent iam inſtitutæ decẽ, & ſeptem prouinciæ, centum, & duo Patres, charitate feruidi, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti inter gentes, magno cum populorum illorum fructu hoc anno portauère. *Ex Act. eiuſd. Capit. Gen. & Taeg.*

Mirum eſt quot, quantaſque perſequtiones ab impijs hæreticis, Poloniam ſuo veneno inficere conantibus, paſſus ſit P. Io: Polonus Inquiſitor Vratiſlauien. qui tamen infracto animo contra eos gladio ſpiritus, atq; proprij muneris dimicans, etiam contra nobiles, & potentes, mortis inſidias ſibi non ſemel paratas, Deo, cuius cauſam agebat, protegente, deluſit: innumeros ex ipſis cuiuſcumq; ſtatus conditionis, & ſexus relapſos, & obſtinatos ſæculari brachio relaxando, eorumq; bona proſcribendo. Quare cogitauerunt ipſi de nece eidem inferenda, prout fuerunt ſicuti anno 1342. dicetur, de quo ibi, *Bzou. de Prou. Polon.*

In Lombardia pari zelo, atq; conſtantia Inquiſitores noſtri contra hæreticos, ex Septentrionalibus Regionibus in illam deſcendentes, decertabant, qui à Matthæo de Vicedominis viro potente apud Mediolanenſes protecti, virus ſuum per Lombardiam totam diffundebant. Quare Mediolanenſis Inquiſitor protectionem Matthæi Pontifici Max. denuncians, & cum adiacentibus Inquiſitoribus in hæreticos cum omni rigore procedens, eorum iniquitas igne, ferro, atque patibulo frænata citò euanuit, in Germaniam, & Boemiam ſuperſtitibus cunctis reaſſumentibus iter. *Paramus.*

Eodem anno delatus eſt numerus Fratrum Ordinis ad Capitulum Generale, apud Valencenas celebratum, à Benedicto Pontifice ſuperiori anno requiſitus, & inuenta ſunt multa millia Fratrum, iuxta numerum Tribuum filiorum Iſrael, inquit Olmeda, quo Pontifici Max. nunciato, mandauit ille Patribus, vt ſequenti anno à celebratione Capituli Generalis abſtinerent; quod timorem in Ordine auxit, eò vel maximè cum Cardinalis Matthæus Vrſinus, mortuo Card. Vilelmo, à Curia abſens eſſet, qui Ordinis partes ſuſciperet. Ad Litanias igitur, & preces confugientes Fratres, Deum enixè orabant, vt Ordini fieret in præſidium & ſalutem. *Olmeda.*

Cum P. Pax Inquiſitor apud Mediolanum proceſſum feciſſet contra Matthæum de Vicedominis, eiuſq; filios, & ſequaces hæreticorum fautores, Benedictus Pontifex hoc anno eidem præcepit, vt proceſſus quoſcumq; ab ipſo formatos contra eundem Matthæum, filios, & ſequaces inquiſitos aſſumeret, & ad pedes ſuos Auenionem deferret ante feſtum Pentecoſtes, cum ſententijs in eos latis; volens de dictis proceſſibus, & ſententijs pleniùs informari; vt illorum cauſam terminaret; quod P. Pax fideliter præſtitit, & ſcriptu-

cripturas, ac geſta omnia contra eundem Matthæum, filios, atque ſequaces ad eiuſdem Pontificis pedes detulit. *Vghell. inter Epiſc. Tergeſtin.*

P. Ioannes Sutorcia Standislaui Inquiſitor Cracouien. ſuis virtutibus, ac zelo Chriſtianæ fidei promouendæ in ſuo munere vigilans, plurimùm illuſtrabat Ordinem hoc anno, impiorum hæreticorum audaciam auctoritate ſibi demandati muneris condignis ſupplicijs comprimendo, cuius habetur mentio in Actis Capit. Generalis apud Valencenas celebrati, vt ſupra retulimus. *Ex Act. eiuſdem Capit.*

Aſſumuntur hoc anno ad regimen Eccleſiæ Tiburtinæ à Benedicto Pontifice P. Branca de Vrbe, qui paulò poſt è viuis exceſſit, in cuius locum ſublectus eſt P. Io. de Gebenna Confeſſor Delphini, translatus ab Eccleſia Tinnien. in Dalmatia, qui ſibi commiſſam Eccleſiam ſanctiſſimè gubernauit, vbi deceſſit anno 1342. in noſtra Eccleſia S. Blaſij ſepultus; cuius corpus in aliquibus partibus incorruptum repertum eſt anno 1663. iacetque ad leuam Aræ maximæ, vt vidimus. *Vghell.*

ANNO 1338. Generale Capitulum Ordinis, quod in Prouincia Franciæ Metis, ex ſuperioris Capituli Valencenis habiti decreto erat congregandum, celebratum non fuit hoc anno, Benedicto XII. Pontifex Maximo id vetante. *Ex Act. eiuſdem Capit. Gener.*

Videbatur Pontifex Benedictus non admodum probare, quod Ordinum Mendicantium Religioſi, qui tunc in S. Eccleſia Nouelli erant, ex meris quotidianis eleemoſynis præter vſum vetuſtiorum Ordinum victitarent, ac panem oſtiatim conquirerent, nec enim in Ordine Ciſtercienſi amplis poſſeſſionibus dotato, (cui Benedictus innutritus fuerat) id moris erat. Hinc meditabatur eum paupertatis rigorem funditus abolere. Grauiſſimè res iſta perculit noſtros Patres ſui priſtini inſtituti anxiè tenaces, maximè cum intelligerent, ob hoc Pontificem noluiſſe generale Capitulum, quod Metis indictum fuerat, alibi quàm coram ſe Auenione congregari. Proinde toti Ordini viſum fuit ad communes preces, ieiunia, & crebras die noctuque ſupplicationes dolenter confugere, vt Deus gemitibus exoratus aliam ſuo in terris Vicario mentem cœlitus inſpiraret. *Olmeda & Caſtill. p. 2. lib. 1.*

Eodem anno cum Benedictus Pontifex in reconciliando Eccleſiæ Ludouico Bauaro difficilem ſe exhiberet, in Germania tam Eccleſiarum Prælatis, quàm Principibus ſæcularibus pro Ludouico aduersùs Eccleſiam inſurgentibus, Pontificia auctoritas ſupra modum quaſſata fuit; nam Prælati ipſi Eccleſiaſtici, atque Regulares exilia pertimeſcentes, quæ auctoritatem Benedicti Pontificis defenſantibus dabantur, diras contra Ludouicum promulgare renuebant. Prædicatores autem (& ſi à Benedicto afflicti) infracto animo Pontificis Maximi mandata exequentes, pontificiam auctoritatem publicabant, defenſabant, tutabantur, promulgantes, ac prædicantes vbique Ludouicum ipſum hoſtem Eccleſiæ, bonorum Eccleſiaſticorum dilapidatorem, excommunicationis gladio ſauciatum, diriſque omnibus eccleſiaſticis irretitum eſſe. Quare ex eiuſdem ditionibus eiecti ſunt Prædicatores, & ſpecialiter ex Francofordia, Spira, & Bauaria, vbi cœnobia igne fuère conſumpta, Fratribus iniurijs, verberibus, contumelijs, alijſque malis vexatis, atque in via delutatis. *Bzouius numero 8. & Spondan. in Annal. Eccleſ. numero 4.*

Dum Prædicatores in Germania Pon-

tificiam auctoritatem tutabantur tanto cum damno, Benedictus apud Auenionem eoſdem multis modis affligebat; nam præſtantiores ex ipſis cum Magiſtro Generali apud Auenionem detinebat; & velle ſe Ordinis ſtatuta immutare, paupertatem eius tam rigoroſam abolère, aliaque contra noſtram profeſſionem ſtabilire edixit. Renuentibus autem illis his conſenſum præbere, interdixit Pontifex conuocationem Capituli nullo modo faciendam, vetuitque ne Auenione diſcederent. Fiebant igitur orationes ſine intermiſſione à Fratribus, ac Sororibus pro Ordine. Infirmatus autem Pontifex paulò poſt ad mortem Fratribus in ſuas Prouincias dimiſſis, circa immutationem ſtatutorum Ordinis ſiluit in poſterum. *Olmeda, & Plod. in vita Vgonis Mag. Gener.*

Card. Matthæus Vrſinus, Sabinenſis Epiſcopus à Benedicto XII. efficitur menſe Decembri, quam Eccleſiam annis duobus ſanctiſſimè rexit. *Vghell.*

Pontifex aliquibus ex noſtris miſſis Fratribus Prædicatoribus in Tartariam pro gentium illarum conuerſione ad Catholicam fidem, eoſdem Tartarorum Imperatori plurimùm commendauit, inuitando eum ad amplexum Chriſtianæ fidei. *Bzou. in Annal. num. 16.*

ANNO 1339. Veniens in Vrbem P. Matthæus Vrſinus Cardinal. ex Eccleſia ſua Sipontina, vt Sabinenſis poſſeſſionem iniret, cum Agnatis, & Cognatis, cœteriſque ſanguinis ſibi vinculo aſtrictis, viris nobilibus, potentibus, atque in Vrbe primarijs egit, vt Roma antiquum Apoſtolicæ Sedis patrimonium, excuſſo Ludouici Bauari dominio, ad Pontificis Maximi Benedicti ſubiectionem, ac debitam venerationem rediret, quod fœliciter præſtitum eſt, maxima cum Pontificis, Apoſtolicæ Curiæ, necnon & Romani populi exultatione. *Taegius & Lefeburè.*

P. Andalus Patauinus Inquiſitor, contra Iudeos diligentiſſimam inquiſitionem faciens, eoſdem ſacratiſſimam hoſtiam gladijs perforaſſe, atque illam copioſum ſanguinem emiſiſſe comperit, in Patauina Diœceſi ſcelere patrato. Detecti igitur aufugère illico in Auſtriam, vbi ab Auſtriæ Duce in vincula coniecti ibidem, donec conſuleretur Pontifex de euentu, in diro carcere fame, & ſiti afflicti fuère; qui reſpondit Iudæos, ſi non conuerterentur ad fidem Catholicam, capitali ſupplicio plectendos fore, ſacram autem hoſtiam debito honore in Eccleſia ſeruandam eſſe. Idem verò P. Andalus in Capitulo Gen. apud Claromontem hoc anno celebrato fuit factus Vicarius Generalis Romanæ Prouinciæ. *Ex Act. eiuſdem Capit. & Spond. in Annal. num. 11.*

Apud Terdonenſem ciuitatem ſacrum Inquiſitionis Tribunal P. Mag. Iacobus de Cremona regebat, hæreticorum hoſtis indefeſſus, qui naſcentes in ſua ditione hæreſes carpendo, ne pedem ibidem figerent, inuigilabat, ea propter delinquentes iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones ſeuerè puniendo, hæreticis timorem non modicum incuſſit, nitore Catholicæ fidei illæſo perſeuerante. *Ex Archiu. eiuſd. Inq.*

Cum B. Bartholomæus Armeniæ Archiep. ſua doctrina, virtutibus, ac ſacra prædicatione multos Saracenos, atque etiam ſchiſmaticos ad Catholicam fidem perduxiſſet, & in dies perducere ſatageret, à perfidis Turcis captus, atque in vincula circa hæc tempora coniectus, poſt multas calamitates, manibus lento igne conſumptis, glorioſo agone conſummato euolauit in cœlum maximo cum ſibi crediti populi luctu, in oppido de Cherna in noſtra Eccleſia B. Virg. Aſſumptæ in cœlum dicata, ſepulto corpore, quod ſumma veneratione, nedum à fidelibus, verùm etiam

à ſchiſ-

Iſchiſmaticis, & Turcis propter patrata miracula, colitur, ac veneratur. *Galen. & Vghell.*

In cœlum euolauit B. Maria de Venetijs Tertiaria, quæ quartumdecimum ætatis annum nondum egreſſa, nobili iuueni nupta, ab eodem poſt tempus derelicta, Tertiariarum Ordinis habitum induit, ſub quo vigilijs, abſtinentijs, diſciplinis, atq; cilicijs corpus diu affligens, diuina viſione recreata euolauit in cœlum, apud Sorores noſtras Corporis Chriſti ſepulta, cuius corpus euoluto anno incorruptum repertum eſt. *Bzou. num. 35.*

P. Franciſcus de Biſtagno Epiſcopus Verſentinus populum ſibi ab Apoſtolica Sede commiſſum regebat, qui hoc anno Altaria Eccleſiæ B. Mariæ de Morimundo in Valle Ticini conſecrauit. *Vghell. inter Accien. Ep.*

ANNO 1340. Cum in Polonia ſacrum Tribunal Inquiſitionis regeret P. Io. Vratislauienſis, ex Boemia Vratislauium peruenit impia hæreſis contra Eccleſiam Catholicam Petri Ioannis Piranenſis hæreſiarchæ, quam extinguere deliberauit P. Io. clam nobiliores hac pice infectos purgare cogitans, Nankero Epiſcopo Vratislauien. opem etiam ferente; quamobrem indignationem maximam, atq; odium Ioannis Lucemburgenſis promeruère, qui veneno Epiſcopum primò, deinde Inquiſitorem Pragæ, apud Regem Catholicorum legationem obeuntem, per ſicarium ferro iugulauit: contra quos omnes Benedictus Pōt. procedēs, illos Eccleſiaſticis cenſuris irretiuit. *Bzou. cap. 8. & Plod. p. 2. & Spondan. num. 5. ann. ſeq.*

Eodem anno menſe Martio ab Inquiſitore Lombardiæ ſuperioris detecta eſt, puella quædam, quæ ſimulata ſanctitate, cum eſſet forma corporis ſpecioſiſſima, omnium corda alliciendo, oculos ad ſe conuertebat. Hæc ad imitationem ſceleratæ quondam Guillelmæ, externo cultu, ieiunijs, & auſteritatibus ſanctimoniæ exemplo cunctis palam exiſtens, ſecretò ſacrilegio cum impuro ſacerdote flagitioſam, ac veneream vitam agebat ſceleſtiſſimam, quouſq; ab vtroque ſumpta audacia in publicum prodeundi, ad omnem imaginem ſeueritatis compoſiti, ſanctioris vitæ auctores videri voluère, & publicè concionantes aſſeclarum ad decem millia, fecère, qui libidinoſam vitam priuatim ducentes, in hominum conſpectu ſe flagellantes ſeminudi incedebant. Mediolani igitur detecti, detenti ſunt in carceribus hoc anno ab Inquiſitore, ſectæ auctoribus apud Cremonam ab Epiſcopo incarceratis, atque igne viuis conſumptis, aſſeclisque hinc inde diſperſis, fuga vitæ propriæ conſulentibus. *Spondan. in Annal. num. 3. & Plod.*

B. Philippus in Oriente cum B. Thaclauaret hoc tempore floruerunt, ex quibus prior patre Glareacas Rege in Indijs natus eſt, & poſterior nepos ex ſorore Monarchæ Abyſſinorum, (quē Presbyterum Ioannem dicunt) fuit, & hi propter Catholicam fidem martyrij palmam conſequti ſunt ab impijs Regibus, quorum impuritates zelo Chriſtiano coarguebant, eiſdem Regibus poſt illatum martyrium fulminibus cœlitus extinctis. Porro BB. Martyres pluribus claruère miraculis. *Spandan. num. 12. & Bzou. num. 23.*

Card. F. Matthæus Vrſinus poſt peractas pro Apoſtolica Sede Legationes multas, poſt reſtitutum Populi Romani Benedicto Pontifici ſublatum obſequiū. & poſt multos pro Dei Eccleſia exantlatos labores, 15. Kal. Septemb. dirigitur in cœlum, corpore in Vrbem tranſlato, & in Minerua apud Card. F. Latinum Vrſinum condito. *Vghell. Bzou. num. vlt.*

Ex irruptione à Tartaris in Poloniam facta die 24. Maij multi ex Prædicatoribus, & Minoribus in odium fidei, quam prædicabant, gladio trucidati, glorioſi

agonis palmam fuere conſequuti. *Bzou. in Annal. num.* 15.

Laborum inclytorum ſuorũ prætioſo ditatus B. Bonauentura de Tolomeis de de Senis onere, perrexit ad Chiſtum, ſanguinis, & virtutum quoque ſtemmate nobilitatus, qui ſalutis animarum cupidiſſimus, in audientia confeſſionum pœnitentium, atque ſacra prædicatione aſſiduus, inumerabiles pedcatores attraxit ad Chriſtum: ſcripſitque de mundi varietate: de grauitate peccati: De damnis, quæ recidiua peccata animæ ingerunt; necnon, & tractatum de ſui ipſius cognitione, pluraque alia opera ſpiritualia, in quibus tanti viri pietas mirabiliter elucet. *Ex monumi Cenuent. Senen.*

ANNO 1341. B. Io: Suenckefeldis Suidnicen. Inquiſitor hæreticę prauitatis in Germania, dum totis viribus incumberet ad exterminandos hæreticos in Boemia, apud Pragam à Rege Boemiæ, Ioanne Lucemburgenſi, dum glorioſum fidei teſtimonium præberet, iugulatus, in cœlum euolauit. Pluribus claruit miraculis poſt mortem, quibus pernoti fideles apud Apoſtolicam Sedem egère, vt eum inter Sanctos Martyres ſolemni ritu referret. *Bzou. in Annal. num.* 8.

Fratrum Prædicatorum opera extinguitur tandẽ Fraticellorũ hæreſis; nã poſtquam ab anno 1274. graſſata fuerat per Italiam, Galliam, atque Germaniam, tandem Deo dante, & Inquiſitoribus noſtris vrgentibus, pœnitus extincta eſt, aliјs patibulo ſuſpenſis, aliјſque igni traditis. *Caſtill. p.* 1.

B. Dalmatius Moner Hiſpanus datus eſt cœlo hoc anno, virtutibus, pietate, pœnitentia, atque miraculis inſignis, quem Lotus de Piſa Conuerſus ſequtus eſt ad gloriam, patientia, atque humilitate venerabilis. *Plod.*

Promouetur P. Io: Gallus de Prouincia Franciæ ad Arelaten. Archiep. Eccleſiam regendam cum ouibus eidem annexis, qui ſuæ Eccleſiæ iura infracto animo defendit, pauperum Pater effectus. *Gallia Chriſt.*

Poſt deceſſum Raymundi de Bellouiſu hoc anno ſequtum creatur Magiſter Sacri Palatij à Benedicto XII. Pont. P. Raymundus Durandi Gallus, vir celleberrimus, cuius habetur mentio in Vaticanis Regeſtis ſub anno 1343. Quieuit autem in pace anno 1345. *Lucarin. in Chron. Ordin.*

P. Ioannes Polonus Inquiſitor Apoſtolica Ioannis XXII. auctoritate pridem inſtitutus, contra ſerpentes hæreſes in Prouincijs, & diœceſibus ſuo tribunali ſubiectis, viriliter conſurgens, illarum ſectatores infracto animo perſequebatur ad mortem, neq; ſexui, neque ætati, neq; nobilibus ipſis parcens, quorũ odium in ſe ita concitauit, vt de morte illi inferenda concluſum ſit inter eos. *Bzou. de Reb. geſt. in Pol.*

In Toloſana ditione ſacro tribunali S. Inquiſitionis præſidebat P. Petrus Guidonis, inſignis viri Bernardi Guidonis Tolorani etiam Inquiſitoris, de quo ſupra an. 1315. germanus frater, natu tamen minor. Hic vir doctus, & pius murum, & ante murale pro Catholica fide ab hæreticorum inſidijs vindicanda ſe oppoſuit, prædicando, diſputando, in vincula conijciendo, caſtigando, ac etiam, ſi talia eſſent ſcelera, morte puniendo, hæreticos. Quare non ſemel mortis periculo deluſo, diuina fauente gratia ſeruatus eſt illæſus. *Ex relat. Arch. Toloſ.*

Caput IV.

P. GHERARDO DAMARO

Magiſtro Generali XVII.

ANNO 1342. defuncto Benedicto XII. & Neuemdialibus iuxta morem eelebratis, Cardinales iterum cœnobium Prædicatorum apud Auenionem pro Conclaui eligentes, illud ingreſſi ſunt, & poſt paucos dies F. Petrum Rogerij Lemouicenſem Monachum Benedictinum Pontificem Max. ſalutauère, qui & in noſtra Eccleſia die 19. Maij, in quam feſtum Pentecoſtes inciderat coronari ſolemni ritu voluit Clementis VI. ſibi nomine electo. Fuit hic erga Prædicatorum Ordinem optimè affectus, decretaque ab anteceſſore Benedicto contra eundem facta aboleri voluit, vt in ſuis antiquis legibus permanerent Prædicatores. *Olmeda.*

Celebrata ſunt, & noſtra Generalia Comitia eodem menſe apud Carcaſſonam pro Magiſtri electione. Et congregatis PP. Prouincialibus (nam erat Capitulum Pronincialium) cum de eligendo Capite tractarent inter ſe, ecce rumor de nouo electo Pontifice Clemente inſonuit, (nuncium quippe de morte Benedicti in via receperant electores) cui nepos ex ſorore erat in Ordine, nomine P. Gerardus de Damaro Lemouicenſis ex Prouincia Toloſana, de conuentu Briuenſi, Baccalaureus Pariſiienſis, eratque pariſijs ſuſcepturus inſignia Magiſterij. Viſum eſt ergo Patribus illum ſibi Magiſtrũ eligere ob gratiam tanti Pontificis promerendã, vt Ordini fieret in ſalutem contra ordinata ab anteceſſore Benedicto. Electus igitur fuit Generalis Magiſter P. Domarus, vir innocens, doctus, gratus, & humilis, necnon ſecundum exteriorem hominem non minus religioſus, corpore extenuatus, facie pallidus, membris mortificatus, & Ordini optimè affectus: Quòd cum Pont. Max. innotuiſſet, gratiſſimum illi fuit nepotem ſuũ ad tanti Ordinis Magiſteriũ euectum fuiſſe. Scripſit ſtatim Cancellario Pariſien. vt illicò Gerardum ad Magiſterium promoueret, & Gerardo, vt poſt ſuſcepta Magiſtralia inſignia feſtinans ad ſuos pedes accederet. *Olmeda.*

Gerardus igitur exactis ceremonijs duplicis ſibi impoſiti Magiſterij, & Ordinis, & Theologiæ, Apoſtolicam Curiam petijt, & Auenionem ingreſſus, in conuentum Ordinis prius ſe recepit, deinde cum humilitate maxima (miratibus cunctis) ad Auunculi pedes acceſſit, à quo benigniſſimè receptus, cuncta, quæ in Ordinis beneficium petijt, obtinuit. *Olmeda.*

In hunc modum ſtatu Ordinis (abrogatione ordinatorum à Benedicto contra antiquas illius leges facta) magis firmato, noua lux oriri viſa eſt, honor, gaudium, atque exultatio, quia reſpexit Dominus in orationes humilium, & non ſpreuit preces eorum. Nam die 28. Septemb. vigilia S. Michaelis eiuſdem anni P. Gherardus creatus eſt. S. R. E. Card. ab Auunculo ſub tit. S. Sabinæ, & hoc modò Magiſterio Ordinis vacante P. Petrus de Palma Prouincialis Franciæ illius regimen aſſumpſit. *Olmeda.*

Aſſumpſit ſtatim Pontifex Clemens multos ex Prædicatoribus, tanquam fides Apoſtolicæ Sedis miniſtros, ad ouium Chriſti, in varijs Eccleſijs, regimina, & primò P. Marcum Roncionum, electum à Capitulo Piſanum Archiep. præfecit Vrbinati Eccleſiæ, Angelum Acciaiolum Flo-

Florentinæ, & Albertum Boſon Auximanæ. *Vghell.*

Pontifex Clemens VI. Prouinciali Fråciæ facultatem conceſſit inſtituendi Inquiſitores ex ſibi ſubditis Fratribus in Toloſana prouincia ad hæreſes extirpandas ibidem pullulantes. *Bzou. in Ananl. num.* 32.

Cum P. Io: Inquiſitor Vratiſlauien. (de quo ſup. an. 1340.) in ſuo exequendo munere ardentiſſimo zelo in hæreticos flagrans, eorundem gladijs peremptus, perfuſione ſanguinis, glorioſus Chriſti atleta in cœlum conſcendiſſet, eius necē Deus, igne inextinguibili in Vratislauia ſucenſo, caſtigauit, tota ciuitate conflagrante die 8. Maij hoc anno. *Ferrar.*

Caput V.

P. PETRO DE PALMA Magiſtro Generali XVIII.

ANNO 1343. congregatum eſt Capitulum Generale Pariſijs, deſtituto Ordine ſuo capite propter aſſumptionem Gherardi ad purpuram, in quo ex vocalium omnium voto (vno excepto) ſalutatus eſt Magiſter P. Petrus de Palma Prouincialis Franciæ, atque Ordinis Vicarius de conuentu Biſuntino. Erat Petrus Magiſt. celeberrimus Pariſien. Theologus famoſus, humilitate, benignitate, Religionis zelo, prudentiæque virtute, adeo prædîtus, vt reuera quaſi palma floruerit in Ordine, & Domo Domini; vnde ante aſſumptionem Gherardi oculi omnium in ipſum erant intenti. Duo tantum Capitula habuit, primum quidem Pariſijs, ſecundum verò apud Podium, in quibus mandatum eſt Prædicatoribus, vt verbum Dei, atque Euangelium Chriſti annunciarent, à vanis, & curioſis abſtinentes: nam S. P. Dominicus non Philoſophorū documenta, ſed Chriſti Euangelium, Apoſtolorumque monita nobis reliquit, aiebat Petrus, qui etiā in ſuis viſitationibus, ac Capitulis ſæpè Fratres monebat, vt ſatagerent adimplere vocationem ſuam, recolerentque frequentet non tam nouiſſima, quam prima, ad quid ſcilicet ad Ordinem veniſſent, & ſeculum reliquiſſent; non verbo tantum, ſed & exemplo docens. Petrus igitur laboribus, atque curis obrutus ex hac luce migrauit in ſenectute bona Kalendis Martij, biennio, ſuſcepti muneris, non dum peracto. *Olmeda.*

B. Venturinus de Bergamo Auenione, vbi à Benedicto Pont. detinebatur, à Clemente VI. nouiter electo dimiſſus in Italiam, vt cruciatam prædicaret, multa fidelium millia ſacræ militiæ aſſociauit, qui ſub Vmberto Delphinatus Principe (poſtmodum Dominicano effecto) in Negropontē transfretauère cum ipſo. Deinde Smyrnam perrexit Euangelium Dei, pœnitentiam, & pacem Ieſu Chriſti prædicaturus, vbi infideles ad Chriſtum, & peccatores ad ſuorum ſcelerum deteſtationem adduxit. *Plodius.*

Clemens Pontifex curam Eccleſiæ Petinen. P. Stanislao de Cracouia, & Aemonien. P. Marco de Nouaria dedit, vt oues Chriſti per ſemitam mandatorum Dei dirigentes, ad æternitatis paſcua inflammarent, & eodē an. mortuo Io: Marochitano Epiſcopo, ei genti præfecit Paſtorem P. Alphonſum Bonhominium ab Epiſc. Albanen. Card. Gancellino conſecratū. *Bzou. in Anna'. num. 62. & Vghell.*

ANNO 1344. P. Io: Morlandinus Toloſanus Inquiſitor, in ſuo Inquiſitionis munere vigilans hæreticos viriliter inſequebatur, quorum aliquos, tanquam principaliores, in carcerem conclu-

cludens, condignis tandem ſupplicijs in aliorum timorem, atque exemplum caſtigauit. Quare Pontificis Max. gratiam promeruit, à quo ad Sacri Palatij Magiſterium, alias quoque maiores dignitates conſequutus eſt, vt dicetur infra. *Ex Arch. Toloſ.*

In Regno autem Neapolitano, & Apulia maximè, plurimùm inſudauit pro Catholica fide incontaminata ibidem conſeruanda peregregius vir ille P. Mathæus de Ponciaco, Apoſtolica auctoritate Ioannis XXII. Generalis Inquiſitor in eodem Regno inſtitutus. Cũ enim multi Iudæi, quibus Apulia affluebat, conuerterentur ad Chriſtum per ſuſceptionem baptiſmatis, & tanquam nouitij in fide ab hæreticis prauis dogmatibus imbuerentur: immò, & à perfidis Iudeis ad iudaizandum inducerentur, Apoſtolicus Inquiſitor Reginæ Ioannæ fretus auxilio, litteriſq; patentibus in eius fauorem die 12. Nouembris ſuperiori anno expeditis, in huiuſmodi delinquentes infremens ſpiritu, perſonaliter in Apuliam ſeceſſit, & rigore ſacrorum canonum in eos vſus, multos relapſos ſæculari brachio relaxatos publico igne, in aliorum documentum conſumpſit, alios ſalutaribus pœnitentijs afflixit, neophitoſque in fide aſſumpta erudiendos; ac firmandos voluit. Huius præſtantiſſimi Inquiſitoris mentionem facit (inquit Vallus) idem Io. Pont. in ſua Extrauaganti. *Tit. de Heret.* ſub his verbis: *Cum Mattheus de Ponciaco heretice prauitatis in Regno Siciliæ auctoritate Apoſtolica deputatus &c.* Vallus de Prou. Regni.

P. Taddæus Caphenſis Epiſcopus apud Scythas trans pontum Euxinum, optimi Pontificis partes exequuturus, omnẽ conatum adhibebat, vt populos illos, à veneratione Ieſu Chriſti alienos, ipſius nomine in corda impreſſo, ad ſacrum ſuſcipiendum baptiſma, Spiritus Sancti cooperante gratia compelleret, à Io. XX. Pontifice an. 1323. pro illarum gentium conuerſione illuc miſſus; qui poſt multos toleratos ærumnoſos labores, poſt expertas tribulationes multas, & malas in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, poſt deluſas malignantium perſequtiones, innumeros barbaros in catholica fide edoctos, ſacro regenerationis lauacro Eccleſiæ ouibus conſociauit, aliquorum Patrum ex Ordine miniſterio adiutus; idq; vt facilius valeret conſequi, quod ſibi ſuperabat tempus ex prædicationibus, & ſacris miniſterijs, in transferendis ex Græco in Scytharum, atq; Armenorum linguam ſacris libris conſumebat. Huius Apoſtolici Paſtoris ſubſcriptionem vidimus in probato exemplari Bullæ canonizationis S. Thomæ Aquinatis à Io. XXII. factæ, exiſtente in conuentu noſtro Tiburtiuo, cui ſe ſubſcripſit cum alio Archiep. Ordinis, vt alibi retulimus. *Galanus de Armen. Archiepp.*

B. Venturinus de Bergomo cum ſuis efficacibus ſacris prædicationibus, atque exhortationibus peccatores ad pœnitentiam, & infideles multos ad amplexum fidei Catholicæ atraxiſſet, Regem Raſciæ ſchiſmaticum ad vnionem S. Matris Eccleſiæ amplexandam diſpoſuit, monuitq; hac de re Pontificem Max. Clementem, qui eidem Regi ſcripſit, vt Spiritui Sancto non reſiſteret; ſed ad vnionem S. Matris Eccleſiæ à B. Ventino ſuaſam animum applicaret. *Spondan. in Annal. ad an. ſequen. num. 18. Ferrar. & Plod.*

P. Lucas Mannellus à Clemente Pont. aſſumitur ad regendam Eccleſiam Auximatem, oueſque illius per ſalutis ſemitam dirigendum. *Vghell.*

Cardinalis P. Gherardus de S. Domaro Clementis Pont. Max. Nepos, totius Galliæ de Latere Legatus inſtitutus, magno Apoſtolicæ Curiæ luctu, necnon & Ordinis mœrore, qui hunc præcipuum

apud

apud Pontificem Max. aduocatum, & benefactorem munificum ſe habere gloriabatur, hoc anno quieuit in pace apud Toloſam, ibidem conditus. *Olmeda*.

Humbertus Delphinus Viennen. Princeps Brianzoneſij, Dux Campiſauri, Marchio Ceſanæ, Comes Vienneſis, Albonij, Graſiuodani, Vapincenſis, & Ebreduneſij, Baro de Turre, Vallisbonæ, Fucigniaci, Medullionis, & Montis Albani, Ioanne II. Delphino Viennenſi patre genitus, matre Beatrice de Hungaria, promulgata expeditione in Turcas, eidem præfectus eſt à Clemente VI. Pont. Max. ſub titulo Generalis Capitanei S. Sedis Apoſtolicæ, & Ducis exercitus Chriſtianorum, proprijs Pontificis manibus cruceſignatus. S. R. E. vexillum accepit apud Villam nouam propè Auenionem 7. Kal. Iulij huius anni, & poſtquam cum Turcis vario marte pugnaſſet, in Galliam reuerſus, atq; humanarum rerum pertæſus, ſpræto viriliter principatu, Dominicanum Ordinem ingreſſus eſt, de quo infra. *Gall. Chriſt. inter Archiep. Remen.*

Dom. Raymundus Gaſton Valentinus Ep. hoc anno perpetuam S. Theologiæ cathedram apud noſtros Prædicatores eſſe voluit, qua Theologiam publicè Canonicos, & alios eccleſiaſticos edocerent. *Bzou. in Annal. num.* 23.

Conſtituitur Sacri Palatij Magiſter, inſeruiturus Apoſtolicæ Sedi poſt Raymundum Durandum P. Io. de Lemoyſi Gallus ex Prouincia Franciæ, mirabilis ingenij vir, Philippo IV. Galliæ Regi à ſacris confeſſionibus, de quo ſupra ad annum 1321. qui ætatis pondere grauatus, defloccatus ſenex ante completum ſui muneris annum deceſſit, ſucceſſoremq; in Magiſterio habuit P. Io. Morlandinū Lemouicenſem à Clemente VI. creatum, & ex Inquiſitore Tholoſano aſſumptum, de quo fit memoria in Vaticanis regeſtis ad annum 1347. factus poſtmodum Magiſter Ordinis. *Lucarin. & Olmeda*.

Caput VI.

P. GVARINO DE GIACO.

Magiſtro Generali XIX.

P. Guarinus de Giaco Campanus ex Antiſiodorenſi Conuentu poſt Petrum de Palma in Magiſtrum Generalem Ordinis aſſumitur in Capitulo Briuenſi anno 1346. vbi conuenerant vocales 44. ex quibus 25. Guarino in primo ſcrutinio adhæſerunt, reliquis Ioannem Morlandiuum Lemouicenſem, Magiſtrum Sacri Palatij eligentibus ad inſtantiam Cardinalis S. Sabinæ.

Fuit Guarinus famoſus Doctor Pariſien. vbi annis pluribus ſingulari cum ſui, & Ordinis laude rexit Theologiæ cathedram; gratia quoq; prædicationis verbi Dei enituit, naturæ donis pollens optimis, ab eoq; cuncta bona in Ord. ſperabantur; at fruſtrata ſunt heu nimis vota Patrum, morte celeri pede adueniente ex atrociſſima peſte, quæ per totam Europam graſſari incæpit. Tria Generalia Capitula celebrauit, primùm Briuæ, ſecundùm Bononiæ 1347. tertiū verò Lugd. 1348. poſt quod circa feſtū B. Magdalenæ apud Montem Millionem in Prouincia Franciæ deceſſit, & tunc Ordini Prædicatorum, ſicut & cœteris alijs, ex peſte validiſſima, quæ per tot annos Europam vaſtauit, patuit ruina magna. *Olmeda*.

Hoc tempore, & anno P. Io. Teflifenſis Epiſcopus, apud Georgianos à Ioanne XXII. creatus, in excolenda vinea Domini plurimùm laborabat, prædicando,

ſando, cathechizando, atq; baptizando Georgianas gentes, pro quarum faciliori inſtructione in Catholica fide, multos ſacros libros ex latino in Georgianam linguam vertit, quos ex Italia ſecum in Armeniam aſportauerat ſocius B. Bartholomæi Archiepiſcopi Magarieen. ſeu Armeniæ, de quo ſupra. *Galanus de Armeniorum Epiſcopis.*

Magiſter Generalis Guarinus de conſenſu Capituli Generalis erexit ſtudium generale in Pragenſi conuentu inſtante Carolo Rege Romanorum pro hæreſum impugnatione; & prædicatoribus Ordinis præcepit, vt omnem adhiberent diligentiam ad eliminandos errores execrandos à Boemia, quòd præſtitère fæliciter, exterminatis Petri Ioannis Pirenenſis hçreſiarchæ dogmatibus. *Plod. lib. 2.*

ANNO 1347. P. Antonius erat Epiſcopus in magna ciuitate de Sultanèa in Perſide, vbi erant olim Chriſtianorum templa viginti quinque, nunc verò vix ſunt in ea domus aliquot fideliũ, cum maiori Eccleſia in ſpurcitiam Mahometicæ ſuperſtitionis immutata, qui in conuerſione illius gentis ſedulam dabat operam, & contra Mahometanos, eorumq; impium cultum euulgauit librum. *Galan. de Armen. Epiſcop.*

P. Bernardus Nouinionenſis in Polonia, & Ducatu Mazouiæ perſequtiones, & iniurias non modicas pertulit pro Catholica Eccleſia: nam cum eſſet Plocen. Epiſcopus, pro Eccleſiæ ſuæ immunitate, eaq; ab omni hæreſis labe expurganda innumeras moleſtias, & contumelias expertus eſt bellorum occaſione inter Caſimirum Poloniæ Regem, & Semouitum Ducem Mazouiæ. *Plod. lib. 2.*

P. Sixtus Poncellus eodem anno ſcripſit contra hæreſes huius temporis librum inſcriptum *Defenſio Fidei* ad hæreſes confutandas vtiliſſimum. *Plod. vbi ſup.*

P. Bartholomæus Piſanus vir doctiſſimus, à quo Summa Piſanella, cum calamum ſuum in ſeruitium Eccleſiæ, iuriumq; illius pluries acuiſſet, multaque ſcripſiſſet, vitam cum morte commutauit hoc anno. *Plod.*

Succeſſorem habuit P. Io. an. 1342. impiorum gladijs per martyrij palmam in cœlum directus, in Vrariſlauien. tribunali S. Inquiſitionis P. Magiſtrum Ven. ceſlaum Polonum virum doctum, zeloque promouendæ Catholicæ fidei feruidum, qui anteceſſoris ſui virtutes, animiq; conſtantiam æmulatus, ſacrum illud tribunal in apoſtatas à fide rigore maximo rexit, muliercularum quarundam, aſſerentium carnis ſpurcitias quaſcũq; eſſe licitas, non minus ac cœtera naturalia oblectamenta, libidines igne compreſſit, & ſequaces earundem varijs ſuplicijs affecit. *Bzou. de Prou. Polon.*

P. Ioannes Morlandinus, ſeu de Molendinis Toloſanus Inquiſitor, hæreticorum malleus, cum in perſequendis hæreticis, atq; ex ſua ditione eliminandis hæreſibus quatuor cõſũmpſiſſet annos, neq; etiam Magnatibus parcens, à Pontifice Max. Clemente VI. cui Ioannis conſtantia, catholicæq; fidei zelus innotuerant, Sacri Palatij Magiſter creatus eſt, vt in Apoſtolica curia eius doctrina, atq; virtutes, tanquam ſuper candelabrum cunctis lucèrent. Ar breui temporis decurſu in eo magiſterio effulſit, ad Magiſterium Ordinis à Patribus vocatus in Capitulo Generali Barchinonen. an. 1349. *Olmeda & Plod.*

ANNO 1348. Patres Venceslaus Inquiſitor Vratiſlauiẽſis, & Petrus Mag. S. Theolg. Inquiſitor Cracouienſis omnem adhibuère conatum, vt ex ſibi ſubditis ditionis hæreticos, & ſequaces maximè hæreſiarchæ Petri Ioannis Piranenſis eliminarent, pluribus ex eis S. Matri Eccleſiæ reconciliatis; alijs igne, ac ferro conſumptis, non ſine euidenti pro-

priæ vitæ periculo. *Bzou. in Annal. Poloniæ.*

B. Nallus, ſeu Reginaldus Vrbeuetanus, ex nobili, & antiqua familia de Monte Marte miraculis coruſcans, apud Priuernum in cœlum euolauit. *Plod.*

Euecti ſunt ad Eccleſias cum ſibi creditis ouibus regendas à Clemente Pontifice, P. Vgolinus de Petralonga ad Sutrinam, & Petrus Graſſinus ad Anagninam, & P. Bernardus de Caſis ad Archiepiſcopalem Burdegalen. *Gall. Chriſt. & Vghell.*

P. Angelus Acciaiolus Magnus Cancellarius Regni Neapolitani cum P. Pyrro de Neapoli mittuntur à Neapolitano Rege Oratores pro grauioribus Coronæ negotijs ad Regem Angliæ. *Vallus de Prouincia Regni.*

Humbertus Delphinus Viennen. Princeps de perpetua ſalute cogitans, Dominicanam togam induere decreuit; & vt principatus, cunctuſq; ſtatus eius in beneficium, atq; ſubſidium Apoſtolicæ Sedis cederet, illum Clementi Pontifici pro centum millibus aureorum, quos inter ſeruos, familiareſq; ſuos diſtribueret, oppignorauit. At differente de die in diem Pontifice ſolutionem, eundem Philippo Valeſio Francorum Regi conſanguineo ſuo conceſſit. *Gall. Chriſt. tom. 1. in Archiep. Remen.*

Clemens Pontifex Prioribus FF. Prædicatorum, & Miniſtris Minorum Prouinciæ Hungariæ præcepit; vt ad prædicandum Catholicam fidem Cumanis, alijſq; infidelibus intra fines regni Hungariæ conſtitutis, viros ſagaces, doctos, ac pios mitterent pro dilatatione Euangelij Ieſu Chriſti, vt factũ eſt. *Ferr. p. 3. lib. 4.*

P. Io. Chryſoſtomus Poſnanien. Inquiſitor hoc anno & ſequentibus infatigabili ſtudio in hæreticos laborans, eorum plurimos, ſalutaribus iniunctis pœnitentijs, S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, obſtinatos aliquos, & mulierculas quaſdam præcipuè publico igne conſumendo. Quare deuios à Catholica fide ita perterrefecit, vt nonniſi fuga ex illius ditione propriæ vitæ conſulere poſſe agnoſcentes, in longinquas partes ſeceſſerint. *Bzou. de Prou. Pol. & Ferrar.*

Caput VII.

P. IOANNE MORLANDINO LEMOVICEN. Magiſtro Generali XX.

ANNO 1349. Patrum noſtrorum diligentia Inquiſitionis tribunal regentium in Polonia atque Germania, impij Petri Ioannis Piranenſis Boemi hæreſiarchæ oſſa exhumata, publico igni per manus carnificis, poſt proceſſus multos contra eum factos, illiuſque hæreticales errores condemnatos, tradita ſunt hoc anno, maximo hæreticis timore incuſſo. *Bzou. cap. 8.*

Celebratum eſt Generale Capitulum ſublato Guarino, apud Barchinonam, in quo ſalutatus eſt Magiſter Generalis P. Ioannes Morlandinus Lemouicenſis Sacri Palatij Magiſter, vir tanto Magiſterio dignus, qui in ſtudijs publicis diù Regentis onus ſuſtinuit, atque Toloſæ Inquiſitor fuit, & tam extra Curiam Apoſtolicam, quàm in illa prædicator famoſus enituit, Ordinem texit optimè pro temporum conditione; nam incidit in mala tempora propter graſſantem ſupra modum luem in Europa tota, maxima cum gentium, & Fratrum ſtrage, & ſchiſma peſſimum in Eccl. ortum. Quibus tamen non obſtantibus aliud quoq; Capitulum habuit

habuit apud Montem Peſſulanum ſequēti anno, qui fuit Iubilæi, laborioſiſſimus tamen propter innumera mala in Ordine ſuborta cauſa diræ peſtis. De quibus infra. *Olmed.*

Angelici Doctoris corpus à Leonardo Fundano Epiſcopo, necnon & à Comite Fundano ex Monaſterio Fſſæ nouæ Fundum defertur, ſuauiſſimum odorem emittens *Lopez p. 5.*

Aſſumuntur à Clemente Pontifice ad variarum Eccleſiarum regimina aliqui Prædicatores hoc anno, inter quos ſequentes recenſentur. Gaſbertus Orgoglius ad Ceneten. & Nicolaum de S. Martino electum Archiep. Piſanum ad Maceraten. euexit, virum in multis ſæpe probatum. *Vghell.*

P. Robertus Holkot vir doctiſſimus, & præſtantiſſimus, diuini verbi declamator celebris, necnon & morum præſtantia venerabilis, dum infirmis ſacramēta miniſtraret, dira peſte percuſſus, relictis multis in obſequium Eccleſiæ libris, atque operibus, de terra viuentium tollitur. *Mirræus.*

In locum Morlandini Pontifex Sacri Palatij Magiſtrum elegit P. Guillelmum Sudrè Toloſanum de conuentu Briuenſi, Doctorem celebrem, magnæque famæ Theologum, apud eundem Pontificem, nec non & Apoſtolicam curiam in veneratione habitum, qui in eo munere ſingularem Apoſtolicæ ſedi, atque Ordini decorem attulit, ad ſacram purpuram tandem vocatus. *Olmeda.*

ANNVS 1350. Iubilæi fuit, à Pont. Max. Clemente ad quinquageſimū annum, ex centeſimo, iuxta Bonifatij VIII. conſtitutionem, reductus: at infauſtus, infœlixque nimis, & orbi, & Ordini illuxit propter bellicos tumultus, graſſantemque nimis in Gallia, Hiſpania, Italia Germania, Hungaria, nec non Europa tota peſtem; atque ita ſæuientem, vt ex tribus mortalium partibus duas abſorbuerit illa. Templa, & cœmeteria, imo & agri in cœmeteria aſſumpti, humanis corporibus ſepeliendis non ſufficiebant; & quia ad veſtium contactum aderat lues, non erat qui cadauera ſepeliret; vnde fœtore intolerabili inualeſcente, peſtis magis, ac magis vigebat, ſæuiebatque. Deficientibus igitur piorum eleemoſynis, eò quia, qui remanſerant ſuperſtites relictis ædibus ad deſerta loca conuolabant, coacti ſunt Fratres noſtri, aliorumque Ordinum profeſſores cōuentus, & Monaſteria deſerere, aliaſque ad partes fugitantes declinare: ex quo paulatim facta eſt ruina magna in cunctis ſacris Ordinibus euerſa regulari obſeruantia, ſicuti in noſtro tractatu de Reformatione Ordinis fuſius retulimus. *Olmeda.*

Congregatum eſt à Patribus nihilominus maximo cum vocalium vitæ periculo Capitulum Ordinis apud Montem Poſſulanum in Gallia hoc anno in feſto Pent. in quo de illius reparatione, in interitum penè corruentis actum eſt. At nihil concluſum, quia peſtis magis, ac magis inualeſcebat, & confundebat omnes: nam deficientibus Fratribus, conuentus in dies deſolabantur. *Olmeda.*

Barchinone ortus eſt error de ſanguine Chriſti Domini noſtri, qui cum publicè doceretur, P. Nicolaus Roſellius Inquiſitor Generalis Aragoniæ cum Clemente Pontifice egit, vt doctrinam, & errorem reprobaret; quo de præſtantiorum Doctorum conſilio, & aſſenſu exequto, præcepit ipſe Pontifex eidem Inquiſitori, vt talem errorem publicè damnaret, quod exequtioni dedit in Cathedrali Barchinonenſi coram Epiſcopo, & Clero, populique multitudine copioſa. *Param. Lopez p. 5.*

Conſolatus eſt Pontifex Ordinem noſtrum tantis malis vexatum promotione ad purpuram P. Ioannis Morlandini Ma-

giſtri Generalis ſub Tit. S. Sabinæ, facta in quatuor temporibus Aduentus in locum prædefuncti nepotis ſui Cardinal. Gherardi, inſtituitque præter vſitatum morem Ordinis Vicarium Apoſtolicum eiuſdem P. Simonem Lingonienſem. *Olmeda*.

Promouetur à Clemente Pontifice ad regimen Eccleſiæ Albintimilienſis P. Petrus Giſius, qui cum ſibi creditam Eccleſiam, & oues verbo, atque exemplo edocèret, & in viam Dei dirigeret, poſt annos duos ad Brundiſinum Archiepiſcopatum translatus eſt. *Vghell. tom.* 4.

Philippus Valeſius Francorum Rex, cui à conſeruatis, auctiſque Eccleſiæ iuribus, à Prælatis Gallis, *veri Catholici* præter hæreditarium *Chriſtianiſſimi* nomen inditum fuit, mœrente Pontifice cum tota curia, hanc lucis vſuram dereliquit, viſceribus in Dominicanorum Eccleſia Pariſijs conditis, cui fuit à ſacris confeſſionibus P. Ioannes de Villanoua, vir doctiſſimus, ac pijſſimus, qui Regem ad cuncta pietatis opera hortabatur. *Spondan. & Tag.*

P. Thomas Stubez Anglus doctrina, morumque præſtantia mirabilis, ſcripſit librum. *Contra impugnantes ſtatuta, & decreta Eccleſiaſtica*, opus eruditum, ſanctorumque Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorum ſententiarum ſale conditum, Pontifici Maximi acceptiſſimum. *Sixtus Senen.*

Sacrũ Inquiſitionis tribunal apud Cracouiam regebat P. Petrus de quo ſup. doctrina, pietate, regulari obſeruantia, ſalutiſque animarum zelo ſpectabilis, qui graſſantes hinc inde multiplices hæreſes ex ſibi credita ditione ita fugauit, vt nemo hæreticali labe inquinatus ad eam accedere auderet; nam igne, ac ferro eos ſtatim conſumebat, inuigilans ſummopere ſuper ſibi commiſſum gregem, vt illum in puritate catholicæ fidei conſeruatum in cœlum dirigeret. *Bzou. de Prou. Pol. & Ferrar.*

ANNO 1351. P. Nicolaus Roſellius Generalis Inquiſitor Aragoniȩ certioratus, quòd Valentiæ quidam Beguardi hæretici in occulto eſſent, ducem habentes hæreſiarcham Iacobum Iuſt, eo capto, atque in carcere detento, proceſſum formauit, illiuſque errores, ac ſequaces damnauit. Inſuper & duorum aliorum hæreticorum prædefunctorum, ſcilicet Guillelmi de Gillabat, & Bartholomæi Fuſter corpora exhumauit, publicoque igni per carnificem comburenda tradidit: Nec non & Iacobum pœnitentiæ ſigna exhibentem, erroreſque abiurantem perpetuo carceri adiudicauit. *Lopez p.* 5.

Eodem anno Pontifex Clemens datis Apoſtolicis litteris apud Villam Nouam Diœc. Auenionen. 4. Id. April. incipien: *Fidei Catholicæ, extra quam nulli eſt gratia &c.* P. Nicolao Roſellio Prouinciali Aragoniæ facultatem conceſſit inſtituendi Inquiſitores in cunctis ciuitatibus, & Regnis Aragonum Regis, illoſque amouendi, ſi ſegnipedes agnoſceret, prout fecit magno cum fidei incremento. *Diag. lib.* 1.

Hoc tempore viriliter decertabat pro puritate Catholicæ fidei conſeruanda in Siciliæ Regno Generalis Inquiſitor P. Marcheſinus de Monopoli. Cum enim multi ex Iudaiſmo ad agnitionem Dei, & Domini Noſtri Ieſu Chriſti veniſſent, atque nouelli in fide ab alijs obſtinatis, & perfidis Iudæis ſubuerterentur, & ad reiudaizandũ inducerentur, cordatus Inquiſitor, auxilio brachij ſæcularis à Ludouico, & Ioanna Regibus implorato, atque obtento, in eoſdem Iudeos tanquam leo rugiens ex officio inſurgens, copioſam eorundem multitudinem in vincula coniecit, & iuxta criminum qualitatem condignè caſtigauit; quo facto tantum eis timorem incuſſit, vt ex prædicto

dicto Regno egreſſi multi in alias prouincias ſeceſſerint. *Vallus*.

P. Humbertus Delphinus, de quo ſupra, à Clemente Pontifice promouetur ad Patriarchatum Alexandrinum, ab eodem in feſto Natalis Domini ad Sacros Ordines promotus; nempe in prima miſſa galli cantus, ad Subdiaconatum; in ſecunda ortus diei, ad Diaconatum; in tertia verò ſolemni, ad Presbyteratum, ac tandem poſt octo dies, in feſto Circumciſionis Patriarcha ſolemniter conſecratur, cui & regimen, atque perpetuam adminiſtrationem Archiep. Eccleſiæ Rhemenſis conceſſit. *Gall. Chriſt. inter Rhemen. Archiep.*

P. Staniſlaus Polonus Sacræ Theol. Mag. celebris fungebatur hoc anno Inquiſitoris munere in Polonia, puritatem fidei conſeruando in populo illo, ſociosque habuit in eodem officio alios Religioſos noſtros, ſalutis animarum zelo feruidos, qui per diuerſa caſtra, & ciuitates circuientes, hæreſim è Polonorum cordibus euellere, atque penitus eradicare indefeſſo ſtudio procurauerunt, & quotquot tali infernali labe inquinatos inuenère, vel pœnitentes reconciliarunt, vel obſtinatos igne publico conſumpſere. *Ferrar. & Bzou.*

P. Mag. Raymundus de Toloſa ex conuentu Carcaſſonen. nominatus eſt Toloſanus Inquiſitor poſt Petrum, qui demandato ſibi muneri totus addictus, hæreſes ex ſibi credito populo eradicare conatus, multis illorum ſeuerè caſtigatis, alijſque in fugam datis, gregem Chriſti, ſibi in hoc munere commiſſum ab omni iniquitatis hæreticalis pice alienum conſeruauit; propter quod Pontificis Max. gratiam promeruit. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

Caput VIII.

P. SIMONE LINGONIENSE Magiſtro Generali XXI.

Vicarius Ordinis à Pontifice Max. inſtitutus, Prouincialis Franciæ, Doctorque Pariſienſis erat Simon Lingonienſis, in Capitulo apud Caſtras Magiſter Ordinis ſalutatus anno 1352. Fuit Simon vir doctiſsimus, ac prudentiſsimus, Apoſtolicuſq; Pœnitentiarius, qui tantùm ſcientia, eloquentia, rerumque experientia valuit, vt non modò in Romana Curia, ſed etiam apud Imperatorem, ac Reges in magno pretio ſit habitus, *piſcator hominum* dictus cum Simone Petro. Occupabatur frequentiſsimè in obeundis quaquauersùs Pontificijs Legationibus, non ſinè aliquali Ordinis detrimento, nam Capitulis ſuis Generalibus vix vmquam perſonaliter interuenire poterat, adeò quod Diffinitores aliquoties tractarint de Officio in alium transferendo, ne toties Ordo videretur quaſi acephalus in generalibus Comitijs, vbi Caput ſimul cum membris præcipuis debet conſultare. *Olmeda*.

Sub eo primùm dies martis dicatus eſt perpetua lege S. Patri Dominico, ordinatumque per tria Capitula, vt tertijs ferijs cuiuſlibet hebdomadæ non impeditis fieret officium de eo, ſicut in Sabbathis fit de B. Virgine Maria. *Olmeda*. Annos tredecim Ordini præfuit, poſt quos ad Nanneten. Eccleſiæ Infulam euectus regiminis Ordinis pertæſus; & non obſtan-

te

te graſſante lue Capitula Ordinis celebrari voluit. Primum quidem ſuæ electionis hoc anno apud Caſtras, Secundum apud Biſuntium an. 1353. ad quod nouiter electus Innocentius VI. erga Ordinem optimè affectus Apoſtolicas litteras miſit denunciatiuas ſuæ promotionis, Fratribus iniungens, vt tam priuatas, quàm publicas orationes pro ſuo fœlici Eccleſiæ gubernio funderent. Tertium apud Narbonam, an. 1354. in quo mandatum eſt, vt per totum Ordinem poſt Completorium tres pulſationes campanæ fierent, & Fratres ſalutationem Angelicam dicerent pro Ordine, atque Eccleſia. Quartum Pampilonæ abſente Magiſtro; 1355. Quintum apud Verdunum in Lotharingia 1356. cui omnes Prouinciales adfuere, excepto Romano. Sextum Venetijs 1357. Septimum Argentinæ 1358. Octauum Pragæ in Boemia 1359. Nonum Perpiniani abſente Magiſtro 1360. Decimum Rothomagi 1361. Vndecimum Ferrariæ 1362. Duodecimum Magdeburgi 1363. Tertiumdecimum Valentiæ 1364. & Quartumdecimum Genuæ 1365. in quibus multa fuère decreta, & pro infectis peſte Sacramentis confouendis, & reparandis conuentibus fratribus deſtitutis. *Olmeda.*

Hoc anno ſub Pontifice Maximo Innocentio VI. in Catalonia apud Montemalbanum, quorumdam hæreticorum deliria ſurgebant, quorum author erat F. de Monteſalcone Bononienſis, de Monaſterio Populeti in Catalonia, in quorum deſtructionem inſurrexit P. Nicolaus Roſellius Inquiſitor, ipſis cum auctore damnatis, atque ſecundùm canonicas leges caſtigatis. *Diag. lib.* 1.

Aſſumitur P. Petrus Giſius à Pontifice Innocentio ex Albintimilien. & ad regendas Eccleſias ſibi inuicem vnitas Brundufinam, & Vritanam transfertur, qui à Regibus Neapolitanis Ioanna, & Ludouico Orator ad Pontificem Max. miſſus pro grauioribus Regni negotijs, cuncta pro voto obtinuit, & ab eodem Innocentio Pont. Apoſtolicus Nuncius delectus eſt ad congregandos Regni ordines apud Neapolim. *Vghell.*

P. Henricus Sydonien. Epiſcop. factus, Ioannis Leodien. Epiſcopi Suffraganeus fuit; qui cum à ſua Eccleſia arceretur à Saracenis, Chriſtiani nominis impijs perſequutoribus, recurſu ad Innocentium Pont. habito, piè illi, vt beneficijs Eccleſiaſticis ab eodem Leodien. Ep. augeri, etiam pluribus, poſſet indulſit. Expeditis hac de re Apoſtolicis litteris Romæ 4. Kal. Ianuar. Pont. an. 1. quarum exemplar in Ordinis Archiuio cuſtoditur incipien. *Exigit tuæ deuotionis, & ſinceritas affectus &c.*

ANNO 1353. Inſtiterunt apud Pont. Max. Innocentium Io: Archiep. Mediolanen. Et Luchinus eius frater pro abſolutione Matthæi Vicecomitis Mediolani, necnon & Galeatij, cæterorumq; eius filiorum, ac ſequacium, ad effectum obtinendi illi Eccleſiaſticam ſepulturam, qua priuati fuerant per P. Aycardum noſtrum Archiep. Mediolanen. ab Inquiſitore eiuſdem ciuitatis proceſſu inſtructo, eò quia fuerant plures excommunicationes in eos latæ. Aboleuit Pontifex ſententiam excommunicationis, reliquaſque cenſuras contra eos latas in hoc tantùm, vt eorum corpora poſſent Eccleſiaſtica ſepultura donari, commiſitque Bernardo Card. Sabinen. & Guillelmo Tit. S. Stephani in Monte Cœlio, vt vocato, & audito Inquiſitore Mediolanen. ac reliquis in formatis ab eo proceſſibus contentis, iudicij præſtarent complementum. *F. Petri Baiocen. Chronicon ſui temporis incipien. ab anno* 1350. *vſque ad* 1392. *impreſſum opera F. Tadhæi de Argêtina, Baſileæ an.* 1512. *apud Ioannem Lopard. in* 8. *& Spondan. in Annal. nu.* 16.

P. Ni-

Digitized by Google

P. Nicolaus Zaſcherius Bononien. Inquiſitor ſuum munus indefeſſo labore viriliter in hæreticos exercebat, qui abſente ab Italia Pontifice Max. in eadem inualeſcebant. Hic in vincula vnum ex eis coniecit, qui Sacram hoſtiam à catholico Sacerdote venalem acceptam hebræo cuidam maiori pretio vendiderat, quæ ab eodem hebræo acu perforata, & ſanguinem emittens, in ignem proiecta fuerat: terminatoque proceſſu Hebræum, & Hæreticum in foro S. Dominici ſolemni ritu brachio ſæculari comburendos tradidit, impio Sacerdote aſſumpta fuga condignum ſupplicium euadente. Quo facto terror maximus incuſſus eſt hæreticis, & hebræis cunctis. *Tag.*

Graſsãte hoc anno, ſuperioribus, ſequẽtibuſque dira peſte (in Africa orta), nedum in Italia; ſed etiam in Europa tota, ita vt mortalium pauci eſſent ſuperſtites, vt an. 1350. diximus, Magiſter Generalis Simon ſalutis animarum ſitientiſſimus mandauit Prouincialibus omnibus, vt in ſuis Prouincijs, in locis cunctis, in quibus Ordinis conuentus eſſent, deputarent Fratres zelum Dei habentes, qui infirmis Sacramenta miniſtrantes, non ſinerent illos ob Sacerdotum defectum, in ſuis culpis perire; quod cum illi ſtatim præſtitiſſent, tot Religioſi noſtri in Sacramentorum miniſterio, infirmis preſtito, periere, vt breui tempore, in cunctis prouincijs multi conuentus deſolati remanſerint, Fratribus in infirmorum ſeruitio peſte ſublatis. *Ferrar. de Prou. Hungar.*

ANno 1354. & ſequẽtibus Generalis Inquiſitor in Neapolitano Regno P. Alexander de Padula pro conſeruando catholicæ fidei candore inuigilabat ſummopere. Quare, vt faciliori negotio Iudæos, nouiter ex ipſis ad fidem conuerſos ab eadem auertere nitentes; nec non & hæreticos, ſuis fallacijs plebem ſubuertentes comprimeret, atque condignis ſuplicijs puniret, à Regibus Ludouico, & Ioanna brachij ſecularis auxilium impetrauit, datis ampliſſimis Regijs litteris in eius fauorem pro exequtione proprij muneris, ſequentis tenoris. *Ludouicus, & Ioanna Dei gratia &c. Regiminis, nobis commiſſi cælitus, cura requirit, vt aduerſus hoſtes fidei in exterminium hæreticæ prauitatis noſtra celſitudo conſurgat, ſietque prontiſſime contra perfidiæ vipereos filios; & materni vteris corroſores, &c.* Quibus auxilijs fretus Alexander ita in hæreticos, & iudaizantes proceſſit, vt plurimi ex eis in Affricam, alij verò in alias regiones, vitæ conſulturi, aufugerint; remanſitque in Neapolitano Regno fidelium triticum, abſque hæreſis zizania. *Vallus.*

P. Humbertus Delphinus Patriarcha Alexandrinus, nec non & Rhemen. Archiepiſcopalis Eccleſiæ Commendatarius perpetuus nominatur à Gallorum Rege Pariſien. Epiſcopus, præſentaturque Clementi Pontifici pro Eccleſia illa conſequenda datis litteris Regijs 25. Ianuarij apud Pariſium. At Humbertus in ſua Patriarchali dignitate perſeuerans, compleuit dies ſuos apud Claromontem in Aruernia 22. Maij ſequentis anni, corpore Lutetiam translato, atque in Eccleſia S. Iacobi, cui conuentui præfuerat aliquando Prior, condito. *Gall. Chriſt. inter Rhemen. Archiep.*

P. Io: Taulerus Colonienſis in tota Germania propter vitæ ſanctitatem, & euangelizandi donum cum ſpiritus feruore, mirabilique audientium fructu celeberrimus, atque in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, multa ſcripſit pro animarum ſalute procuranda; Et ſpiritu prophetico clarus, Lutheri plagas, & hæreſes aduerſus dogmata ſacra, & Sacramenta Eccleſiæ orituras in Germania prædixit, quæ vſq; in hodiernum diem ipſos Catholicos vexat. *Sixtus Senen.*

P. Mar-

P. Martinus de Soleta Helueticus in Colonienſi Vniuerſitate aliquando ſacræ Theologiæ Doctor eruditus contra ſui temporis hæreticos, eorumque impia dogmata ſcripſit volumen prænotatum. *De Catholicæ fidei veritate*, opus egregium, in quo illorum argumenta, ac documenta fœlici calamo impugnat, eludit, atque ad veritatis euangelicæ ſtabilem petram allidit: quod cum Nicolao V. eruditorum virorum amatori innotuiſſet, Chriſpolen. Epiſcopum, Baſileenſemque Suffraganeum nominauit; at eum ad Apoſtolicam Curiam accederet, in itinere à Chriſto vocatus, mortalis huius vitę iter terminauit. *Lucarm. inter ſcript. Ord.*

ANNO 1355. P. Angelus ex Acciaiola gente, apud Florentinos clariſſima, inſignis Theologus, transfertur poſt Florentinã Sedẽ ad Epiſcopalem Montis Caſſini, cui Monaſterio, & Monachis præfectus eſt Abbas ab Innocentio VI. Pont. Max. vt Monachis priſtinum regularis vitæ nitorem reſtitueret, rexitque Monaſterium, & Eccleſiam annis duobus, menſibuſque tribus, & Neapoli mortalibus vale dixit, maximo cum honore tumulatus. Huius præſtantiſſimi Epiſcopi, & Abbatis Caſſinen. memoria habetur in Annalibus eiuſdem Monaſterij, quæ anno 1653. vidimus, Dom. Dominico de Neapoli ibidem tunc Abbate eadem nobis oſtendente. *Vghell. tom. 2.*

Celebratum eſt Ordinis Capitulum apud Pampilonam abſente Magiſtro Generali Simone Lingonien. quia Imperator, & Card. Oſtien. detinuerunt illum, ſecum Romam ad coronationem eiuſdem Principis de conſenſu Pontificis Maximi ducentes: qui tamen Florentiæ ſcripſit Diffinitoribus, quatenus rectè diffinirent, ſingulaque in Ordinis beneficium prudenter diſponerent. Tractatum eſt autem à Diffinitoribus de illius depoſitione ab officio, & regimine Ordinis; at quia in maxima habebatur exiſtimatione à Pont. Maximo, atque Imperatore, timentes illi Pontificem, & Cæſarem, ab illa abſtinuère vt ſupra innuimus. *Olmeda.*

Contra tyrannum Ordelaffum Apoſtolicæ Sedis hoſtem, atque bonorum illius inuaſorem inſurgunt Fratres noſtri in Lombardia de mandato Magiſtri Generalis P. Simonis Lingonienſis, Pontificis Max. mandatis ſatisfacturi; & tam in publicis concionibus, quàm in priuatis colloquijs eius impietatem deteſtantes, plurimas calamitates experti ſunt ipſi in illius poteſtatem incidentes; ita vt non de facili inuenirentur, qui vellent in conuentibus eius tyrannidi ſubiectis permanère propter mala, quæ illis, cauſam Apoſtolicæ Sedis publicè defenſantibus, inferebat. *Baiocen. in Chron.*

Innocentius Pont. eundem Magiſtrum Gen. Ordinis Simonem Lingonienſem Apoſtolicum Legatum ad Galliæ, & Angliæ Reges pro grauibus Eccleſiæ negotijs miſit, qui ſingulari dexteritate, ac prudentia vſus, Pontificijs deſiderijs ad optatum finem perductis, ad Curiam reuerſus, honorificèque receptus, multa in beneficium Ordinis à Pontifice Max. conſequtus eſt priuilegia. *Tag. in Mon. Ord.*

P. Pyrrus Sanbiaſius doctus, ac cordatus vir à Ludouico, & Ioanna Neapolitanis Regibus pro grauioribus Regni cauſis ad Apoſtolicam Sedem ſpectantibus Orator miſſus ad Innocentium VI. Pont. Max. cuncta concluſit, & dexteritate, qua pollebat, perfecit: quare ab eodem Rege multis gratijs pro conuentu S. Dominici de Neapoli, in quo Prior extitit, cumulatus fuit. *Vallus de Prou. Reg.*

ANNO 1356. in Regnis Aragoniæ, & Valentiæ viriliter decertabãt pro fide Catholica ab hæreſibus vindicanda PP. Nicolaus Eymericus, & Ioannes Gomir Inquiſitores, plures hæreticos in vincula coniectos dignis ſupplicijs

plicijs

plicijs affecère: & Ioan. quidem contra inſignem hæreticum Raymundum Caſtelli Ampuriani viriliter proceſſit, & damnauit. *Diagus lib.* 1.

P. Nicolaus Roſellius Aragonen. diù Generalis Inquiſitor in Aragonia, cum plurima opera in obſequium fidei, atque Apoſtolicæ Sedis impendiſſet, vt hæreſim euelleret, atque eradicaret, ab Innocentio VI. cui tanti viri merita innotuerant, in quatuor temporibus Aduentus S. R. Eccleſię Cardinalis creatus eſt, annum agens quadrageſimum ſecundum; qui acceptis ſuæ promotionis Apoſtolicis literis, Pontifici Max. reſcripſit epiſtolam humilitate refertam, ſe tantæ dignitatis indignum, opprobrium hominum, abiectionemque plebis ſubſcribens. *Ciaccon. & Olmeda:*

1356 Aſſumpto ad purpuram Roſellio Innocentius Pontif. Generalem Inquiſitorem in Aragonia P. Nicolaũ Aymericum ad hoc ſacrum tribunal promouit, virum cordatum, zelum Dei habentem, atque tanta præfectura digniſſimum, qui quadraginta trium annorum continuato temporis fluxu ſuper hæreticos inuigilans, innumeros ex eis ad Catholicam fidem attraxit, alijs pluribus varijs ſupplicijs perditis, vt ſuis locis dicetur. *Diagus lib.* 1. *cap.* 24.

1356 Cum in Armenia eſſent plures Monachi multis erroribus coinquinati, atque à veneratione Sedis Apoſtolicæ alieni, proptereaque ſchiſmatici; de quibus ſupra; poſt eorum conuerſionem, atque reductionem ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ, necnon & reuerentiam Summo Pontifici præſtitam opera B. Bartholomęi Parui Armeniæ Archiep. hoc anno cum Fratribus noſtris vniti ſunt, Dominicano habitu ſuſcepto; ad quam vnionem conſequendam miſerunt ad Romanum Pontificem Innocentium duos procuratores, Fratres Thomam, & Eleuterium germanos Chiauchenſes, vt cum illo, atque Magiſtro Generali noſtro de tali vnione pertractarent, quæ cum maximo Catholicæ fidei incremento ſtabilita eſt, Fretre Eleuterio Prouinciali Armeniæ à Magiſtro Ord. Simone Lingonien. inſtituto; qui ſacris veſtibus, reliquijs, atque eleemoſynis onuſti, in Armeniam reuerſi, cum noſtris, atque vnitis Fratribus innumeros ſchiſmaticos ad vnitatem fidei proprio exemplo adduxère. *Galanus de Progeſs. Frat. Præd. in Armenia cap.* 30.

P. Thomæ autem Chiauchéſi demandatur cura Armenæ Eccleſiæ à Pontifice Max. vt populum illum ab antiquo tempore ſchiſmate pollutum, in veneratione Apoſtolicæ Sedis, ac debito obſequio erga S. Romanam Eccleſiam contineret, prout præſtitit; permanentque Armeni illi vſque modò fideles erga S. Matrem Eccleſiam Romanam: de quo paſtore tractat Galanus à nobis pluries relatus in ſua Conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Latina. Vidẽtes autẽ Patres noſtri vberrimũ fructum, quem Deo coöperante producebant in Armeniæ populo illo ſchiſmatico, præter libros anno 1320. recenſitos, Euangelia, epiſtolas, alioſque neceſſarios in Armenã linguam vertebant, vt illorum lectione in aſſumpta Catholica fide conſtabiliti, hæc in remotiſſimis illis partibus cum Apoſtolicæ Sedis veneratione dilataretur. *Ex eodem Galano.*

ANNO 1357. Richardus Armachanus Archiep. in Hibernia multa ſcripſit contra Fratres Mendicantes, continentia varios errores, de quibus conqueſti Religioſi apud Innocentium Pontificem, cauſam commiſit ille quatuor S. R. E. Cardinalibus, videlicet Guilielmo Epiſc. Tuſculano, Petro S. Martini in Montibus, Heliæ S. Stephani in Monte Cœlio, & Franciſco S. Marci, cognoſcendam. Contra errores igitur illius ſcripsère plures ex Prædicatoribus, & de Cardinalium mandato inter illos P. Engelbertus, cum Fratribus Rogerio Concrœio Fran-

ciſcano, Ioanne Heildelhamio Carmelita, necnon Heidelhamio Auguſtiniano, omnibus quatuor Hibernis: quare eius ſententijs per Pontificem damnatis, eas retrãctare fuit coactus, cum præcipuè auctoritatem Pontificiam læderent. *Spondan. in Annal. num.* 15. *& Caſtill. p.* 2. *lib.* 2.

Nicolaum Calabrum Hæreſiarcham vaferrimum Generalis Inquiſitor Eymericus in vincula coniecit, & conuictum, atque ſuos errores abiurantem, Dominica infra octauam Aſcenſionis Domini perpetuo pœnitentiæ habitu induit: At cum ſimulata pœnitentia in ſuis erroribus pertinax inuentus eſſet, ſacerdotali munere degradatus, viuus combuſtus eſt 3. Kal. Iunij. *Diag. lib* 1. *& Spondan. an.* 1359. *num.* 3.

Cum P. Nicolaus de S. Martino Piſanus Maceratenſem Eccleſiam ſingulari pietate, zeloque regeret, & oues ſibi creditas per viam ſalutis dirigere ſatageret verbo, atque inculpatæ vitæ exemplo, Innocentius VI. eidem Recanaten. quoque Eccleſiam regendam conceſſit, primo effecto harum Eccleſiarum vnitarum Paſtori, quas piè, ſanctèque rexit, maximo ſibi ſubditi populi ſpirituali bono vſque ad annum 1367. quo in pace ſepultus eſt. *Vghell. tom.* 1.

Cum apud Veronam hæretici quidam ex Germania profecti latitarent, ſuum virus de nocte diffundentes inter catholicos, atque mulierculas maximè; re Veronen. Inquiſit. P. Petro denũciata, acceſſit ipſe nocturno tẽpore ad delinquentium domum, & quotquot erant in illa, captos carceribus addixit: verùm ipſis reſipiſcentibus: necnon & veniam petentibus ab Eccleſia conceſſa eſt vita, abiuratione tamen publicè facta. *Baiocen.*

ANNO 1358. cum Prædicatores plures hoc anno, & ſequentibus inter barbaras nationes verbum Dei, catholicamque fidem annunciantes, multos ex populis illis ad agnitionem veri Dei perduxiſſent, ab Idololatris, Mahumetanis, atque Schiſmaticis tandem capti, atque varijs ſupplicijs interempti, glorioſum pro Chriſto martyrum Rege agonem conſumarunt. *Spondan. num.* 4.

Cum Ordelaffus Foroliuij tyrannus aliorumque caſtrorum Eccleſiæ iniquus occupator diris Eccleſiaſticis omnibus irretitus, damna multa Eccleſiaſticæ ditioni intuliſſet, atque inferre non deſiſteret, ex Pontificis Max. decreto inſurrexère contra illum Inquiſitores omnes Lombardiæ, necnon & Prædicatores, in publicis ſermonibus populos ab illius ſequela auertentes, eundemque excommunicatum, atque ab omnibus euitandum publicantes: ex quo factum eſt, vt amiſſis ſequacibus in Aegidij Apoſtolici Legati in Italia liberam poteſtatem ſe dederit ſequenti anno, a quo Fauentiam perductus, errores, atque hæreſes, necnon & facinora ſua in S. Romanam Eccleſiam perpetrata confeſſus eſt, omni honore, dignitate, ac officio priuatus. *Spondan. ſequenti anno num.* 9. *& Baiocen.*

Aſſumitur a Pont. Max. Innocentio ad regendas oues Chriſti in Niuernen. Eccleſia P. Io: de Nouocaſtro Burgundus, vir doctrina, atque pietate inſignis, qui etiam ſanguinis nobilitate clarus à Clemente in ſua obedientia VII. dicto cõſobrino ſuo poſtmodũ ad purpurã euectus Oſtien. Epiſcop. decoratus eſt: de quo infra. *Vghell. in Epp. Oſtien. & Gall. Chriſt. tom.* 3.

Fremebant hoc anno, & tempore peruigiles noſtri Inquiſitores in Polonia PP. Petrus Cracouien. & Stanislaus, contra impios hæreticos, Poloniam, vicinaſque regiones ſuis peſſimis doctrinis, ac luxurijs inficere contendentes, quorum plurimos, & obſtinatas mulierculas præcipuè, igne publico conſumpsère, alijs

fuga,

fuga, vitæ periculum euadentibus. *Baiocen. in Chron. & Bzou. de Prou. Polon.*

P. Paulus de Lauda apud Comum S. Inquiſitionis tribunali præfectus lamias multas, infantulos diuerſimodè inficientes inſequtus, plures ex eis captas, & ſuper aſellum per ciuitatem circumductas publicis fuſtigationibus, alijſque ſupplicijs, & carceribus ita perterrefecit, vt ex eiuſdem ditione in remota loca aufugere ſint coactæ: aliquibus tamen ex eis, qui hoſtili ſortilegio eos necauerant, viuis coram copioſa populi multitudine per carnificum manus igne conſumptis. *Taeg: & Baiocen.*

ANNO 1359. Cum Bartholomeus Ianouefius Maioricen. hæreſiarcha nouos errores diſſeminaret contra Catholicam fidem, aſſerens in feſto Pentecoſtes ſequentis anni 1360. futurum Antichriſti aduentum, quo ceſſarent cuncta Eccleſiæ ſacramenta, & ſacrificium incruentum: chriſtianoſque adultos Antichriſti charactere ſignatos, nunquam ad Chriſti fidem fore redituros, nec poſſe redire; aliaque peiora deliramenta propalaret, ab Eymerico Generali Inquiſitore in Aragonia incarceratus, atque examinatus, proprios errores confeſſus eſt; quibus publicè abiuratis, librìſque illos continentibus, per carnificis manus cōbuſtis, cū pœnitentiæ ſigna dediſſet, Eccleſię gremio reſtitutus eſt. *Spondan. in Annal. n.* 4.

Humanarum rerum, quæ ad ſalutem animæ non faciunt, pertæſus Comes Carolus Alenzonius Regij ſanguinis Princeps, Dominicanam togam induit. Quia de re conqueſta eſt eius mater apud Innocentium Pontificem, petens ſibi reddi, quem vnicè diligebat filium; eò vel maximè quòd inde Comitatus eius periclitaretur, Commiſit Innocentius Marchioni montis Ferrati, vt Caroli propoſitum ſcrutaretur, etſi conſtantem reperiſſet, in ea vocatione, in qua vocatus fuerat manere ſineret, prout fecit. *Spondan. num.* 6.

Contra latitantes hæreticos in Lombardia de Pontificis mandato inſurgunt Patres Inquiſitores, & Ferrariæ, ac Bergomi plures ex ipſis, imo & catholicos quoſdam iudaizantes, iuxta ſacrorum canonum ſanctiones condignis ſupplicijs in cœterorum terrorem, ac documentum affligunt. *Baiocen. in Chron.*

Apud Baſileam in vicino pago erat Presbyter quidam ruralis animarum curam gerens, vir ſimplex, & indoctus, vini tamen potator maximus, qui aliquando ſacram Geneſim legens, incidit in caput 19. vbi cum legiſſet duas filias Lot poſt datum patri ſuo vinum, & inebriatum, ingreſſas fuiſſe ad eum, maiorem quidem prima nocte, minorem verò ſecunda, & filios concepiſſe, & peperiſſe; primam quidem Moab patrem Moabitarum, ſecundam verò Amon patrem Ammonitarum, credidit licère ſibi inebriari vino, & nedum cum mulieribus non conſanguineis, ſed etiam cum his, imo etiam filiabus coire, ac filios procreare; quare iniquitatem hanc maximam, & docère, & exequi procurans, nec neptibus ſuis pepercit, aſſerens id expreſsè contineri in Scriptura ſacra, in qua quæcumque ſunt ſcripta, ad noſtrā doctrinam ſcripta ſunt. Re ad P. Ioannem Baſileen. Inquiſitorem delata, vocauit ad ſe Parochum, & conſtitutum interrogauit de doctrina illa quam docebat. Reſpondit, doctrinam eſſe Spiritus ſancti, docentis illam in ſacra Scriptura Gen. 19. Cumque pluries monitus reſipiſcere nollet, traditus eſt ſeculari brachio viuus comburendus, alta voce dolens, quòd eſſet damnatus ad flammas, eo quod docèret quæ ſunt in ſacra Scriptura à Spiritu ſancto exarata. Tandem cum iterum monitus, vt errorem deponeret, & adſtante populi multitudine maxima in publico foro, ante Ordinis Eccleſiam, alligatus ad palum fuiſſet, cum ignis dolorem ſentiret, exclamauit ſe reſipiſce-

re velle ab erroribus ſuis, at cum non eſſet illi amplius pœnitentiæ locus, combuſtus eſt. *Baiocen. in Chron.*

Promouetur à Pontifice Max. ad Nebien. Eccleſiam in Corſica P. Raphael de Camelco emunctæ naris vir, vt populum ſibi commiſſum in viam Dei verbo, doctrina, & charitate, quibus virtutibus effulgebat, dirigeret. At quia non benè ſub modio lumen ardens occulitur, ab Vrbano VI. ſpoliorum ad Apoſtolicam Sedem ſpectantium in Sicilia Collector, inſtitutus eſt, vt ſuo loco dicetur. *Pyrrus.*

ANNO 1360. Apud Perpinianum habentur Generalia Ordinis comitia, quibus non interfuit illius Magiſter Simon Lingonien. à Pontifice Max. pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs ad Cæſarem Nuntius Apoſt. miſſus. *Olmeda in eius vita.*

Cum Io: Rex Franciæ nullo modo adduci potuiſſet, vt ſe Regis Angliæ beneficiarium diceret; tandem peruigili opera, ac dexteritate Magiſtri Generalis Simonis Lingonien. necnon & Abbatis Cluniacen. de Pontificis voluntate, ac mandato, initur pax apud Britiniacum 3. Maij quæ Caleti 24. Octobris cõfirmata eſt maximo Eccleſiæ, atque fidelium bono. *Leſebure in man. hiſt.*

P. Lucas Mannellus nobilis Florentinus ab Innocentio VI. Pont. Max. ex Auximana Eccleſia aſſumitur ad regimen Eccleſiæ Fanen. cumque ſibi creditas oues per viam ſalutis in cœlum dirigeret, poſt tres annos quieuit in pace, Florentiæ in S. Maria Nouella ſepultus; qua translatione facta, idem Pontifex Auximano populo Paſtorem præfecit P. Conradum, qui duodecim annos gregem ſibi creditum ſanctiſſime rexit, poſt quos humanæ fragilitatis debitum & ipſe perſoluit. *Vghell. tom. 1. & Gall. Chriſt.*

B. Imata Tertij Ordinis noſtri ſanctimonialis profeſſa poſt fundatum apud Indos ſacrarum Virginum noſtri Ordinis monaſterium, virtutibus, & miraculis clara in cœlum conſcendit, laborum ſuorum condignum prœmium perceptura. *Razzius & Plodius.*

P. Bernardus Ermengardus in Valentiæ Regno Generalis Inquiſitor hoc anno & tempore, ex ſibi credita ditione hæreticorum colluuiem fugauit, alijs perpetuo carceri addictis, alijs S. Matri Eccleſiæ reconciliatis, aliſque igne conſumptis, timore non modico cœteris incuſſo. *Diag. lib. 1.*

Pari vigilantia hoc quoque anno Inquiſitores, Ferrarien. Bergomen. atque Veronen. procedentes contra latitantes hæreticos manichæos in Lombardia, multos ex eis vtriuſque ſexus capiunt, relapſos comburunt, mulierculas reſipiſcentes ſalutaribus pœnitentijs Eccleſiæ reconciliant, eorundemque fautores, iuxta ſacros canones ſeuerè puniunt. Quare ſuperſtites ex eis, relicta Italia, in Germaniam, aliaſque ſeptẽtrionales regiones mortem euaſuri fugere ſunt coacti. *Ex eod. Baioc.*

ANNO 1361. Cum Petrus Rex Caſtellæ, qui vxorem duxerat D. Blancam filiam Regis Aragoniæ, publico ſubditorum ſcandalo, ea neglecta, Mariæ Padilliæ pellicis concubitu, omni timore Dei poſt poſito, abuteretur; & neque monitis, neque precibus ab aſſumpto ſcandalo dimoueri poſſet à P. Petro Lopez de Aguiar Epiſcopo Lucen. eius confeſſario; receſſit Petrus ab eo, diuinam vltionem illi imminentem minitatus, & in ſuam Eccleſiam ſe recepit. At quia abyſſus abyſſum inuocat, obſtinatus, ac crudelis Rex, vt Maria liberiùs vteretur, decreuit veneno perimere Innocentem Reginam. Cum verò quadam die venationi operam daret, aſtitit ante eum ouium paſtor incognitus, & in nomine Domini increpauit, ne tantùm ſcelus in innocentem vxorem perpetraret, diuinam illico

vin-

vindictam imminentem ſibi annuncians. Rex verò obſtinatus in ſcelere, domum reuerſus, per medicum venenum Blanchæ propinauit, & deteſtando facinore perijt puella inſons, Regio ſanguine nobiliſſima, forma, ac pulchritudine corporis ornata, moribuſque ſanctiſſima anno ætatis ſuæ quinto & vigeſimo; nec exaturata Regis crudelitas; nam cum ea pari veneno ſuſtulit ei addictam Iſabellam Laræ filiam, coniugemque Ioannis Aragonij. At non abfuit diuina vltio; nam paulò poſt Maria Padilla concubina, & vnicus filius maſculus ex ea ſuſceptus, quem ſucceſſorem in Regno decreuerat Petrus, mortui ſunt, ipſo Rege calamitates multas, & malas experto: *Baiocen. an. 1353. relatus Spondan. in Annal. num. 3. & Fernand. inter Confeſſarios Reg. Hiſp.*

Aſſumitur P. Petrus de Villiers Trecenſis Carolo V. Galliarum Regi à ſacris confeſſionibus, vir pius, doctus, ac timore Domini plenus, ad regimen Eccleſiæ Niuernen. vt ſibi creditas oues per ſalutis ſemitam dirigendo, æternis præmijs dignas redderet, qui Cappellam collegij Nauarrici an. 1373. octob. 16. dedicauit, interfuitque ſequenti anno Parlamento per Regem Carolum V. promulgato, vbi tanquam Eccleſiaſticum optimum ſe in proferendis ſententijs præbuit; rexit ſummo zelo Niuernen. Eccleſiam vſque ad annum 1373. quo ad Viuarien. translatus eſt. Hoc quoque anno, vel ſaltim tempore P. Marcus Ardinghellus nobilis Florentinus ex Adrien. Eccleſia ad Camerinenſem ab Innocentio VI. translatus eſt, vt ſibi creditum populum in lege mandatorum Dei verbo, & exemplo inſtrueret, & P. Guillemus Lemouicen. ad Archiep. Beneuentanam Sedem euectus eſt, quam pluribus annis optimè rexit. *Gal. Chriſt. & Vghell.*

ANNO 1362. P. Nicolaus Aymericus Inquiſitor Aragoniæ Ianuario menſe Barchinone in Cathedrali eccleſia damnauit librum cuiuſdam Bartholomei Genuenſis, omni ex parte hæreſibus refertum, & tortoreo igni adiudicauit; authorem verò publicè pœnitentem, hæreſeſque deteſtantem S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, atq; perpetuo carceri ſubegit. *Diag. lib. 1. c.*

Card. P. Nicolaus Roſellius poſt peractas pro Eccleſia Dei multas legationes, poſt conſtructum ſacrarum Virginũ montis Syon apud Barchinonam Monaſterum, aliaque opera tanto viro digna peracta, ex vinculo carnis ſolutus dirigitur in æternam requiem apud Maioricam 5. Kal. April. ibidem apud noſtros ſepultus. *Olmeda in vita Ioan. Lemouicen. Mag. Ord. & Ciacon.*

P. Blaſius aſſumitur ab ipſo Vrbano Pont. ad regendam Eccleſiam, oueſque Alerien. necnon & Hermannus VVolf ab Innocentio VI. vltimis ſuæ vitæ diebus electus Chryſopolen. Paſtor, à ſucceſſore Vrbano ad eandem Eccleſiam promotus eſt 6. Id. Nouemb. Vir zelo Dei, pietate, atque prudentia ſingulari munitus. Inſuper P. Euenus Begagnon genere nobilis, de conuentu montis Relaxi Pariſinus Doctor famoſus, atque Pœnitentiarius Apoſtolicus ab eodem Pontifice Vrbano promotus eſt ad regimen Eccleſiæ Trecoren. vt fideles illius edoceret viam æternæ vitæ; quod egregiè præſtitit vſque ad annum 1371. quo appoſitus eſt ad patres ſuos Auenione: Bartholomæus autem de Papazurris Romanus Patracen. Archiepiſcopus factus eſt. *Ex lib. prouis Prel. eiuſd. Vrb. Pont. & Vghell.*

P. Iacobus Aquinas Theologus præſtantiſſimus ſcripſit contra errores, ac deliramenta Guillelmi de S. Amore, opus, Sanctorum Patrum doctrina refertum, à Gennadio laudatiſſimum. *Plod.*

Cum hæretici in Italia multipliciter ab Inquiſitoribus vexati in ſeptentrionales partes,

partes, mortem euitaturi, properarent; moniti de hoc Inquiſitores, ibidem ſacrum tribunal regentes, in eoſdem inſurgebant, multis modis affligentes. Inter cœteros autem mirabilis zelus P. Petri Cracouien. Inquiſitoris effulſit, qui quotquot ex eis in ſuam ditionem aduentantes agnoſcebat, ſtatim, ne virus ſuum inter Catholicos effunderent, incarcerabat, relapſos igne, pœnitentes verò carceribus, ſeuerè caſtigando: quo factum eſt vt, neque in Italia, neque extra illam poſſent hæretici ſecuri permanere. *Bzouius de Prou. Pol.*

ANNO 1363. Formato per Inquiſitorem noſtrum Mediolan. proceſſu contra Bernabouem Mediolanen. Tyrannum, tanquam hæreticum, in fidelem, atque hoſtem Eccleſiæ, miſſoque ad Innocentium VI. Pontificem proceſſu, Vrbanus Pontifex Max. ſucceſſor Innocentij, à quo citatus fuerat ad dicendum cauſam ſuam Auenione coram ſe infra taxatum tempus, proceſſurus ad ſententiam condemnationis in eum promulgandam, cum accepiſſet adeſſe eius procuratores, & ipſemet Bernabous diceretur eſſe cum illis, ſubſtitit ad quartum vſque diem Martij, quo cum iterum eum publicè citari feciſſet, neq; compareret, conuocato publico Cardd. Conſiſtorio, atque in eo proceſſu perlecto ab Inquiſitore fabricato, promulgari iuſſit ſententiam in ipſum latam, qua illum hæreticum, in fidelem, atque ſchiſmaticum, anathematizatûque ab Eccleſia pronunciauit, & omni dignitate, priuilegijs, honore; necnon & iuriſdictione priuauit cũ omni eius progenie; ſubditos illius à iuramento fidelitatis abſoluit, atque eius vxorem à vinculo matrimonij, velut Chriſtianã cum hæretico, & infideli liberauit. *Spondan. in Annal. num. 1. & Baiocen. in Chron.*

Francorum Rex de conſilio P. Petri Villiers, quẽ alij ſcriptores noſtri Ordinis Petrum Marilatum dicunt, Confeſſarij illius, ad Eccleſiam Niuernen promoti, Auenionem ad viſitandum Pontificem Max. Vrbanum petit, tractaturus cum eo de ſuſcipienda ſacra Cruce aduersùs Turchas pro liberandis fidelibus Chriſti ab eorum tyrannide; vbi & duo alij Reges, nempe Cypri, & Daniæ conuenère, atque de ſuſcipiendo ſacro bello in eoſdem tractauerè, quod iuſtis de cauſis in aliud tempus dilatum eſt. *Spondan. num. 2. & Baiocen. in Chron.*

Multi ſpectatæ virtutis, atque pietatis viri aſſumuntur hoc anno ab Vrbano Pont. ad regendas Eccleſias cum populis illis creditis: nam P. Enecus de Alemannia Aragonen. Cæſerauguſtanæ diœceſis Syracuſanam Eccleſiam moderandam obtinuit, qui plura illius bona deperdita recuperauit, atque multa priuilegia à Friderico Rege pro eadem conſequtus eſt. P. Io: Prior conuentus Raguſini eiuſdem ciuitatis Archiep. effectus eſt. P. Adam conſtitutus eſt Paſtor Eccleſiæ Candidæ caſæ in Scotia; necnon & P. Adimarus de Rupe præfectus eſt Eccleſiæ Bethleemitanæ: & P. Antonius de Riuello Melphien. Eccleſiæ datus eſt Paſtor. Item Pontifex Hugonem de Bruzeo Beneuentanæ Eccleſiæ Archiep. præpoſuit, qui de Pontificis Max. mandato in Cathedrali ſua canonicorum numerum ad triginta reduxit, & ſtabiliuit ſequenti anno per publicum inſtrumentum plumbeo ſigillo firmatum, in quo eſt eiuſdem Hugonis effigies, & binæ claues in modum crucis in altera parte. *Vghell. ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſdem Vrb. Pont.*

ANNO 1364. Petrus Caſtillæ Rex (de quo ſup.) ex Saulo Paulus poſt plurimas calamitates ſibi à diuina vltione ob Blancæ vxoris necem illatas effectus eſt, inter quas cum in nauali expeditione à ſupremo vitæ periculo ex ſæuiſſima tempeſtate ſeruatus fuiſſet, P. Didaci de

Burgos

Burgos monitionibus perterritus, atq; ad exhibenda publica pœnitentiæ ſigna, vtpotè qui publicè tot ſcandala perpetrauerat, edoctus, templum B. Virginis Regio palatio vicinum, reliquis indumentis detractis, in linea tantum tunica, adijt, reſte etiam collo appoſita, & lacrymis miſericordiam diuinam implorando. Quo facto ſubditorum corda, ab eo pridem auerſa, ita ſibi captauit, vt etiam in fletus proruperint. *Baiocen. in Chron. & Spondan. in Annal. num.9.*

Et hoc anno pluribus Prædicatoribus dantur à Pont. Vrbano Ecelesiarum regimina, vt eorundem fideles in lege mandatornm Dei docerent, atque per æternæ vitæ viam dirigerent. Nam PP. Goeſcalcus Falched in Apoſtolica curia Pœnitentiarius præfectus fuit Eccleſiæ Lincopen. in Polonia. Magnus, Humanaten. Iulianus Angelus Hiropetien; Gulielmus de Rance Saien. qui hoc anno fuit executor teſtamenti Ioannis Regis Franciȩ. P. Franciſcus Siculus quoque præfectus eſt Eccleſiæ Lipariianæ. Io: Lombardus Placentinæ; necnon & Benedictus Vallatus datus eſt Paſtor Epiſcopali ſedi Cortonen. qui magno cum creditarum ſibi ouium in lege Domini fructu, paſtorale onus ſuſtinuerunt. *Ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſd. Vrb. Pant. & Vghell.*

Io. IV. Comes Monſortius in minori Britannia pugnam cum Carolo Comite Bleſenſi commiſſurus, fuſis ad Deum precibus ſe voto aſtrinxit, ſi victoriom reportaret, ſe conuentum Ordinis noſtri ſub nomine Aſſumptionis B. Virginis Mariæ conſtructurum; quamobrem victor in prælio effectus, ſtatim vt ad Ioannam Flandrenſem coniugem Redonas curſorem miſit, iſque eminus ei acclamauit. *Bona nuncia* eundem, in quo tunc degebat, locum pro conuentu, ſub nuncupatione B. Mariæ boni nuncij deſignauit, & conſtruxit. *Leſeburè in Man. hiſt.*

B. Henricus Suſo magnæ vir ſanctitatis, necnon æternæ ſapientiæ miniſter, & cultor addictiſſimus Vlmæ, miraculis clarus euolauit in cœlum 25. Ianuarij, relictis ſpiritualibus operibus, inter quæ recenſentur *Meditationes de Paſſione Domini*, atque *Horologium ſapientiæ*, necnon *de nouem Rupibus*, ad emollienda peccatorum corda ad pœnitentiam aptiſſima, quæ iubente Deo, in commune bonum euulgauit. Alij ſunt, qui prætioſam eius mortem in ſequentem annum rejiciunt. *Leſeburè vbi ſup.*

ANNO 1365. Habentur Ordinis Generalia Comitia apud Genuam, quibus non interfuit Magiſter Generalis Simon Lingonen. à Pont. Max. Nuntius Apoſtolicus in Britannia detentus pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs. *Olmeda.*

B. Albertus Theutonicus virtutibus, & miraculis coruſcans ad æterna gaudia meruit peruenire, eius gloria multis, & inter illos, Abbatiſſæ Ciſtercien. Ord. reuelata. *Plod.*

P. Carolus de Alanzon ex Regio ſanguine promouente Carolo Galliæ Rege fit Archiep. Lugdunen. ab Vrbano V. Pontifice Max. 3. Id. Iulij, qui è ſacro fonte ſuſcepit Ioannem Comitem Niuernenſem, poſtmodum Burgundiæ Ducem. Fuit immunitatis Eccleſiȩ defenſor egregius, proper quam inter Regem, & ipſum diſſidia multa orta ſunt; Lugdunen. Ciuitate eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita: ac tandem decimo ſui regiminis anno corporis ſarcinam depoſuit in Caſtro Epiſcopali Petræ inciſæ 5. Id. Iulij 1375. *Gall. Chriſt.*

P. Mag. Stanislaus Cracouien. hoc tempore in Polonia Generalis Inquiſitor, zelo promouendæ Catholicæ fidei, atque virtutibus præfulgens, Dominicanam Religionem plurimùm illuſtrauit, facundo ore, eruditoque calamo hæreti-

corum

partes, mortem euitaturi, properarent; moniti de hoc Inquiſitores, ibidem ſacrum tribunal regentes, in eoſdem inſurgebant, multis modis affligentes. Inter cœteros autem mirabilis zelus P. Petri Cracouien. Inquiſitoris effulſit, qui quotquot ex eis in ſuam ditionem aduentantes agnoſcebat, ſtatim, ne virus ſuum inter Catholicos effunderent, incarcerabat, relapſos igne, pœnitentes verò carceribus, ſeuerè caſtigando: quo factum eſt vt, neque in Italia, neque extra illam poſſent hæretici ſecuri permanere. *Bzouius de Prou. Pol.*

ANNO 1363. Formato per Inquiſitorem noſtrum Mediolan. proceſſu contra Bernabouem Mediolanen. Tyrannum, tanquam hæreticum, in fidelem, atque hoſtem Eccleſiæ, miſſoque ad Innocentium VI. Pontificem proceſſu, Vrbanus Pontifex Max. ſucceſſor Innocentij, à quo citatus fuerat ad dicendum cauſam ſuam Auenione coram ſe infra taxatum tempus, proceſſurus ad ſententiam condemnationis in eum promulgandam, cum accepiſſet adeſſe eius procuratores, & ipſemet Bernabous diceretur eſſe cum illis, ſubſtitit ad quartum vſque diem Martij, quo cum iterum eum publicè citari feciſſet, neq; compareret, conuocato publico Cardd. Conſiſtorio, atque in eo proceſſu perlecto ab Inquiſitore fabricato, promulgari iuſſit ſententiam in ipſum latam, qua illum hæreticum, in fidelem, atque ſchiſmaticum, anathematizatúque ab Eccleſia pronunciauit, & omni dignitate, priuilegijs, honore; necnon & iuriſdictione priuauit cũ omni eius progenie; ſubditos illius à iuramento fidelitatis abſoluit, atque eius vxorem à vinculo matrimonij, velut Chriſtianã cum hæretico, & infideli liberauit. *Spondan. in Annal. num. 1. & Baiocen. in Chron.*

Francorum Rex de conſilio P. Petri Villiers, quẽ alij ſcriprores noſtri Ordinis Petrum Marilatum dicunt, Confeſſarij illius, ad Eccleſiam Niuernen promoti, Auenionem ad viſitandum Pontificem Max. Vrbanum petit, tractaturus cum eo de ſuſcipienda ſacra Cruce aduersùs Turchas pro liberandis fidelibus Chriſti ab eorum tyrannide; vbi & duo alij Reges, nempe Cypri, & Daniæ conuenère, atque de ſuſcipiendo ſacro bello in eoſdem tractauerè, quod iuſtis de cauſis in aliud tempus dilatum eſt. *Spondan. num. 2. & Baiocen. in Chron.*

Multi ſpectatæ virtutis, atque pietatis viri aſſumuntur hoc anno ab Vrbano Pont. ad regendas Eccleſias cum populis illis creditis: nam P. Enecus de Alemania Aragonen. Cæſarauguſtanæ diœceſis Syracuſanam Eccleſiam moderandam obtinuit, qui plura illius bona deperdita recuperauit, atque multa priuilegia à Friderico Rege pro eadem conſequtus eſt. P. Io: Prior conuentus Raguſini eiuſdem ciuitatis Archiep. effectus eſt. P. Adam conſtitutus eſt Paſtor Eccleſiæ Candidæ caſæ in Scotia; necnon & P. Adimarus de Rupe præfectus eſt Eccleſiæ Bethleemitanæ: & P. Antonius de Riuello Melphien. Eccleſiæ datus eſt Paſtor. Item Pontifex Hugonem de Bruzeo Beneuentanæ Eccleſiæ Archiep. præpoſuit, qui de Pontificis Max. mandato in Cathedrali ſua canonicorum numerum ad triginta reduxit, & ſtabiliuit ſequenti anno per publicum inſtrumentum plumbeo ſigillo firmatum, in quo eſt eiuſdem Hugonis effigies, & binæ claues in modum crucis in altera parte. *Vghell. ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſdem Vrb. Pont.*

ANNO 1364. Petrus Caſtillæ Rex (de quo ſup.) ex Saulo Paulus poſt plurimas calamitates ſibi à diuina vltione ob Blancæ vxoris necem illatas effectus eſt, inter quas cum in nauali expeditione à ſupremo vitæ periculo ex ſæuiſſima tempeſtate ſeruatus fuiſſet, P. Didaci de

Burgos

Digitized by Google

Burgos monitionibus perterritus, atq; ad exhibenda publica pœnitentiæ ſigna, vtpotè qui publicè tot ſcandala perpetrauerat, edoctus, templum B. Virginis Regio palatio vicinum, reliquis indumentis detractis, in linea tantum tunica, adijt, reſte etiam collo appoſita, & lacrymis miſericordiam diuinam implorando. Quo facto ſubditorum corda, ab eo pridem auerſa, ita ſibi captauit, vt etiam in fletus proruperint. *Baiocen. in Chron. & Spondan. in Annal. num.9.*

Et hoc anno pluribus Prædicatoribus dantur à Pont. Vrbano Eccleſiarum regimina, vt eorundem fideles in lege mandatorum Dei docerent, atque per æternæ vitæ viam dirigerent. Nam PP. Goeſcalcus Falched in Apoſtolica curia Pœnitentiarius præfectus fuit Eccleſiæ Lincopen. in Polonia. Magnus, Humanaten. Iulianus Angelus Hiropetien; Gulielmus de Rance Saien. qui hoc anno fuit exequutor teſtamenti Ioannis Regis Franciẹ. P. Franciſcus Siculus quoque præfectus eſt Eccleſiæ Liparitanæ. Io: Lombardus Placentinæ; necnon & Benedictus Vallatus datus eſt Paſtor Epiſcopali ſedi Cortonen. qui magno cum creditarum ſibi ouium in lege Domini fructu, paſtorale onus ſuſtinuerunt. *Ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſd. Vrb. Pant. & Vghell.*

Io. IV. Comes Monfortius in minori Britannia pugnam cum Carolo Comite Bleſenſi commiſſurus, fuſis ad Deum precibus ſe voto aſtrinxit, ſi victoriom reportaret, ſe conuentum Ordinis noſtri ſub nomine Aſſumptionis B. Virginis Mariæ conſtructurum; quamobrem victor in prælio effectus, ſtatim vt ad Ioannam Flandrenſem coniugem Redonas curſorem miſit, iſque eminus ei acclamauit. *Bona nuncia* eundem, in quo tunc degebat, locum pro conuentu, ſub nuncupatione B. Mariæ boni nuncij deſignauit, & conſtruxit. *Leſeburè in Man. hiſt.*

B. Henricus Suſo magnæ vir ſanctitatis, necnon æternæ ſapientiæ miniſter, & cultor addictiſſimus Vlmæ, miraculis clarus euolauit in cœlum 25. Ianuarij, relictis ſpiritualibus operibus, inter quæ recenſentur *Meditationes de Paſſione Domini*, atque *Horologium ſapientiæ*, necnon *de nouem Rupibus*, ad emollienda peccatorum corda ad pœnitentiam aptiſſima, quæ iubente Deo, in commune bonum euulgauit. Alij ſunt, qui prætioſam eius mortem in ſequentem annum rejiciunt. *Leſeburè vbi ſup.*

ANNO 1365. Habentur Ordinis Generalia Comitia apud Genuam, quibus non interfuit Magiſter Generalis Simon Lingonen. à Pont. Max. Nuntius Apoſtolicus in Britannia detentus pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs. *Olmeda.*

B. Albertus Theutonicus virtutibus, & miraculis coruſcans ad æterna gaudia meruit peruenire, eius gloria multis, & inter illos, Abbatiſſæ Ciſtercien. Ord. reuelata. *Plod.*

P. Carolus de Alanzon ex Regio ſanguine promouente Carolo Galliæ Rege fit Archiep. Lugdunen. ab Vrbano V. Pontifice Max. 3. Id. Iulij, qui è ſacro fonte ſuſcepit Ioannem Comitem Niuernenſem, poſtmodum Burgundiæ Ducem. Fuit immunitatis Eccleſię defenſor egregius, proper quam inter Regem, & ipſum diſſidia multa orta ſunt; Lugdunen. Ciuitate eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita: ac tandem decimo ſui regiminis anno corporis ſarcinam depoſuit in Caſtro Epiſcopali Petræ inciſæ 5. Id. Iulij 1375. *Gall. Chriſt.*

P. Mag. Stanislaus Cracouien. hoc tempore in Polonia Generalis Inquiſitor, zelo promouendæ Catholicæ fidei, atque virtutibus præfulgens, Dominicanam Religionem plurimùm illuſtrauit, facundo ore, eruditoque calamo hæreti-

corum

corum huius temporis veſanias, ac delitamenta perpetuò inſectando, corumque conuenticula deſtruendo: quare ad mortem, non ſemel ab eiſdem queſibus, diuina protegente gratia, illęſus ſeruatus eſt: pluribus tamen ex eis igne, ac ferro conſumptis; proper quæ Pontificis Max. Vrbani V. necnon & ſucceſſorum gratiam promeruit, oblatis etiam Inſulis ſacris recuſatis. Annos plures in hoc Apoſtolico miniſterio conſumpſit, & confectus ſenio in pace quicuit. *Bzou. de Prop. d. Hiac. in Polon.*

ANNO 1366. dum Magiſter Generalis Ord. Apoſtolici Nuntij officio in Britannia fungitur, Nanneten. Epiſcopalis Eccleſiæ Paſtor creatur ab Vrbano V. de quo Olmeda noſter ſic fatur. *Poſtremo Simon hoc vno maximè commendandus, quod non modò Magiſterium, ſeu miniſterium ſuum, ſed & ſtatum Ordinis ſui præpoſuit Regnis, & ſedibus; quique oblatos epiſcopatus pluries renuit; in fine tamen quaſi coactus ab Vrbano, vel tanquam onus commutando, ſuſcepit Nanneten. in Britannia, in qua & ſibi complacuit magis, eidemque in illo; & apud quam tunc eiuſdem Pont. Legatione fungebatur: conſecrationis munus cum ſolemnitate Pariſijs obtinens Dominica in Quadrageſima, qua canitur,* Chriſtus aſſiſtens Pontifex. *Anno 14. Generalatus ipſius*, qui fuit ſalutis 1366. & 17. Kal. April.

P. Ioan. quoque Carnuten. inſignis Theologus, linguarum peritia clarus, hoc anno, vel ſequenti vt alijs placet, creatus eſt Epiſcopus Ruſſionen. Eccleſiæ, ſuffraganeæ Variſien. metropolitanæ in Patriarchatu Conſtantinopolitano, qui ſchiſmaticos multos Græcos ad vnionem S. Matris Eccleſiæ perduxit. Plures quoque alij prędecti ſunt Eccleſijs Paſtores à Pontifice Max. Vrbano V. Nam P. Io: Scandelandus creatus eſt Ep. Vormatien. Nicolaus, Maccrien. Io: Hortanus: & Petrus de Anagnia ex Steplonen. Eccleſia tranſlatus eſt ad Beden. Dominicuſque Caulen. ad Iadren. Archiep. euectus fuit, qui omnes viri inclyti, amicti auro primo charitatis, ſibi ſubditas oues vnicè dilexère, atque ad æterna paſcua direxère. *Lefebure & ex lib. prou. Præl. eiuſd. Pont. & Vghell.*

His promotionibus nequaquam ſat habens Vrbanus, erga Dominicanos profeſſores optimè affectus, P. Guillelmum Sudrè Gallum Magiſtrum ſacri Palatij, virum doctiſſimum, quo in munere Apoſtolicæ Sedi decem, & ſeptem annos probè inſeruierat, 14. Kal. Octob. ſacra purpura cohoneſtauit, quem & Legatum Apoſtolicum ad Principem Tarentinum & Ducem Atriæ pacificandos, in Neapolitanum Regnum, & pro alijs grauioribus Apoſtolicę Sedis negotijs delegauit. *Ciaccon. & Olmeda.*

Vnà cum aſſumptione Gulielmi Sudre ad purpuram promotus eſt ad Sacri Palatij Magiſterium, Apoſtolicæ Sedi debitum obſequium præſtiturus, celebris vir P. Io: de Tambaco de prouincia Teutoniæ ex Argentinenſi conuentu, in Bohemię Prouincia apud Pragam ſtudiorum Regens doctiſſimus, ad inſtantiam Imperatoris, & Regis Caroli, (inquit Olmeda,) qui per tres annos demandatam ſibi pręfecturam exercuit, morte accedente de quo ipſe, ſic fatur. *Poſt Guillelmum verò aſſumptus eſt ad Magiſterium ſac. Palatij P. Io: de Tambaco Prou. Saxoniæ conuentus Argentinen. vir ſanctiſs. primuſq; Regens ſtudij Pragen. ad inſtantiam Imperatoris, & Regis Caroli. Multa ſcripto mandauit iſte, quæ viri ſuperemmentè ſuperfluentemq; ſapientiam præſeferunt: & quæ etiam extranei non ſilent. Migrauit poſt annum octogeſimum ætatis ſuæ, geſtis etiam inſignibus decoratus.* Quæ autem ſcripſerit in noſtro ſacro Theatro retulimus.

Quidam ex noſtris Abiſſinus de quo ſup. an. 1316. ex Regio ſanguine, cuius nomen

nomen ſilet Ordinis ſcriptores, in Aetiopia & apud Abiſſinos factus Inquiſitor, vt populos illos nouiter à noſtris Prædicatoribus ad fidem conuerſos, in eadem conſtabiliret. Cum in Principem quendam, qui duas ſibi vxores copulauerat, ex officio proceſſiſſet, poſt ſimulatam pœnitentiā accerſitus ab eo ſub pacis fœdere fuit vulneratus ad mortem, & fuſtibus mactatus die 4. Nouemb. ſpiritum Creatori ſuo reddidit. *Paramus de orig. S. Inqu.ſ. tit. 2. cap. 19.*

Caput IX.

P. ELIA TOLOSANO Magiſtro Generali XXII.

ANNO 1367. conuenère Patres pro Magiſtri Generalis electione apud Auenionem habenda, ſub peſſimo ordinis ſtatu, relato in hunc modum ab Olmeda. *Cæterùm euacuatis conuentibus ob eam, quam diximus ſæuam, latamque peſtem, qua vix decima pars hominum (ſi hiſtoricis credimus) manſit conſtitutio de recipiendis minime curabatur, paſſimque inepti & indiſciplinabiles indiſcretè admittebantur.* ob defectum Fratrū, ex quibus maior pars in adminiſtratione ſacramentorum populi s facta perierat; vnde & conuentus deſolati, & Eccleſiæ clauſæ permansère annis pluribus; donec eliminato morbo, Deo miſerante reddita eſt mortalibus optata tranquillitas: vnde & Cōuentus reaſſumpti, & Eccleſiæ reſeratæ ſunt; ſicut in libro noſtro Capitulorum Generalium *de Reformatione Ord.* plenè retulimus. Electus eſt igitur P. Elias Toloſanus ex oppido Petragoricen. de conuentu Braieriacen. multæ ſolertiæ, ac doctrinæ vir ex Pœnitentiario Apoſtolico, necnon & Generali Procuratore Ord. atque Vicario, inſtituto ab Vrbano V. Pont. ad petitionem Card. noſtri Guillelmi Sudre: & ita congratulabantur ſibi ad inuicem Toloſani, quòd ſimul haberet Ordo ex ipſis, & Magiſtrum Generalem, & Cardinalem Protectorem. *Olmeda in eius vita.*

P. Elias igitur moribus probatus, priùs in Ordine præfuit, & in Generalibus ſtudijs rexit, creatus in Theologia magiſter. Diuini cultus ſecundum nomen zelator, cunctas exemptiones, ac diſpenſationes ab anteceſſoribus ſuis conceſſas Fratribus, reuocauit, ac nullius roboris eſſe voluit, & decreuit, vt Dei obſequium chorale, regularis obſeruantia, necnon & communis vita in Ordine reuiuiſcerent, quæ occaſione peſtilentiæ defecerant. Primus item fuit qui Generalia Capitula in biennum diſtulit celebranda, quod & Apoſtolica auctoritate firmatum eſt in Ordine. *Olmeda.*

Conuocauit igitur poſt primum ſuæ electionis Auenione hoc anno collectum Capitulum, aliud Brugis annò 1369. & deinde Valentiæ 1370. ſecundum morem antiqum; deinde poſt biennium Toloſæ 1372. Florentiæ 1374. Podij 1376. Carcaſſonæ 1378. & Lauſanæ ſequenti anno 1379. Shiſmate autem orto in Eccleſia Dei poſt electionem Vrbani VI. non liberè factam vt aiebant Cardinales Galli, ſed metu populi Romani Pontificem Max. Romanum, vel ſaltem Italum volentis, electoque denuo Anagniæ ab eiſdem Cardd. Clemente Gebennen. dicto in ſua obedientia VII. Elias illi adhæſit, præfuitque Ordini in Prouincijs Galliarum, & Hiſpaniarum, atque alijs, in quibus populi Clementi adherebant: & certè ad ſummam laudem nihil defuit illi, niſi temporum tranquillitas; quod tamen ſchiſmatum turbine infeliciſſimum extitit. *Olmeda.*

Sub eodem Elia ædificatum eſt ſacellum

lum pulcherrimum S. P. Dominici Bononiæ, larga manu eleemoſynas porrigentibus nobilibus, ac ciuibus Bononien.

Neq; ſilentio pretereundum, quòd ſub eodem Elia Io: Rex Hiſpaniæ, adhortantibus noſtris Prædicatoribus, tempora, & annos à Natali Chriſti, more Chriſtianorum computari voluerit, cum antea ab æra Cæſaris, quaſi more Gentilium deſcriberentur: mos quippe fuit Catholicis Hiſpaniarum Regibus, ac Principibus, qui fuerunt in eis, ex Prædicatorum Ordine ſibi Confeſſores, Prædicatores, ac Præceptores aſſumere, tanquam non ad inſipientiam ſibi. *Olmeda.*

Fœlix, fauſtuſque Chriſtiano Orbi, & Vrbi maximè illuxit annus hic, quo Vrbanus V. Pont. Maximus ſuadente P. Guilielmo de Militijs eius confeſſario, de quo infra, Auenione diſcedens, Viterbium primò, deinde Romam petijt; at cito nimis euanuit conceptum gaudium; nam Auenionem poſt duos annos maximo Romani populi, atque Italorum luctu reuerſus eſt. *Spondan. in Annal. num. 1. Baiocen. in Chron.*

Vrbanus Pontifex Prædicatorum Ordinem ſummoperè diligens, illius aſſeclas varijs Eccleſijs præfecit, vt illarum populi ſub Paſtoribus optimis poſſent in lege Domini proficerè. Et quidem primò Cardinalis F. Guilelmus Sudrè factus eſt Oſtien. ac Veliternen. Epiſcopus. P. Philippus Gezza Romanus, qui poſtmodum purpuram ſacram ſub Vrbano VI. conſequtus fuit, ex Iſernien. translatus eſt ad Tiburtinam Sedem. P. Antonius de Solutijs ſcutaren. Paſtor renunciatus eſt, & P. Bartholomæus de Beneuento Turtibulenſem cathedram conſcendit. *Ex lib. Oblig. Prælat. eiuſdem Pont. & Vghello.*

Dedit hoc anno Dominicana Religio fructum ſuum in tempore ſuo, dum cœlo obtulit B. Sibillinam de Papia tertij Ordinis profeſſam, quæ anno ætatis duodecimo oculorũ lumine orbata, deinde orationibus, diſciplinis, & ieiunijs intenta, in meditatione Dominicæ paſſionis aſſidua fuit; multis propterea diuinis apparitionibus recreata, cupiebat ex vinculis corporis diſſolui, & eſſe cum Chriſto, votique compos effecta eſt prædicto ſuæ mortis die, quæ in 19. Martij incidit, miraculis in vita, & morte coruſcans. *Plod.*

S. Vincentius Ferrerius ſuis ſacris prędicationibus chriſtianum orbem, atque fideles ad cœlum inflammaturus, hoc anno Prædicatorum habitum apud Valentiam induit *Lopez. p. 5.*

ANNO 1368. auctoritate Vrbani Pont. conceſſũ eſt corpus S. Thomæ Aquinatis Ordini. Cum enim P. Elias Toloſanus Procuratoris Ordinis munere apud Apoſtolicam Sedem fungeretur, lis mota eſt inter noſtros, & Patres Ciſtercien. Monaſterij Foſſæ Nouæ de corpore S. Thomæ de Aquino eiſdem Monachis reſtituendo, (erat enim tunc apud noſtros Prædicatores Fundenſes, ab eiuſdem ciuitatis Comite illis datum) quam aſſumptus ad Ordinis Magiſterium proſequi voluit, atque terminatam vidit hoc anno, quo in ſolemnitate Corporis Chriſti, (cuius officium ab eodem S. Doctore compoſitum audierat Vrbanus Pontifex) illud cum capite, quod ijdem Ciſtercienſes in caſtro Piperni ſepoſuerant, gratulante ſacro Cardinalium Collegio perpetua conceſſione Ordini Prædicatorum donauit, ea lege, vt Toloſam transferretur, atque in noſtra Eccleſia collocaretur. Quod ſine dilatione præſtitum eſt. Haud facilè dictu quanta pompa à Toloſatibus ſacra pignora fuerint excepta: nam proceſſit illis obuiam ad plura milliaria Ludouicus Dux Andegauenſis, Caroli V. Regis Chriſtianiſſimi frater, cum pluribus alijs Eccleſię, Regnique Principibus, vniuerſoque vrbis Clero, & Magiſtratu, populoque ſupra centum quinquaginta millia, facibus

ad decem

ad decem millia & ampliùs accenſis, effulgentibus vndique miracalis à S. Doctore patratis. *Ex eius Eccleſiaſtica legenda, & Spondano in Annal. num. 4.*

Pręficiuntur ab Vrbano Pontifice multi ex Prædicatoribus varijs Eccleſijs, vt illorum populos probè, prudenterque gubernantes, dignos æternis gaudijs efficerent. Hi autem fuère P. Ioan. Chucianus præfectus Archiepiſcopali Ianuenſi. Iacobus Petrus de Pigalordis, Argolicenſi. Io: Salamonius Nazarenæ. Franciſcus Siculus Liparen. & Pacten. *Ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont. & Vghell.*

Lolardorum cineres, ſeu ſemina aliqua reuiuiſcentes, in Valliſtillinæ ſcopulis, ac monti bus Inquiſitorum condignas caſtigationes euitaturi, latitabant, vitam degentes miſerrimam ab hominum conſortio alienam, inter ſe ſolum commiſcentes, & in proprijs iniquiſitatibus obſordeſcentes; nemini autem ſectam, qua irretiti erant, manifeſtantes. Cum autem ſacerdos quidam de Morbineo, in timore Domini enutritus, hac de re male ſentiret, Comum adijt, & ſacrę Inquiſitionis tribunale de omnibus informato, P. Fatius de Luino in Nouocomen. ciuitate negotijs S. officij prepoſitus, aſſumptis ſecum neceſſarijs miniſtris, Valleſtillam verſus nauigauit per lacum illos incarceraturus; at re Lollardis nunciata, per ſemitas deſertas & inuias aufugientes, in Boemiam perrexère Fatio de Luſo. *Baiocen. in Chron. Ordinis.*

ANNO 1369. Cum dioniſius Soulechat Religioſus quidam Minorita multas propoſitiones erroneas; necnon & hæreticas à ſe aſſertas de rerum abdicatione, charitate, atque amoris perfectione ſuſtinere niteretur, contra eum Pariſina Vniuerſitas, & inter eos noſtri Prædicatores inſurrexère, debitis cenſuris illas afficientes, & damnantes. Quare cum ille ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet, Auenione eiſdem damnatis, ac reprobatis; iterum Pariſijs in ſolemni congreſſu in Eccleſia S. Iacobi Prędicatorum de mandato Cardinalis Beluacen. de Dormano adhoc ſpecialiter à Sede Apoſtolica delegati, habito, propoſitiones omnes publicè abiurauit, & reuocauit. *Spondan. in Annal. num. 9. & Baiocen. in Chron.*

Card. Guilelmus Sudrè Epiſcopus Oſſien. & Veliternus ab Vrbano Pont. regendam quoque obtinuit Maſſilien. Eccleſiam, atque ambas antiquorum ſanctorum Paſtorum virtutes æmulatus, ſingulari creditarum ſibi ouium in via Dei incremento vſq; ad annum 1373. rexit, quo ſolutus nexu carnis ſub Gregorio XI. cui acceptiſſimus erat, perrexit ad Chriſtum in triumphanti Eccleſia perpetuò regnaturus, corpore apud noſtros condito. *Ex lib. prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont. & Gall. Chriſt.*

Defecit ex mortalium oculis Sacri Palatij Mag. Io: de Tambaco cordatus ſenex, cui P. Nicolaus de S. Saturnino datus eſt in Magiſterio ſucceſſor, & exorto in Eccleſia ſchiſmate Clementi dicto VII. adherens, ab eodem purpura conhoneſtatus fuit. *Olmeda.*

ANNO 1370. Auenionem reuerſus Vrbanus V. cum prius monitus fuiſſet à pluribus ſeruis Dei, & Sanctis, inter quos à S. Catherina Senen. & S. Brigitta & alijs, ne Romam contra Dei voluntatem deſereret, & Corneto ſoluiſſet die 5. Septembris inſtructiſſima ſibi claſſe à Regibus Franciæ, & Aragoniæ, Reginaque Siciliæ parata, Maſſiliam appulit die ſextadecima eiuſdem menſis, & vigeſima quarta Auenionē adijt, vbi 19. Decemb. mortuus eſt. Hic fuit primus inter Pontifices maximos, qui tiaram Apoſtolicam triplicibus coronamentis geſtauit, cū Bonifatius VIII. duplicibus, & ante ipſum vnico coronamēto eſſent Pontifices contenti. *Spond. in Annal. n. 5. Baioc. in Chron.*

P. Guilelmus de Militijs Gallus Pariſien. Doctor celeberrimus Vrbano V. Pont. Max. à ſacris confeſſionibus, promoto ad purpuram ſuperiori anno Philippo Patriarcha Hieroſolymitano, in illius locum delectus eſt Patriarcha Hieroſolymit. & hoc anno monitus à S. Catharina Senen. vt Vrbanum à propoſito regreſſus Auenionem remouère conaretur, omnē adhibuit operam, vt in Vrbe permanèret. Pont. Morienti Vrbano aſtitit, ipſumq; ad ea pietatis opera, quæ in illo vitæ termino adimpleuit, hortatus eſt. *Ex lib. prouiſ. Prælat. Vrbani eiuſd. & Baiocen.*

P. Nicolaus Aymericus Generalis Inquiſitor Aragoniæ Aſtrucum de Piera Iudæum Barchinonen. dœmoniorum callidum inuocatorem, & ſacrificum in vincula coniecit; & contentione orta inter Inquiſitorem, & Epiſcopum cauſa iuriſdictionis, ex carceribus S. Officij eductus eſt; at reclamante ad Gregorium XI. Pont. Max. Aymerico, mandauit iſte, vt Inquiſitori reſtitueretur, qui publicè in Cathedrali Eccleſia illum damnauit, & poſt publicam errorum factam abiurationem, perpetuo carceri adiudicauit. *Diag. lib.* 15.

Dantur hoc anno noua poma elegantiſſima paradiſo deliciarum ab Ord. Prædicatorum, quæ vitæ ſanctitate miraculis, atque virtutibus illum condecorauère: nempe B. Arnaldus de Pinos, & Elias Gallus, de quibus Lopez & Plodius copioſum habent ſermonem.

Aſſumuntur ad multarum Eccleſiarum regimina ab Vrbano Pontifice, Ordinem Prædicatorum vnicè diligente, plures illius filij inclyti; vt tanquam lucernæ ſuper candelabrum prælucèrent ſibi creditis populis virtutibus omnibus. P. Io: Fardinas ad Archiepiſcopalem Coloſſen. Iacobus Campana ad Tranen. P. Io: de Aldobrandinis Florentinus ad Epiſcopalem Eugubinam. Io: de Colmis ad Vergen. Benedictuſque ad Bergen. in Noruegia cum eſſet eiuſdem Pontificis Capellanus. *Ex lib. prouiſ. Præl. eiuſd. Pont. & Vghell.*

Cum Ludouicus Hungariæ Rex finitimas quaſdā Prouincias annuente Pontifice Max. recenter ſubiecíſſet, deſtinati ſunt illuc Fratres Dominicani, & Franciſcani pro illorum populorum conuerſione, qui prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, continuis prædicationibus addicti, quinquaginta dierum tempore ducenta millia eorundem ad Chriſti fidem attraxerunt Spiritu Sancto illorum corda dirigente; quo euentu motus Rex, Generali Magiſtro Præd. & Miniſtro Ordinis Minorum ſcripſit, vt bis mille Fratres ad ſe mitterent, quorum nulli eſſet in miniſterio Euangelij opus defuturum: quibus Pontifici Maximo, nunciatis per Apoſtolica ſcripta mandauit eiſdem ſuperioribus, vt ſibi ſubditos Fratres, habentes zelum Dei, & ſalutis animarum, pro dilatatione Euangelij ad eundem Ludouicum Regem ſtatim mitterent. *Ferr. de Hungar. Prou. p.* 3. *lib.* 5.

ANNO 1371. P. Nicolaus Aymericus Gener. Inquiſitor in Aragonia occaſione prætenſæ iuriſdictionis ſupra inquiſitum hebræum Aſtrucum, de quo in ſuperiori anno, euulgauit librum contra inuocatores, & adoratores Dœmonum, in quo probat optimè eorum delicta eſſe per Inquiſitores cognoſcenda; atque adeo rationabili de cauſa Pontificem ſuo tribunali adiudicaſſe formandū proceſſum contra Aſtrucum Iudæum. *Diag. lib.* 1.

Idem Inquiſitor inquiſitione facta de quibuſdam propoſitionibus ab aliquibus Religioſis publicè prædicatis, videlicet ſi hoſtia conſecrata cadat in lutum ſpeciebus remanentibus, ſub eis deſinere eſſe corpus Chriſti, & redire ſubſtantiam panis. Et ſi à iuſto, vel peccatore ſumatur, dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtum in ventrem hominis non traijci, ſed in

cœlum

cœlum rapi; easdem Pontifici Maximo Auenionem miſit cenſurandas, qui auditis noſtris Theologis, atque alijs, præfatas propoſitiones prædicari omnino prohibuit ſub excommunicationis pœna. *Spondan. in Annal. num.* 3.

Eodem anno à Summo Pontifice datus eſt Conuentus S. Franciſci de Tortoſa, cum Religioſi ibidem permanentes non religioſè viuerent, Ordini noſtro, cuius poſſeſſionem inière Patres die 29. Maij præſentis anni. *Lopez p.* 5. *lib.* 2.

Conuentus pariter Franciſcanorum Conuentualium Vicen. ciuitatis ob eandem cauſam ſimiliter cõceſſus eſt Ordini noſtro, ab eodem Pont. poſſeſſionem illius ineunte, de P. Prouincialis Aragoniæ mandato, P. Magiſtro F. Stephano Encontra, hoc pariter anno. *Lopez ibid.*

Infinitos profectò labores, & hos ærumnoſos, (hilari tamen fronte) experiebatur hoc tempore, & anno generoſa S. P. Dominici ſoboles in Armeniæ, Georginæ, Tartariæ ac Vallachiæ vaſtiſſimis Regnis, vt ibi Catholicam fidem plantaret, & plantatam contra diabolica gentilium conamenta ſuſtentaret. Qua de re certioratus Gregorius Pont. Apoſtolicis litteris illam conſolari congruum iudicauit, ex quibus octo recenſetur à P. Alberto Caſtellano, impreſſæ Venetijs an. 1516. In ijs eiuſdem ſobolis Catholicum zelum, ſalutis animarum deſiderium, Gentium perſequutiones, afflictiones, anguſtias, carceres, atque cædes, quas patiebatur, commemorans atque ad viriliter decertandum pro Domini gloria, Catholicæ fidei dilatione, atque Apoſtolicæ Sedis exaltatione eam hortatur. Pluribus igitur ex Prædicatoribus vario mortis genere ex hoc ſæculo nequam ſublatis, fundati ſunt ibi cõuentus, atq; Eccleſiæ pro Chriſti fide firmanda, & dilatanda. *Paramus lib.* 2. *c.* 29.

ANNO 1372. apud Londinum Prouinciale Concilium habitum eſt in Anglia, Gregorio Pontifice mandante, vrgentibuſque Fratribus Prædicatoribus, à Cantuarien. Archiep. collectum, cui tredecim Epiſcopi, & triginta in ſacra Theologia Magiſtri ex præſtantioribus Anglicani Regni interfuère, omnes ferè ex Prædicatorum Ordine. In eo propoſiti ſunt errores, impiaque Ioannis VVicleph dogmata, in Oxonienſi Academia ab eodem diſſeminata, indeque per Angliam totam iam ſerpentia; & diligenter diſcuſſa, damnata ſunt, habito Concilio in noſtro Londinen. cœnobio; Idque iniquius ferens VVicleph (quod nomen impia vita interpretatur) tantùm abfuit vt errores retractaret, quòd percontemptum ſolebat vocare Concilium illud *Terremotum*, ſic dicens: *Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Fratres Prædicatores in ſuo Concilio terremotus Londonij generaliter Regnum noſtrum intoxicauerunt*. Io. Cochlæus hiſtor. VSſitarum.

Pontifex Gregorius de hęreſùm extirpatione ſollicitus, contra Beguardos, & Beguinas in Germania repullulantes Imperatorem, Principes, & Inquiſitorem. P. Valterum Kerlingerum Prouincialem Saxoniæ Commiſſarium Apoſtolicum; necnon & Prælatos Germaniæ animauit; & Legato Sedis Apoſtolicæ in Sicilia iniunxit, vt eorum audaciam cohibèret, qui Dulcinorum, Fraticellorum, aliorumque hæreticorum reliquias colebant: ſpeciatimque F. Arnaldum Montanerium Minoritam de multis erroribus in diœceſi Vrgellen. ſparſis inquiſitum, ac palinodiam cantare ab Inquiſit. F. Nicolao Roſellio iuſſum, ſed in partibus Aquilonaribus, ad quas aufugerat, eoſdem profitentem, ac propterea ab Eymerico Roſellio ſucceſſore denuo citatum, intercipi, vinctumq; ad Apoſtolicam Sedem tranſmitti præcepit. Errores Montanerij erant Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe proprium,

prium, vel commune. Nullum damnari poſſe habitum S. Franciſci deferentem. B. Franciſcum ſemel in anno deſcendere in Purgatorium, & extrahere inde ad Paradiſum animas illorum, qui fuerunt ſui ordinis profeſſores, &c. *Spondan. in Annal. num.* 11.

Eodem anno P. Nicolaus Eymericus Generalis Inquiſitor Aragoniæ proceſſum conſtruxit de erroribus Raymundi Lulli, Gregorio Pontifici miſſum, qui examinationem eorundem errorum commiſit Archiep. Tarraconen. per Apoſtolicas literas, datas nonis Iunij præſentis anni. De quo infra. *Spondan. in Annal. num.* 22.

Inſurrexit præterea hoc anno *Sodalitas paupertatis* dicta in Gallia, & Sabaudia quorundam hæreticorum docentium nihil pudère quemquam debère eorum, quæ à natura accepimus; quo perſuaſi pudenda non tegebant, ac beſtiarum more publicè coibant, & voce orandum non eſſe ſed ſolo corde aiebant. Contra hos ſcripſit Pont. Gregorius Amadæo Comiti Sabaudiæ, & Inquiſitoribus noſtris, vt in eoſdem inſurgerent, atque igne, ac ferro illos perdere conarentur, prout fecerunt, pluribus ex illis igne conſumptis, vnde breui tempore ob turpitudinem, protinus hæreſis hæc extincta eſt. *Spond. in Annal. num. vlt.*

ANNO 1373. Gregorius Pontifex Turcarum progreſſibus opportunum repagulum obiecturus, cum Chriſtianis Principibus tractauit de eorum vnione in illos, Crucemque, & piam militiam per fratres Prædicatores & Minores fecit prædicari in Germania, Hungaria, Polonia, atque Boemia. *Bzou. in Annal. num.* 1. *& Baiocen. in Chron.*

Gregorius Pontifex, vt fidei negotia faciliùs tractari, & celeriùs expediri poſſent, conceſſit facultatem Inquiſitoribus accedendi ad Curiam Apoſtolicam cum ſocio, etiamſi petitam licentiam à ſuperioribus ſuis non ſint conſequuti, datis Apoſtolicis literis apud Auenionem hoc anno 8. Id. Februar. incipien. *Negotia Catholicæ fidei* Eymeric. 2. p. directorij.

Dominicana Religio vnum ex filijs ſuis, inter alios venerabiliorem, direxit in cœlum hoc anno, B. Thomam Carnicerium Aragonenſem, virum orationibus, vigilijs, & auſteritatibus conſpicuum, qui multas à dæmonibus paſſus calamitates, cum vnum ex eis in forma aſini in clauſtro rutilante aurora reperiſſet, imperauit mox illi, vt in nomine Domini Fratribus, & Conuentui inſeruiret, prout fecit multis diebus: tandemque abire permiſſus, euanuit. Magiſtri Nouitiorum per plures annos præfecturam geſſit, & inter alios S. Vincentium Ferrerium Ordinis legibus imbuit. *Plod. lib.* 2.

P. Petrus de Aſculo Auximano populo præfectus eſt Epiſcopus, vir chriſtiana pietate feruidus, qui gregem ſibi commiſſum ſacras leges edocuit, atque inculpatæ vitæ exemplo ad ſuperna præmia inflammauit: & P. Petrus Villiers, poſt rectas ab anno 1361. ſibi creditas Eccleſiæ Niuernen. oues Dominicas, transfertur hoc anno ad regendas illas infulæ Viuarienſis. *Gallia Chriſt. Vghell.*

P. Nicolaus Aymericus in Aragonia Inquiſitor contra aliquos iudaizantes, & hos nobiles, apud Cæſarauguſtam proceſſit, & culpabiles repertos, publico in foro abiuratione facta, à cenſuris abſoluit, carceris pena in aliorum documentum illis inflicta. *Diag.*

Petrus de Perna natione Boemus, & Clericus, non tamen ſacerdos, luxurioſus ſupra modum, cum inſanas mulierculas docèret, delectationes venereas eſſe delicias paradiſi, ac propterea iuuenculas, & adoleſcentes, etiam effuſo argento, & auro, ad ſecum illas deguſtandas alliceret, & quandoque etiam compelleret, apud Veronam captus ab Inquiſitionis miniſtris,

traditus

traditus eſt brachio ſeculari, à quo primùm per ciuitatem fuſtigatus, in principaliori foro viuus crematus, ſcelerumſuorum pœnam luit pertinax. *Baiocen.*

ANNO 1374. B. Antonius Pauonus de Siuiliano, intrepidus hæreticorum Inquiſitor, cum plures ex illis, & inter eos principaliores ſeuerè caſtigaſſet ab eiſdem ipſa Dominica in Albis hora diei tertia, poſt peractum miſſæ ſacrificiũ, dum prædicando in hæreſes declamaret, hæreticò ſatellite inuadente, enſe confoſſus, martyr Chriſti effectus, in cœlum euolauit. *Plod. lib. 2. p. 1.* Bzouius autem in ſequentem annum id reijcit.

Pullulantes hæreſes exterminaturus, & catholicã fidẽ conſtabiliturus inter Barbaras nationes Greg. P. Ioannẽ Gallũ, virũ doctiſſimũ, linguarumq; peritia apud Apoſtolicam Curiam clariſſimum, Inquiſitorem generalem cum auctoritate ampliſſima delegauit in Armeniam, Georgianam, Græciam, Vallachiam, Tartariam, atque Ruſſiam, cum multi ex Prædicatoribus, verbum Dei in vaſtiſſimis Regnis illis pro dilatatione fidei Catholicæ annunciantes, vario mortis genere conſumpti fuiſſent. *Param. lib. 2.*

In Vallachia opera Fratrum Prædicatorum euangelium Ieſu Chriſti prędicantium magna pars populi, eiurato ſchiſmate Græcorum, ad vnitatem fidei Catholicæ venit: quare ad petitionem Ludouici Hungariæ, & Poloniæ Regis Gregorius Pontifex ſcripſit, hortatuſque eſt Strigonien. atque Colocen. Archiepp. vt ex Regis ſententia, quid expediret ſaluti populi illius decernerent, atque exequtioni darent. *Ferrar. p. 3. lib. 4.*

Dum peſtis inguinaria hoc anno miſerabiliter apud Etruriam, & Senas præcipuè, graſſabatur, B. Raymundus de Capua S. Catherinæ Virg. confeſſarius cum ſocio ſuo, alijſq; ex Prædicatoribus infirmorum curæ inuigilabant, ne ſine Sacramentis perirent fideles. Infirmatus eſt autem ad mortem Raymundus cum ſocio, peſte correpti ambo, ad quos accedens S. Virgo, iuſſit illis, vt ſurgerent, impoſita ſuper caput decumbentium manu, & languentibus Sacramenta miniſtrarent. Surrexerunt ſtatim è lectulis illi: At Matthęus Hoſpitalis præfectus, vir pijſſimus peſte infectus languebat in agone, quod cum S. Virgini innotuiſſet, accurens illa Matthæo dixit: *Ego tibi præcipio in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne migres à vita.* Et ſtatim reſurrexit ille ſanus, & infirmis miniſtrauit etiam ipſe. *Bzou. in Annal. num. 16.*

Ad Orientem, Auſtrum, & Septentrionem Gregorius Pontifex multos Prædicatores Euangelij Ieſu Chriſti miniſtros cum P. Elia Petit Gallo Epiſcopo conſecrato delegauit, vt ſacra prædicatione, morum candore, orationibus, ieiunijs, & lacrymis populos illos ad veneratione vẽri Dei, & reuerentiam Apoſtolicæ Sedis perductos, ſacro regenerationis lauacro Chriſto regenerarent, cœnobia fundarent, Eccleſias conſtruerent, & aras in nouiter conuerſorum ad fidem conſolationem erigerent: quòd illi prompto animo exequentes, poſt ærumnas multas, perſequtiones frequentes, atque moleſtias innumeras pro Dei honore toleratas, catholicam fidem ibidem & plantauère, & dilatauère, conſtructis cœnobijs, Eccleſijs, atque Aris. *Param. lib. 2. cap. 29.*

ANNO 1375. Cum P. Io: Taruiſien, Epiſcopus in Armenia, Romam reuerſurus per Conſtantinopolim cum Fratribus ſocijs ſuis tranſiſſet, diſputationem habuit cum Ioanne Cantacuzeno, atque alijs doctoribus Græcis de primatu Romanæ Sedis ſuper Patriarchas quoſcumque, etiam Conſtantinopolitanum, qui caput Eccleſiæ Græcæ ſe venditabat; & conuictus Cantacuzenus eximperator Conſtantinopolitanus, atque

Baſilia-

Baſilianus Monachus effectus eũdem primatum confeſſus eſt ita, vt etiam pro illo, atque vnione Eccleſiæ Grçcæ cũ Latina laboraſſet. Quibus Gregorio XI. Pontifici Max. nunciatis, ſcripſit ille Apoſtolicas literas ad Cantacuzenum commendans in hunc modum eius pietatem. *Ioanni dicto Cantacuzeno Ordin. S. Baſilij profeſſori gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro. Gregorius, &c. Inter deſideria cordis noſtri. &c. Sanè quia Venerab. Frat. noſter Io: Epiſc. Taruiſien. lator præſentium nobis expoſuit, quod in quadam diſputatione, quam nuper tu, & quidam alij Græci, tam Prælati, quam alij cum quibuſdam Fratribus Ord. Præd. quos ad partes Armeniæ maioris ad conſeruationem fidelium, & conuerſionem infidelium dictarum partium mittebamus, ſuper his, in quibus Græci à Latinis diſcordare noſcuntur, in ciuitate Conſtantinopolitana habuiſti, non immemor verbi Saluatoris noſtri, qui dixit B. Petro, cuius ſumus diuina permiſſione ſucceſſor. Tu es Cephas, ſponte confeſſus es te credere, & tenere S. Romanam Eccleſiam, quæ mater eſt omnium fidelium, & Magiſtra ſuper omnes orbis Eccleſias, obtinere primatum; & quòd adhoc defendendum, ſi expediret, morti exponeres corpus tuum; cuius quidem Epiſcopi, vti fide digni, relationi huiuſmodi nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum ſumus de dicta confeſſione lætati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo eſt dignatus infundere, vt verbum tam bonum, tamque ſalutiferum eructaret.* Bzouius in Annal. num. 1. & 2.

Scripſit propterea Pontifex etiam Fratribus Prædicat. ibi à P. Ioanne Epiſcopo pro dicta vnione procuranda relictis; vt in ea cultura vineæ dominicæ perſeuerarent, neque Conſtantinopoli diſcederent, donec deſiderata omnium cum Eccleſia vnio conficeretur, datis Apoſt. literis Auenione Idib. Febr. Præfectus verò mercatorum Venetus, ibidem ex ſententiã Conſilij addixit tunc Fratribus Prædicatoribus Conſtantinopoli Oratorium S. Marci titulo, vnà cum area non contemnenda pro cœnobio Dominicano cõſtrudo. Quam donationem, vt Dux, Sẽatuſque Venetiarum approbarent, ſcripſit illi Gregorius 5. Kal. Febr. *Bzou. vbi ſup. num. 4.*

Vt pullulantes, ac ſerpentes hæreſes in Germania opprimeret, atq; deleret Pontifex, P. Hermanum Heſtedium Inquiſitorem deſtinauit, quem præ cœteris Friderico, Baltazaro, atque Vvilielmo Marchioribus Miſniæ; necnon Henrico & Gunthero Comitibus Schuuartzenburgijs commendatum voluit. Dat. Apoſt. literis apud Auernonem. 12. Kal. Aug. *Bzou. vbi ſup. num. 16.*

Sed neque Sicilia, neque Italia hæreticis omnino carebant: nam laudauit Pontifex Panormitanorũ zelum, qui hoc anno P. Simoni de Puteo Inquiſitori hæreticorum annuos prouentus duodecim vnciarum auri aſſignauerant pro ſuo officio efficaciùs exequendo, datis literis Apoſtolicis nonis Maij. Hìc Meſſanæ nobili ſanguine ortus, S. Theol. Doctor celeberrimus, necnon & Friderici Regis Capellanus, à ſecretis conſilijs, cum fuiſſet in Regno Siciliæ Quæſitor fidei ab Vrbano V. iam pridem inſtitutus, Apoſtolicus Collector ſpoliorum in eodem Regno, & Nuntius creatur hoc anno de quo infra anno 1378. *Sicil. Sac. in Epp. Meſſanen. & Bzou. vbi ſup.*

Seraphica Virgo S. Catharina Senen. ſpiritu prophetico clara, multa prædicit de ſchiſmate futuro, ac malis eccleſiæ; & Piſis ſacris ſtigmatibus decoratur à Christo Domino. *Bzou. in Annal. num. 16. & 17.*

P. Nicolaus Eymericus Inquiſitor Gen. Aragoniæ congregatione viginti doctorum Theologorum habita cum Petro Card. Epiſcopo Oſtien. poſt plures diſputa-

diſputationum congreſſus maturè factos, damnauit ducentos articulos operũ Raymyndi Lulli tanquam hærericos, & erroneos, ſicut iu Bulla data apud Auenionem 8. Kal. Februar. Gregorius Pontifex affirmat. *Diag. lib.* 1.

Præficiuntur fidelibus in Eccleſiarum regimine aliqui ex Prædicatoribus à Pontifice Max. Gregorio. Et quidem P. Nicolaus de S. Martino Maceraten. Epiſcopus fit etiam Recanaten. & P. Petrus de Villaribus Conuentus Trecen. Carolo V. Galliarũ Regi à ſacris confeſſionibus ex Niuernen. Eccleſia transfertur ad Trecen. *Ex lib. prou. Prel. Gregorij Pont. & Vghell.*

Quidam ex noſtris fidei zelator, atque contra hęreticam prauitatem Apoſtolicus Inquiſitor creatus de Conuentu Secutienſe, cum demandato ſibi muneri conſtanti pectore operam daret, ab hæreticis, ſibi mortem metuentibus, populari impetu facto die 2. Februarij, Purificationi Genitricis Dei ſacra trucidatus, atq; ſuo ſanguine purificatus cœlos conſcendere promeruit, cuius tamen nomen ſiluère ſcriptores Ord. *Marcheſius in Sac. Diario tom.* 1. *ex Bzouio tomo* 15. *Annal. Eccleſiaſt.*

ANNO 1376. Seraphica Virgo S. Catherina de Senis in extinguendis odijs, ſedandiſque inimicitijs dexterrima, pro pace Florentinorum, qui cum Eccleſia diſſidebant, atque Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſiti erant, à Florentina Repub. Oratrix ad Gregorium Pontificem miſſa, Auenionem petit, & ad illius pedes ptoſtrata; vt Florentinis ignoſceret, pacem concederet, atq; peccatoribus miſericordiam poſcentibus, pietatis viſcera aperiret, enixè precata eſt, cui & votum ſuum de petenda Vrbe, ſoli Deo notum, ſe diuinitus cognouiſſe monſtrauit: deliberauitq; Pontifex ea ſuadente ad Sedem ſuam Romanam accedere, quòd & præſtitit hoc anno. *Ex eius Sacra legenda & Bzou. in Annal. num.* 18. *& Leſeburè.*

Extant. S. Catharinæ duodecim epiſtolæ datæ ad Gregorium Pontificem, quibus eum ad ignoſcendum Florentinis, alijſque Eccleſiæ rebellibus hortabatur, atque ad ſuſcipiendum iter Romam verſus animabat. Noluit autem Gregorius ſtabilire in Vrbem acceſſum, niſi priùs certioratus fuiſſet ab eadem S. Virgine ſe ex tali acceſſu nullum malum, ſeu periculum ſubiturum, idque per B. Raymundum de Capua eius confeſſarium poſtulauit. Reſpondit Virgo ſe Deum interpellaſſe, & ab eo poſt ſuſceptam Euchariſtiam accepiſſe, nullum prorſus mortis periculum ex tali itinere eidem imminère; imò volutatem Dei eſſe, vt reſtitueret Apoſtolicam Sedem Romanæ Vrbi. His auditis decreuit Pontifex in Vrbem reuerti, plus valente apud ipſum Catharinæ auctoritate, quàm Cardinalium Gallorum omnium, qui oppoſitum lacciosis rationibus ſuadebãt. Ex quibus cognoſcere licet quanta in reuerentia eſſet apud Gregorium Seraphica Virgo. *Bzou. vbi ſup.*

In Italiam, Auenione diſcedens, reuerſura S. Catharina, Apoſtolicis Legationibus fungitur ad diuerſos Principes, qui intuebantur vultum Catherinæ, tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos, emollito iam corde Gregorij Pont. Florentinos verſus. *Ex eiſdem auct. ſuprad.*

Antequam Auenione Gregor. Pont. diſcederet, inſtante noſtro Auenionen. Inquiſitore, iuſſit pro coercendis hæreticis in Delphinatu, vt Viennæ carceres peculiares, qui S. Officij dicerentur, necnon & S. Inquiſitionis palatium Apoſtolicæ Sedis ære conſtruerentur Apoſtolicis literis datis hac de re Auenioni xj. Kal. Auguſti. *Bzou. in Annal. num.* 27.

Die tandem optata in Vrbe, & Orbe Chriſtiano 13. menſis Septẽb. Gregorius XI. Pontifex Auenione diſcedens Cornetum venit 5. Decemb. vbi permanſit vſque ad 13. Ianuarij, qua diſcedens, Vr-

 bem,

bem verſus properauit enixè à Romanis expectatus. *Bzou. in Annal.*

Gregorius Pontifex plures Prædicatores in Orientem, Auſtrum, & Septentrionem ad prædicandum euangelium pacis miſit, dato illis Vicario P. Elia Petit Gallo, qui negotio dilatandæ fidei ex corde incumbentes, multam infidelium meſſem per ſacrum Baptiſma in Eccleſiæ horrea intulère. *Param. lib. 2.*

ANNO 1377. Solemni pompa Vrbem ingreditur Gregorius Pontif. Ianuarij 18. à Romano populo, & nobilibus ſummo gaudio exceptus choreas ducente in publicis vijs, ac plateis in ſignum lætitiæ maximæ. *Bzou.*

Idem Pontifex cum P. Elia Toloſano Magiſtro Ordinis decreuit, quòd Fratribus Congregationis peregrinantium inter gentes decem cœnobia adiudicarentur, ex tribus Prouincijs euellenda, vt facilius prædicationi Euangelij inſeruirent: hæc verò fuère: ex Prouincia Poloniæ, Leopolienſe, Camenecenſe, & Smotricenſe: ex Prouincia Hungariæ, Cetetenſe, Primicellenſe, & Panſutenſe: ex prouincia verò Græciæ, Chienſe, Caphenſe, & Trapezuntinum, vt in his conuentibus detineri, in infirmitatibus curari, & refici poſſent. *Bzouius de Prou: Polon.*

Eodem anno P. Nicolaus Eymericus quoſdam ſubortos in Aragonia errores contra fidem, condemnari fecit Apoſtolica authoritate, auctoribus eorum iuſtis pœnis afflictis. *Diag. lib. 1.*

P. Io: de Piſtorio, vir laudatiſſimus aſſumptus eſt hoc anno ad regendam Aquilanam Eccleſiam cum populo illi credito, à Gregorio XI. Pontifice. *Vghell.*

P. Io: Schandlant Colonien. in eadem vniuerſitate Doctor celebris, Hæreticorumque cenſor fideliſſimus ibidem inſtitutus, Catholicæ fidei candorem in ſibi ſubditis populis conſeruaturus illæſum, delinquentes in illā grauiter puniebat. Quapropter Vormatien. Epiſcopus ab Vrbano V. creatus anno ſuprad. Rexit quoque Eccleſias Hildesheymen. & Auguſten. Legationibus Apoſtolicis ad Septentrionales Principes pro Vrbano peractis. Multa ſcripſit, ſcientiam, & pietatem redolentia; quieuitque hoc anno in pace laborum ſuorum præmium in æternitate percepturus. *Leand. Albert.*

ANNO 1378. Martij 27. Romæ mortuus eſt Gregorius Papa XI. quem luxerunt Romani tanto cum gemitu, quanto neminem Pontificum: quòd Vrbem ingentibus beneficijs exornaſſet, ac omnes loco filiorum dilexiſſet. Ex qua morte lites, diſſidia, ſchiſmata, & mala omnia in Eccleſiam ſanctam Dei inſurrexère. *Bzou. in Annal. num. 1.*

Defuncto Gregorio conclaue ſunt ingreſſi Cardinales pro ſucceſſore eligendo, & S.P.Q.R. incluſis Cardinalibus præfecit cuſtodem conclauis P. noſtrū Philippum Gezzam de Rufinis nobilem Romanum Tiburtinum Epiſcopum, qui eiuſdem fidelem curam geſſit vſque ad electionem factam Vrbani VI. à quo vnicè dilectus eſt. *Vghell. inter Iſernien. Epp.*

Quindecim Cardinales erant in Vrbe dum Gregorius Pont. vitam cum morte commutauit, ex quibus quatuor Itali, reliqui Galli, Italis Italum, Lemouicenſibus, Lemouicenſem, reliquis Gallis, Gallum, nonverò Lemouicen. Pontificem Max. volentibus. Attamen cum nobiles Romani, necnon & populus, Romanum, vel ſaltem Italum enixè peterent, tandem Bartholomæus Archiep. Bareņſis vnanimiter Pont. Max. ſalutatus, electus eſt; qui Vrbani VI. ſibi nomine aſſumpto, ab omnibus Cardd. adoratus, poſtea die S. Paſchatis ſolemni ritu in Vaticano coronatus eſt: & Cardinales more ſolito admonuerunt omnes Reges, ac Principes de facta Bartholomæi electione; qui cum pompā, & faſtum quorumdam Cardinalium

lium coercere decreuiſſet, eoſque de honeſtiori viuẽdi modo monuiſſet, id indignè ferentes illi, vrbanos æſtus, cœlique Romani inclementiam cauſſatis, Anagniam primò, Fundos poſtea conceſsère ſimulanter ad Honoratum Caietanum eiuſdem ciuitatis Comitem, vbi freti patrocinio, & æſtu Ioannę Reginæ Neapolitanæ, factam electionem Vrbani per vim, & metum aſſerentes, alium ſibi ibidem ex ſuis Cardd. elegère Pontificem; ſeu veriùs, Antipapam, vſi opera, & conſilio Nicolai Neapolitani Iuriſconſulti clariſſimi Ioannæ Reginæ conſiliarij, Vrbanique Pontificis inimici. Ad 12. Kal. Octob. igitur elegerunt Antipapam Card. Gebennenſem, qui Clementis VII. nomen aſſumpſit; & hinc ſchiſma, diuiſiones, & mala omnia in Eccleſia ſancta Dei, diuiſis fidelibus in duorum Summorum Pontificum veneratione. *Bzou. & Spondan. in Annal. hoc anno.*

S. Catharina Senenſis Virgo ſanctiſſima reuelationum, & miraculorum gloria eo tempore illuſtris, Vrbanum legitimum Pontificem venerata, Carolo Imperatori eundem legitimè electum, coronatumque a Cardinalibus, nec in metum conferendam eſſe electionem, ſcripta epiſtola ſignificauit: necnon & tres Cardinales Italos, qui ab Vrbano deſciuerant, increpatos vt ad ſanam mentem redirent, eundemq; etiam ab ipſis creatum liberè atque adoratum ſinè metu, ſequerentur, datis literis ſpiritus feruore repletis admonuit. At cum illi, & reliqui obſtinatiores fierent, octo epiſtolas conſolatorias, monitorias, atque hortatorias dedit ad Vrbanum, quibus eum hortatus eſt ad Eccleſiam Romanam, hortum deliciarum, tanquam optimis ſuauiſſimiſque floribus, ac fructibus, ita ſanctiſſimis, ac doctiſſimis Cardinalibus muniendam, qui eſſent columnæ firmiſſimæ, ad omnem Sathanæ impetum inconcuſſæ. *Bzou. in Annal. num. 36.*

Ad 14. igitur Kal. Octob. Vrbanus VI. S. Catherinæ cõſilium approbans, nouem & viginti creauit Cardinales, viros aptiſſimos ad ſuſtentandam, ac defendendam propriam auctoritatem, atque papatus promotionem rite, & liberè factam, inter quos fuere duo ex noſtris Prædicatoribus P. Nicolaus Moſchinus Caracciolus, & P. Philippus Gezza de Rufinis Epiſcopus Tiburtinis. *Ciaccon. & Bzou. num. 25.*

Noſtri Prædicatores Sanctæ Catherinæ exemplum ſequti, partes Vrbani veri Pontificis ſuſcepère, inter quos P. Io: de Monteſono, vir doctiſſimus, & laudatiſſimus, qui calamum acuit in literas à Cardinalibus pro noua electione Pſeudopontificis datas, contendens aliqua in eis recenſita falſa fuiſſe, alia vera ſuppreſſa, quædam inſerta æquiuoca, alia dubia, alia contradictoria, aliqua denique erronea, quo facto Vrbano in paucis charus effectus eſt. *Spondan: in Annal. num. 15.*

Videns autem Vrbanus quæ fiebant contra ſe, & ſchiſma in Eccleſia ſubortum, Cardinalem Gebennenſem, Clementem VII. dictum, cum omnibus Cardinalibus ei ad hęrentibus, necnon ſequacibus, ac fautoribus excommunicauit ſolemni ritu, atque dignitatibus omnibus priuauit: quòd vt innotuit illis, miſerunt Pariſios Magiſtrum Sacris Palatij P. Nicolaum de S. Saturnino, vt Regem Galliæ de noua Pontificis electione admonèret, necnon & Pariſien. Doctores conſuleret de electione Vrbani facta (vt aſſerebant) per vim & metum, atque altera Clementis VII. libertate ſumma peracta; ideoque rectam, & bonam nec ne iudicarent, atq; in ſuam ſententiam venirent: qui electionem Vrbani per vim factam credentes, illa nulla iudicata, nouo electo Clementi adhæsère, atque hoc modo firmatum eſt ſchiſma peſſimum, quod triginta, & nouem annos in Eccleſia ſancta Dei perſe-

uerauit, re ita dubia de veritate quis nam eſſet verus Pontifex, vt etiam pręclariores viri, imò & S. Vincentius Ferrerius in veneratione veri Pontificis ab errauerit. *Spond. in Annal. num. 20. & Bzou. ibid.*

Nunciata per Orbem Pariſien. Vniuerſitatis in fauorem Clementis ſententia, multi Reges, ac Principes deſerentes verum Pontificem Vrbanum, eidem obedientiam præſtitère, & cum illis iſporum populi, ac Regna. Quare vt ſolium ſuum ſtabiliret Clemens, in quatuor Aduentus temporibus Fundis nouos ſex Cardinales creauit 16. Decemb. inter quos fuit noſter ſacri Palatij Magiſter P. Nicolaus de S. Saturnino abſens, vir aliàs doctiſſimus, & prudentiſſimus, at ſententia Pariſinæ Vniuerſitatis deceptus, qui ſequenti anno Maſſiliam ingreſſus rubro pileo donatus eſt cum tit. S. Laurentij in Paniſperna, perſeuerauitq; in ſibi data purpura vſque ad annum 1382. quo 23. Ianuarij deceſſit, apud noſtros ſepultus. *Spondan. & Ciac.*

Vrbanus autem ab Imperatore, aliiſque Regibus, ac Principibus, tanquam verus Pontifex adoratus, Venceſlauum Caroli Imperatoris natu maiorem in Romanorum Regem confirmauit, atque in Vrbe ſuum Pontificium ſolium conſtabiliuit, Clemente apud Auenionem alterum erigente. *Ex ſuprad. Auct.*

Tot, tantis, ac talibus curis, & moleſtijs afflictus Vrbanus quæ ſui muneris erãt ad implens, Magiſtro Generali Simoni Lingonien. datis Apoſtolicis litteris facultatem conceſſit tres Inquiſitores inſtituendi; vnum in Armenia, & Giorgia; alterum in Græcia, & Tartaria; tertium autem in Ruſſia, & vtraſque Vallachia ad comprimendos hæreticos in illis partibus inſurgentes; quòd protinus exequtioni mandauit ille, miſſis ad ea regna Inquiſitoribus Fratribus tanto munere digniſſimis. *Ferrar. de reb. Hungar. Prou. p. 3. lib. 2. & Param. lib. 2.*

In Neapolitano Regnō ad ſacrum Inquiſitionis tribunal promotus eſt, magno cum catholicæ fidei incremento P. Dominicus de Stellopardis ex Fragola, qui plures pullulantes hæreſes carpſit, atque hæreticos carceribus, ſupplicijs, igne, ac ferro afflixit. *Vall. de Prou. Regni.*

P. Andreas de Bocagnis, ſeu de Franchis, inquit Vghellus, Piſtorien. aſſumptus eſt ad patriæ Epiſcopalem Sedem à Pon. tifice Max. Vrbano VI. & P. Simon de Puteo ad Catanen. in Sicilia, qui multas paſſus eſt calamitates à Martino Rege in ſua Eccleſia pro Eccleſiaſtica immunitate, veriquePontificis auctoritate defenſanda, à quo in carcerem coniectus, tandem ex ſua Eccleſia exulare coactus fuit. *Pyrrus Sicil. Sac.*

Declinante ad Clementem, in ſua obedientia VII. dictum, cum Cardinalibus P. Nicolao de S. Saturnino Sacri Palatij Magiſtro, Vrbanus Pontifex alium nominauit S. Palatij Magiſtrum, inclytum virum P. Petrum de Ilperinis, nobilem Romanum, quem ſequenti anno ad Marſicanam Eccleſiam regendam euexit; verum ex ea exulare coactus eſt ab intruſo Epiſcopo Pſeudo-pontificis Clementis, & in Vrbem reuerſus, ibidem debitum humanæ fragilitatis perſoluit anno 1383. in Minerua ſepultus. *Lucarinus, & Vghell.*

Statimac culmen Apoſtolicum conſcendit Vrbanus VI. Magiſtro Ordinis mandauit, vt defuncto P. Ioanne Gallo Generali Inquiſitore in prouincijs Orientis, & Septentrionalibus alios in eius loco tres nominaret Generales Inquiſitores, alterum in Armenia, & Georgiana; alium in Græcia, & Tartaria; tertium vero in Ruſſia, & duabus Vallachijs, viros zelum diuini honoris, ſalutiſque animarum habentes; quòd executioni demandauit ille, ſelectis ad tale miniſterium viris Apoſtolicis, vitæ ſanctitate, & charitate feruidis. *Paramus lib. 2.*

ANNO

ANNO 1379. Seraphica Virgo S. Catharina Senen. omnem conatum adhibuit, vt ſchiſmate ſublato, Vrbanus VI. tanquam verus Chiſti Vicarius in Eccleſia agnoſceretur; ea propter cum Carolo Galliæ Regi Epiſtolam ſcripſiſſet ſuperiori anno, qua nihil grauius, elegantius nihil, aut incipi, aut ſcribi ab vllo eiuſdem temporis viro potuiſſet; eodem quoque argumento hoc anno ſcripſit alteram ad Ludouicum Hungariæ Regem, quibus hortabatur eum, vt Vrbano, tanquam vero Pontifici obſequium exhiberet, eundemque velut verum Chriſti Vicarium debita veneratione adoraret. Epiſtolæ autem ad Ludouicum ex etruſco in latinum verſæ, tenor ſic ſe habet. *Chariſſime in Chriſto Ieſu dulci, Pater. Ego Catharina Seruorum Chriſti Ieſu famula, & mancipium, tibi in pretioſo eius ſanguine ſcribo, in vera te, perfectiſſimaque charitate fundatum videre deſiderans; in charitate inquam, quæ non quæ ſua ſunt, ſed puram gloriam, laudemque nominis Dei, in ſalute animæ, nec proximum propter ſe, ſed dumtaxat propter Deum inquirit, ea, quæ vera parens eſt, ad vbera ſua proles virtutum enutriens, qua ſine nulli vita ineſſe poteſt virtuti: &c. Heu, qui fidei ſanctæ columnæ, & propugnatores eſſe debuerant; ipſimet eam abnegarunt. Et quid enim Vicarij Chriſti Papæ Vrbani VI. electores concitauit? Vrbani inquam VI: quem adeo legitima electione elegerunt, tanta ſolemnitate inaugurarunt tanquam Sum. Pontificem, vt verè eſt, reuerendo conſalutarunt, pro gratijs, & beneficijs ei ſupplicarunt, per orbem totum, non metu, hominum, ſed ipſiſſima veritate perurgente Pontificem euulgarunt, iam verò verum eſſe Pontificem inficiantur, &c. Magum profectò in te Dei noſtri beneficium, quo veritatis ſuæ radijs colluſtratum, illorum tenebris te comprehendi non permiſit. Quin imò, qui fidei noſtræ Defenſor, illiuſque Dux contra infideles ſemper extiteris invictus, vt iam nunc Eccleſiæ ſuæ ſanctæ propugnatorem agas, dulcis Redemptor noſter decreuiſſe videtur. Age igitur ad veritatis, fideique ſanctæ aduersùs hæreticos, falſos Chriſtianos, veritatis abnegatores, defenſionem quaqua verſum amator; nullæ nectendæ moræ; magna ſollicitudine Deo, ad hoc te miniſterium vocanti, reſpondendum: alia poſthabenda vniuerſa, &c.* Hæc S. Catharina, quæ non ſemel Romanum Pontificem Chriſtum in terris appellat. Quid autem ex Catharinæ litteris euenerit, dicetur ſequenti anno. *Ferrar. par. 3. lib. 4.*

Vt autem Vrbanus Pontifex populos in ſua obedientia çontineret P. Dominicū de Stellopardis à Fragola in Neapolitano Regno Apoſtolicum prædicatorem, & Commiſſarium, Generalem Inquiſitorem conſtituit in vtroque Siciliæ Regno, vt electionem Antipapæ Clementis, in ſua obedientia dicti VII. tanquam ſchiſmaticam, & diabolicam populis illis denunciaret, necnon & cenſuras in eum, ſequaces, & fautores eius promulgaret: dato Breui ſequentis tenoris. *Vrbanus Ep. &c. Dilecto filio Dominico de Affragola Ord. Præd. &c. Cum ad prædicandum cont. iniquitatis alumnos Robertum Antipapam, qui auſu temerario ſe Clementem Papam nominare præſumit, ac eius complices, ac ſequaces, necnon credentes &c. Nos volentes quod in huiuſmodi officio prædicandi tu, &c. Diſcretioni tuæ mandamus, &c.* Prædicauit igitur Dominicus & conſtabiliuit populos illos in fideli veneratione erga verum Pontificem Vrbanum, cui propterea in paucis charus exſtitit. *Vallus.*

Card. Nicolaus Caracciolus mittitur ab Vrbano Pontifice Max. cum Agapito Card. Columna Legatus in Flamminiam & Aemiliam ad regendos illos populos, ne quid eis à Gallico milite aduerſi accideret, quibus etiam vt Legationis Apoſtolicæ munere fungerentur interGenuen-

ſes

ſes , & Venetos conciliandos iniunxit. *Bzou. in Annal. num. 12.*

Henricus Caſtellæ Rex inclytus in ocreis pulcherrimis,efficaci veneno inunctis à Maurico Rege perimitur 3. Kalen. Iunij , qui cum noſtros Prædicatores ex corde diligeret , maximaq; erga S. P. Dominicum deuotione afficeretur, Dominicano habitu indui petijt , in quo maxima cum deuotione deceſſit , adſtantibus & orantibus noſtris Prædiactoribus , ex quibus ipſe Rex vnum elegerat , cui conſcientiæ ſuæ vulnera detegebat , quod & ſequentes Reges præſtitere . *Spondan. in Annal. num. 5.*

P. Iacobus Petri de Piſis aſſumptus eſt ab Vrbano VI. ad regimen Eccleſiæ Archiepiſcopalis Turritanæ, & P. Dominicus in Vrbe Pœnitentiarius ad regendam Nitrien. in Hungaria , & P. Dominicus de Florentia ad gubernandam Albien. in Vaſconia. *Ferrar. & Gall.Chriſt.*

Fit Sacri Palatij Mag. P. Vgolinus de Camerino poſt Ilperinum ,ab Vrbano VI. promotus, cui fideliter adhæſit, &inſeruiuit toto tempore, quo vixit . Deceſſum eius ſilent Scriptores , quem tamen fuiſſe circa annum 1395. tradunt aliqui . *Lucarinus & Plodius.*

Caput X.

B. RAYMVNDO DE CAPVA

Magiſtro Generali XXIII.

ANNO 1480. Cum defeciſſet Helias Toloſanus ab obedientia Vrbani Pontificis , & declinaſſet cum ſuis Gallis ad partes Clementis, dicti in ſua obedientia VII. defecerunt quoque ab eius obedientia Prouinciæ Italiæ, Poloniæ, Græciæ , Germaniæ , & Hungariæ; Gallia,Hiſpania,ac Britannia Heliæ adhærentibus·Conuenientibus igitur Bononiæ Patribus illarum Prouinciarum , quæ ab Helia defecerant , elegerunt Magiſtrum Ord. pro obedientia Vrbani VI. B. Raymundum de Capua, S. Caharinæ Senenſi à ſacris confeſſionibus , & tunc temporis Prouincialem Lombardiæ,ſicque ſchiſma in Ordine Prædicatorum , ſicut & in Eccleſia Dei , firmatum eſt. *Olmeda.*

Clemens dictus in ſua obedientia VII. cum Neapoli ſoluens Auenionem perueniſſet,ibi ſuam Sedem fixit, habuitque in ſua obedientia & ipſe Reges & Regna; necnõ & alios Religioſos Ordines in eiſdẽ Regnis exiſtentes , qui peculiares obtinebant Generales ; & Prædicatores venerati ſunt Heliam, quo defuncto, anno milleſ. trecenteſimo nonageſimo apud Cæſarauguſtam electus eſt ei ſucceſſor P. Nicolaus de Troya Apulus, qui in obedientia Clemẽtis relicta patria,cum illo in Galliã commeatus, atq; ab eodẽ, & Rege Aragoniæ magnificatus , agentibus illis, quaſi in exemplum Italis, Hiſpanis, Gallis, atque Anglis præpoſitus fuit Generalis. Eo autem è medio ſublato poſt triennium, P. Nicolaus de Valliſoleto ſalutatus eſt Magiſter Generalis in ſuo Capitulo apud Narbonam congregato , quo etiam poſt quadriennium ſublato,P. Io. de Podio Nucis datus eſt illi ſucceſſor,ſub eoq;reſtituta fuit pax,& vnio Ordini electo Martino V. vt dicetur. *Olmeda.*

B. Raymundus de Capua Magiſter Generalis nouiter electus ſtatim manum miſit ad fortia, & vt lapſum O.dinem repararet, cœpit prius facere, deinde alios monère ; in incenſu , ſtatu, & habitu præcauendo, ne cuiuſquã offenderet aſpectum, idque inceſſanter ſubditis ſuadebat. In Epiſtolari ſalutatione ad Fratres, ſeruum ſe promittebat,prout couſueuerat

in

in diebus antiquis fieri, fuitque primus nomine *Reuerendiſſimi* ſalutatus, cũ priùs *Venerabilis* eſſet conſuetus titulus Magiſtrorũ Ordinis. Multùm inſudauit pro regulari obſeruantia Ordini reſtituenda, proptereaq; ordinauit, vt in ſingulis Prouincijs vnus ad minus eſſet conuentus, in quo Fratres iuxta tenorem Conſtitutionum noſtrarum viuerent; & vt Fratres ad illam reduceret, opuſculum de Reformatione Ordinis compoſuit, quod in ſingulas ſibi ſubditas prouincias direxit. Venetijs igitur primò apud S. Dominicum ſtabilitus eſt rigor regularis obſeruantiæ, deinde in alijs conuentibus ſucceſſiuè, donec ſub B. Pio V. reſtitutus eſt Ordo in omnibus orbis partibus regulari obſeruantiæ. *Olmeda*.

Eodem anno cum nauis quædam, cui præfectus erat Nicolaus Zanus, qui hæc retulit, vi ventorum in magnam Groatlandiæ Inſulam, quæ ferè Polum pro zenit habet, aplicuiſſet, ibi celeberrimum, S. Thomæ dictum, cœnobium Dominicanum inuiſit cum Eccleſia, ex qua exibant Fratres ad prædicandum eiuſdem Inſulæ incolis pro eis in Catholica fide conſtabiliendis. *Abram Ortelius in tabula Scandiæ, & Maluenda de Antic. lib. 3. cap. 6.*

P. Ximenes de Nauarra hoc anno, & tempore proceſſit in Aragonia, vbi Inquiſitoris Generalis præfecturam ſuſtinebat, contra plures hæreſes, vt eas reuelleret, occaſione ſchiſmatis Eccleſiæ pullulantes, quas repreſſit, & iugulauit, maxima cum ſui laude. *Diagus lib. 1. & Lopez p. 5.*

S. Catharina ſua epiſtola antecedenti anno data ad Ludouicum Hungariæ Regem, ita illum in Vrbani Pont. fide confirmauit; vt hoc anno in eiuſdem defenſione collecto exercitu per Taruiſinũ, Vicentinumq; agrum in Italiam deſcenderit, & per Etruriam tranſiens ad extremos anni menſes Romam venerit, neue Vrbanus aduerſarijs ſuccumberet, viriliter effecerit. *Ferrar. par. 3. lib. 4. & Bzou. in Annal.*

Eodem anno S. Catharina Senen. Tertium Ordinem S. Dominici profeſſa, virtutibus, & miraculis clara, poſt exantlatos pro Apoſtolica Sede labores multos, an. ætatis 33. in cœlũ Romæ euolauit, cum ſponſo ſuo dulciſſimo in æternum regnatura, in Templo S. Mariæ ſuper Mineruam apud Fratres ſuos condito corpore ſacro, cuius vitam mirabilem ſcripſit B. Raymundus de Capua illius Confeſſarius. *Bzou. num. 18.*

Catharinam, ſequtus eſt ad gloriam B. Nicolaus de Venetijs, vir abſtinentijs, charitate, ac zelo ſalutis animarum clariſſimus, cui ieiunandi ſingulis diebus, perpetua conſuetudo fuit, atque paupertatis amor extitit ita feruidus, vt poſt mortem, nonniſi flagella ferrea, & ciliciũ aſperum in eius cubiculo cruenta reperta ſint. In concionando tantus ardor, & impetus ſpiritus eluxit, vt P. Io: Dominici Florentinus noſter Cardin. illum viderit pro concione in aere ſublimem elatum in forma Crucifixi, ſine ſenſu aliquantulum perſeuerantem. *Bzou. vbi ſup.*

P. Thomas de Claraſco Taurinen. Inquiſitor intrepidus multa molitus eſt contra hærericos huius temporis, in quos viriliter, calamo eorum deliramenta impugnando, & ferro, ac igne illorum vitam conſumendo, proceſſit; propter quæ a Comite Sabaudiæ in proprium confeſſarium aſſumptus purpurã accepit. *Olmeda.*

P. Iacobus Campana Senenſis Tranen. Archiepiſcopus creatus primo, vt dictum eſt, Lunen. Paſtor poſtmodum circa an. 1378. ab Vrbano VI. cuius partes ſequebatur animo inuicto, Apoſtolicus Nuncius in Lombardiam directus, ciuitates illas, ac populum in obedientia eiuſdẽ firmauit. *Vghell. in. Epp. Lunen.*

Hoc anno, vel vt alijs placet, ſequenti,

P.Ra-

P. Raphael de Camelco Nebien. Epiſcopus, de quo ſup. cum dicendi facundia pollèret, à Pont. Max. Vrbano VI. Apoſtolicus ſpoliorum Collector in Siciliæ Regno, ad Apoſtolicam Sedem ſpectantium conſtitutus eſt, vt Siculorũ nutantia corda in ſui veneratione conſtabiliret; quòd inconcuſſa animi conſtantia præſtitit ille, ipſius Vrbani, veneratione in Rege, nobilibus, ac populo firmata. *Pyrrus*

ANNO 1381. Aſſumitur à Carolo III. vtriuſque Siciliæ Rege in Capellanum maiorem, atque Conſiliarium P. Dominicus de Stellopardis, Generalis Inquiſitor, ac Prædicator Apoſtolicus in eiſdem Regnis, de quo ſupra an. 1379. cui datus eſt ab Vrbano Pontifice in munere Generalis Inquiſitoris, atque Apoſtolici prædicatoris pro conſeruandis populis in eiuſdem Pont. Max. obedientia ſocius & coadiutor P. Leonardus de Neapoli, qui anteceſſoris virtutes emulatus, vtrumque munus fideliſſimè compleuit, Siculos, & Neapolitanos in veneratione Clementis, & puritate catholicæ fidei conſeruando. *Vallus*.

P. Vgolinus de Camerino ab Vrbano VI. ſuperiori anno in locũ Ylperini Sacri Palatij Magiſter inſtitutus, vir omnigena eruditione clariſſimus, euulgauit Apologiam in fauorem veri Pont. Max. Vrbani contra ſchiſmaticam electionẽ Clementis, qua, & factum electionis Vrbani prout contigerat, ipſo in Mineruæ Conuẽtu Vrbis tunc exiſtente, fideliter refert, & cauſas ſchiſmaticæ promotionis Clementis recenſet; quod opus per chriſtianum orbem euulgatum, Reges, & Principes venerationi Vrbani addictos, in eadem confirmauit, atque Clementis aſſeclis non modicam moleſtia attulit, qui ſcripturam in fauorem Clementis euulgauerant, ab Vgolino impugnatam, & reprobatam. *Baiocen. in Chron.*

Clemens in ſua obedientia dictus VII. erga Prædicatorum Ordinem etiam ipſe benignè affectus, vel vt alij dicunt, pertimeſcens ſi Prædicatorum Ordinem à ſe alienum haberet, præter P. Nicolaum de S. Saturnino, P. Thomam de Claraſco confeſſorem Ducis Sabaudiæ, virum ſagacem, & prudentem purpura cohoneſtauit: de quo Olmeda ſic fateruṙ: *Nec minùs in altera obedientia, tanquam & ipſa ædificante Eccleſiam, teſtimoniumque ab Ordine habere volente, aſſumpti deſcribuntur ex eo ad Cardinalatus culmen, nec numero quidem, nec merito inæquales: dictus eſt venus Nicolaus de S. Saturnino de Prouincia Franciæ, vbi multo tempore prouincialatus officio præfuit, factus inde Lector Curiæ Clementis. Alter verò Thomas de Claraſco prouinciæ Lombardiæ conuentus Cherien. confeſſor Comitis Sabaudiæ Prouincialis Lombardiæ, necnon Inquiſitor Pedemontanus; ille quidem ſub titulo S. Angeli, vulgo Cardinalis de Aluernia; hic verò ſub tit. S. Sabinæ, nominatus Cardinalis Sabaudien.* Clemens namque etſi apud Auenionem in Gallia contra Vrbanum ſederet; quo tamen magis videretur iuſtificare ſeipſum, pleroſq; de Italia, quos apud ſe habuit, etiam magni fecit, atque ad ampliſſimas dignitates euexit. *Olmeda*.

Aſſumpti ſunt ad Eccleſiarum regimina duo præſtantiſſimi viri, P. Mauritius de Colangijs ex conuentu Antiſiodoren. Carolo V. & VI. Regibus Galliæ à ſacris confeſſionibus, necnon Apoſtolicus Pœnitentiarius, ad Niuernen. & P. Corradus de Lugduno ad Lauſanen. *Gall. Chriſt.*

ANNO 1382. P. Nicolaus Caraciolus cum tribus alijs Cardd. Bartholomæo Meſauacca, Bononico tit. S. Marcelli, & F. Ludouico Donato Minorita mittitur Legatus Apoſtolicus ab Vrbano Pont. ad Carolum Neapolitanum Regem pro ſchiſmate tollendo grauioribus Apoſt. Sedis negotijs, ex quibus

ſolus

ſolus Caraciolus Pontificis partes inuicta conſtantia ſuſtinuit, reliquis propria quęrentibus. *Bzou. in Annal. num.* 8.

P. Leonardus de Neapoli Caroli III. Regis Neapolitani maior Capellanus in Neapolitano Regno Inquiſitor Generalis, in ſuo munere vigilans lamias multas, necnon, & quoſdam iudaizantes perpetuo carceri adiudicauit. *Vallus*.

Præficiuntur curæ ouium Chriſti ab Vrbano Pont. viri doctrina, ac pietate ſpectantiſſimi; nam P. Dominicus de Florentia datus eſt Paſtor fidelibus Eccleſiæ S. Pontij Tomeriarum, ex Albien. traſlatus, & P. Beroaldus de Teramo, populo Aquilano, cui præfuit vſque an annum 1392. quo cum in ſolemnitate Sancti Io: Baptiſtæ exortum in Aquilano populo tumultum cumpoſiturus accurriſſet, inter armorum ſtrepitus vulneratus interijt bonus Paſtor. *Vghll.*

Eodem anno apud Londinum in Anglia Vuillermus Courtneius Canthuarien. Archiepiſcopus deſignatus, in conuentu Fratrum Prædicatorum Cleri Synodum congregauit, pluribus ex Dominicanis theologis præſtantiſſimis adſtantibus, in qua propoſiti ſunt errores naſcentes, ac diſſeminati à Ioanne Vvicleffo, ne dum inter doctos, verùm & inter populares; atque velut hæreticales damnati fuerunt. Inſuper Robertum Rugg Oxonien. Academiæ Cancellarium, & Thomam Brighuuel ſacræ Theologię profeſſorem, quos Vvicleffianæ hæreſis ſuſpectos habebat, dogmata diffiteri, contrarijſque chirographis ſuis catholicæ fidei aſſenſum præbere coegit. Tum Nicolaum Herefordium, Philippum Ripingtonium theologiæ profeſſores cum Ioanne Ashetonio artium Magiſtro Vvicleffo adhærentes, cum ab ea aſſenſione nollent diuelli, lata ſententia hæreticæ prauitatis condemnauit, à qua ad Vrbanum Pontificem prouocauerunt illi. *Bzou. num. 12. Baiocen. in Chron.*

P. Petrus Curialis Surrentinus, Magiſter inſignis in Theologia, ab Vrbano Sexto, cuius erat in Apoſtolica Curia Pœnitentiarius, Legatus Apoſtolicus ad Regem Siciliæ, alioſque Italiæ Principes directus fuit pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, quæ ad optatum finem perduxit. *Vallus*.

P. Dominicus de Stellopardis in Regnis vtriuſq; Siciliæ Generalis Inquiſitor creatus, necnon & Regius Capellanus Maior à Carolo III. Rege aſſumptus, de quo ſup. ad an. 1489. & 1481. auctoritate Pont. confirmatur Inquiſitor in eiſdem Regnis, & in ciuitate, & diſtrictu Beneuentano, datis Apoſt. litteris Kalendis Septemb. quarum exemplar in Ordinis archiuio aſſeruatur.

ANNO 1383. Cum Vuicleffi impij hæretici ſectatores ſuperiori anno recenſiti, ad Pont. Max. Vrbanum appellaſſent ob illatam ſibi ſententiam hæreticæ prauitatis à Cantuarien. Archiepiſcopo, commiſit ille cauſam P. Vgolino de Camerino S. Palatij Mag. viro eminenti recognoſcendã, qui conſideratis impijs erroribus, eos reprobans; Dogmata hæreticalia eſſe comprobauit, atque Vuilelmi Archiepiſcopi ſententiam confirmandam iudicauit. *Baiocen. in Chron. & Bzou. vbi ſup.*

Contra Vicleffum, & ſequaces inſurrexère Prædicatores noſtri in Anglia, calamum in peruerſa eius dogmata acuentes, inter quos magis eluxit P. Rogerius Dymmock Oxonien. in academia publicus S. Theologiæ profeſſor, perſpicaciſſimi ingenij vir, qui duodecim eruditiſſimos libos aduersùs hæreſes has euulgauit, ſingulari cum ſui, necnon, & Ordinis laude. *Baiocen. in Chron. & Fernandez de Scriptoribus Ordinis.*

Cum inter alia peſſima dogmata à Vuiclephiſtis diſſeminata vnũ eſſet, quod Sanctos miraculorum patratores infeſta-

bat, placuit omnipotenti Deo illa in eorumdem confuſionem renouare per S. Patrem Dominicum: nam cum hoc anno Fratres Bononiæ decreuiſſent caput eiuſdem S. Patris pro deuotione populi ex monumento extrahere, atque in argenteo ingentis prætij tabernaculo reponere, toto tempore, quo conditorium Sacri corporis apertũ manſit, ſtella lucidiſſima ſuper eandem Eccleſiam, vniuerſo populo conſpiciente, apparuit, & manſit; deinde plurium miraculorum operationes in varijs infirmitatibus ſanandis effulsère. *Bzou. num.* 21.

Sancto fine quieuit hoc anno B. Alexander de Strotijs Florentinus, filius vnicus Patris, & Matris ſuæ, contra quorum voluntatem Ordinem ingreſſus, perſequtiones plures ſuſtinuit, & in eo perſeuerans, defuncto Patre, matreque conſentiente, hæreditatem ſe contingentem annui prouentus viginti millium aureorum in vſus pauperum, ſiue quotidianos, ſiue perpetuos, diſtribuit, atque trigeſſimo tertio ætatis anno, in ipſo ſanctitatis, atque ætatis flore migrauit ad Chriſtum, laborum, ac bonorum ſuorum præmia percepturus æterna. *Bzou. num.* 22.

Aſſumuntur ad ouium Chriſti regimina in diuerſis Eccleſijs Prædicatores; & qnidem P. Euerardus Brixien. promouetur ad Cæſenaten. P. Antonius Cipollonus, ad Feſulanam, & P. Ferrerius Caſanello Gallus, ad Epiſcopalem Sedem Ebroicen. *Vghell. & Gall. Chriſt.*

Clemens autem in ſua obedientia dictus VII. purpuram, & rubrum pileum aliquibus à ſe creatis Cardinalibus hoc anno menſe Decembri attribuit, inter quos fuit noſter Tullenſis Epiſc. P. Io. de Nouo Caſtro Aragonen. eiuſdem Clementis conſobrinus, vir aliàs egregius doctrina, ac prudentia, necnon, & pietate præditus, qui Oſtien. Ep. quoque factus, Petrum de Luna, Benedictum in ſua obedientia XIII. dictum anno 1394. Octob. 11. Auenione coronauit, eumq; Pōtificatum renuntiare, vti iuramento promiſerat, renuentem, dereliquit, vt anno 1398. dicetur, eoq; vniueerſæ carnis viã ingreſſo promouit ad purpuram Benedictus XIII. P. Thomam de Claraſco Pedemontanum ex Prouincia Lombardiæ de conuentu Chierien. Comitis Sabudiæ à ſacris confeſſionibus virum inclytum, & præſtantiſſimum Cardinalem de Sabaudia dictum, qui aliàs Ordinem & ſi non purpura ſuis virtutibus plurimùm illuſtrauit vir doctiſſimus, atq; ad grandia natus. de quo ſup. *Olmeda in vita B. Raymundi de Capua Mag. Ord.*

Hoc anno P. Nicol. Eymericus Inquiſitor ſcripſit librum: *De poteſtate Pontificis contra hæreticos*; opus laudatiſſimum, & ad comprimendas naſcentes hæreſes Vuiclephianas (aliorumque hæreticorum, qui catholicam fidem ſuis prauis dogmatibus inficere conabantur, libidini laxantes habenas) accommodatiſſimum. *Diag. lib.* 1.

ANNO 1384. P. Nicolaus Eymericus Inquiſitor Generalis in Regnis, Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ, in oppido Puigcerdano Catatoniæ condemnauit errores Arnaldi Montabernij hæretici peſſimi, qui cum viſus fuiſſet reſipiſcere, abiuratis erroribus, poſt decurſos decem, & nouem annos, in pertinacia perſeuerare repertus, ſæculari brachio traditus eſt comburendus. *Bzou. num.* 13.

P. Michael Pauli de Pelagallo Senen. dum ſacram theologiam publicè in conuentu S. Mariæ Nouellæ ſummo cum auditorum applauſu docèret, à Senenſi Capitulo proprius Paſtor delectus eſt; at Vrbanum Pontificem Apoſtolicæ Sedis iura defenſurum Michaelem Senenſibus confirmare renuiſſe certum eſt, virum aliàs maioribus honoribus dignum adiudicatum; licèt Plodius cum Lombardello, & Fer-

Fernandez eundem Epiſcopũ Senenſem extitiſſe aſſerant. Certum eſt autem ipſum fuiſſe virum inclytum, deq; Apoſtolica Sede optimè meritum, quippe qui ſub Gregorio XII. electus eſt à Repub. Senenſi Orator ad Galeatium Ducem Mediolanen. atque ab eodem Pont. Max. Abbas inſignis monaſterij S. Galgani pro Religioſorũ illorum reformatione creatus fuit. *Vgurgerius Azolinus in Pompis Senen.*

Non ceſſabant infatigabili ſtudio, ac labore Patres noſtri, tam in publicis, quàm priuatis ſermonibus obedientiam veri Põtificis Vrbani populis perſuadere, Clemẽtis in ſua obeeientia dicti VII. electionem tamquam nullam, nulliuſque roboris denunciantes, & damnantes; inſuper excommunicationes, diraſque contra illius ſequaces, fautores, defenſores, ac receptores, à vero Pontifice Vrbano prolatas publicantes, ac manifeſtantes, ſicut in Capit. Gener. fuerat mandatum omnibus. Quare ita gratiam Vrbani Pont. promeruerunt, vt ab eo pluribus fuerit cumulatus beneficijs Ordo noſter; Patribus eiuſdem ſacra Purpura, Lemniſcis, Tiaris, Infuliſq; ornatis. *Lucarin. in Chron. Ord.*

ANNO 1385. P. Raphael de Caſtro Veterano Siculus, præſtantiſſimi ingenij vir, Caroli Siciliæ Regis Capellanus, ſcripſit opuſculum, quod *De vera Vrbani VI. Pontificis electione* inſcripſit, & eidem Regi legendum obtulit, vt derelicto Clemente Pſeudopontifice, ad venerationem Vrbani reduceret, qui cum Vrbani hoſtis acerrimus eſſet, Raphaelem in carcerem recludi iuſſit, ibique tantùm pane, & aqua refici mandauit, donec viueret. At cum Carolus proditoria nece poſt paucos menſes interijſſet, Raphael in libertatem reſtitus eſt. *Baiocen. in Chron.*

Dum hæc agerentur à Prædicatoribus, vt Regibus, ac Principibus adorationem veri Pontificis Vrbani ſuaderent, multi Cardd. ab eodem Vrbano purpurati, eidem inſidiabantur ad mortem, coniuratione, & conſpiratione cum Carolo Neap. Rege inita pro illius depoſitione, imò & nece; qui fuère F. Bartholomæus Cucurnus Ligur Clauaritanus, Archiep. Genuen. Minorita tit. S. Laurentij in Damaſo. Itẽ F. Ludouicus Donatus Venetus eiuſdem Ordinis tit. S. Marci. Gentilis de Sangro Neapolitanus tit. S. Hadriani. Adam de Herfordia Anglus Epiſcopus Londonien. tit. S. Cæciliæ. Landulphus Maramaunes Neapolitanus electus Archiepiſcopus Baren. tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano. Marinus de Iudice Amalphitanus, Archiepiſcop. Tarentin. tit. S. Pudentianæ, Cardinales, necnon Petrus de Tartari Caſſinen. cum Petro Aquilano Epiſcopo, quos onmnes hoc anno captos, atque conuictos, ſecum Vrb. duxit Geneuam, vbi crudeli morte perempti ſunt ex ſententia ſacri Senatus, aliquibus ſacco inſutis, & in mare demerſis, alijs in carcere ſtranguiatis, alijſque ſecuri percuſſis, vno ex eis Adamo Anglo excepto, exautorato tamen, qui ideo culpæ affinis dicebatur, quòd coniurationem, ad quam ſollicitabatur, non detexiſſet, & intercedente pro illo Angliæ Rege mortem vitauit. *Bzou in Annal. n. 3. & ſequenti anno num. 9. quo & Spondanus num. 9.*

Aſſumuntur hoc anno ad regendas Eccleſias cum ouibus illis commiſſis, P. Simon Saltarellus ad Comaclen. & P. Benedictus Matthæius ad Saſſanaten. ab Vrbano Pontifice. *Vgell.*

Card. Nicolaus Moſchinus de Caracciolis Vrbano VI. Pontifici obſequioſiſſimus vſque ad mortem, ab eodem Apoſtolicus Legatus ad Peruſinos, & Venetos miſſus eſt, vt populos illos cum nobilibus ad eiuſdem partes ſuſcipiendas contra intruſum, diriſq; omnibus Eccleſiaſticis ſauciatum Pſeudopont. Clementem induceret: quòd cum præſtitiſſet ille, captatum ſibi deamantis Vrbani affectum auctum

expertus eſt, pluribus beneficijs cumulatus. *Ciaccon. & Plod.*

ANNO 1386. Cardinales Ordinis ab Vrbano ad purpuram vocati Nicolaus Moſchinus de Caraciolis, & Philippus Gezza eique fideliſſimi, ſtrenuam nauabant operam pro Eccleſia à ſchiſmate liberanda, necnon & Vrbano illius Capite, & Paſtore à perſecutionibus vindicando; pro quo Nicolaus tres Legationes obiuit, vnam apud Venetos, alteram apud Neapolitanum Regem, tertiamque ad regendos Peruſinos cum prouincia Vmbriæ. Philippus verò apud Piſanos, & Lucenſes eodem munere functus, Vrbani cauſam ibi, atque in Italia tota defenſandam ſuſcepit. *Ciaccon.*

Eodem anno Pilgrinus Salisburgen. Archiepiſcopus Concilium Prouinciale celebrauit in cauſa fidei, & morum Clericorum, ad quod vocauit plures Prædicatores, inter quos eluxit P. Io. Stokes in Colonien. vniuerſitate S. Theologiæ doctor celeberrimus, qui propoſitas hæreſes cenſura facta damnauit, & à toto Concilio damnari procurauit, XVIII. Canon. promulgatis. *Bzou. num. vlt. in Annal.*

P. Donatus de Ferraria Inquiſitor in Lombardia detecta apud Mantuam quorundam hęreticorum Manicheorum ibidem deliteſcentium ſecta, inter quos erant aliqui eiuſdem ciuitatis principaliores, cõſtanti pectore in eos proceſſit, & quoſdam relapſos adinuentos igne conſumpſit, cœteris miſericordiam ab Eccleſia petentibus, ſalutaribus pœnitentijs caſticaſtigatis, ipſaq; domo, in qua cõuenticula habebantur extra vrbem igne conſumpta, ac ſolo æquata atque in cineres redacta. *Plod. & Baiocen.*

P. Mag. Præſclaus Herbizki apud Vratislauiam Inquiſitor inſtitutus, omnem adhibuit conatum, vt ex ſibi credita ditione hæreſes, tam antiquas, quàm nouiter ſerpentes, alienas atque alienigenas haberet eliminatas. Quare multorũ Boemorum deliteſcentium hęreticali viru patefacto, ad ſolemnem abiurationem eos compulit, ni in vitæ periculum vellent incidere. *Bzou.*

P. Beltramus de Comuſculo, magni nominis theologus à Pont. Max. Vrbano in Mediolanen. ciuitate, ac diœceſi cum adiacentibus locis Inquiſitor inſtitutus, omnem adhibuit conatum, vt hæreticos cuiuſcumque diabolicæ ſectæ ex ſibi credita ditione eradicaret, nec nobilibus, nec ciuibus, nec plebèis parcens; quòd cum Bonifacio IX. ſucceſſori innotuiſſet, eo in munere confirmatus eſt, datis Apoſtolicis litteris (in quibus eius prudentia, ac ſolertia commendatur) Romæ 4. Kal. Iulij Pont. an. 6. quarum exemplar eſt in Ordinis Archiuio.

ANNO 1387. Cum Vuiclephiana hæreſis impiè graſſaretur, atq; in dies vires ſumeret in Anglia, mandante Vrbano Pontifice, non ſigniter circa fidei negotium à Prædicatoribus laboratum eſt hoc anno: nam cum erga catholicam fidem rectè, atque integrè eſſent affecti omnibus conatibus eius puritatem à Vuiclephianis erroribus vindicare nitebantur, concionibus, ſcriptis, diſputationibus, ac publicis congreſſibus. Epiſcopi quoque collectis Synodis omnem adhibebãt operam, vt Vuiclephianam peſtem euellerent, atque ex toto regno penitus eradicarent. His diligentijs peractis factum eſt, vt multi, abiuratis hæreſibus ad Catholicam ipſam Eccleſiam, quam deſeruerant, redirent. Sed multos rurſus ita hæc ſæua animarũ peſtis totos occupauit, vt nullum pijs, ſanctis, & edoctis admonitionibus, necnon & conſilijs, locum reliquerint, quos Epiſcopi, ne reliquum gregem vlterius commacularent, vel corrumperent, anathemate confixère. *Baiocen. & Bzou. num. 9.*

Tantis Eccleſiæ malis oportunum reme-

medium præbiturus B. Raymundus de Capua, quem Anglicana Prouincia velut ſuum, & totius Ordinis caput venerabatur, datis litteris, zelum chriſtianæ fidei vndique redolentibus, præcepit Patribus illis, vt tanquam fidi Dominici gregis canes in huiuſmodi hæreticos publicis concionibus, congreſſibus, diſputationibus, ore, calamo, & ſcriptis oblatrarent, atq; hoſtialiter inſurgerent, iniunxitque Priori Prouinciali in meritum S. obedientiæ, vt ad hoc Apoſtolicum miniſteriũ exequendum Patres doctos, cordatos, & probos, zelo chriſtianæ diſciplinæ promouendæ feruidos, ſeligeret: quæ omnia exequtioni data, maximum catholicæ fidei præbuere incrementum. *Baiocen. in Chron.*

Inter cœteros verò, qui calamum, & linguam in Vviclephiſtas acuère, fuit Pater Rupertus Humbleton in Oxonienſi Academia publicus ſacræ Theologiæ Doctor celeberrimus, qui librum contra illorum errores, atque impia dogmata euulgauit. Quare hæreticorum odium ita in ſe concitauit, vt veneno propinato, illum perimere attentauerint; at Dei ope, cuius cauſam tutabatur Rupertus, ſeruatus fuit illæſus. *Baiocen. in Chron.*

Nec Vrbanus Pontifex ſuo muneri defuit pro extirpandis Vviclepho, & ſequacibus hæreticis; nam præcepit ſuperioribus ſacrorum Ordinũ vt filios ſuos eò impellerent, vbi hæreſis graſſabatur, ad inſurgendum in illam, eiuſdemque ſequaces, ſcriptis, congreſſibus, necnon & ſacris prædicationibus; quos vt ardentiùs ad beneficium catholicæ fidei præſtandum inflammaret, miſit illuc paſtores vigilantiſſimos, & inter eos noſtrum P. Ioannem Bottleshaimum Epiſcopum primò Bethleemitanum, deinde Rhofenſem, vt ibi hæreticorum vafritiem comprimeret. *Baiocen. & Bzou. ad ann.* 1491. *num.* 17.

P. Bertrandus Germanus Teſſelicen. Eccleſię in Creta Epiſcopus, & Meten. Epiſcopi Suffraganeus Pontificiæ auctoritatis Vrbani VII. veri Pontificis defenſor inuictus, relicis poſteris ingenij ſui monumentis, depoſito carnis onere perrexit ad Chriſtum. *Fernand. in Epp. Germanis.*

Perſequtiones multas, & malas ſuſtinuère Pariſijs hoc an. Prædicatores noſtri (ex eo quòd ſententiã S. Thomæ de Conceptione B. Virginis docerent, vt minus fideliter refert Spondanus) benè verò quia Vrbano Summo Pontifici debita præbebant obſequia contra Clementem Antipapã ab ipſis Sorbonicis Doctoribus malè adoratum, & Pariſijs veneratum. Cum enim P. Io: de Monteſono in vniuerſitate Sorbonica Theologus famoſus in quadã lectione Diui Thomæ ſententiam, de Conceptione Sanctiſs. Dei Genitricis perfunctoriè retulliſſet, occaſionem nacti reliqui Sorbonici Doctores, excitatis ſcholaribus, P. Ioannem, Prædicatoreſque reliquos hæreticos eſſe decantauère. Quare tumultu in dementiente plebe concitato, non poterant noſtri per ciuitatem ſine obbrobrijs, ac contumelijs incedere, neque panem oſtiatim quæſtuare. Tanto malo debitum præbiturus remedium Pariſinus Epiſcopus tumultuantem plebem, ſcolareſq; ſedaturus, Sorbonicis Doctoribus cenſuras Eccleſiaſticas minitatus, hortatus eſt P. Ioannem, vt Pariſijs diſcederet, & in aliàs Regni partes ſecederet, qui mandatis Antiſtitis obtemperans, in Aragoniam properauit, indeque Romam, vbi à Pontif. Max. Vrbano benigniſſimè acceptus, in præteritorum malorum compenſationem, quæ pro defenſanda auctoritate ſua conſtanti pectore pertulerat, Apoſtolicorum Collector ſpoliorum in Siciliæ Regno creatus eſt, vt dicetur infra an. 1393. Ex quibus apparet falſitas Spondani relata in Annal. ſub hoc anno nu. 7. Ita *Baiocen. in Chron. Ord.* qui eo tempore viuebat. *& Pyrr. Sicil. Sac.*

Anno

ANNO 1388. Viriliter impugnabant Prædicatores Vuiclephianas hæreſes,contra quas inſurrexit P. Rogerius Dymmock in conuentu Londinēſi ſtudiorum Regens, qui duodecim libros eruditos ſcripſit, & publicauit contra hæreſes Vuiclephianas,aliaſque tunc temporis exortas, in quibus hæreticorum verſſanias, deliramenta, & falſitates detexit, carpſit, impugnauitque. *Fernandez de Script. Anglis*.

Card. F. Philippus Gezza poſt peractas Pontificias Legationes apud Lucenſes., Piſanos, & Florentinos, in quibus populos illos in veneratione Vrbani veri Pontificis conſtabiliuit; poſt rectas ſumma cum laude Eccleſias Iſernien. & Tiburtinam, poſt profuſas in pauperes pingues eleemoſynas,ſingulari cum creditarum ſibi ouium, necnon, & Vrbani, cui ſemper fideliter adhæſit mœrore,depoſito carnis onere ex turbinibus militantis Eccleſiæ ad quietem perpetuam triumphantis tranſijt,in S.Sabinæ Eccleſia corpore condito. *Vghell.*

Hoc quoque anno Vrbanus Pontifex Eccleſiam Montis Regalis in Pedemontana regione in Epiſcopalem errexit conſtituto primo Epiſcopo P.Damiano Zaualia Ienuenſe, qui populum ſibi creditum in veneratione eiuſdem Vrbani firmauit, cœnobium Ordinis ibidem conſtruxit, & pacem inter diſſidentes ſuas oues cōſtabiliuit. Deceſſit autem paſtor bonus anno 1404. relicto ſibi ſubditis deſiderio ſui. *Vghell. tom. 4.*

P. Bertramus Germanus Theſelicen. Epiſcopus, Metenſiſq; ſuffraganeus Prædicator, & Doctor egregius ſcripſit eruditum opus de ſchiſmate Eccleſiæ in fauorem Vrbani Pontificis, in quo refert mala omnia, quæ Eccleſiæ obuenerant ob ſchimaticam electionem cotra Vrbanū verum militantis Eccleſiæ Paſtorem factam. Obijt apud Confluentiam, hoc,vel vt alijs placet ſuperiori anno. *Lucarin. de Script. Ord. Tritem. & Plod.*

P. Leonardus de Neapoli Caroli III. Regis Siciliæ, Capellanus, & à ſecretioribus conſilij, in vtroque Siciliæ Regno Generalis Inquiſitor creatus ab Vrbano Pont. poſt aſſumptionem Nicolai Moſchini de Caraciolis ad purpuram, de quo ſup. an. 1382.eiuſdem Vrbani cauſa ſuſcepta, in Pſeudopontificem,Clementem dictum à ſuis, calamum doctiſſimè acuit & linguam; cenſuras contra illum latas promulgando, populumque vtriuſq;Regni in adoratione veri Pontificis cōtinendo;(obloquentibus de eodem,ſeueriſſimè caſtigatis) omnemque conatum adhibuit ne deficiente vnitate in Eccleſia deficeret fidei candor in vtroq; Siciliæ Regno ſuæ curæ, tanquam Generali Inquiſitori commiſſo. *Vallus*.

ANNO 1389. Eximitur à rebus humanis Vrbanus Pontifex poſt quam Apoſtolica in Sede ſediſſet annos vndecim & vltra, infeliciter nimis; Ex veneno autem ſibi propinato deceſſiſſe, aſſerunt communiter auctores, qua de re non ſemel monitus fuerat à S. Catharina Senen. vt caueret ſibi. *Spondan. num. 5.*

Ante illum autem Card. P. Nicolaus Moſchinus de Caracciolis, peregrinationis eiuſdem fideliſſimus comes, poſt peractas pro Eccleſia ſancta Dei Legationes Apoſtolicas plures, vocatus eſt à Chriſto ad reddendam rationem villicationis ſuæ, & ad recipiendum præmium laborū, quos pro Eccleſia ſancta Dei tulerat 4. Kalend. Auguſti, ſepultus in Minerua. *Vghel. & Ciaccon.*

Eodem anno P. Nicolaus Eymericus Generalis Inquiſitor in Aragonia Petrum Seſplanes Parochum, & Rectorem Sylle poſt hæreſis, errorumque abiurationem ſolemniter in Eccleſia Valentina factam, (eiuſdem ſcriptis ibidem flāmis adiudicatis),

tis) perpetuo carceri damnauit. *Diagus lib. 1. & Bzou. num. vlt.*

Aſſumpti ſunt multi ex Prædicatoribus ad Eccleſiarum regimina. P. Io: Boltesham ad Roffen. ab Vrbano Pontifice, qui in obſidione eidem Pont. facta apud Nuceriam, ſecum permanſerat in tentationibus ſuis. P. Andreas à Dyrrachio à Bonifacio Papa IX. ad Archiepiſcopalem Raguſinam, & P. Iacobus de Altouitis ex nobili familia inſignis Theologus à Senen. Republica proprius Epiſcopus nominatus eſt apud eundem Gregorium Pontificem, qui iura Apoſtolicæ Sedis defenſurus, noluit eis illum concedere, ſed ſequenti anno ad Feſulanum Sacerdotium poſtea promouit. *Vghell.*

Deficiente ex hac lacrymarum valle Vrbano Pont. conuenère in vnum Cardinales eidem adhærentes elegeruntque Pontificem Max. Bonifacium IX. virum tantam dignitatem promerentem. Quare B. Raymundus de Capua Magiſter Generalis ſtatim ſcripſit omnibus Prouincijs ſuæ curæ ſubiectis, vt electionem Bonifacij veri Pont. cunctis fidelibus in ſuis prædicationibus denunciarent, tanquam legitimam, ac ritè factam. Et in Capitulo Generali primo poſt talem electionem congregato idem mandatum, ac confirmatum fuit. *Ex Act. Capit.*

Idem Pont. Bonifacius ſtatim ac culmen Apoſtolicum conſcendit, informatus à noſtris, quòd Eccleſia Ord. ſub inuocatione SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in ciuitate de Capha, ad quam eiuſdem ciuitatis populus deuotionis cauſa confluebat, fuiſſet à Saracenis deformata, pro illius reparatione pijs fidelibus, manus adiutrices porrigentibus, plures Indulgentias conceſſit: dato Apoſtolico Breui prid. Id. Decemb. cuius exemplar eſt in Ordinis Archiuio.

Idem Pont. vt Catholicam fidem in ſua puritate conſeruatam, à perfidis hæreticis in vtroque Siciliæ Regno, tàm citra, quàm vltra farum latitantibus, perturbatam conſtabiliret P. Antonium Trauerſum de Auerſa Generalem Inquiſitorem inſtituit Dat. litt. Apoſt. 6. Id. Decem. talis tenoris: *Inter ſollicitudines varias, & immenſas, quæ noſtris humeris inceſſanter incũbunt, illa potiſſimè vrget, & excitat mentem noſtram, vt per veſtræ operationis miniſterium de vinea Domini ſabahot, cuius nobis, licet immeritis, eſt cura commiſſa, hæretici, qui velut vulpeculæ inter ſarmenta latentes, eam conantur multipliciter demoliri, penitus extirpentur, fideſq; Catholica, eradicatis protinus cunctis erroribus, proſperetur fortius, &c.* Ex Archiu. Ord.

Defuncto Inquiſitore Generali Græciæ, ac Tartariæ anno 1378. inſtituto, Mag. Ord. Raymundus de Capua Apoſtolica auctoritate ſibi tradita Patrē Andream de Capha Generalem Inquiſitorē conſtituit, quem Bonifacius IX. datis Apoſtolicis litteris in forma Breuis 6. Id. Decemb. cõfirmauit, indulta eidem facultate aſſumendi ex Ordine ſocium, quemcumque vellet. Tenor litterarum talis eſt, quarum exemplar in Archiuio Ordinis cuſtoditur. *Ad ea, quæ pro Catholicæ fidei fauore, &c.*

Cum ex Saracenorum incurſionibus mala multa pertuliſſent noſtri Patres de Capha, conuentu, atq; altera Eccl. B. Mariæ Virg. de Corona, ad vnum milliare extra Caph. ciuitatem exiſtente, dirutis, ſoloq; ter æquatis, ipſiſque Fratribus interfectis, Bonifacius Pont. amplas Indulgentias conceſſit fidelibus, adiutrices manus pro eiſdem reedificandis porrigentibus; quare breui temporis decurſu conſtructis Eccleſia & conuentu, in illum reuerſi Patres, ſuum Apoſtolicum miniſterium, euangelium Ieſu Chriſti annunciandi reaſumpſerunt magno cum fidei Catholicæ incremento. Litteræ autem Apoſt. datæ ſunt die eadem ſupradict. 6.

Idus

Idibus Decemb. huius anni, quarum exemplar aſſeruatur in Archiuio Ord.

ANNO 1390. Ladislaus Caroli Dyrrachiani filius vna cum matre Margarita Regina Siciliæ, & Hieruſalem primi omnium ex Chriſtianis Principibus, ſuadente P. Petro de Lipari eorundem confeſſario, Bonifacio Pontifici nouiter electo venerationem exhibuère, eiurato Pſeudopont. Clemente, dicto in ſua obedientia VII. & Gottifredum Marzanum Comitem Allifanum, atque Raymundum Cantelmum Comitem Aluiti oratores miſerunt, qui & de ſuprema in Eccleſia Sãcta Dei Sede obtenta gratularentur, & fidele obſequihm eidem tanquam vnico Chriſti in terris Vicario deferrent; necnon & benignitatem Apoſtolicam implorarent, vt à diris ab anteceſſore Vrbano illatis abſoluerentur, cadaueri paterno iuſtus honor Eccleſiaſticæ ſepulturæ permitteretur, atque demum innocenti puero Siciliæ Regnum beneficiario iure concederetur, quæ omnia fuère illis à Bonifacio conceſſa. *Baiocen. in Chron. & Bzou. num. 1.*

Munera ſua direxit in cœlum Dominicana Religio, dum B. Brigittam de Hollandia tertium Ordinem profeſſam, vigilijs & abſtinentijs aſſuetam, necnon ſacris Chriſti ſtymatibus ditatam cœlo dedit, quam ſequtus eſt ad gloriam P. Petrus Lar virtutibus, atque miraculis in vita, & poſt mortem corruſcans. *Plodius.*

Aſſumuntur hoc anno ad Eccleſiarum regimina, vt Chriſtianas oues per viam ſalutis dirigerent; P. Antonius Cipollonus Florentinus ex Feſulana Sede ad Volateraram translatus, in cuius locum ſuffectus eſt Epiſcopus Feſulanus P. Iacobus de Altouitis ſuperiori anno à Republica Florentina proprius Paſtor poſtulatus apud Pont Max. vir in paupertate diues nedum Epiſcopalis menſæ prouentus, ſed & ſanguinem ipſum pro ſibi creditarum ouium ſalute profundere paratus. *Vghell.*

P. Rupertus Humbleſen Anglus ſcripſit eruditum librum contra Vviclephiſtas, in quo eorum veſanias detegit, impugnat, euertit. *Anton. Senen.*

Cum multi Neapolitani, inter quos aliqui nobiles, vigente ſchiſmate, in obedientia exhibenda Vrbano vero Pontifici vacillarent, peioraque timerentur euentura, eidem Vrbanus de conſenſu Caroli Regis P. Guidonem Maramaldum, virum ſanctitate conſpicuum Apoſtolicum Inquiſitorem creauit, vt Neapoli ſua prudentia, ac zelo procederet in ſequaces Pſudopontificis Clementis, dicti VII. cenſuris Apoſtolicis eos illaqueando, quod ille inflexibili conſtantia præſtitit, vnde *multa paſſus perhibetur* inquit Grauina in ſacro depoſito.

Strenuè decertabat his temporibus cõtra hæreticos P. Nicolaus Eymericus Generalis Inquiſitor in Aragonia, illos ad mortem vſque perſequendo ferro, igne, & calamo, quo hoc anno euulgauit librum *De duabus Chriſti naturis, & De tribus Perſonis in Deo* aduerſus errorem Parochorum Valentinorum ſui temporis, qui Sanctiſſimum Viaticum infirmis ſub his verbis dabant: *Credis quòd hæc Sacra hoſtia eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* & dicentibus illis *credo* dabatur Sacramentum, aliàs non. *Diagus.*

P. Sanctes de Reate Cappellanus, & commenſalis Crad. S. Marcelli conſtituitur à Bonifacio IX. in Romana Curia Apoſtolicus Pœnitentiarius, vt confluentes ad limina Apoſtolorum Chriſtifideles cenſuris Apoſtolicis irretitos, abſolueret, datis in forma Breuis litteris Idibus Iunij in quibus mandauit eidem, vt ante poſſeſſionem officij conſuetum in manibus Cardinalis S. Suſannæ Pœnitentiarij Maioris iuramentum præſtaret de illo fideliter exercendo. *Ex eodem Breui in Archiu. Ord. exiſten.*

Mori-

Moritur P. Franciſcus de Meſſana, in Trinacria Generalis Inquiſitor prauitatis hæreticæ poſt conſumptos annos plures in hæreticis perſequendis, quorum plurimos igne conſumpſit, factus eiſdem infenſiſſimus; cuius meminit Bonifacius Pont. in Breui inſtitutionis ſucceſſoris ſequenti anno dato.

ANNO 1391. P. Simon de Puteo Meſſanenſis, ſed Catanen. Eccleſiæ Paſtor inuictus, Bonifacioq; Pont. deuotiſſimè addictus, partes Eccleſiæ pro defenſione iurium eiuſdem ſuſtinebat cōtra Martinum Regnum Siciliæ obtinere procurantem, de quo Pyrrus in Sicilia Sacra tom. 1. inter Ep. Catanen. ſic fatur: *Declamabat interim è ſuggeſtu Simon Antiſtes aduerſus Aragonenſes Siciliam occupantes, & populum Catanenſem ad capienda arma, ac propulſandū Martinū Pſeudopontifici fauentem excitabat*. Contra quem ira excandeſcens Martinus Rex intruſus, ſcribens Thomæ Criſpo Magni Iuſtitiarij Lucūtenenti hæc refert: *Cum Catanen. Ep. præter prædicationes, & obloqutiones neſandas, quas tam in Eccleſijs, quàm aliàs in alijs locis, nonnullas contra nos, & alios, qui nobiſcum in hoc Regnum venerunt, prædicauerit publicè, ac patenter, & ſua Religionis honeſtate poſtpoſita, & hominum verecundia vltrò eiecta, &c.* Hæc faciebat Simon in Bonifacij Pont. fauorem pro defenſandis iuribus Eccleſię; vnde in tanti facti remunerationē conceſſit illi Pont. munus Collectoris ſpoliorum ad Apoſt. Cam. ſpectātium in Sicilię Regno. *Sicil. Sac. vbi ſup.*

S. Vincentius Ferrerius in Valentina Vrbe copioſam Iudæorum multitudinem in integro vico Callemaris exiſtentem, ad catholicam fidem conuertit ſuis feruidis, ac ſanctis prædicationibus. *Diagus lib. 2. & Bzou. num. 17.*

P. Dominicus de Florentia Ep. Sancti Pontij Tomeriarum à Clemente Pſeudo-Pont. miſſus eſt Legatus ad Reges Caſtellæ, atque Aragoniæ inter ſe diſſidentes, eiuſque opera, & dexteritate maxima pax inter Chriſtianos Reges ſtabilita eſt. *Gall. Chriſt. inter Ep. S. Pontij Tomer.*

P. Petrus Scala Romanus in ſacra Theologia Doctor celeberrimus Bonifacij Pont. apud S. Petrum de Vrbe Pœnitentiarius Apoſtolicus promotus eſt ab eodem ad regimen Eccleſiarum Pennen. & Hadrien. ſibi inuicem vnitarum, qui commiſſos ſibi greges optimè, ſed breui tēpore rexit, ſecundo ſui regiminis anno ſublatus è mortalibus. *Baioc. in Chr. & Vghell.*

Demandata eſt cuſtodia gregis dominici in Antiochena Eccleſia P. Ioanni de Vico Neapolitano, in Romana Curia Apoſtolico Pœnitentiario, vt oues illas viam, per quam itur ad gloriam, edoceret, quod & præſtit vſque ad mortem, quæ illum aggreſſa eſt anno. 1397.

P. Raphael de Camelco Nebien. Epiſcopus, in Corſica factus eſt Collector Spoliorum ad Apoſtolicam Sedem ſpectantium ab Vrbano VI. quo in munere tanquam ſeruus bonus, & fidelis eidem annis pluribus inſeruiuit. *Vghell.*

Defuncto ſuperiori anno Siciliæ Inquiſitore, Bonifacius Pont. candorem catholicæ fidei in Regno illo conſeruaturus illæſum, P. Simonem de Amatore in eius locum creauit Inquiſitorem, virum vndique ſpectabilem, S. Theologiæ Magiſtrum doctiſs. qui contra hæreticos ſeuiendo, terrorem maximum eiſdem incuſſit, & quotquot in vincula coniectos habuit, iuxta ſacrorum canonum decreta caſtigauit. Breue autem Apoſtolicum huiuſmodi inſtitutionis dat. fuit apud S. Petrum 15. Kal. Decemb. cuius exemplar in Archiuio Ord. ſeruatur.

Apud Cæſarauguſtā celebrata ſunt Gen. Comitia Ord. in quibus iniunctum fuit prædicatoribus, ac Lectoribus cunctis, vt electionē Bonifacij IX. in ſummū Eccleſiæ Dei Paſtorem fuiſſe ritè factā, ipſumq; eſſe

Digitized by Google

verum Pontificem; Clementem autem à ſequacibus VII. dictũ, eſſe ſchiſmaticum, excommunicatum, atque ab Eccleſia maledictum, & tanquam talem ab omnibus euitandũ perſuaderẽt; idq; totũ exequẽtes ipſi, creuit nõ modicũ Bonifacij veneratiõ in populis, multis relicto Idolo ſchiſmatis, ad venerationem Bonifacij accedentibus: *Ex Actis Capit. & Lucarino.*

ANNO 1392. Compleuit Chronicon ſuum P. Petrus Baiocenſis, referens ſequentem Legationem Magiſtri Generalis B. Raymundi de Capua. Eiuſdem Baiocen. mentionem facit P. Reginaldus Lucarinus Ep. Ciuitatis plebis, qui anno elapſo 1672. die 10. Octob. S. Ludouico Bertrando ſacra euolauit ad ſuperos, vir pijſſimus, maximaque in pauperes charitate affectus, in ſua Biblioth. manuſcripta, quam legimus.

Bonifacius Pont. pro paſtorali officio pacem Italiæ conciliare, & tueri deſiderans, Richardum Caraciolum Neapolitanum Magnum Magiſtrum S. Religionis Hieroſolymitanæ, & B. Raymundum de Vineis Capuanum Magiſtrum Generalem noſtri Ord. Præd. Apoſtolicos ſuos Nuntios miſit, qui cum Antoniotto Adurnio Duce Genuenſium de tota re cognoſcerent, arbitrarentur, & decernerent. Ad diem igitur 20. Ianuarij conuenerunt in Palatio Ducali Genuenſium procuratores, Galeatij Mediolani Dynaſtæ, Franciſci Gonzagæ Mantuæ Marchionis, Imperialiſque Vicarij. Alberti Marchionis Eſtenſis, Florentinorum, Bononienſium, Senenſium, Peruſinorum, aliorumque, & ipſis præſentibus, & audientibus, Apoſtolici arbitri ad pacem inter diſſidentes conciliandam decreuerunt ea, quæ iuſta adiudicata fuerunt, reddendo vnicuique ſua caſtra, & pax in Italia firmata eſt.

Inter cœtera autem ab eiſdem Apoſtolicis Legatis decreta potiſſimum fuit, vt nemo contra Romanum Pont. aut Imperatorem quocumque prætextu arma ſumeret. Quibus peractis, B. Raymundus Magiſter Generalis ibidem Genuæ, eadem die, hora, & loco, ac præſentibus ſupradictis Principum, & commmunitatũ procuratoribus, præſens, habènſque authoritatem Apoſtolicam in prædictis vigore Apoſt. litterarum. dat. apud S. Petrum à Bonifacio Pont. Max. Kal. Iulij pont. an. 2. eandem Apoſtolicam auctoritatem interpoſuit, & in non obſeruãtes omnia, & ſingula decreta, ac ſtabilita, cenſuras Eccleſiaſticas pronunciauit; in perſonas quidem ſingulares excommunicationis, in communitates verò, Vniuerſitates, ac Dominos, ſuſpenſionis, atque interdicti in eorum ciuitatibus, ac terris, & locis, tranſactis diebus quindecim, quorũ quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquos quinq; dies pro tertio, ac vltimo peremptorio termino aſſignauit, atque abſolutionem ſibi, & Pontifici Maximo tantùm reſeruauit. *Bzou. in Annal. num. 1. & Baiocen.*

Cum Moniales Monaſterij S. Spiritus Peruſinen. Benedictini Ordinis in regulari obſeruantia, atque religioſa vita defeciſſent, necnon & ſcandala multa ſuborta ad Apoſtolicam Sedem fuiſſent delata, Bonifacius Pont. ſuppreſſo monaſterio, Moniales prædictas in monaſterium S. Mariæ de Virginibus Peruſin. Ord. Prædicat. in ſtricta regulari obſeruantia vnitarum tranſtulit, vt depoſito monachali habitu cum in oſſeruantia, noſtrum induerent: & ita factum eſt vnum ouile, & vnus paſtor, bonis etiam ipſarum cum noſtro monaſterio vnitis, ea tamen lege, vt annis ſingulis Abbati & conuentui monaſterij S. Mariæ de Forneto, cui præfatæ Moniales ſubdebantur, annuum cenſum vnius libræ ceræ perſoluerent, datis Apoſtolicis literis apud S. Petrum 17. Kalend. Octob. quarum exemplar eſt in Archiuio Ordinis.

F. Gui-

F. Guilerius Balam ex Bethleemitana Sede ad regendam Eccleſiam Ebroicen. populumque illius tranſlatus eſt ab Eugenio Papa IV. cui Guilerij virtutes optimè innotuerant. *Gall. Chriſt.*

P. Iulianus de Mileto genere nobilis, doctrina ſpectabilis, pietate illuſtris, miſſus eſt Generalis Inquiſitor à Bonifacio IX. in Siciliæ Regnum, citra farum vt ibi pullulantes hæreſes comprimeret, cuius facta egregia, & hæreticos punitos recenſet Pyrrus inter Cephaleditanos Epiſcop. Tandem Cephaleditanus Epiſcopus creatus eſt, de quo infra. *Pyrr. ibid.*

ANNO 1393. P. Io: de Monte Sono, de quo ſupra anno 1387. in remunerationem fidelitatis erga veros Eccleſiæ Pontifices maximos fit Collector Spoliorum Apoſtolicorum in Regno Siciliæ, qui in grauioribus negotijs occupatus, Subcollectorem ſuum conſtituit Simonem Rubeum Panormitanum Canonicum. *Pyrrus Sicil. Sac. tom. 1. inter Ep. Catan. ſub num.* 8.

Plures Dominicana Religio Beatorum choro ſociauit: & primò P. Hieronymum de Fulgineo, regularis obſeruantiæ in noſtro Ordine reparatorem, ac Priorem conuentus SS. Ioannis & Pauli Venetijs, in adminiſtratione ſacramentorum fidelibus peſte extinctum, cui morienti Chriſtus cruci affixus cū S. P. Dominico, ſicut promiſerat, apparuit, hortatuſque eſt eum ad ſuſtinendos cum patientia mortis dolores. Horum aſpectu recreatus Hieronymus mortem in pſalmodia letus aſpexit, miraculis in vita, & morte coruſcans. *Bzou. num. 9.*

Par huic fuit B. Robertus Neapolitanus Prior conuentus noſtri Foſſę Clodię, ad reſtituendos regulari obſeruantiæ in Lombardia Ordinis conuentus à B. Raymundo de Capua Magiſtro Generali miſſus; vir omnibus virtutibus ornatus; qui cum miracula Neapoli perpetraſſet; vt populi venerationem euaderet, aufugit in Lombardiam. Acerrimam, diuturnamq; corporis infirmitatem patientiſſimè tolerauit, & abſtinentia, cilicijs, diſciplinis ac mortificationibus corpus aſſiduè domans, euolauit in cœlum, morientemque nubes lucidiſſima circundedit, qua euaneſcente, animam efflauit. Triennio poſt exhumatus, tam integer corpore, quàm ſi eodem die ſepultus fuiſſet, repertus eſt. Multiſque claruit miraculis. *Bzou. ibid.*

Hos ſequta eſt ad gloriam B. Maria Spezalaſta Piſana Tertium Ordinem Dominicanū profeſſa, quæ quintū annum vix egreſſa Petro Gambacurtæ Piſanorum tyranno, à ciuibus in carcerem coniecto apparuit; vtque pro illo diebus ſingulis quinque ſalutationes Angelicas recitaret Deipara Virgo puellam monuit. Voluntate parentum ad nobiles primas, & ſecundas nuptias tranſijt, tertijſque reiectis habitum Ordinis induit, ſub quo ieiunijs, ac diſciplinis afflicta, ea die, qua ſacratiſſimum Chriſti corpus ſumebat, à cibo, ac potu abſtinebat. Quandam purgatorij animarum pœnis cruciatam cum vice quadam vidiſſet, tormentorum illorum partem ſibi dari in eiudem ſubleuamen à Chriſto Domino petijt, votique compos effecta, mox febribus correpta, cilicio, ferrea catena, flagriſque multiplicatis tamdiu cruciari voluit, quoad illam ſupplicijs exemerit. Spiritu prophetico clara, peſtilentiam, bellaque Italiæ longè ante præſciuit. Tandem meritis & annis onuſta, cœleſtem harmoniam experta, euolauit in Cœlum. *Bzou vbi ſup. num.* 10.

P. Io: Dominici Florentinus poſtmodum Cardinalis, Venetorū mores ſua prædicatione, ac lacrymis in melius compoſuit, publice in Eccleſijs, ac plateis, diebus feſtiuis maximè, euangelium Ieſu Chriſti annunciando, cuius ſalutaribus monitis copioſa proſtitutarum mulierum multitudo ad pœnitentiam reuocata eſt, vt dicetur

cetur infra anno 1400. *Taeg. in Monum. Ordinis*.

Cum fideles inſignis Caſtri Viborch ſub dominio Daciæ Regis conſtituti mala multa, & cædes proper Ruthenorum, aliorumque infidelium in curſiones patetẽtur, Bonifacius Pont. ad petitionẽ Margaritæ Reginæ Daciæ, & Noruegiæ mandauit Raymundo Capuano Mag. Generali, vt in eodem caſtro pro populi illius conſolatione, & ſalute conuentum erigeret cum Eccleſia ſub inuocatione B. Mariæ Virg. & omnium Angelorum, ipſa Regina copioſo pro ædificijs ære effundente; quod ſtatim exequtioni demandatum fuit. Litteræ autem Apoſtolicæ datæ ſunt apud S. Petrum 7. Kal. Martij, quarum exemplar eſt in Arch. Ord.

Bonifacius Pont. obſequia maxima in Gentium cõuerſione ad Chriſtum à Prædicatoribus præſtita recogitans, illorum Ordinem, ac conuentus à collectis omnibus, ac pedagijs perſoluendis, necnon, & Ordinẽ ipſum a quorumcumq; iuriſdictione abſoluit. Datis Apoſt. litteris eumdem encomijs max. commendantibus ſequentis tenoris.

Bonifacius Ep. Seruuus Seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

ET ſi pro cunctorum Chriſti fidelium ſuper quibus cura Officij Summi Pontificatus diuina diſponente clementia gerere obligamur ſtatu ſalubriter dirigendo libenter adhibeamus ſolicitudinis noſtræ partes: illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequimur, quorum alij à mundanis abſtracti illecebris, & grauibus pœnitentijs dediti cæleſtibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas ſuauius, & altius eleuantur, vt aquilæ, & cum Maria optima parte perfruuntur: Alij verò S. Marthæ ſolicitudinem ſectantes celebrationi diuinorum vacant ſolertius: Alij diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtruunt in eadem; Alij quoque feruentioris ſpiritus ardore ſuccenſi, non timentes, ſed amantes, ad conuerſionem infidelium anhelãt intrepidi, vt valeant ad Dominicam arcam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam reddere Domino rationem. Hi profectò ſunt Fratres Ord. Prædicat. in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prædicationis per diuerſa mundi climata noſcitur exiuiſſe. Hi ſunt quos Deus numero multiplicauit, & meritis quibuſque, ſicut & alijs benè currentibus in ſtadio militantis Eccleſiæ æternum brauiũ elargitur. Quapropter de ipſis curam gerimus, vt eos in his ſanctis operibus nihil impediat, vel perturbetur, &c. Datum Florentiæ Id. Iulij Pontif. noſtri Anno 3. Apoſt. litteræ ſunt in Ord. Archiuio.

Inſuper idem Pont. Vannen. Eccleſiæ inter infideles exiſten. præfecit Paſtorem P. Nicolaum Stayneker, vt infideles illos per ſacram verbi Dei prædicationem ad veritatis agnitionem perduceret, ſicuti ex datis Apoſt. litteris Peruſij 9. Kal. Febr. pont. an. 4. colligitur, quæ in Ord. Archiuio cuſtodiuntur. Nicolaus igitur in pace, & æquitate ſibi demandatam Eccleſiam ſanctiſſimè rexit, populis illis quotidianis ſermonibus ad amplexandam Catholicam fidem excitatis.

ANNO 1394. Martinus Aragonen. Siciliæ Regno, à Clemente Pſeudopontifice contra decreta veri Romani Pontificis obtento, cum diuerſas eiuſdem Regni partes tyrannicè occupaſſet, P. Simon de Puteo Catanen. Epiſcopus die S. Thomæ Aquinati ſacra in frequenti populi multitudine in noſtra eccleſia congregata, ad populum pro defenſandis iuribus Eccleſiæ in eo Regno contra tyrannum Martinum, tanto cum ſpiritus ardore iterũ perorauit, vt concitatam plebem ad arma ſumenda in fauorem Bonifacij Pont. contra Martinum compulerit. *Pyrrus in Ep. Catanen. Sicil. Sac.*

P. Vin-

P. Vincentius Vliſiponenſis, Prouinciæ Hiſpaniæ Prouincialis à Bonifacio Pont. creatus Generalis Inquiſitor per vniuerſam Hiſpaniam, vt eam ab omni hæreſis labe vndique purgaret, in diuerſis vrbibus ſuos Vicarios conſtituens Fatres Ordinis, hæreſes, ſuperſtitiones, erroreſque validiſſimè ſuppreſſit. *Bzou. in Annal. num. vlt.*

Dominicana Religio vinea Dei electa fructum ſuauiſſimum hoc anno cœlo dedit B. Vidonem Regiolanum, vitæ ſanctitate, morumque candore præſtantiſſimũ; qui dum Aretij natus, in vicina conuentui paterna domo nocte quadam Fratres cantantes canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera Domini Domino* in matutinis audiſſet, tactus è cœlo ſingulari cõpunctione, totum ſe Deo ex illa hora conſecrauit. Tyro humilitatis, & obedientiæ exemplar cunctis effectus, emiſſa profeſſione, maior ſe ipſo, orationi, contemplationi, mortificationi, diſciplinis, ieiunijſque, necnon, & carni frænandę addictus fuit. Tantæ fuit auctoritatis apud populos in Etruria, vt aliquando Florentini Aretium depopulati CC. circiter Regiolanos captos, capitali ſententia damnatos, & mox in aciem producendos, nemine interpellante, ad ſolam Guidonis memoriam, à vinculis abſoluerint, & ad cœnobium Ordinis adductos P. Guidoni reddiderint, vt illum propriæ libertatis auctorem agnoſcerent. Tandem pluribus cœleſtibus apparitionibus recreatus, in cœlum feliciter regnaturus cum Chriſto migrauit. *Bzou. num. 12.*

Viri inclyti, amicti auro primo veræ charitatis, euelluntur ex Ordine in ouium Chriſti directionem, ſuper Epiſcopales cathedras, tanquam lucernæ ſuper candelabrum, vt virtutibus, atque exemplis elucerent cunctis poſiti. Et primò quidem P. Io: de Bertoldis præfectus eſt Eccleſiæ Fanen. P. Paulus de Poſanio, Ebronen. & P. Philippus Formet de conuentu Antiſiodorenſi Duci Burgundiæ à ſacris confeſſionibus, Niuernen. *Vghell. & Gall. Chriſt.*

Cum in Capitulo Generali Carcaſſonæ anno 1378. celebrato decretum fuiſſet per modum inchoationis, vt Hungariæ prouincia, quæ ob ſuam amplitudinem viſitari minimè poterat à ſuis Prouincialibus eorumque Vicarjis, diuideretur in duas, quarum altera diuiſa diceretur Dalmatiæ, vt in vtraque Fratres Apoſtolicum miniſterium, ad quod fuerant aſſumpti facilius exequerentur, infidelium conuerſioni incumbentes, & peccatorum corda ſuis prædicationibus ad pœnitentiam prouocantes: Bonifacius Pont. eandem diuiſionem Apoſtolica auctoritate comprobauit, vt vberior animarum fructus ab Eccleſia perciperetur. Dato Breui 2. Idus Aug. cuius exemplar in Ord. Archiuio cuſtoditur.

ANNO 1395. Cum P. Simon de Puteo, factis, ſuperioribus annis pro defenſione iurium Bonifacij Pont. & Eccleſiæ, à ſe patratis contra Martinum Sicilię tyrannicum Regem à Pſeudopontifice Clemente intruſum, nequaquam acquieſcẽs, iterũ & tertiò populũ ſibi commiſſum ad ſumenda arma contra Martinum, hoſteſque Eccleſiæ induxiſſet; inualeſcente Martino victus, captuſque in carcerem conіectus eſt, vbi multas calamitates, & malas experiri fuit coactus: de quo idem Mart. datis litteris ſic loquitur. *Quia F. Simon de Puteo Epiſcop. Catanen. propter immanẽ rebellionem, & nefaria opera, quæ contra Regalem Maieſtatem noſtram præſumpſit infideliter exercère, fuit, & eſt ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ auulſus, & carceri mancipatus, &c. Dat. Catanæ 26. Octob.* 1395. Pyrrus Sicil. Sac. inter Catanen. Epp.

Hoc quoque anno Inquiſitoris fidei præfecturam exercebat in Sicilia laudabili ze-

ſi zelo P. Mag. F. Guilelmus ab Agrigento, vir doctiſſimus, qui & hæreſes ex eodem Regno eliminauit, & populos de venerando Bonifacio, in terris vero Chriſti Vicario edocuit. *Pyrrus vbi ſup. inter Ep. Agrigen.*

Cum apud Pariſium habitus eſſet à Rege congreſſus Theologorum pro ſchiſmate tollendo, cui interfuerunt plures Dominicani, inter quos eminebat P. Guilelmus de Braioto Prouincialis Franciæ ſummus Theologus; conueniſſentq; omnes id fieri non poſſe, niſi media renunciatione, ac ceſſione Romani Pontificis Bonifacij, atque Auenionen. Pſeudopont. P. Io. Hatonius iura Bonifacij defenſurus in quædam prorupit dicta in eius fauorem, ac contra Pſeudopont. Clementem, quæ Regem, atque Pariſien. Vniuerſitatem non modicum offenderunt; quare in carcerem, & vincula Regio decreto coniectus, ibidem pluribus menſibus manſit gaudens, & exultans, quod pro veri in terris Chriſti Vicarij defenſione mereretur talia pati. *Spondan. num. 4. Le Febure in Man. Hiſtor.*

P. Iacobus Arigonus de Balardis Laudenſis datus eſt Sacri Palatij Magiſter poſt Vgolinum de Camerino à Bonifacio IX. qui vnicè Iacobum, tanquam virum digniſſimum, diligebat. Vſque ad annum 1407. magiſterium obtinuit, factus ſuæ patriæ Epiſcopus à Gregorio XII. Concilijſque Piſano, & Conſtantien. interfuit; in quibus doctiſſimi viri nomen obtinuit. *Vghell. & Lucarin.*

Inſurrexerunt in Aragonia hæretici quidam contra puritatem B. Virginis, impiè aſſerentes S. Ioannem Baptiſtam fuiſſe filium naturalem Beatiſſimæ Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, contra quos Generalis Inquiſitor Aymericus ſtatim proceſſit, & quot quot in vinculis habuit, ſeuerè puniuit, alios autem, docto libro euulgato hoc anno, impugnauit. *Diagus lib. 1.*

P. Io. Daderleij aſſumitur à Bonifacio IX. in Apoſtolicum Cappellanum, quo in munere eidem Pont. maximo inſeruiuit annis pluribus cum eſſet vir doctiſſimus. Expeditæ fuère huiuſmodi aſſumptionis litt. ab eodē Bonifacio apud S. Petrū xi. Kal. Auguſti pont. an. 6. quæ ſunt in Ord. Archiuio.

ANNO 1396. P. Simon de Puteo Ep. Catanen. è carceribus eductus atq; ex ſua Eccleſia, & Sicilia eiectus, Romam ad Pontificem Maximum Bonifacium acceſſit, à quo benigniſſimè acceptus eſt, conſtituta eidem congrua pro ſui ipſius ſuſtentatione annona. In vrbe igitur reliquos ſuæ vitæ dies in Bonifacij ſeruitio, necnon, & pietatis operibus conſumpſit, & tandem magna ſanctitatis fama relicta, laborum ſuorum pro Eccleſia exantlatorum præmia percepturus, ad Chriſtum perrexit, in Minerua ſepultus. *Pyrr. inter Catan. Ep.*

Eodem anno, defuncto Vilelmo Archiep. Cantuarien. euectoque ad Archiepiſcopalem eandem ſedem Thoma Arundelio, hic ſtatim Synodum congregauit, Epiſcoporum, præſtantiſſimorumq; Theologorum pro compeſcendis Vvilcephianis hæreſibus, cui interfuère ex noſtris Magiſtri plures, inter quos effulſit P. Abraham Valdenſis Prouincialis Angliæ, Theologus magni nominis, decretumq; eſt Ioannis Vvicleph errores hæreticales vitandos eſſe ab omnibus Chriſti fidelibus, eorumdemque ſequaces tanquam hæreticos puniendos iuxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones. *Bzou. num. 6. & Fernan.*

Promouentur pro fidelium ſalute ad Eccleſiarum regimina Religioſi, zelum Dei habentes. Et quidem P. Antonius de Romana Prouincia ad Signinam. P. Simon Saltarellus verò ad Tergeſtinam ex Comaclen. tranſlatus. *Vghell.*

Pōma

Poma noua lectiſſima dedit vinea Domini electa, Dominicana Religio hoc anno BB. videlicet Marcolinum Foroliuienſem; & Claram Abyſſinam, ex quibus primus tanta vitæ ſanctimonia floruit, vt B. Raymundus Capuanus Magiſter Generalis, eius opera vſus, cœnobia plurima ad veterē regularis obſeruātię nitorem, in ſæua peſtilentia deperditū, reuocauerit. Tanta illi orandi conſuetudo fuit, vt callum genua contraxerint. Tam vehemens in diuina ſtudium, vt ſacris dās operam, in ex ſtaſim raperetur. Tanta in pauperes miſericordia, vt quidquid conſequi poſſet in ipſos profunderet. Tanta in Beatiſſimam cœli Reginam deuotio, vt eiuſdem immago ſæpius eidem colloquenti verba ſuauiſſima reſponderit. Tāta ieiunandi conſuetudo, vt cibi oblitus, ieiunio tabeſceret. Miraculis tandem refulgens cœlum conſcendit. *Bzou. num. vlt. in Annal.*

B. Clara verò Abyſſina apud Indos orta à B. Taclaimanot ſacro Religionis habitu induta, ità ſanctitate floruit, vt diebus ſingulis in exſtaſim rapta, plura diuina reuelatione cognouerit futura, & Regem patrem ſuum, martyrio coronatum, in cœlum prætioſa gloriæ corona redimitū conſcendētem viderit. Miraculis clara in æternam requiem tranſlata eſt die 2. Iulij, Viſitationi B. Virginis ſacra, qua apud Indos ſolemniter colitur. *Plod.*

Cum Prædicatores noſtri ſalutis animarum ſitientiſſimos ſe in Angliæ Regno, in conuerſione hæreticorum, & peccatorum à ſalutis via aberrantium exhiberent, ita Ricardi Regis gratiam, erga ſe, & deuotionem ad Ordinem promeruère, vt Diuinum officium ſecundùm ritum noſtrum ſingulis diebus recitaret. Supplicauit propterea Bonifacium Pont. vt Clerici ſeculares, ſeu Regulares quicumque dictum officium ſecundùm ritum Ordinis Prædicatorum ſecum recitantes, ſatisfacerent diuino pręcepto, ac ſi Romano Breuiario vterentur; quòd illi benignè conceſſit Bonifacius, addens inſuper nouam gratiam, vt huiuſmodi Clerici, ſeu Religioſi ab ipſo Rege abſentes, per duos menſes idem officium, ac ſi cum Rege eſſent, iuxta Prædicatorum ritum licitè recitare valerent. Datis litteris Apoſt. 6. Id. Septemb. quarum exemplar in Archiuio Ordinis aſſeruatur.

ANNO 1397. Carolo Francorum Rege infirmitate correpto; ſingulisque remedia pro recuperatione ſanitatis perquirentibus, Petrus, & Lancellotus Sacerdotes, qui ſe medicinæ artis peritiſſimos iactitabāt, ab oris Aquitaniæ fuère accerſiti: at cum Magiæ arte Regi ſanitatem procurare niterentur (quam tamen diù differebant maiori cum Regis periculo) re detecta, à P. Guilelmo de Braioto Apoſtolico in Gallia Inquitore inquiſiti ſunt, ac veritate comprobata, ſacerdotali dignitate exuti, capite plexi ſunt ex Caroli decreto *Diag. & Spondanus num.* 11.

P. Arnaldus Pang Aragonen. magni nominis theologus in Vniuerſitate Barchinonen. ab Aragonū Rege Cæſaraugu-ſtam vocatus eſt hoc anno, vt cum illo de rebus grauiſſimis tractaret: agebatur enim tunc à Regibus, qui Petrum de Luna, Benedictum XIII. in ſuā obedientia nuncupatum, venerabantur Pontificem, de abolitione ſchiſmatis Eccleſiæ, quam omni conatu ſuadebat Arnaldus Regi. Salmanticæ quoque habitus eſt conuentus quorundam Epiſcoporum, Theologorūq; eiuſdē Vniuerſitatis, in qua multi eminebant theologi Dominicani præſtantiſſimi, cui interfuère Carolus Caſtellæ Rex (ipſe enim, cum Regibus Galliæ, atque Aragoniæ, Petro de Luna adhærebat) Legati Regis Aragoniæ, Epiſcopi, & Theologi, decretumque eſt tollendum fore ab Eccleſia Dei ſchiſma, id tamen fieri non poſſe, niſi per renun-

ciatio-

ciationem à Bonifacio, & Benedicto faciendam cum electione vnius ſolius Paſtoris Max.; ea propter procurandam eſſe illam ab vtroque Regijs inſtantijs. *Lopez p. 5. & Spondan. num. 3.*

Ad regendas oues Chriſti varijs in Eccleſijs aſſumuntur ſpectatæ virtutis, charitatiſque viri: & quidem in Eccleſia Acconen. P. Ludouicus Aluarus, & P. Io: à Dyrrachio in Dalmatia Ep. factus, vt inquit Ferr. noſter de Prou. Hung. fol. 409.

Bonifacius Pontifex conuerſionis infideliũ ad Catholicam fidẽ cupidiſſimus, multos ex Prædicatoribus, ſelectos meligioſos in maiorem Armeniam Euangelij pacis annunciatores miſit, concedens facultatem P. Ioanni Archiep. Sultanien. ex Ord. noſtro, vt propter eleemoſynas pingues, quas fideles illi noſtris Præd. ibidẽ prędicãtibus elargebãtur, viginti ex eiſdẽ impertiri licentiã valeret eligẽdi ſibiconfeſſariũ, qui eos à quibuſcumq; peccatis cũ plenaria Pontificia auctoritate abſoluere poſſet in mortis articulo dat. litt. Apoſt. 3. Id. Decemb. pont. an. 12. incipien. *Cum nonnullos Fratres Ord. Præd. pro conuerſione infidelium ad partes Armeniæ Maioris deſtinemus, &c.* ſunt in Arch. Ord.

Idem Bonifacius hæreticalem peſtem ex Hiſpaniarũ regnis eradicaturus P. Vincentium de Vlixbona ſacræ Theol. Magiſtrum Generalem Inquiſitorem cum ampliſſima facultate creauit in Hiſpaniæ, Portugalliæ, & Algarbij regnis, qui cum hæreticos inſectatus, ex eiſdem regnis eradicare conaretur, perſequutiones multas infracto animo, vt catholicæ fidei nitor in ſibi creditis Regnis ſeruaretur illæſus, ſuſtinuit; de quo infra ann. 1401. *Ex lit. Apoſt. eiuſdem Pont.*

ANNO 1398: Cum Petrus de Luna, Benedictus XIII. dictus, pluries à Regibus, qui Clementis VII. primò, deinde eiuſdem Benedicti partes fuerant ſequuti, monitus fuiſſe, vt iuxtà iuſiurandum, quo ſe aſtrinxerat, pontificatum deponeret, idq; exequi de die in diem protraheret; & re vera id præſtare nollet, Carolus Galliæ Rex auditis Theologis Vniuerſitatis Pariſien. inter quos plures erant ex Dominicano inſtituto, qui in ea docebant, necnon & Baldi iuriſconſulti peritiſſimi voto in fauorem Bonifacij veri Pontificis, Legatos, ſeu Oratores ſuos, monitores ad Petrum de Luna pro renũciatione ſui prætenſi Papatus miſit; ſed hos ille obduratæ mentis homo cõtempſit, neceſſitatemque Regi, & Clero Gallicano impoſuit, quo ad diem 28. Iulij Pariſijs ad Concilium conuenirent, & de re tam graui, tamq; neceſſaria, (vt erat Eccleſiæ vnitas) in communi deliberarent. *Bzou. num. 1.*

In ea Synodo ex communi ſententia ſtabilitum fuit ſecedendum fore à Petro de Luna, vt ſchima aboliretur in Eccleſia ſancta Dei. Ea propter Kalendis Septembris die Dominica apud Villamnouam Diœceſ. Auenionen. edictum promulgarunt, Petrum de Luna, Benedictum XIII. nomine hactenùs ſalutatũ, non eſſe Pontificem; ſed Antichriſtum, ac proinde non eſſe eidem obſequendum ampliùs, ſed ab omnibus deſerendum, & tamquam periurum, fœdifragum, ſchiſmaticum, hæreticum, hoſtemque Eccleſiæ perſequendum: Addentes Patres pœnas priuationis omnium dignitatum, ac beneficiorum in eos, qui illum non desererent; Ad hunc modum Gallicana Eccleſia à Petro de Luna Deo dante receſſit. *Bzou. ibid.*

His peractis, Atq; in Auenionen. Curia nunciatis, noſter P. Io. de Nouocaſtro Burgundus ab eodem Pſeudopont. Cardinalis Epiſc. Oſtien. creatus, (qeum ſequuti ferè omnes alij Pſeudocardinales) Auenione diſcedentes deſeruère Petrum de Luna, ſolum illum relinquentes cum quinque Pſeudocardinalibus

eidem

eidem adherentibus. *Bzouius in Annal. num. 2.*

Inter tot tantoſque Eccleſiæ turbines Bonifacius Pōtifex de ouibus Chriſti ſollicitus, varijs Epiſcopalibus ſedibus Paſtores optimos præfecit, inter quos fuere ex Prædicatoribus, confeſſor Riccardi Regis Angliæ, cuius nomen ſilent ſcriptores, ex Landafenſi ad Caſtrenſem tranſlatus, qui ſanctiones ſuperiorum Regum pro libertate Eccleſiaſtica innouatas obtinuit ab eodem Riccardo; & P. Iulianus de Mileto in Siciliæ regno Inquiſitor, & Prouincialis adCephaleditanam euectus. *Bzou. num. 10. & Pyrrus Sicil. Sac. inter Cephaledit. Ep.*

P. Io. de Francfordia S. Theol. Mag. inſignis, atq; ſalutis animarum à Chriſti grege alienarum cupidiſſimus, cum catholicam fidem infidelibus annunciaret, à Saracenis captus, atque in carcerem cōiectus, in partibus Barbariæ per quinque annos fame, ſiti, ac frigore afflictus fuit; cumq; id Bonifacio Pontifici fuiſſet nunciatum, de eius redemptione auro exequēdacogitauit; at cum multam pecuniarum ſummam Barbari pro illius redemptione peterent, nec poſſibile eſſet Ordini illam congregare, Pontifex dedit Apoſtolicas litteras pro redemptione illius, cōcedens Indulgentiam anni vnius, & dierum 40. fidelibus manus adiutrices porrigentibus pro illius redemptione, de quo ſic fatetur Pontifex in litteris prædictis, datis Kalendis Octobris apud S. Petrum: *A Saracenis chriſtiani nominis inimicis captus, & per quinquennium continuum in partibus Barbariæ diris carceribus mancipatus, detentus, & afflictus fuit, prout adhuc crudeliter detinetur, & affligitur in eiſdem carceribus, à quibus nequitur abſque fidelium Chriſti pijs ſuffragijs liberari, &c.* Exemplar litterarum Apoſtol. eſt in Ordinis Archiuio.

Cum P. Maximus de Conſtantinopoli in conuertendis Græcis ſchiſmaticis, & reducendis ipſis ad Romanæ Eccleſiæ vnitatem multum inſudaiſſet, multoſque illorū ad Apoſtolicæ Sedis venerationem adduxiſſet, Bonifacius Pont. eidem indulſit, vt Euangelium, & Epiſtolam in miſſis ſolemnibus, in græca lingua ſolemniter cantare poſſet pro Catholicorum ibi exiſtentium conſolatione, datis hac de re litteris Apoſt. 5. Kal. Martij, quarum exemplar eſt in Ord. Archiuio incipien. *Dilecto filio Maximo de Conſtantinop. Ord. Fratrum Præd. profeſſori Sal. Tuæ deuotionis ſinceritas promeretur, &c.*

Dantur cœlo etiam hoc anno fructus ſuauiſſimi à Prædicatorum Ordine, inter quos B. Nicolaus de Rauenna primum conſequitur locum, qui hoc anno Venetijs audiens prædicationes P. Ioannis Dominici de Florentia, regularis obſeruantiæ ibidem reparatoris, ſpreto mundo Dominicanam togam induit, ſub qua ita glorioſè profecit, vt in orationibus à terra eleuatus, præ ſpiritus dulcedine in lachrymas, & ſingultus prorumperet, & Dominica palmarum prolatis verbis: *Ieſus autem emiſſa voce magna emiſit ſpiritum*, in exſtaſim raptus in terram corruerit à ſenſibus cunctis alienatus. Charitatis erga proximum ardore ſuccenſus, graſſante hoc anno Venetijs peſtilentia, in miniſtratione Sacramentorum infirmis, euolauit in cœlum eodē morbo percuſſus. P. Seuerinus Cracouien. datur quoque triūphanti Eccleſiæ fructus optimus, qui multa hæreticorum millia dono verbi; necnon, & peccatorum innumeram multitudinē ad Chriſtū per pœnitentiam attraxit, in Polonia. Tanta apud Reges, & Proceres auctoritate, ac zelo valuit, vt Heliam noſtri temporis omnes putauerint, ac dicerent; Tanta apud hæreticos exiſtimatione, vt neminem valentiorem, qui fallacias eorumdem detegeret, vel confunderet, faterētur. *Bzou. hoc anno nu. 13.*

ANNO 1399. Maximo Chriſtianæ fidei damno diem clauſit extremum vir laudatiſſimus P. Nicolaus Eymericus, in ſuo cœnobio Gerunden. poſt quam per quadraginta circiter annos infatigabili ſtudio S. Inquiſitionis tribunal Generalis Inquiſitor in Aragonia, zelo ſummo rexiſſet. Et vt in hæreticos, etiam in morte, & poſt mortem pugnaret, præter opera ſuperioribus annis recensita, plures libros poſt ſe reliquit contra hæreticos, atque hæreſes ſuo tempore natas. Scripſit præterea tractatum de excellentia Chriſti, & B. Virginis contra hæreticos illam calumniantes. Miranda fecit in obſequium fidei, S. Matris Eccleſiæ, atque Sedis Apoſtolicæ Aymericus, *Diag. lib.* 1.

Idem inuictus P. Nicolaus Eymericus hæreticorum hoſtis accerrimus, hæreticæque prauitatis Inquiſitor Generalis, pro quo munere ſubeundo labores plures, & incommoda multa pertulit, à Pontificibus Max. plurimùm adamatus, atque æſtimatus, antequam moreretur, publicauit librum. *Directorium Inquiſitorum* inſcriptum, Chriſtianæ Reipublicæ vtiliſſimum, quo regulas tradit pro Inquiſitoribus ad cognoſcendas hæreſes, illaſque cōuellendas, ac eradicandas ſecluſa omni perſonarum acceptione, & hoc anno perrexit in cœlum, præmium laborum ſuorum conſequuturus, vt diximus. *Lucarin. in Chron. Ordin. Diagus.*

Cum Bonifacius Pontif. Iubilæum in Chriſtiano orbe pro ſequenti anno 1400. publicè indixiſſet, Presbyter quidam ſecularis in Italiam deſcendens ex ſeptentrionalibus partibus, pro ſancto ab omnibus habitus, ad ſeptuaginta millia hominum ſibi hoc anno adiunxerat, Crucis imaginem in modum ſigni militaris præferendo; albo veſtitu omnes amicti erant, velatamque faciem, duobus tantùm ante oculos foraminibus ad videndum relictis, habentes; & vbi nox eos oppreſſiſſet, ſub dio quieſcebant, cantantes alta voce: *Stabat mater doloroſa iuxta crucem lacbrymoſa &c.* cum Litanijs, & hymnis. Pacem, & concordiam clamabant, multiſque ieiunijs ſe macerantes, ad meliorem frugem omnes prouocabant; & tranſeuntes per Genuam, Lucam, Florentiam, ac Viterbium, Romam ingreſſi ſunt cantantes, & laudantes Deum, & hi *Albati* dicebantur. Obſeruabant Inquſitores locorū, per quę tanta populi multitudo tranſibat, illius, necnon & ductoris Præbyteri mores, ſine ordine, & non ad formam chriſtianitatis viuentis, & inuenientes eum ad flagelantium damnatorum hæreticorum ſectam, necnon & ad ſuperſtitionem procliuem, de his omnibus monitum Pontificem fecerunt, qui Præſbyterum eorum ducem captum in vincula coniecit, & conuictum de ſeditione, quam parabat facere in populo, vt vigente Eccleſiæ ſchiſmate, eligeretur ipſe in Papam, ad rigorem eccleſiaſticum dignis ſupplicijs caſtigauit. *S. Antoninus Bzou. num.* 8.

P. Maximus, de Coſtantinopoli, de quo ſup. aliquando ſchiſmaticus, & Græcorum erroribus implicatus, fauente diuino numine catholicæ fidei fulgore circumfuſus, erroribus abiuratis, Religioſuſq; noſter effectus, ardenti zelo Græcorum conuerſionem ſitiebat. Quare ad Bonifacij pedes accedens, neceſitatem miniſtrorum Euangelij in partibus illis, in quibus catholici ad Græcorum errores accedebant, expoſuit; ac propterea, vt poſſet conuentum Ordinis in terris Græcorum fundare, petijt, & obtinuit; data inſuper facultate recipiendi pro Ordine quamcumque Eccleeccleſiam ibidem erectam: & dimiſſus multis priuilegijs onuſtus, in Græciam cum alijs Fratribus, maximo fuerunt adiumento Catholicæ fidei, confirmando populos in illa. Expeditū fuit de hac re Breue, cuius exemplar eſt in Archiuio Ord. 5. Kal. Martij.

Cum

Cum Armeni Fratres, non noſtri, Piſis exiſtẽtes in domibus, licet catholici, à cibis vetitis nequaquam abſtinerent, ſed carnibus, ouis, ac lacticinijs in quadrageſima veſcerentur cum graui Piſani populi ſcandalo, Bonifacius Pont. eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo, & P. Simoni de Caſſina Ordin. Præd. ſacræ theolog. Magiſtro mandauit, vt ſimul, vel diuiſim eorum monaſteria in Italia exiſten. viſitarent, & corrigerent, atque ad religioſum viuendi modum reducerent, ne conſimilia ſcandala populo darent. Viſitauerunt illi Armenorum Fratrum domum Piſis exiſten. & amotis abuſibus, ordinatiſque, quæ ad eorum ſtatum ſpectabant adimplenda, P. Simon cœteras domus eorundem viſitauit, reformauit, correxitque iuxta Pontificis mandata, ſcandalis ſublatis. Datæ ſunt autẽ litt. Apoſt. apud S. Petrũ 5. nonas Maij, quarum exemplar eſt in Ord. Arch.

Bonifacius Pont. P. Vincentium Vlixiponenſem S. Theolog. Magiſtrum Generalem Inquiſitorem in Regnis Portugalliæ, & Algarbij conſtituit, virum prudentia, zelo, ac pietate inſignem; *quatenus in charitate Dei, hominum timore poſtpoſito ſpiritum fortitudinis induens, Inquiſitionis officium in eiſdem Regnis, prout tanti negotij vtilitas ſuadebat ſub ſpe mercedis æternæ ſic efficaciter proſequi & exequiſtudeas diligẽter, vt per ſollicitudinis tuæ prudẽtiã radix prauitatis eiuſdẽ pænitus euellatur; &c.* ſic ait Põt. in Breui hac de re illi dato 4. nonas Decemb. cuius exemplar cuſtoditur in Ord. Archiuio.

B. Raymundus de Capua poſt rectas per annos ferè viginti Ordinis prouincias ſuæ curæ commiſſas, poſt introductam in eiſdem regularem obſeruantiam, poſt celebrata Generalia Capitula, Bononiæ primum an. 1380. Lemouicis 1384. Cæſaraugustæ 1391. Venetijs 1393. Narbonæ 1394. & Francofurti 1397. poſt plurimos labores pro Eccleſia, pro Ordine, atque communi pace conſumptos, nouiſſimè apud Nurimbergam in Teutonia ſenio confectus, cum merore dies ſuos compleuit, eo quod adhuc turbata perdurabant omnia, gaudens aliàs, quia ſublatus, ne videret mala gentis ſuæ, & Sanctorũ. Deceſſit B. Raymũdus de Capua Magiſter Generalis in obedientia veri Pontificis Bonifacij IX. pro quo, & pro ſchiſmate ab Eccleſia tollendo varias Apoſtolicas Legationes obiuit ad Reges, & Principes. *Olmeda*.

Bonifacius Pont. certioratus de vberrimo fructu, quem Eccleſiæ Sanctæ Dei dabant Fratres Prædicatores de Armenia maiori in gentium conuerſione apud Capha, amplas Indulgentias eorum Eccleſiæ, S. Iacobi nuncupatam, extra muros Caphen. ciuitatis viſitantibus, necnon, & manus adiutrices, atque eleemoſynas eidem in Fratrum ſubſidium porrigentibus conceſſit. Dat. Apoſt. litteris 4. Kal. Maij, quarum exemplar eſt in Ord. Archiuio.

Idem Pont. alteri Eccleſiæ Ordinis, S. Nicolai nuncupatæ, intra eiuſdẽ ciuitatis Caphen. mœnia exiſtenti propter cauſam reparationis Eccleſię Indulgentiam ipſam prout ſupra conceſſit dato Apoſtolico Breui pariter 4. Kal. Maij cuius exemplar eſt in Ordinis Archiuio.

ANNO 1400. Celebratum eſt Iubilæum Romæ ex ſpontaneo populorum ad conſequendas Indulgentias concurſu; etiam Gallorum: non obſtante ſæua peſtilentia in Italia graſſante, qua periere Religioſi noſtri multi, & multi charitate feruidi, in miniſtrandis ſacramentis infirmis. Quare Bonifacius ſaluti Chriſtifidelium conſulturus, Iubilæum etiam exteris conceſſit, ne de vita periclitarentur in acceſſu ad Vrbem. *Spondanus num. 1.*

Cum Beati Raymũdi Generalis obitus poſt feſtum S. Michaelis contigerit, intimatum eſt Capitulum pro electione Magiſtri

giſtri ſequenti anno celebranda. *Olmeda.*

P. Petrus Maza Oſcenſis de Aragoniæ prouincia ſcripſit eruditum opus: *Contra Arnaldum de Villanoua*, qui medicus clariſſimus cum eſſet, pluraque opera euulgaſſet, in multos errores incidit, catholicæ fidei noxios, Tarraconæ poſtmodum per P. Ioannem de Lotgerio Inquiſitorem damnatos. *Diag. lib.* 2.

Bonifacius Pontif. præfecit Kuduienſi Eccleſiæ P. Andream Cracouien. nouiter in epiſcopalem erectæ Apoſtolica auctoritate, eò quod opera illius, & Fratrum Prædicatorum, à Ladiſlao Rege in Ruſſiam adductorum, ea ciuitas, hactenus ſchiſmate diuulſa, ad gremium Catholicæ Eccleſiæ redijſſet. Obtinuit Antiſtes hic ab Iuone Kyouienſium tunc temporis Principe ingentem portionem Dominicæ Crucis, quam Lublinum delatam Fratribus Prædicatoribus conuentus S. Stanislai, neque ſine miraculis, donodedit. *Bzou. in Annal. num.* 12.

Ladiſlaus Bonifacij Pont. Max: cura & auxilio Neapolitanum Regnum, & Vrbem recuperat, habito Principũ congreſſu apud Prædicatores Neapoli in Eccleſia D. Petri Martyris, in quo Proceres omnes, qui hactenus à Ladiſlao deſciuerant, ei reconciliati ſunt; ea tamen lege, vt Ladiſlaus cuncta eis ablata reſtitueret, actaque quæcumque in eos, reſcinderet. *Bzou. num.* 15.

P. Iacobus de Altouitis Feſulanus Epiſcopus Apoſtolicam Legationem obiuit ad Italiæ Principes pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, *Vghell. inter Ep. Feſulanos.*

Laborantibus Patribus noſtris in vinea Domini Sabahot, vt mortalium animas Chriſto lucrifacerent, in Armeniæ Maioris, adiacentiumque regionum partibus contra ſchiſmaticos orientales, vt eos per abiurationem errorum propriorum Eccleſiæ vnitati ſociarent, tribulationeſque & perſequtiones non modicas ſuſtinentibus, atque à Rectoribus tenebrarum harum inibi afflictis, aliquod ſpirituale ſolatiũ collaturus Pontifex Maximus, datis Apoſtolicis literis apud S. Petrum 4. Kal. Maij, remiſſionem plenariam omnium peccatorum eis corde contritis, licet non ore confeſſis, ob paucitatem ſacerdotum, de plenitudine Apoſtolicæ auctoritatis conceſſit. Fidelibus verò, vel in antiqua aſſumpta Catholica fide perſeuerantibus, vel nouiter ad illam conuerſis, pro vna vice tantùm, & in mortis articulo conſtitutis eandem plenariam peccatorum remiſſionum, vt ijdem Patres concedere poſſent, piè indulſit; exhortans illos vt in veneratione Romanæ Eccleſiæ, Summorumq; Pontificum pro tempore perſeuerarent, ſi ſaluti eſſe vellent. Litterarum autem Apoſtolicarum exemplar in Ord. Archiuio cuſtoditur.

P. Io: Dominici de Florentia ſanctitate vitæ, promotioniſque catholicæ fidei zelo, quo feruebat, apud Venetos magnos fecit in via Dei progreſſus, illorum ſalutem æternam ſitibundo corde promouendo. Quare ignitis oris ſui eloquijs peccatores, & meritrices multas, & multas ad pœnitentiæ amplexum perduxit, quibus & ſpecialem locum, in quo ſimul conuiuerent dedit. Vſurarios complures, ſceleſtiſſimoſque viros de ſalute deſperantes, per pœnitentiæ amplexum in aliã vitam direxit. Cum autem multos Religioſos, etiam noſtros, ad perfectam regularem obſeruantiam reduxiſſet, atque illam exactiſſimam Monialibus, ac Sororibus noſtris monaſterij Corporis Chriſti, necnon & PP. SS. Ioannis, & Pauli reſtituiſſet, à B. Raymundo Capuano Mag. Generali, Generalis Vicarius ſuus ibidem conſtitutus, eo è mundanis miſerijs ſublato, à Bonifacio IX. Apoſtolicus Vicarius ibidem confirmatus eſt, in ſuo ſancto miniſterio animas Chriſto lucrifacturus,

datis

Digitized by Google

datis Apoſt. litteris apud S. Petrum 4. Nonas Martij pont. an. xi. incipien. *In multitudinem rerum tractandarū per Apoſtolatus officium, &c.* quæ ſunt in Ordin. Archiuio.

Caput XI.

P. THOMA DE FIRMO Magiſtro Generali XXIV.

ANNO 1401. Celebrata ſunt Generalia Ordinis Comitia Vtini à Patribus illarum Prouinciarum Italiæ, necnon Germaniæ, Poloniæ, aliarumque, vero Pontifici Bonifacio obedientiam, & reuerentiam præſtantium, electuſque eſt communi ſuffragio P. Thomas de firmo in regulari obſeruantia enutritus, ſolertia, rerumque agendarum prudentia, atque experientia præditus, quippequi pluribus regiminibus, ac prælaturis præfuerat in Ordine, cuius reformationi pro poſſe operam dedit, & pro ea augenda ſequentia Generalia Capitula congregauit præter primum Vtini ſupra relatum, Erfordiæ an. 1403. apud Nurimbergam 1405. Bononiæ 1407. & iterū Bononiæ 1410. in quibus mandatæ ſunt litaniæ, ac præces, tàm publicæ, quàm priuatæ à Fratribus, pro optata Eccleſiæ vnione, diroque ſchiſmatæ tollendo, perſoluendæ. *Olmeda.*

Anno eodem vita functus eſt inclytus vir P. Vincentius de Vlixpona Generalis Inquiſitor in Hiſpania, qui pluribus annis ſacrum tribunal rexit, factus hæreticis, ac delinquentibus formidabilis, neque nobilibus ipſis parcens, per quòd in multorum odium incidit. Huius cum laude meminit Bonifacius IX. in ſuo Breui, anno 1403. dato in fauorem Prouincialium Hiſpaniæ, quibus inſtituendi, vel ſe ipſos, vel alios tanta præfectura dignos Inquiſit. facult. cōceſſit, vt dicetur. *Olmeda.*

Cum P. Guillelmus Palmerius Miniſter Prouincialis Minorum Auenione Dominica ſeptuageſimæ pro concione auſus eſſet aſſerere, omnes eſſe excommunicatos, maledictos, ſchiſmaticoſque, qui Petro de Luna in carcere ibidem detento, veluti Pontifici Maximo non parerent, debitumq; obſequium, velut Eccleſiæ totius ſummo capiti non præſtarent, tanta Cleri, ac populi ſeditio facta eſt, vt vix Carolus Rex Galliæ ſua auctoritate, ac potētia illam comprimere potuerit, miſſis miniſtris ſuis, qui prohiberent, ne quidquā ea in re innouaretur. Neceſſe fuit igitur pro ſedando populari tumultu, vt noſtri Prædicatores in publicis congreſſibus, & prædicationibus populum docerent de cauſa, ob quam Petrus de Luna ſequeſtratus detineretur, voto enim ſe obſtrinxerat de cedendo ſuo prætenſo Pontificatui, quandocumque Principibus, & Regibus, necnon, & Vniuerſali Eccleſię prodiro ſchiſmate extirpando id fieri neceſſe fuiſſet iudicatum; contra quod iuſiurandum, datamque publicam fidem pertinax perſeuerabat in ſuo pſeudopontificatu Petrus, & hoc modo populi ira quieuit. Porrò Cardinales, qui à Petro ſeceſſerant, maiori diligentia, quàm antea, eundem Petrum cuſtodiendum eſſe nomine totius Collegij edixerunt. *S. Antonin. Bzou. num.* 14.

P. Io: Bortleshamius Rhofenſis Epiſcopus ab Vrbano IV. pro fide catholica vindicanda ab hæreſibus Vviclephianis creatus (de quo ſup. an: 1387.) cum bonum certamen certaſſet, curſum conſumaſſet, fidem ſeruaſſet, contra Vvicleph, eiuſque ſequaces, catholicam Eccleſiam ab illius peſſimis, hæreticalibuſque dogmatibus, ac deliramentis vindicando, atque pro ea animam ſuam ponendo (nā

pluries

pluries fuit ab eiſdem perquiſitus ad mortem, ſed diuina ope ſeruatus) hoc anno maxima cum hæreticorum exultatione euolauit in cœlum Paſtor optimus, qui Chriſti exemplo pro ouibus ſuis animam ſuam ponere voluit, *Baiocen. anno* 1387. *in ſuo Chron. & Bzou. in Annal. n. vltim.*

Antequam autem à rebus humanis eximeretur Ioannes Epiſcopus, qui plura & ſpecialiter contra hæreticos VVicleſianos ſcripſit, interfuit Comitijs Londinenſibus in Anglia poſt Epiphaniæ ſolemnitatem celebratis, cum Thoma Arundelio Archiep. Cantuarien. alijſque Epiſcopis, Theologiſque præſtantibus, ex cunctis ſacris Ordinibus ſelectis, in quibus decretum eſt pro deſtruendis hæreticis VViclephianis, ſiuè Lorardis, vt vbicumque deprehenderentur praua ſua dagmata profitentes, damnatoſque libros retinentes, ſeu propalantes, caperentur & Diœceſano traderentur; ac ſi obſtinati perſiſterent, brachio ſæculari comburendi publicè, traderentur. *Ex eodem Baiocen. vbi ſup. & Spondan. num. 5.*

Principaliora deliramenta, & blaſphemiæ horum hæreticorum erant contra Eccleſiæ ſacramenta, aſſerentium non eſſe ipſa niſi ſigna mortua, & nullius valoris; Virginitatem & cœlibatum non eſſe ſtatus approbatos à Deo, ſed coniugium; & quicumque ſaluari vellent, debere coniugari, vel ſaltim in ea eſſe voluntate, aliàs eſſe homicidas, & deſtructores ſancti ſeminis: ad legitimum autem coniugium ſufficere voluntatem viri, & fœminæ abſque ſcitu Eccleſiæ: Eccleſiam autem nihil aliud eſſe præter Synagogam Satanæ, & Sacramentum Altaris non eſſe niſi buccellam panis mortui, & turrem, ſiue pinnaculum Antichriſti. Hæc ſunt principaliora deliramenta VViclephiana, ſeu Lorardina, quæ refert idem Baiocen. in ſuo Chronico ſub anno 1387. *Et Spondan. in Annal. ſub an. anteced. 1402. num. 2.*

Erecto nouiter ſororum noſtrarum de VVyck monaſterio in Traiecten. Diœceſi ſub Prouincia Saxoniæ, cum P. Io: Barchen. illius Prouinciæ Prouincialis, earumdem monialium curam gerere, ipſaſque in ritibus, & conſtitutionibus Ordinis propter alia impedimẽta edocère non valèret, totale earundem regimen P. Huperto Epiſcopò Ipruſen. Treueren. Epiſcopi Generali Vicario in Pontificalibus, noſtri Ordin. demandauit; qui Bonifacio Põtifice per Apoſtolicas litteras datas 16. Kal. Iunij huiuſmodi deputationem confirmante, earundem curam toto tempore, quo Io: Saxoniæ Prouinciæ ius dixit, geſſit: exemplar autem litter. Apoſtol. eſt in Ord. Archiuio.

P. Vincentius de Vlyxbona S. Theologiæ Mag. in ipſis Regnis Portugalliæ, Hiſpaniæ, atque Algarbij Generalis Inquiſitor à Bonifacio IX. inſtitutus, de quo ſup. an. 1397. creatur hoc anno etiam Inquiſitor in tota prouincia Hiſpaniæ per Apoſtolicas litteras datas 2. Id. Iulij, quarum tenor eſt talis.

Dilecto filio Vincentio de Vlixbona Ord. Fratrum Præd. Sal. & Ap. bened.

I*Nter ſollicitudines varias, &c. quem dudum in Hiſpaniæ, Portugalliæ, &. Algarbij Regnis huiuſmodi prauitatis Inquiſitorem deputauimus, ipſiuſque Inquiſitionis officium in huiuſmodi Regnis laudabiliter exercuiſti, prout exerces ad præſens, ſcies, & poteris per tua diligentiæ, & ſollicitudinis ſtudium, etiam de tota prouincia Hiſpaniæ huiuſmodi labem extirpare: te Inquiſitorem hæret. prauit. etiam in eadem prouincia auctoritate Apoſt. conſtituimus &c. tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, in remiſſionem peccaminum diſtrictius iniũgentes, quatenus in Regnis, & Prouincia prædictis omni timore poſtpoſito, præfatum Inquiſitionis officium, prout hucuſq; exer-*

exercuiſti illud in Regnis prædictis &c. vt per tuæ ſollicitudinis prouidentiam Herbæ, Arbores, lapides Altaria, & alia ad Idololatriam pertinentia, & radix prauitatis hæreticæ exinde penitus euellantur, &c. Ex Archiu. Ord.

Detinebantur hoc anno,& antecedentibus inter Barbaros nominis Ieſu Chriſti, atque catholicæ fidei hoſtes accerrimos captiui religioſi aliqui ex Minorum, & D. Auguſtini ſacris Ordinibus, atque inter eos duo ex noſtris Prædicatoribus, quorum nomina non recenſentur, ab eiſdem anguſtitiati & diuerſimodè afflicti, vt Catholicã fidẽ eiurantes ad mahumetanas ſpurcitias tranſirent; at illi in fide ſtabiles, atque in opere efficaces parati erant potius mori, quàm fœdari concaptiuos catholicos ad baiulandam prompto animo ſibi traditam à Domino crucem illam aſſiduis exhortationibus edocentes, ac informantes; afflictionum igitur ipſorum miſeratus Pontifex Bonifacius,à tantis calamitatibus eoſdem vindicaturus, datis Apoſtolicis litteris, Indulgentias, adiutrices manus pro eorum redemptione porrigentibus elargitus eſt illorum calamitates talibus verbis recenſens: *Per ipſos Barbaros, & Paganos per plures annos crudeliter, & inhumaniter detenti, & diris ſupplicijs, vt nomen Chriſti abnegent, afflicti fuerunt; prout ad præſens detinentur, & affliguntur, pro quorum liberatione, &c.* Litteræ autem pontificiæ datæ ſunt Romæ apud S. Petrum 7. Kal. Decemb. pontificatus an. 12. *Ex Ord. Archiuio*

ANNO 1402. P. Io: Gzodlant Inquiſitor in Germania Vviclephi & Huſs errores ibidẽ pullulãtes totis viribus exterminare conabatur, cõtra quos calamo primò, deinde auctoritate, & ſupplicijs inſurrexit: ſcripſit enim eruditum librum contra eoſdem; & quot quot ex illis potuit, carceribus, ſi pœniterent: ſi nõ, ſupplicijs ſubegit. A Bonifacio Pontifice Hildes heimen. Epiſcopus deſignatus, Legationibus Apoſtolicis quoque ſub eodem Pont. Max. pro grauioribus Eccleſiæ negotijs ad Germaniæ Principes functus eſt. *Leand. Alber. lib. 3. & Plod.*

Magnus Tamurlanes implacabilis iracundiæ vir; haud tamen Chriſtianis infenſus, qui ad dilatandam, & nominis, & Regni ſui famam, ad finitimos, longinquoſque Principes, tam Chriſtianos, quàm Barbaros, frequentes legationes miſit, duos ex Prædicatoribus, qui in illius Regnis fideles in catholica fide conſolidabant, Oratores ſuos in Italiam miſit. Vnum quidem Epiſcopum Orientis ad Carolum Francorum Regem cum litteris Regijs, quibus eidem ſignificabat, quomodo ipſe magnam partem Orientis occupaſſet; rogans illum, vt mercatores ſuos more maiorum per Francorum Regum cum mercibus ſuis prætioſis commeare benignè pateretur. Alterum autem in Oriente Pariter Archiepiſcopum ad Venetos, Genuenſes, & Mediolanenſem Ducem pro eodem negotio delegauit, quas legationes ex corde ſucèpere ipſi, vt ex tali commercio catholica fides in partibus illis maiora ſumeret incrementa. *Spondan. in Annal. num. 23.*

Ab Archiepiſcopo, & Fratribus noſtris Armeniæ miſſus procurator ad Pontificem Max. Bonifacium P. Lucas Xiabunicenſis cum ſocio, vt eundem Pontificem de ſtatu Chriſtianitatis Armeniæ informaret, & nomine illius populi, ac Fratrum Vicarium Chriſti adoraret; quod ille fideliter præſtitit in Vrbem veniens, vbi benigniſſimè receptus à Pontifice, multa Eccleſiaſtica paramenta, & Indulgentias pro Armeno populo, necnon diſpenſationem pro eſu carnium pro Fratribus ſuis conſequutus eſt. *Galanus de Con. cil. Eccl. Armenæ cum Rom.*

B. Eberardus de Nurimberga hoc anno regnaturus cum Chriſto in æternum,

Cœlum

cœlum conſcendit, qui ſacerdos in ſæculo, vt à ſæculi vanitatibus alienus faciliùs Deo inſeruiret, Dominicanam togam induit, ſub qua ieiunijs, diſciplinis, & cilicijs, necnon & orationibus vacans, in iſtis lacrymarum dono perfuſus, flebat ita vbertim proprias, & alienas, peccatorumque culpas; vt cœcus effectus ſit, quod damnum hilari corde pertulit, ne mundi vanitates vidèret ampliùs. Deceſſit in patria virtutibus clarus. *Plod.*

Aſſumitur P. Otto Roder ad Biduanenſem Eccleſiam, illiuſque populum regendum, à Bonifacio IX. Vir laudatiſſimus, atque in proximum charitate feruidus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont. Max.*

P. Dominicus de Stellopardis Neapolitanus ab Vrbano VI. Generalis Inquiſitor in vtroque Regno Siciliæ, tam citra quàm vltra farum; necnon in ciuitate, & diœceſi Beneuentana inſtitutus, cum ſibi demandatam præfecturam virili pectore ſuſtinèret, hæreticos perſequendo, atque condignis ſupplicijs caſtigando, à Bonifacio Papa IX. in eodem Apoſtolico miniſterio confirmatur datis Apoſtolicis literis apud S. Petrum de Vrbe Kalendis Septemb. quarum exemplar eſt in Archiuio Ord.

Idem Pontifex merita, labores, fructus, ac obſequia, quæ S. Matri Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi præſtiterant, & præſtabant Prædicatores conſiderans, in eorum fauorem ſequentia conceſſit priuilegia.

Bonifacius Papa IX.
Ad perpetuam rei Memoriam.

ET, ſi pro cunctorum Chriſti fidelium ſuper quibus circa officij Summi Pontificatus, Diuina diſponente Clementia gerere obligamur, ſtatu ſalubriter dirigendo, libenter adhibeamus ſollicitudinis noſtræ partes, illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequitur, quorum alij à mundanis abſtracti illecebris, quibus pænitentijs dediti Cæleſtibus inhiantur, & ad illa per contemplationis pænas ſnauius, & altius eleuantur vt Aquilæ, etiam cum Maria parte optima perfruuntur: alij verò S. Marthæ ſollicitudinem ſectantes celebrationi Diuinorum vacant ſolertius; alij diſcũt, & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtruunt in eadem: alij quoque feruentioris ſpiritus ardore ſuccenſi non timentes, ſed amantes, ad conuerſionem fidelium anhelant intrepidi, vt valeant ad Dominicam Arcam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hi profectò ſunt Fratres Ordinis Prædicatorum in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prædicationis per diuerſa mundi climata noſcitur exiuiſſe: hi ſunt quos Deus numero multiplicauit, & meritis quibuſque, ſicut & alijs bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſiæ æternum brauium elargitur. Quapropter de ipſis curam vigilem gerimus, vt eos in his ſanctis operibus nil impediat, vel perturbet, ſed ipſi opportunæ quietis dulcedine potiantur: hinc eſt quod nos dilecti filij Thomæ Magiſtri, & dilectorum filiorum Priorum, & aliarum perſonarũ dicti Ordinis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac felicis recordat. Nicolai IV. & Benedicti vndecimi, & nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes Ordinem ipſum, ac Magiſtrum, Priores, & Fratres prædictos præſentes, & futuros; necnon quaſcunq; Sorores, ac Domos, Monaſteria, Loca, & Hoſpitalia quæcunque, quæ ſub cura, & Regimine Ordinis, & Fratrum Prædicatorum fuerint pro tempore conſtituta, & eorum Rectores & Gubernatores cum omnibus ſuis iuribus & pertinentijs, quæ in preſentiarum obtinent, & in futurum, dante Domino, iuſtis modis poterunt adipiſci, ab omni iuriſdictione dominio, ſubiectione, & poteſtate quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, necnon

non

non à ſolutione cuiuſcunque Collectæ, Pedagij aut cuiuſcunque alterius generis exactionis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia prorſus eximimus, & totaliter liberamus, illaſque in ius, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ, ſub eorum ſpeciali, & immediata protectione ſuſcipimus, atque noſtra; decernentes Ordinem, Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, Domos, monaſteria, loca, & hoſpitalia ſupradicta, eorumq; & Rectores, & Gubernatores cũ omnibus Iuribus, & pertinentijs huiuſmodi ſolum, & immediatè Sedi prædictæ ſubiacere, ita, quod Ordinarij, & Prælati, aut huiuſmodi, ſeu quæuis aliæ perſonæ in ea, vtpotè prorſus exempta, generaliter, vel ſpecialiter, aut communiter, vel diuiſim nõ poſſint quauis auctoritate excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſentẽtias promulgare, aut aliàs, etiam ratione delicti, ſeu contractus, vel rei de qua agetur, vbicunque committatur delictum, iniatur contractus, aut re ipſa conſiſtat, poteſtatem, ſeu Iuriſdictionem aliquam quomodolibet exercere: quodque Magiſtri, Priores, Fratres, Sorores, Rectores, & Gubernatores præfati ratione Domorum, locorum, Monaſteriorum, & Hoſpitalium prædictorum, aut quorumcumque aliorum bonorum, aut poſſeſſionum, quæ in præſentiarum habent, & iuſtis modis præſtante Domino habebunt in futurum, ſeu quauis alia occaſione decimam, vel aliam portionem, aut annuos redditus, ſeu cenſum, vel procurationem aliquam, vel aliam ſubuentionem Legatis, vel Nuncijs dictæ Sedis, aut Ordinarijs locorum, vel alijs quibuſcunque, aut Pedagia, vel Theoloneã, & aliàs exactiones, quibuſuis Regibus, ſeu alijs Perſonis Eccleſiaſticis, vel Secularibus dare, & ſoluere minimè teneantur, nec ad id compelli poſſint, vel ſuper hoc, aut aliàs à quoquam quomodolibet conueniri per litteras Sedis prædictæ, aut Legatorum, vel delegatorum, ſeu Nunciorum ipſius, aut Dioceſanorum locorum, vel Rectorum, Terrarum Eccleſiæ Romanæ, aut quorumcunque aliorum; etiamſi in eiuſdem Sedis litteris contineantur expraſsè, quod ad quæuis exempta, vel non exempta, loca, ſeu monaſteria ſe extendant, & aliqua eis cuiuſcunque tenoris exiſtant ipſius Sedis Indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictæ litteræ Apoſtolicæ de dicto Ordine, & præſentibus de verbo ad verbum, ac etiam monaſterijs, locis, & domibus, ipſorumque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & Perſonis prædictis plenam, & expreſſam, ac etiam ſpecialiter, & notanter fecerint mentionem. Et nihilhominus, eiſdem Magiſtro, Prioribus, & Fratribus auctoritate Apoſtolica cõcedimus quod ipſi de præſentibus, & in eis contentis alicui ex locorum Ordinarijs, quo ad dictorũ, niſi ſemel tantũ ſi ſuper hoc per eũ fuerint requiſiti, fidem facere nequaquam teneantur, nec ad id à quoquam valeant coarctari. Felicis recordationis Innocentij Papæ IV, prædeceſſoris noſtri, & alijs Conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus Imperialibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, per quæ permiſſa poſſent quomodolibet infringi, vel impediri, & alijs in contrarium æditis non obſtantibus quibuſcunque: nos enim quaſlibet excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſuis pœnas, ſententias continentes, quas, & quos contra Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, Domos, & Haſpitalia, perſonas, & alia ſupradicta contra tenorem, & formam præſentium, & exemptionis huiuſmodi promulgari, & habere contigerit, irritos decernimus pænitus, & inanes. Nulli ergo, &c. noſtræ exemptionis liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, conceſſionis, & Conſtitutionis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum Quinto Kal. Maij Anno tertio decimo.

Bonifacius Pont. datis Apoſt. litteris apud S. Petrum Kalend. Auguſti conceſſit P. Nicolao Nocluri Capellano ſuo Eccleſiam cum hoſpitali S. Antonij apud

Peram Conſtantinop. diœceſis, cum annexis redditibus, in retributionem obſequiorum Apoſtolicæ Sedi præſtitorum, de quibus ita dicit. *Grata tuæ deuotionis obſequia, quæ nobis, & Apoſtolicæ Sedi hactenus impendiſti; & adhuc ſollicitis ſtudijs impendere non deſiſtis; necnon religionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliјſque probitatis, ac virtutum meritis, quibus, &c. nos inducunt; vt tibi reddamur ad gratiam liberales, &c.* Hic in Oriente multum inſudauit, vt Græcos ad vnitatem Romanæ Eccleſiæ in cauſa proceſſionis Spiritus Sancti à Patre, & filio perduceret, nec ſine fructu: nam multi ad cultum Romanæ Sedis venère, proceſſionem S. Spiritus ex Patre filioq; pleno ore profitentes. *Ex Arch. Ord. in quo ſunt exempl. præd. litt.*

Idem Pont. noſtris Prædicatoribus in remotiſſimas regiones euangelium pacis portãtibus, fructuſq; vberrimos catholicæ Eccleſiæ allaturis, nobilem in Vvartbergh Paderbornen. Diœceſis Eccleſiam, & conuentum perficere intendentibus, vt cœlo animas, prætioſo Chriſti ſanguine redẽptas cœlo lucrifacere faciliùs poſſent, amplas Indulgentias eorum Eccleſiæ, (atque viſitantibus illam,) adiutriceſque manus porrigentibus conceſſit. Datis Apoſt. litteris Kalen. Iannuarij, quarum exemplar in Archiuio Ord. cuſtoditur

ANNO 1403. Glorioſus Pater S. Vincentius Ferrerius Valentinus à Deo pro gentium, ac peccatorum conuerſione in mundum miſſus, cum innumeros hæreticos in vallibus Sabaudiæ ad Catholicam fidem conuertiſſet, eam, quæ ſequitur epiſtolam hoc loco digniſſimam de fructu vberrimo ex eius ſacris prædicationibus in Eccleſia ſuborto certiorem fecit ſuum Magiſtrum Generalem in hunc modum.

Reuerendiſſimo in Chriſto Fratri Patri Ioanni de Pedonatis Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum.

REuerendiſſime Magiſter, & Pater. Propter ineſtimabiles me tenẽtes occupationes non valui veſtræ Reuerentiæ ſcribere, vt decebat. Nam, vt verum fatear, ex quo receſſi de Romanis vſque nunc incluſiue quotidie me oportuit circumfluentibus vndique populis prædicare, & frequentiſsime bis in die, necnon, & ter aliquando, imò & miſſam, cum nota ſolemniter celebrare. Itaq; ad itinera communi comeſtioni, & dormitioni, & alijs pertinentijs vix mihi ſupereſt tempus: quin imo itinerando oportet me ordinare ſermones. Verum tamen ne forte mihi imputaret R. V. non ſcribendo ad negligentiam, vel contemptum, extorſi mihi per quam plures dies, & ſeptimanas, & menſes aliquid temporis quotidie, in tantis occupationibus, vt ſaltem breuiter ſcriberem vobis de via quam feci. Nouerit ergo veſtra Reuerendiſſima Paternitas, quod poſtquam receſsi de Romanis vbi me vltimo dimiſiſti, per tres menſes continuos fui in Delphinatu prædicando in circuitu verbum Dei, per ciuitates, Caſtella, & villas, in quibus nondum fueram. Præcipue viſitaui tres illas famoſiſsimas valles hæreticorum diæceſis Chebredi, quarum vna vocatur Frezerna, altera Agentoya, & tertia Vallis pura. Iam quidem antea viſitaueram eas bis, vel ter, & cum deuotione, ac reuerentia magna, per gratiam Dei ſuſceperant doctrinam Catholicæ veritatis. Sed ad eorum confirmationem iterum volui viſitare, quo peracto ad requeſtas, & rogamina multorũ, tam verbo, quam ſcripto tranſiui in Lombardiam, vbi continue prædicaui per annum, & menſem in cunctis ciuitatibus, & villis, & caſtris nunc obedientiæ, & vltra, ſcilicet in dominio Montis Ferrati, & ad multas requeſtas, & rogamina ſui, & ſuorum, in partibus Vltramontanis, quamplures nunquam.

ni valles hæreticorum, tam Vvaldenſium, quam Gazarorum peruerſorum; percurri in diæceſi Larinenſi, quas ſingulas per ordinem viſitaui omnes prædicando in vnaquaque ipſarum fidem, & doctrinam Catholicæ veritatis, cum improbatione errorum ipſorũ, & per Dei miſericordiam ardentiſſimè, & cum magnæ deuotionis affectu, ac reuerentia veritatem fidei ſuſceperunt: Domino quippe cooperante, & ſermonem confirmante: cauſam reperi in eis præcipuam hæreſum, & errorũ, abſentiam prædicatorum: nam vt veraciter percepi ab incolis illis, triginta anni erant elapſi, quod nullus eis prædicauerat, niſi Vvaldenſes hæretici, qui ad eos conſuetudinariè veniebant de Apulia bis in anno. Ex quo conſidero Reuerendiſſime Magiſter, quanta culpa ſit Prælatorum Eccleſiæ, & aliorum, qui ex officio, ſeu ſua profeſſione habent talibus prædicare, & potiùs volunt in magnis ciuitatibus, & villis requieſcere in pulchris cameris cum ſuis oblectamentis; interire verò animas, pro quibus ſaluandis Chriſtus mortuus eſt. Pereunt ex defectu Presbyteri ſpiritualis, cum non ſit paruulis qui frangat panem: & meſſis quidem multa, operarij autẽ pauci, vndè rogo dominum meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. De Epiſcopo quodam hæreticorum, quem inueni in quadam valle illarum, quæ dicitur Luſeria, quomodo voluit mecum conferre, & conuerſus eſt: Idem de Scholis Vvaldenſium, quas inueni in valle, quæ dicitur Engroya, & earum deſtructione; Idem de Gazaris hæreticis in valle Pontia quomodo à ſuis abominationibus conuerſi ſunt; Item de hæreticis vallis Lantij, aliàs, Quini, ad quam olim confugerant interfectores B. Petri Martyris, qualiter ſe habuerunt erga me, item de ceſſatione partium; Item de Guelphis, & Gibellinis, item de confederatione, & pacificatione Generali in partibus illis, & de alijs innumeris, quæ Deus dignatus eſt operari, ad gloriam ſuam, & vtilitatem animarum, taceo de præſenti, ſed in omnibus benedictus Deus.

Completis autem tredecim menſibus continuis in Lombardia, intraui Sabaudiã. Quinq; iam ſunt menſes elapſi, requiſitus vtique per Prælatos, & Dominos patriæ pluries, & cum magno affectu viſitaui iam hic diæceſes quatuor, ſcilicet Auguſtæ, Trarantris, & Mauriani, & Gunopolis, quæ multum habet in Sabaudia prædicando in circuitu, per ciuitates, villas, & caſtra eorum plus, & minus prout expediens videbatur, & ſum modo in diæceſi Geneuenſi. Inter alia vero enormia inueni in partibus iſtis vnum errorem nimis dilatatum infeſtum ſolemniter quolibet anno in Craſtino Corporis Chriſti, & tenendo confratrias, ſub nomine S. Orientis (nempe ſolis) dixerunt mihi Fratres noſtri, & Minores & alij Religioſi, ac etiam Curati; quod non audebant iam prædicare, vel aliquid dicere contra hunc errorem, timore ducti; quia eis imperabant mortem, oblationes atque eleemoſynas ſubtrahebant. Contra hunc errorem nunc principaliter inſiſtendo, prædicando quotidie, Domino cooperante, & ſermonem confirmante efficaciter extirpatus eſt: genteſque iſtæ venientes, nunc dolent audientes tantum ſe erraſſe in fide. Cùm vero per Dei gratiam hic error fuerit in breui pleniſsime extirpatus, habeo intrare Lauſanenſem diæceſim ex proximis eradicatum communiter, & manifeſte adorant Solem ſicut Deum, maximè ruſtici exibendo, & de mane ſuas orationes reuerenter ei faciendo. Nam ipſemet Epiſcopus Lauſanenſis, bene per duas, vel tres dietas venit ad me humiliter obſecrando ex corde, quod ſuam diæceſim viſitarem, vbi ſunt multæ villæ hæreticorum, in confinibus Alemaniæ, & Sabaudiæ, quod & promiſi: Audiui autem, quod hæretici illarum vallium ſunt nimis temerarij, & audaces; Sed confidens de Dei miſericordia conſueta, intendo ibi eſſe circa tempus inſtantis quadrageſsimæ; ſicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiet. Socius meus Fr. Antonius, & ego ſimul cum eo humiliter nos recommendamus veſtræ Reuerendiſ-

ſimæ P. quem Virginis Filius indeficienter conſeruet in exemplum, & cuſtodiam ſanctæ obſeruantiæ regularis. Amen Subſcripta finaliter in ciuitate Geneuenſi decima ſeptima die Decembris anno 1405. *de manu mea Locus ſigilli Inutilis ſeruus Chriſti, humiliſque filius veſter Fr. Vincentius Prædicator.* Diagus lib. 2. cap. 58. Fr. Michael Pius 2. p. lib. 3. col. 6. & 7. Spondanus num. 7. & 8.

Bonifacius pontifex mortuo ſup. an. P. Vincentio Vliſſiponen. Gene. Inquiſitore in Hiſpania, videns fructus vberimos, quos in Eccleſia Sancta Dei producebant Inquſitores hæreticæ prauitatis ex Prædicatoribus, Prouinciali Hiſpaniæ pro tempore Apoſtolicam dedit auctoritatem inſtituẽdi Generales Inquiſitores in Hiſpania, illoſque quando expediens foret, amouendi à ſuo officio, cum Generalis Inquſitoris munus per mortem P. Vincentij de Vlixbona vacaſſet. Littæ ę utem Pontificiæ ſunt huiuſmodi. *Bonifacius Ep. &c. Sedis Apoſt. prouidentia, &c.* ſunt apud Fernand. ſub hoc anno, &c. *Spondan. num.* 109.

Cum per Vvandalicas Vrbes hæreſis virus diffunderetur, contra illam inſurgentes Inquiſitores, tali veneno infectos condignis ſupplicijs tradidére. Sundis Prçsbyter pertinax, non reſipiſcens, pœnas dedit per ignem. Roſtochij eadem pertinacia mulier impœnitens, flammis addiudicata eſt. Lubricæ Vvillelmus quidam, cum ſimulata pluribus modis ſanctitate in abſtinentijs, ieiunijs, ac diſciplinis, vt ſanctus à populo haberetur, & clam fœminarum pudicitiam violare varijs modis conaretur, ab illis apud Inquiſitorem accuſatus, vinctus in carcere, erroribus abiuratis, habitum pœnitentiæ induit, & poſt aliquod temporis cum habitum fregiſſet, ac pedibus conculcaſſet, impœnitens combuſtus eſt; cuius Socium Bernardum in Vviſmaria, idem Inquiſitor, compertum pertinacem, igne abſumpſit. *Spondan. num.* 9.

P. Federicus Frezius de Fulgineo Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis, ob ſuas præclaras virtutes, animiq; conſtantiam erga Bonifacium verum Pont. Max. eidem acceptiſſimus, promouetur ad regendam Fulginaten. Eccleſiam. Conſtantienſi Concilio interfuit, in quo die 3. Ianuarij an. 1416. ſeſſioni 20. ſubſcripſit Paſtor optimus, atquæ in eodem Concilio infirmatus occubuit. *Vghell.*

Ordinem plurimùm ſuis virtutibus illuſtrabat hoc anno, & tempore P. Bartholomæus de Ferraria, vir verè Apoſtolicus, Ferrarienſis Inquiſitor, qui hæreticos frenauit, pluribus ex ei varijs ſupplicijs caſtigatis. Conuentum Venetum SS. Io: & Pauli ſub regulari obſeruantia diù rexit, & prædicationis officium, quoad vixit cum animarum fructu exercuit. *Taeg. in Monum. Ord.*

Bonifacius Pont. in Pœnitentiarium Vaticanæ Baſilicæ P. Bartholomæum de Artiſſa aſſumpſit, virum doctum, pium, & ſalutis animarum cupidum; ea tamen lege, vt antequam Apoſtolicæ Sedi in eo miniſterio inſeruiret, in manibus Franciſci Card. S. Suſanæ, de eiuſdem Pont. mandato ſacram pœnitentriariam tunc temporis regentis, præſtaret conſuetum iuramentum de fidelitate, officium illud exercendi iuxta præſcriptam formam: Literarum autem Apoſtol. exemplar eſt in Ord. Archiuio dat. 10. Kal. Iunij.

ANNO 1404. in Regno Poloniæ præſidebat apud Cracouiã Inquiſitor P. Stephanus Pol. qui per viginti quatuor annos glorioſè tribunali S. Inquiſitionis præfuit magno cum fidei catholicæ incremento, hæreſes carpendo, reuellendo, atque extirpando. *Bzou. de Prou. Pol.*

Cum autem hoc tempore in Germania, alijſque ſeptentrionalibus regionibus adiacentibus Io: Huſs, & Hieronymus

de

de Praga ſuæ hæreſis virus effunderent, inuigilabat Petrus, ne ſibi creditos Polonos etiam inficerent: plures autem hæreticos, vel ad errorum abiurationem reduxit, vel condignis ſupplicijs affecit. *Bzou. de Prou. Poloniæ cap.* 8.

Circa hæc tempora per Germaniam, Poloniam; Italiam parteſque finitimas in immenſum exereuerat ſtrygum ſeu Sagarum noxia multitudo, vnde ex noſtris Inquiſitoribus multiplex incubuit labor hanc totius humani generis peſtem vbique inueſtigandi, comprehendendi, ac iuſtis ſupplicijs exterminandi. *Param. lib.* 2. *& Bzou. num.* 28.

Inquiſitionis munus exercebant in Sicilia viri magni nominis hoc tempore, PP. Bernardus de Alexandro, Simon de Amatore, & Iacobus de Venetijs, qui hæreſim iugulantes, puritatem Catholicæ fidei in illo Regno ab omni hæreſis labe vindicabant. *Pyrrus Sicil. Sac. in Not. Eccl. Catanen.* §. Dominicana.

In Polonia verò idem Sanctæ Inquiſitionis tribunal adminiſtrabat ex Pontificio decreto P. Magiſt. Petrus Cantoris, vir doctiſſimus, ſalutiſque animarum ſitientiſſimus, qui & Pontificali, & Regia auctoritate communitus, etiam in nobiles ex munere proprio proceſſit; quare in multis vexatus, ſed non perterrefactus, contra ipſos delinquentes ſeuerè procedens, plures morti adiudicauit, alioſque ſalutaribus pœnitentijs ſubegit, non ſine euidenti propriæ vitæ periculo. *Ferrar.*

Sublato è mortalium oculis Bonifacio, electoque Innocentio VII. hic aſſumpſit ad Epiſcopatum Acconen. P. Theodoricum noſtrum, de quo ſcriptores Ordinis aliud non referunt, & P. Nicolaum Bonitum ad Archiepiſcopatum Arboren. in Sardinia, ex Taruiſina Eccleſia ad Maſſen. tranſlatum, & ex Maſſen. ad Arbor. *Vghell.*

Cum P. Petrus Stephani de Armenia ex Ordine vnitorum cum noſtris Patribus, de quibus ſupra an. 1333. eſſet in Vrbe Prior domus S. Mariæ Aegyptiacæ, (quæ vſque in præſentem diem ad Armenorum nationem ſpectat) ac multa S. Matri Eccleſiæ in conuerſione Schiſmaticorum ad Catholicam fidem præſtitiſſet obſequia, octuagenarius licet, atque in eadem domo triginta quatuor annorum continuo decurſu Prior, in Prioratus officio confirmatur à Pont. Max. vt aduentantes ad Vrbem Monachos, atque Armenos, etiam Schiſmaticos, benigno reciperet hoſpitio, atq; Catholicis documentis faciliùs imbueret, prout vſq; ad illum diem facere conſueuerat multo cum augmento Catholicæ fidei: nam in propria reuertebantur illi, & conterraneos ad propriorum errorum abiurationem efficacibus rationibus ſæpe compellebant, datis Apoſt. litt. Kal. Martij incipien. *Religionis zelus, &c.* & ſunt in Ord. Arch.

Idem Bonifacius Pont. erga Prædicatorum Ordinem, eiuſque aſſeclas benigniſſimè affectus, poſt collata eidem priuilegia multa, poſt euectos plures ad diuerſarum regimina Eccleſiarum ſupra relatos, alios quoq; euexit ad Inſulas etiam maiores: & quidem ad Archiepiſcopales, Sultanien. P. Villermum Belcts de Anglia nonis Febr. Pontif. an. 14. P. Baptiſtam de Inſula ad S. Taddæi in Armenia 3. non. Maij Pon. an. 13. Ad Epiſcopales verò Cereten P. Stephanum Martini 6. Id. Iunij an. 5. Dolien. Nicolaum de Bonifacio 4. Kal. Decem. Pont. 9. Accien. Nicolaum Trancoram 5. Id. Iunij Pontif. an. 10. Miſnienſem Nicolaũ Tzymerman. Dacen. Ioannẽ 16. Kal. Nouemb. Pont. 8. & ad Glandacen. Io. Zelich 6. Id. Nouẽbr. Pontif. 7. atque Lidmen, ſeu Lidimen. Ioannem Cellium 4. Kal. Octobr. Pontif. anno vltimo, & mortuus eſt, Pontifex

verè

verè Max. de Chriſtiana Repub. optimè meritus. Suprad. autem Præſulum Apoſt. litt. pro ipſis expeditæ, ſunt in Arch. Ord.

Aſſumptus ad Apoſtolicum culmen Innocentius Papa VII. poſt Bonifacium, euexit etiam ipſe ad Eccleſiarum regimina Prædicatores; & quidem P. Theodoricum ad Acconen. & Nicolaum Bonitum ad Archiep. Arboren. viros ſalutis animarum Apoſtolicum zelum habentes, qui ſibi creditas oues virtutibus omnibus informantes, per viam ſalutis æternæ dirc xère. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1405. Innocentius VII. Pontifex 6. Kal. Iulij, cum Romæ eſſet, conſtitutionem Apoſtolicam edidit, qua Regulam Fratrum, & Sororum Tertij Ordinis S. Dominici, ſiue de Pœnitentia nuncup. approbauit. *Spondan. num. 2.*

Petrus de Luna Antipapa, Benedictus XIII. dictus, vt populorum beneuolentiam ſibi captaret, S. Vincentium Ferrerium in Chriſtiano Orbe prædicatorem famoſum, inſignique ſanctitatis virum à confeſſionibus, & prædicationibus ſibi adhibuit, vt ab exemplo illius (inquit Ezouius) ea multitudo, quam trahebat in obſequio ſuo perſeueraret. Tanta erat in veri Pontificis cognitione tunc temporis ambiguitas, vt S. Vincentius eum alijs Aragonen. ad Benedicti partes declinauerit. At vnione in Concilio Conſtantien. Eccleſiæ reddita, S. Vincentius, pluries increpato Petro de Luna, ac monito, vt ad vnitatem Eccleſiæ veniret, ad Martini V. partes acceſſit eo relicto. *Bzou. num. 2.*

P. Iacobus de Altouitis nobilis Florentinus, ſub Bonifacio IX. Apoſtolicis Legationibus clarus, à Repub. Florentina cum Thoma Sachetto, Laurentio Rodulpho, & Vierio Guadagno mittitur Orator ad Innocentium Pontificem, vt de noua aſſumptione ad ſummam Sedem nomine Reip. gratularetur. *Vghell. tom. 3.*

Innocentius Pontifex Paſtores aſſumpſit ex Prædicatorum Ordine, viros inclytos, charitateque in Deum, & proximum fulgentes, ad cuſtodiendum ouile Chriſti in diuerſis Eccleſijs: & quidem Cæſenaten. præfecit P. Gregorium Maleſardum, & P. Corradum Seoper, Cambalienſi in Græcia. *Plod.*

S. Antoninus, Conſiliorum dictus, annum agens ſextum decimum ad Ordinem recipitur Feſulis à P. Ioanne Dominici (poſtmodùm Cardinali) & Cortonium mititur pro nouitiatu, ſeu probationis anno ſubeundo, vt catholicam Eccleſiam ſuis virtutibus illuſtraret. *Ex Monum. Conuent. Cortonen.*

Aſſumitur P. Stephanus Polonus ad regendum S. Inquiſitionis tribunal Cracouiæ, vir virtutibus laudabilis, & tanta præfectura dignus, qui iniunctum ſibi munus vſq; ad annum 1427. ſuſtinens, multa in augmentum Catholicæ fidei operatus eſt, hæreticos, lingua, calamo, ferro, ac igne inſectatus, ex quibus multos ad catholicam veritatem attraxit: cúque bonum certamen certaſſet, conſummato vitæ curſu, repoſitam ſibi à Deo coronam percepturus, vt piè creditur, in cœlum conſcendit. *Bzou. de Pol. Prou.*

Iudæi quidam ſceleſtiſſimi in Hiſpania hoc anno, vel vt alijs placet, ſequenti, Euchariſtiæ ſacratiſſimam hoſtiam ludibrijs, iniurijsq; grauiſſimis deturpare moliti, cum aſſumptum opus perficere nequirent ob temporis anguſtias, re ad Priorem noſtrum Segobienſem delata, ipſe cum Epiſcop. Segobien. Ioanne de Tordeſillas, diligentiſſima inquiſitione de perpetrando ſcelere peracta, tantum ſacrilegium condignis ſupplicijs, Iudæis illatis, caſtigauère. *Param. lib. 2.*

ANNO 1406. Mortuo Innocentio, cum Cardinales Conclaue eſſent ingreſſi Romæ pro noui Pontificis electione,

ctione, ſuperuenit P. Io: Dominici Florentinus, miſſus à Repub. Florentina ad ſacrum Collegium Orator, cui poſtulanti, contra conſuetudinem Conclauis feneſtra aperta eſt, Patres alloquendi facultate permiſſa. Summa orationis fuit, ſe miſſum à Repub. vt Patres hortaretur de ſupraſedendo à noui Pontificis electione, eam enim eſſe viam certiſſimam ad vnionem Eccleſiæ conſequendam, ſchiſmaq; tollendum. Hæc multa facundia, vir dicendi exercitatiſſimus cum egiſſet, Patres perſeipſos feruentes, magis ad id incendere viſus eſt. Itaque reſponſum ei dederè, ſe iam conclaue pro Pontificis electione ingreſſos, verùm ita prouiſuros, vt electus qui eſſet, procuratione potiùs ad deponendum Pontificatum, quàm Pontificem, ſe factum intelligere poſſet, id enim iam pridem ſe conſtituiſſe, eaque mente Conclaue fuiſſe ingreſſos affirmãtes. *Bzou. num.* 10. *& Ferrar. p. 2 lib.* 1.

Electo igitur Card. Angelo Corrario Veneto, Gregorio XII. nuncupato, miſſis ab eo diuerſorum Ordinum Religioſis ad Chriſtianos Principes pro Eccleſiæ vnione perficienda, ad Petrum de Luna Pſeudopontificem legauit duos Prædicatores, ex quibus alter erat Conuerſus, tractaturos cum eodem Petro, ac S. Vincentio Ferrerio, qui in exiſtimatione maxima vigebat apud eundem Petrum, vt illum induceret ad abdicandum à ſe prætenſum papatum, quod & ipſe Gregorius erat prompto animo præſtiturus. Tenor autem litterarum Apoſtolicarum Prædicatoribus datarum talis erat. *Gregorius Ep. Seruus Seru. Dei Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili ſchiſmate Benedictũ XIII. appellant, pacis, & vnionis affectum, &c.* Functi ſunt officio ſuo Fratres, atque S. Vincentius, ipſo Petro in ſua obſtinatione ſẽper permanente. *Bzou. num.* 18. *& Spondan.* 6.

In his Eccleſiæ Catholicæ diſſidijs Dominicana Religio ſanctitatis florem cœlo obtulit B. Franciſcum de Retza Germanum, Viennæ datum in lucem, erga Sanctiſſimam Dei Genitricem ſumma deuotinne affectum, qui in omni loco, & tempore ſalutationem Angelicam dicendo, meruit ipſo Natiuitatis B. Virginis Mariæ die ad æterna gaudia peruenire. *Plod. & Bzou. num.* 21. *an. ſequen.*

Promoti ſunt multi ex Prædicatoribus ad cuſtodiendas Chriſti oues in diuerſis Eccleſijs. Et quidem P. Ioannes Dominici Florẽtinus in Archiepiſcopali Raguſina, de quo impius Niemius (vt inquit Spondanus) multas fabulas cantauit, & finxit, ab eodem Spondano reprobatas; à S. Antonino autem ſummopere commendato in hunc modum. *Anno Domini* 1406. *De menſe Nouemb. Innocentius VII. migrauit ad Dominum, graui infirmitate à Domino viſitatus. Vt autem fuit tranſitus Innocentij Florentiæ nunciatus, vir religioſus Ord. Præd. per cuncta laudabilis F. Io. Dominici egregius Prædicator, potens in opere, & ſermone coram Domino & omni populo, &c. propter fragrantem odorem ſanctitatis & facundiam, & ſapientiam, vt feruidus zelator Eccleſiaſticæ vnitatis, acceſſit ad Magiſtratum Florentinum exhortans ipſum, & perſuadens operam dare cum eligendo Pont. pro vnione fienda.* P. autem Bartholomęus delle Biſce factus eſt Paſtor Bonon. & P. Atonius Corrarius, Aemonien. *Vghell.*

In Apoſtolica Curia apud D. Petrum in Vaticano Pœnitentiarij munus obibat P. Gerardus Præfecti ab Innocentijo Põt. inſtitutus, vir in litteris, ac moribus præclarus, qui peccatores ad pœnitentiam ſuis feruidis exhortationibus compellans, multas animas lucratus eſt Chriſto, iuramento fidelitatis in manibus Card. Antonij Ep. Præneſtini ſummi Pœnitentiarij in hunc modum præſtito: *Ego F. Gerardus Præfecti Ord. Prædicator. Profeſſor*

Dom.

Dom. Papæ in Rom. Curia promitto, &c. ſic me Deus adiuuet, & hæc S. Euangelia. in eodem miniſterio pluribus annis Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit, prout ex Breui expedito Viterbij Kalen. Septemb. an. I. cuius exemplar eſt in Arch. Ord. Eidem datus eſt ſocius in Pœnitentiarij munere ab eodem Pont. P. Ioannes Philippi de Fulgineo, qui cum ſub alijs Pontt. Maxx. prædeceſſoribus idem munus laudabiliter exercuiſſet, ab Innocentio VIII. Pœnitentiarius Vaticanæ Baſilicæ confirmatus eſt inſtante Henrico Cardin. Tuſculano, cui Io: erat à ſacris confeſſionibus, & Capellanus expeditis lit. Apoſt. 6. Id. Iunij anno 2. apud S. Petrum, quæ ſunt in Ordin. Archiuio; tunc temporis enim vnuſquiſque Pontifex Max. proprios inſtituebat Pœnitentiarios. Item idem Pont. Vaticanæ Baſilicæ Pœnitentiarum P. Iacobum de Reaz Germanum elegit, vt venientium ex Septentrionalibus partibus Chriſtifidelium confeſſiones ſuſciperet, & conſolatos in patriam remitteret. Dat. Apoſt. literis apud S. Petrum Kal. Iulij Pont. 2. quæ ſunt in Arch. Ord.

Eodem anno Innocentius Pont. antequam debitum humanæ fragilitatis perſolueret, Kal. Iunij P. Iacobum de Reate in Baſilica Principis Apoſt. de Vrbe Pœnitentiarium Apoſtolicum creauit, virum tanto honore dignum, de quo cum laude loquitur idem Pont. in ſuis literis datis apud S. Petrum Calend. Auguſti huius anni. Harum autem Apoſtol. literarum exemplaria ſunt in Ord. Arch:

ANNO 1407. P. Io: de Podio Nucis Magiſter Generalis Ordinis in ijs Regnis, & Prouincijs, quæ Petro de Luna obſequium præſtabant, mittitur ab eodem cum Rothomagen. & Tarraconen. Archiepiſcopis ad Gregor. XII. vt tractarent de conuentione loci, ad quẽ eſſent acceſſuri pro ſtabilienda pace in Eccleſia ſancta Dei. *Bzou. in Annal. nu. 6.*

Defuncto Innocentio VII. Angeloque Corrario, vt diximus, aſſumpto Pontifice ad regimen Eccleſię Dei ſub nomine Gregorij XII. à Florentina Republica hoc anno P. Iacobus Altouita Epiſc. Feſulanus, iterum cum eiſdem ciuibus Florentinis Thoma Sachetto, Laurentio Rodulpho, & Vierio Guadagno nobilibus viris à Florentina Republica Orator directus eſt ad eundem Pontificem nouiter electũ, vt de illius aſſumptione nomine eiuſdem Reipublicæ gratularetur, tractaretque de Eccleſiæ vnione tamdiù à fidelibus deſiderata. *Vghell. in Epp. Feſulan.*

Gregorius Pontifex erga Prædicatorum Ordinem optimè affectus, plures ex filijs eiuſdem diuerſis Eccleſijs Paſtores dedit; vt Chriſti oues in vnitate Eccleſiæ firmatas per ſemitas ſalutis dirigentes, & illis, & ſibi pararent vitam æternam: & quidem Eccleſiæ Narnien. P. Iacobum de Peruſio, Vrbinaten. P. Iacobum Arigonum de Balardis Laudenſi, & Bitecten. P. Angelum de Bario Apullum. *Vghell.*

Promoto Iacobo Arigono ad Lauden. Eccleſiam, Gregorius XII. Sacri Palatij Magiſtrum creauit P. Leonardum Statij de datis Florentinum de conuentu S. Mariæ Nouellæ; quam præfecturam ita prudenter, & cum laude geſſit, vt in Generali Capitulo apud Florentiam an. 1414. celebrato, communi vocalium ſuffragio, Magiſter Ord. ſalutatus ſit. *Olmed. Lucar.*

Apud Trapizundam, & Tyrum, adiacenteſque regiones, ſpretis ærumnoſis laboribus, contumelijs, perſequtionibus, imo & morte ipſa, viriliter decertabant pro Eccleſia ſancta Dei dilatanda noſtri Prædicatores, perſequtiones, atque afflictiones maximas a gentibus, quæ verum Deũ reuereri contẽnebãt ſuſtinẽtes. Verũtamen inuicta conſtantia Euangeliũ Ieſu Chriſti inconcuſſi prædicantes animas multas lucrifacientes, per ſacrum baptiſma fidelibus aſſociauère, fundatis in partibus

tibus

tibus illis conuentibus, Eccleſijs conſtructis, atque ſacris altaribus erectis, pro uenientium ad amplexum catholicæ veritatis ſpirituali gaudio, & conſolatione. *Ex Arch. Ord. & Param. lib. 2.*

Cum apud locum Peyræ Conſtantinop. diœceſis multi vtriuſque ſexus Græci ſchiſmatici conuerterentur ad Catholicam fidem, culmen Apoſtolicum, Summumque Pontificem venerantes, alijque infideles Mahumetani ſacro lauacro regenerati, temporis tractu in priſtinos laberentur errores, neglectis Catholicæ fidei legibus ſacris, & non eſſet qui pijs exhortationibus,ac monitionibus illos à perditionis via reuocaret, Gregorius XII. tantis malis oportunum remedium præbiturus, P. Eliæ Petit Gallo, viro docto, cordato, zeloque promouendæ Catholicæ fidei loricato, vt contra huiuſmodi fidei deſertores lingua, & cenſuris Eccleſiaſticis procederet, iniunxit, data illi ad hoc omni neceſſaria facultate, cum indulto quoque de ſeculari brachio inuocando; expeditis Apoſtolicis litteris ſequentia continentibus.

Gregorius Epiſcop. Seruus Seruorum Dei Dilecto filio Heliæ Petit Ord. Fratr. Præd. Profeſſori Sal. &c.

AD audientiam noſtram venit, quod ſepe contingit nonnullos vtriuſque ſexus homines ſchiſmaticos, & infideles ad Terram Peyre, Conſtantinop. diœceſis, declinare, & ibidem habitare, qui tractu temporis ad batiſmi gratiam ſponte peruenientes, etiam alia ſacramenta Eccleſiaſtica ſicut & cæteri Cbtholici, ſeu Chriſtifideles, à Catholicis Præsbyteris recipiunt, quorum tamen aliqui poſtea quandoque in errores priſtinos relabuntur &c. Nos igitur, quibus intereſt, huic morbo ſalubriter prouidere volentes, diſcretioni tuæ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus huiuſmodi batizatos, ſiue ad fidem orthodoxam conuerſos, in eadem Terra degentes pro tempore, quos in errores huiuſmodi taliter relapſos hactenus eſſe inueneris, & etiam illos, qui in futurum, &c. vt omnino derelictis erroribus ipſis eandem, quam aſſumpſerunt Orthodoxam fidem, & quod docet, ac tenet S. R. Eccleſ. inuiolabiliter obſeruare ſtudeant per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio bracij ſecularis, &c. Datum Viterbij 12. Kal. Septembr. anno 1. Mandata Pontifi. adimpleuit Elyas maximo cum fidei Catholicæ bono, ac incremento. Exemplaria harum litterarum ſunt in Arch. Ord.

Cum ex frequentibus incurſionibus Turcharum eadem Terra de Peyra Conſtantinop. diœceſis cum fidelibus inibi habitantibus multas moleſtias in dies perferrent Patres noſtri, damnis innumeris ſuppoſiti; conſtantes tamen in eodem loco permanentes, fidelibus ſacramenta miniſtrabant,& confortabant illos, vt in aſſumpta Catholica fide perſeuerarent immaculati;quod cum Gregorio Pont. innotuiſſet, vt faciliùs fideles illi ad Fratres noſtros, eorumque Eccleſiam confluerent, tres annos Indulgentiæ perpetuis futuris temporibus elargitus eſt, datis litteris Apoſt. Viterbij 4. Kal. Septemb. talis tenoris. *Cupientes igitur, vt Eccleſia S. Dominici Domus Fratrum Præd. in Terra Peyræ Conſtantinop. diœc. quæ quidem terra per crebras infeſtationes perfidorum Turchorum Catholicæ fidei hoſtium in vicino commorantium, habitatoribus non mediocriter deſtituta eſt, &c.* Sunt in Archiu. Ord. ſuprad. litter.

ANNO 1408. Vocatus eſt ad purpuram à Gregorio XII. P. Io: Dominici de Florentia cum duobus alijs eiuſdem Pontificis Nepotibus, ex quibus alter D. Petri cathedram conſcendit ſub nomine Eugenij IV. Fuit Io: inculpatæ vitæ vir, prudentiaque maxima præditus, qui pluriniùm pro ſchiſmate a fidelibus

tollendo inſudauit, à Repub. Florentina ad eundem Gregorium pro pace, diu optata, Eccleſiæ reddenda Orator miſſus, qui pro eadem Cardinalitiam dignitatem in Concilio Conſtantien. coram Patribus depoſuit, à quibus tamen vno ore in eadem confirmatus fuit, vt dicetur infra. *Spondan. num. 6.*

Et hoc loco dignum eſt factum P. Sancij de Porta Aragonen. à Petro de Luna Magiſtri Sacri Palatij ſui poſt Ioannem de Nouo Caſtro inſtituti, qui cum animaderteret Sacroſanctam Eccleſiam Dei diro ſchiſmate lacerari; cum ſanctiſs. Pentecoſtes die in pontificio Sacello coram Benedicto Pſeudopontifice, eiuſque aſſeclis, de more ſui officij eſſet publicè oraturus, Spiritu Sancto linguam eius dirigente, tam ardenti pectore de tollendo ab Eccleſia, & fidelibus ſchiſmate perrorauit, vt facta commotione in auditoribus, eorundem animos in ſuam ſententiam mirabiliter traxerit. Quare Benedicti odium ita in ſe concitauit, vt in carcerem, & vincula ſit coniectus, in quibus miſerrimè vixit annos duos; poſt quos ab amicis inde eductus, in Aragoniam aufugit, vbi permanſit vſq; ad optatam Eccleſiæ vnionem, in electione Martini V. eidem reſtitutam: nominatus autem fuit à Benedicto Pſeudopont. in ci[illegible] cū ſui Palatij Mag. S. Vincentius Ferreri[illegible] *Olmed., & Lucar.*

Et hoc anno [illegible]ris Pont. Patres Prædicatores Ecc[illegible]jis præfecit, Archiepiſcopali quidem Thebanæ P. Andream Furnarium nobilem Piſanum: Epiſcopali Atrebatenſi P. Martinum Porræum: & Bartholomæum Cacciam Placentinæ. *Vghell.*

P. Franciſcus Sala factus eſt Inquiſitor in Aragonia, & Sardinia, vt populos ſibi creditos in vnitate, & puritate fidei conſeruaret, & pullulantes hæreſes comprimeret, prout præſtitit *Lopez. par. 5.*

S. Vincentius Ferrerius accitus ab Abembalua Mahomete, Granatæ nobilis Hiſpaniarum Vrbis Rege, vt eo in Regno euangelizaret, plurima Maurorum, ac Agarenorum millia ſacro lauacro abluit, atq; ad Catholicam fidem perduxit: cumque Rex ipſe cum nobilium Granatenſiū multitudine Mahumetanis ſpurcitijs renunciare decreuiſſet, perficere id non potuit, metuens à Satrapis, & Sacerdotibus Mahumeticæ ſectæ commotionem fieri in populo: Quammobrem S. Vincentium è Regno ſuo abire iuſſit. Doluit ea de re vehementer S. Vincentius, quod rem tam fœliciter inchoatam deſerere cogeretur, & abijt. Ita volente Domino Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſūt. Hoc autem anno, & ſequen. Agarenorum octo milla baptizauit ille. *Bzou. in Annal. num. 26. & Diag. lib. 2.*

Suadebat Card. P. Io: Dominici Gregorio XII. vt pro bono Eccleſiæ Pontificatui cederet, quod cum pluribus rationibus probaſſet, & id præſtare renueret incōſulto Sigiſmundo Romanorū, & Hugarorum Rege, ab ipſo Gregorio miſſus eſt Legatus Io: ad eundē Regem, de hoc negotio tractaturus, qui ſimulato habitu, & abſq; comitatu incedēs, in itinere ab aſſeclis Petri de Luna captus, fuſtigatus eſt. Negotium tandem concluſit, vt vterque de Pontificatu præſumens, illum deponeret, tertiuſq; eligeretur Pontifex pro ſchiſmate ab Eccl. tandē eliminando. *Ferrar.*

ANNO 1409. Viā pacis, & ſanctæ vnionis in Dei Eccleſia tandem aliquando illuxiſſe videtur, dum hoc anno Piſis congregatum fuit Concilium, ſiue Synodus Generalis Eccleſiæ, ſuperiori anno à Cardinalibus indita, cui adfuère Cardinales Gregorio Pontifici adhærentes quindecim; ex Lunianis verò vndecim; Patriarchæ tres, nempe Antiochenus, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus, cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis centum, octoginta inter quos multi

ex

ex Prædicat. Abbatibus circiter trecentis (ſiue per ſe, ſiue per procuratores) & Theologis centum octuaginta duobus, ex quibus plures fuerunt ex Ordine Prædicatorum à Magiſtro Generali Thoma de Firmo ſuprad. ad illud adducti, quos ipſe Vghellus Ital. Sac. tom. 3. inter Piſanos Archiepp. enumerat in hunc modum. *RP. Sacræ Theologiæ Mag. Thomas de Firmo Ord. Fr. Prædicatorum, Generalis dicti Ord. partis Citramontanæ profe, & toto ſuo Ordine, vna cum infraſcriptis Magiſtris, videlicet Mag. Simone de Piſis Regente Florentiæ. Mag. Michaele de Florentia Vicario Nationis Tuſciæ, Mag. Iacobo de Piſis, Mag. Leonardo (ſcilicet de Florentia) Mag. Vbertino de Florentia Priore Florentino, Mag. Andrea de Florentia, Mag. Andrea de Prouincia Poloniæ Regen. Cracouiæ. Mag. Ardizono de Padua Priore Pa-duano, & Vicario Generali Prouinciæ Sancti Dominici.* Interfuit quoq; Orator Ducis Erneſti Auſtriæ P. Mag. Franciſcus de Auſtria; & Vniuerſitatis Studij Cracouien. P. Franciſcus Polonus Mag. *Ferrar. & Vghell.*

Die igitur 15. Iunij conclaue ingreſſi Cardinales omnes ſupradicti, vel 24. tantùm, vt vult Spondanus, & de Pontificis electione tractantes; tandem die Mercurij 26. eiuſdem menſis vnanimi voto P. Petrum Philargi Cretenſem, vulgò de Candia dictum, S.R.E. Cardinalem ex Ordine Minorum Summum in Eccleſia Dei Pontificem elegerunt, coronauerunt, atq; adorauerunt, maximo cum totius fidelis populi exultatione. *Spondan. num. 13. Bzou. num. 6.*

Interfuit eidem Concilio P. Martinus Gallus, Atrebaten. Epiſcopus, in Pariſina vniuerſitate laureatus pro Ioanne Duce Burgundiæ Orator, qui, cum quibuſdam ſubortis inter Religioſos Ordines, & Pariſien. Vniuerſitatis Doctores difficultatibus, illos, licet ibidem cathedras regentes, à ſuſceptione Magiſtralis laureæ excludere intentarent, electo Alexandro Pont. coram eo inſtitit, vt Prædicatores redirent in priſtinum poſſeſſum, ibiq; ad Magiſtralem lauream promouerentur; qui ſe priſtinæ conſuetudini Prædicatores reſtituturum dixit; interim autem eidem Martino conceſſit, vt quos in Prouincia Franciæ ad Magiſterium idoneos cognoſceret, promouère poſſet; prius tamen examinandos per tres examinatores ab ipſo deligendos. Datis 8. Aug. Apoſt. litteris incipien. *Alex. &c. Dilecto filio Martino Epiſc. Atrebaten. Perſonam tuam &c.* ſunt in Archiu. Ord.

Facta vnione (ſed non totali) Eccleſiæ in electione Alexandri Pont. Magiſter Ord. Thomas de Firmo, cum pro eadem plurimum inſudaſſet, vt ex referendo Breui elucet, cunctis ſibi ſubditis Patribus in S. obedientiæ meritum mandauit, vt talem electionem, tanquam canonicam, & de perſona tam digna factam ab ipſo Cōcilio, in toto Chriſtiano Orbe fidelibus annunciarent, ipſiſque in eiuſdem obedientia, tam in publicis, quàm priuatis congreſſibus, prædicationibus, ac colloquijs, tanquam optimam ſuaderent, quod illi inconcuſſo pectore præſtitère. Id cum Alexandro innotuiſſet, gauiſus eſt ſupramodum de fidelitate Fratrum Prædicatorum erga Apoſtolicam Sedem, conſiderãſque vnitati Eccleſiæ plurimum prodeſſe potuiſſe vnitatem etiam eiuſdem Ordinis, de Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardd. in Conſiſtorio congregatorum conſilio, & voto, diuiſam Dominicanam Religionem ſub vno eodemque capite, vniendam voluit, Patre Ioanne de Podio Nucis Magiſtro in vltramontanis Prouincijs Petro de Luna obſequium exhibentibus à ſuo Magiſterio, ac regimine amoto, ac P. Thoma de Firmo in Italiæ Prouincijs, atq; reliquis alijs, verò Pontifici adhærentibus,

Generali Mag. in toto Prædic. Ordine conſtituto ſequentibus Apoſtolicis litteris apud Piſas xiij. Kal. Auguſt. Pont. an. 1. datis.

ALEXANDER PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

INter ſollicitudines varias, quibus ex iniuncti nobis debito paſtoralis officij premimur, illud potiſſimè nos requirit, & excitat, vt circa reformationem membrorum, etiam hactenus propter pernitioſum ſciſma diuerſorum, & potiſſimè Religionum omnium, ex quibus fidei Orthodoxæ Religio, nedum manuteneri, verùm etiam augeri dignoſcitur, cura vigili intendamus, & Religiones huiuſmodi, vt præfertur, propter dictum ſciſma præcipites ad debita capita, iuxta inſtituta earum, laudabiliter reducamus. Sanè cum in ordine Fratruum Prædicatorum ſicut (proh dolor) & in alijs Religionum Ordinibus duo dudum Magiſtri, vnus videlicet in Romana, & alter in Gallicana obedientijs tempore ſupradicti ſciſmatis extiterint, prout in præſentiarum erant, & omnipotens Deus tantorum malorum quanta ſciſſura Eccleſiæ Chriſti fidelibus hucuſque peperit, ineffabili clementia ſua miſertus ſuæ præfatæ Eccleſiæ, populoq; Chriſtiano vnitatem, & pacem reſtituerit, gregemq; ſuum ad vnum ouile reduxerit, vnicumque Paſtorem: Nos, cuius humeris, licet debilibus, & immeritis Paſtoralis officij onus diuina gratia eſt impoſitum, cupientes, vt ſicut præfata Eccleſia Dei miſericordia reformata extitit, vt præfertur, & vero, ac vnico ſponſo Chriſti Vicario reſtituta, ita & eius membra noſtra ope quantum nobis ab alto conceſſum fuerit reformentur, ac vt dictorum Fratrum Prædicatorum Ordo, cui præcipua in Domino charitate afficimur, vnicum immediatum caput vnici Magiſtri debitè recognoſcat: & conſiderantes Religionis zelum, profunditatem ſcientiæ, vitæ, ac morum honeſtatem, rerum agendarum induſtriam, & prouidentiam in magnis, & arduis iam expertas, & quas quotidie experimur, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita dilecti filij Thomæ de Firmo, qui hucuſque præfati Ordinis Prædicatorum in Romana obedientia Magiſter extitit; nec non indefeſſa, & ſtudioſa opera, quæ pro ſanctiſſima vnione, & readunatione populi Chriſtiani, & præfatæ Eccleſiæ periculis, laboribus, & impenſis non parcendo, idem Thomas exhibuit, prout exhibere etiam non omittit, ac etiam optimum, & laudabile regimen, quod in ſuo Magiſtratus officio egit, debita meditatione penſantes, non immerito quidem inducimur, vt vniuerſali Ordini Fratrum Prædicatorum huiuſmodi eundem Thomam præficiamus, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod per ipſius Thomæ virtutes, & prudentiæ circumſpectas Ordo præfatus vtiliter, & rectè gubernabitur, & regetur. Habita itaque ſuper his matura, & diligenti deliberatione, eumdem Thomam in Magiſtrum totius Ordinis Fratrum Prædicatorum eorundem de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica præſentium tenore præficimus, deputamus, & etiam ordinamus, abſoluentes auctoritate præfata vnumquemque alium à dicto Magiſtratus officio, ac præcipientes & mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ dilectis filijs vniuerſis, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ſacræ paginæ Magiſtris, ceteriſque Officialibus Conuentibus, & Fratribus Ordinis prædicti, quatenus eidem Thomæ eorum Magiſtro, in omnibus eius Magiſtratus officium concernentibus, iuxta eorum inſtituta, & conſuetudines, vt vero eorum Magiſtro, pareant, & intendant; ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nos omnium ſententias, ſiue pœnas, quas idem Thomas Magiſter ritè tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratas habebimus, ac faciemus aucto-

re

re Domino Vſq; ad ſatisfactionem condignã inuiolabiliter obſeruari; Conſtitutionibus Apoſtolicis, & priuilegijs, ac ſtatutis, & conſuetudinibus præfati Ordinis, & alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumq; Per præſentes autem Conſtitutionibus, & Priuilegijs, ac Statutis, & Conſuetudinibus huiuſmodi nolumus alias in aliquo derogare. Nulli ergo &c. noſtræ præfectionis, deputationis, ordinationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis Tertio decimo Kal. Aug. Anno primo.

Quia verò impoſſibilis erat Ord. vnitas ſine Prouinciarum vnitate, cum in multis prouincijs in Italia, atque extra illam eſſent duo Prouinciales, illos à ſuo regimine, alijs inſtitutis, amouit Pontifex. Quare in Romana prouincia Prouincialem P. Leonardum de Datis Florentinũ per Apoſtolicum Breue Piſis 5. Kal. Aug. datum creauit. In Lombardiæ Prouincia P. Ludouicum de Salbis dato Breui die & anno eodem. In Proincia S. Dominici P. Ardizonum de Pizegottis. In Prouincia Trinacriæ P. Andream de Vacarinis. P. Ioannem Rachelis in Prouincia Franciæ: In Prouincia verò Toloſana amotis illis duobus, facultatem dedit Magiſtro Ord. eidem Thomæ inſtituendi quemcumque ſibi ad id munus aptum bene viſum fuiſſet, eodem die, & anno ſuprad. talium inſtitutionum expeditis Apoſt. litteris, que in Ordinis Archiuio cuſtodiuntur. Inſuper plenam auctoritatem eidem Generali Magiſtro dedit ſuper vnitos Patres noſtros Armenos præficiendi eis & Prouincialem, & Superiores quoſcumq; pro tali Ordinis vnione, datis litteris Apoſt. Piſis 4. Id. Auguſti eiſd. anni, quæ aſſeruantur cum ſupradictis.

Vt verò iuxta eiuſdem Pontificis Maximi votum in eodem Prædicatorum Ordine vnum ouile, vnuſque fieret Paſtor, plenariam dedit Apoſt. auctoritatem eidem Thomæ Magiſtro abſoluendi Fratres omnes, Petro de Luna, atq; Angelo Corrario adhærentes, ab omnibus cenſuris, in eorum ſequaces, ac fautores à ſe, ac prædeceſſoribus ſuis prolatas, recepto prius ab eiſdem, de parendo eidem Pontifici Max. atq; Apoſtolicæ Sedi, ſuper ſacra Dei Euãgelia iuramento, præſcriptaq; illius forma, que incipit: *Ego N. Frater Ordinis Prædicat. profeſſor comperto diuiſionis, & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar credendo, fauendo, & adhærendo perditionis Alumnis, Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & Angelo Corrario, qui Gregorius XII. in ſuis obedientijs appellantur, &c.* Dato Apoſt. Breui 4. Id. Aug. Piſis, cuius exemplar in Ordinis Archiuio cuſtoditur.

At quia in Capitulis Generalibus ab vtroq; Magiſtro Ordinis cum Prouincijs ſibi adhærentibus multa fuerant decreta, vel in fauorem veri Pontificis, vel Petri de Luna à Prouincijs eidem obſequium præſtantibus, vel in commune Fratrum, Prouinciarum, vel Ordinis bonum, Idem Pontifex Alexander Magiſtro Ord. Thomæ de Firmo iniunxit, vt in ſequenti Capitulo an. 1410. Bononiæ celebrando, diſcuterentur Capitulorum ordinationes, & quas Ordini vtiles agnoſcerent, confirmarent, atq; inter Conſtitutiones noſtras, alijs abrogatis, insererent, elargita facultate Fratribus omnibus ad dictum Capitulum conuenientibus, eligendi ſibi confeſſarium, qui illos à cunctis Eccleſiaſticis cenſuris poſſet abſoluere: & ſic verè pœnitentes & confeſſi, ſacræq; vnioni in Piſano Concilio factæ adhærentes *pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam & remiſſionem omnimodè conſequantur* inquit Pont. in ſuis Apoſt. litteris datis Piſis 4. Id. Auguſt. pontif. an. 1. incipien. *Quoniam interdum ex his, quæ pro quiete Religioſarum perſonarum, &c.* ſunt in Ord. Archiuio.

Cum verò Alexander Pontifex ab vniuerſo

uerſo Prædicatorum Ordine, illiuſque generoſa ſobole ſanctam in Piſano Concilio factam Eccleſiæ vnionem in cuncto Chriſtiano Orbe, ne dum amplexatam ab eiſdem fuiſſe, verùm etiam fidelibus omnibus amplexandam, proponi, prædicari, ac ſuaderi, illorum fidelitatem (demiratus) Apoſtolicis priuilegijs confouère voluit. Quapropter cuncta eiſdem à prædeceſſoribus conceſſa priuilegia confirmauit, eximendo eos ac moniales ab omnibus impoſitis, atque imponendis pedagijs, gabellis, & collectis &c. Datis Apoſt. litteris Ordinem ſommopere commendantibus in hunc modum.

ALEXANDER PAPA V.
Ad futurum rei memoriam.

ET ſi procunctorum Chriſtifidelium ſuper quibus curam officij Summi Pontificatus diuina diſponente clementia gerere obligamur ſtatu ſalubriter dirigendo libenter adhibeamus ſollicitudinis noſtræ partes, illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequimur quorum alij à mundanis abſtracti illecebris & grauibus pœnitentijs dediti cœleſtibus inhiāt, & ad illa per contemplationis pennas ſuauiùs, & altiùs eleuantur vt Aquilæ, & cum Maria parte optima perfruuntur; alij verò ſanctam Marthæ ſollicitudinem ſectantes celebrationi diuinorum vacant ſolertius; alij diſcunt & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtruunt in eadem; alij quoque feruentioris ſpiritus ardore ſuccenſi, non timentes, ſed amantes, ad conuerſionem fidelium anhelant intrepidi, vt valeant ad Dominicam arcam multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hi profectò ſunt Fratres Ord. Prædicatorum in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prædicationis per diuerſa mundi climata noſcitur exiuiſſe. Hi ſunt quos Deus numero multiplicauit, & meritis quibuſq; ſicut & alijs benè currentibus in ſtudio militantis Eccleſiæ æternum brauium elargietur: quapropter de ipſis curam vigilem gerimus, vt eos in his ſanctis operibus nihil impediat, vel perturbet, ſed ipſi oportunæ quietis dulcedine potiantur. Hinc eſt quod nos &c. Dat. Piſis 4. Id. Aug. an. 1. ſunt prædictæ litteræ in Ord. Arch.

Talibus licet, ac tantis adhibitis ab Alexandro Pont. diligentijs pro Ordinis ſciſſura tollenda, atq; vnione illi reddenda operibus, tamen in ſua perſtitit diuiſione vſq; ad Conſtantienſe Concilium, in quo electo Martino V. & Eccleſiæ & Ordini vnio, & pax fuit reſtituta vt ſuo loco dicetur.

Noſter Cardin. Ioannes Dominici à Gregorio XII. Pont. de Latere Legatus in Hungariam ad Sigiſmundum Regem miſſus in difficillimis Eccleſiæ negotijs in diutino & lachrymabili ſchiſmate componendis, omnem adhibuit conatum pro illo ab Eccleſia eradicando; dum autem Budæ eſſet, Eccleſiam B. Virginis in Inſula, corpuſq; B. Margaritæ noſtræ de Hungaria, quod incorruptū in eadem quieſcit, viſitantibus, centum & quadraginta Indulgentiæ dies perpetuis futuris temporibus conceſſit. *Ferrar. de Reb. Hungar. Prouin. 3. p. lib. 4.*

Aſſumitur ex Prædicatoribus ad regendas Ceneten. Eccleſiæ oues P. Antonius Corrarius Venetus hoc anno, quo S. Vincentius Ferrerius ſuis ignitis eloquijs ad catholicam fidem attraxit & baptizauit incolas Agarenos oppidorum Fortunæ & Naualliæ prope Oriolam in Valentino Regno. *Bzou. num. vlt. & Vghell. Ital. Sac.*

Cum prædefuncto P. Vincentio Vliſſiponen. in Hiſpania Gen. Inquiſitore, vt diximus an. 1403. Bonifacius IX. Pont. facultatem inſtituendi ſucceſſores Inquiſitores Generales Prouinciali pro tempore Prouinciæ Hiſpaniæ conceſſiſſet per Apoſtolicum Breue ſequentis tenoris.

Bo-

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ prouidentia circunſpecta hæreticæ prauitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit, vt cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundat, remedium libenter adhibet opportunum, vt exinde negotia Catholicæ fidei, eliſis omnino, & eradicatis erroribus proſperentur, ac fides ipſa fortius inualeſcat. Cum itaque ſicut accepimus quondam Frater Vincentius de Vlixbona Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor olim in Prouincia Hiſpaniæ Inquiſitor hæreticæ prauitatis, per dictam Sedem deputatus extra Romanam curiam fuerit vita functus, nos affectantes ad huiuſmodi negotium fidei ibidem efficaciter promouendum continue, talem deputare perſonam cuius honeſta conuerſatio exempla tribuat puritatis, eiuſque labia erudita doctrinam fundant ſapientiæ ſalutaris, vt eius miniſterio omne fermentum exinde labis huiuſmodi expurgetur, authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod ex nunc, & de cætero perpetuis futuris temporibus Prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ ſecundum morem prædicti Ordinis, qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, ibidem Inquiſitorem hæreticæ prauitatis huiuſmodi, prout ei ſecundum Deum fuerit viſum expedire authoritate Apoſtolica quoties expedierit deputare, ac huiuſmodi deputatum, ſi & quoties ſibi videbitur ab huiuſmodi officio amouere, & alium loco ſui ſubrogare, ac etiam Inquiſitionis officium huiuſmodi, quoties ſibi placuerit, tam in abſentia, quam in præſentia deputari, huiuſmodi pro tempore exercere poſſit, & debeat, qui quidem deputatus pro tempore in huiuſmodi negotio Inquiſitionis procedere valeat, tam ſecundum indulgentias, & priuilegia Inquiſitoribus prauitatis eiuſdem dicta authoritate Apoſtolica deputatis, ſeu officia Inquiſitionis huiuſmodi exercentibus ab eadem Sede conceſſa, quæ etiam ſecundum canonicas ſanctiones diſtrictius inhibentes quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, & mundanis, quorum intereſt, vel intererit quomodolibet in futurum ne Prouincialem, & deputãdum huiuſmodi pro tempore ſuper ijs contra præſentium tenorem impedire, ſeu moleſtare quoquomodo præſumant: ac decernentes ex nunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his àquoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Per huiuſmodi autem deputationem, vt præmittitur faciendam locorum Ordinarijs, quominus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prædicta prout volunt dictæ canonicæ ſanctiones exercere valeant, & quibuſcumque priuilegijs ordini, vel Inquiſitoribus, ſeu officio memoratis, ſi qua ſint, eis à dicta Sede conceſſa, nullum volumus præiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Kalendis Februar. Pontificatus noſtri anno decimoquarto.

Conſtitutus igitur fuit Generalis Inquiſitor in Hiſpania virtute huius Breuis tunc P. Ludouicus de Valliſoleto eiuſdem Prouinciæ Prouincialis, vir præſtantiſſimus, ac nunquam ſatis Scriptorum calamo commendatus, qui in eadem Prouincia regularis vitæ reſtitutor, atq; ſectator indefeſſus fuit, vt pluries infra ſermo de ipſo redibit. *Olmeda.*

ANNO 1410. Congregatum eſt Generale Ordinis Capitulum à Magiſtro P. Thoma de Firmo Bononiæ, in quo tale emanauit decretum in fauorem noui Pontifici Alexandri V. electi. *Item fidelitatem noſtri Ordinis ab ipſius fundatione continuatam, & ſolitam erga S. Matrem Eccleſiam proſequentes, volumus, & mandamus Fratribus noſtri Ordinis vniuerſis,*

ſis, *quatenus ſtatum*, *& fidem quondam D. Papæ Alexandri*, (qui die 3. Maij Bononiæ deceſſerat, aſſerendo *ſe diuitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, & mendicum Pontificem fuiſſe*) *Papæ V. & ſuorum ſuceſſorum ritè, & canonicè intrantium, atq; promotionem S. vnionis in Concilio Generali* (Scil. Piſano) *incluſæ in ipſorum ſermonibus, prædicationibus, conuerſationibus, conſilijs, & alijs actibus, communibus, & priuatis iuxta gratiam à Domino eis collatam apud Dominos, & populos, & quaſcumq; perſonas defendere ſatagant, & ſtudeant promouère. Oppoſitum verò facientes, tranſgreſsionis præcepti pænam, & manifeſtæ rebellionis ſe nouerint incurriſſe.* Ex Actis eiuſd. Capit.

Quia verò P. Vgolinus de Camerino alterius Vgolini Mag. Sacr. Palatij nepos fecerat recurſum ad Angelum de Corrario, à Pontificatu depoſitum, à quo Vicarius Generalis Ord. anno præcedenti, poſt ipſius depoſitionem, factus fuerat: de communi conſenſu Capituli, eius inſtitutione irrita declarata, fuit cum aliquibus Fratribus ei adhærentibus grauiter punitus, ipſo Vgolino carceribus per ſex annos adiudicato. Hæc fuere decreta in dicto Capitulo Bononien. S. Antoninus autem in ea fuit ſententia, quod Piſanum Concilium nequaquã legitimum fuerit, quem Turre Cremata, Caietanus alijque ſecuti ſunt. Videatur Vghellius inter Archiepp. Piſanos ſub num. 65. in fine. *Ex eiſdem Actib.*

Inter tot militantis Eccleſiæ diſcrimina Dominicana Religio triumphanti hoc anno obtulit Beatũ Elſam de Secua ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis coruſcãtem, qui diuinis reuelationibus, & viſionibus ſæpe recreatus, ab idolatris leonibus obiectus, illęſus diuino beneficio ſeruatus fuit, ipſis pœdes eius lambentibus. *Plod.*

P. Thomas Tomaſinus aſſumptus eſt ad regendas Chriſti oues in AEmonienſi Eccleſia. *Vghell.*

Mortuo Alexandro, in eius locum electus eſt Pontifex Cardinalis Balthaſar Coſſa Neapolitanus, Io: XXIII. dictus, præcipuus Synodi Piſanæ auctor, & magnæ apud Alexandrum Pont. auctoritatis vir. *Spondan. num. 2.*

S. Vincentius Ferrerius cũ ad Caſtillæ Regnum ſuis feruidiſſimis prædicationibus, ignitiſq; eloquijs nobilitandum peruenisſet, & Iudæorum plurimos Catholicæ fidei dediſſet filios, à Ioanne II. Caſtillæ Rege impetrauit, vt Iudæi inter fideles, & Iudæos maximè ad fidem conuerſos, non conuiuerent propter mutui commercij periculum. Inſuper quòd Iudæi ſignum aliquod particulare ſuper veſtes, tam mulieres, quàm viri, deferrent, vt à cœteris dignoſcerentur, obtinuit: ea propter Iudæi *ſignati* dicti ſunt. *Diag. lib. 2.*

P. Iacobus de Suſato, vir doctiſſimus, & præſtantiſſimus, inter alia, quæ edidit volumina, ſcripſit, *de Vnitate Eccleſiæ* hoc tempore ſchiſmatis, opus verè egregium, in quo de neceſſitate vnionis Eccleſiæ faciendæ, & de damnis, quæ patiebantur fideles ab continuatum ſchiſma Petri de Luna Peudopaphæ tractat. *Leander Albert. & Lucarin. de ſcript. Ord.*

Inſudabat plurimùm his temporibus inclyta S. P. Dominici ſoboles in cunctis Chriſtiani orbis Regnis, ac prouincijs pro lachymabili Eccleſiæ ſchiſmate iugulando, interque eos eminebat in Alemania clariſſimus vir P. Io. Citren. Epiſcopus, Ioannis Archiep. Maguntini Suffraganeus, in cuius remunerationem quibuſdam eccleſiaſticis beneficijs ab Alexandro V. auctus, à Succeſſore Ioanne XXIII. in eiſdem confirmatus fuit, datis Apoſtolicis literis Bononiæ 8. Kal. Iunij pont. anno 1. incipien. *Dudum ſiquidem fælic. recordat. Alex. Papa V. predeceſſor noſter volens tibi, qui profeſſor Ord. Fratrum Præd. exiſtis; & vt aſſerebatur Venerab. Fratris noſtri Ioannis Archiep. Moguntinen. Vicarius in*

rius in pontificalibus eras, & in partibus Alemaniæ pro vnione Vniuerſalis Eccleſiæ diligenter prædicaueras, & laboraueras, &c. Sunt in Ord. Archiuio.

ANNO 1411 Schiſma, quod extinctum in Concilio Piſano putabatur, magis quàm antea recruduit; ante concilium enim duo ſe Pontifices nominabant in Eccleſia, poſt illud verò additus eſt tertius, dictus Alexander V. quo inter paucos dies è viuis ſublato, electus eſt eius Succeſſor Ioannes, dictus XXIII. Gregorius igitur XII. Cardinalem F. Io: Dominicum Legatum ſuum ad Sigiſmundum Romanorum Regem recens deſignatum deſtinauit, cuncta, quæ in Piſano Concilio geſta ſunt, nunciando: proteſtatus ſe cupidiſſimum eſſe vnionis Eccleſiæ, conuocationiſque Concilij Generalis, ad quod pertineret deciſio cauſæ trium prætenſorum Pontificum in Eccleſia. *Bzou. In Anall. num.* 1:

P. Alexius Butzl hæreticæ prauitatis Inquiſitor in Boemia, contra hæreſes Vviclephi, atque Ioannis Huſſ. viriliter inſurrexit, qui & Græcij Styriæ conuentum Ordinis à fundamentis conſtruxit, & multa alia in obſequium catholicæ fidei præſtitit, clauſitque diem vltimum 5. Nouemb. huius anni. *Ferrar. par. 4. lib. vnico*.

Toleti in Hiſpania S. Vincentius Ferrerius plurimos Iudæos ad Catholicæ fidei agnitionem ſuis feruidis prædicationibus adduxit, eorum Synagogam in Eccleſiam euexit, & conſecrari voluit, quæ S. Mariæ de Blanca dicitur. In cuius teſtimonium ſingulis annis ibidem anniuerſaria die illius conuerſionis fit ſolemnis proceſſio, in qua S. Vincentij imago cum figura Chriſti Crucifixi, quam in prædicatione, & conuerſione eorundem manibus Sanctus geſtabat pompa ſolemni defertur. *Diag. lib.* 2.

P. Laurentius Venerius Venetus à Ioanne Pontifice XXIII. præfectus eſt Eccleſiæ Motonen. in Romania, quam pluribus annis, prout decebat virum Religioſum, optime gubernauit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Facta eſt abiuratio ſolemnis de Ioannis Pont. mandato à Guillelmo Hilderniſſen coram D. Petro de Alliaco creato Card. à Io. XXIII. & Priore noſtri conuentus S. Quintini in Picardia hæreticæ prauitatis Inquiſitore, qui pluribus deliramentis captus, cum Aegidio Cantoris laico ſexagenario aſſerebat ſe eſſe Saluatorem hominum, qui per ipſum viſuri eſſent Chriſtum, ſicut per Chriſtum Patrem: Diabolum, omneſque homines finaliter ſaluandos eſſe: Ieiuniaque, pœnitentias, atq; ſacramentalem confeſſionem interdicebat, actus carnales copulæ vocando delicias paradiſi. Multò plures errores relatos à Spondano docebat, quos publicè abiurauit, perpetuò carceri adiudicatus. Eius autem ſecta, quæ apud Cameracum, & Bruxellum copioſiùs diſſeminata fuerat, *Hominum intelligentiæ* dicebatur. *Spondan. in Annal. num.* 5.

Hoc quoque anno, qui fuit à migratione S. P. Dominici centeſimus nonageſimus, adſtante Mag. Generali Thoma de Firmo, Bononiæ tumba marmorea nobiliſſima, quæ erat in parte inferiori Eccleſiæ, eleuata eſt in altum in nouo permagnifico ſacello (quod diù ante fuerat inchoatum) maximo Patrum, populiq; concurſu. *Olmeda*.

ANNO 1412. Quinque numerabantur acerrimi competitores Regni Aragoniæ, quorum vnus quiſque Regalem ad ſe dignitatem pertinere, diuerſo ab alijs iure, contendebat. Primus erat Iacobus Aragonius Vrgelitanus Comes. Secundus Alphonſus Aragonius Gandiæ Dux. Tertius Federicus Aragonius Luneſis Comes. Quartus Ferdinandus Caſtillæ Regis filius. Vltimus Ludouicus Ca-

labriæ Dux. Delectus igitur cum alijs S. Vincentius Ferrerius iudex in hac cauſa, Regnum Aragoniæ Ferdinando Infanti Caſtillæ apud Caſpenſe oppidum adiudicauit, & ſic pax inter hos principes permanſit. *Bzou. num. x.*

Hoc quoq; anno S. Vincentius Ferrerius apud Salmanticam, & Zamorram conſueto ſui ſpiritus ardore prædicans, innumeram hebræorum multitudinem ſacro regenerationis lauacro abluit, ſynagogamq; Salmantinam in Eccleſiam conuertit, quæ veræ Crucis, ex ſuborto miraculo, vſque in hodiernum diem dicitur. Nam edoctus aliquando ab vno Iudæorum ſibi benè affecto, quando Iudæi Sabbathorum ſolemne feſtum celebrabant, diem & horam magis opportunam, Crucifixo in manibus ſumpto, in Synagogam penetrauit, nemine Iudæorum tale quid expectante; tumultuari ſtatim cœperunt, vbi imaginem conſpexère: at Sanctus motum eorum compoſuit, vtque ſe tantisper de Fidei chriſtianæ myſterijs diſſerentem audirent, impetrauit. Cum ergo ignita verba ad illorum illuminationem pronunciaret, illico miraculoſæ Cruces albæ ſuper virorum pallia, mulierumque linteamina in capite delata apparuère, quas cum ſuper ſe aſpexiſſent, Spiritu Sancto afflante, conuerſi ſunt omnes ad Chriſtum. *Bzou. ibid num. xi.*

Inſuper S. Vincentius adio ſpiritus oris ſui proſtrauit, & ad fidem Catholicam extulit Paulum à Carthagine, Rabbinum eruditiſſimum in lege Moyſis, qui ex lectione primę ſecundę S. Thomæ quæſt. *de Legibus* fuerat compunctus: & ſacro Baptiſmate ſuſcepto, Paulus à S. Maria dictus eſt. Cumque vitam duceret pijſſimam Cartagenen. primò, Burgen. deinde Epiſcop. & Regni Caſtellæ Cancellarius factus eſt. *Ex hiſt. Epp. Cartaginen.*

Occaſione miraculi Crucis albæ ſuper Iudæos delapſæ S. Vincentio Iudæis in ſynagoga prædicante, per totam Hiſpaniam, & Galliam diuulgati, Hieronymus de S. Fide, Benedicti XIII. in ſua obedientia nuncupati medicus, & S. Vincentij amicus, abiurata hæbraica perfidia, Catholicam fidem amplexus eſt, & librum, longè doctiſſimum, qui ſcriptus dicitur menſe Auguſto huius anni, contra Iudęorum perfidiam euulgauit. *Spond. num. 8.*

Fratrum Prædicatorum fidelitatem erga S. Matrem Eccleſiam miratus Ioan. XXIII. plures ex illis hoc anno ad regimen fidelium in diuerſis orbis Eccleſijs, viris ſelectis, deſtinauit: et quidem P. Antonium de Caturce, Caprulen. Bartholomæum Fernandi, Laodicen. Ioannem de Duranol, Archiepiſcopali Duracen. in Sclauonia. Conradum Exienhuth Arien, in Gręcia: & Ioannem Mercatum Betleemitanæ præfecit, qui commiſſos ſibi greges dcamantes, per mandatorum Dei ſemitam, vt æternam vitam conſequerentur, direxère. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1413. Derthoſæ apud Aragoniam coram Antipapa Benedicto, & in eius abſentia, coram Magiſtro Generali Ioanne de Podio Nucis, in ijs prouincijs vltramontanis, quæ eundem Benedictum reuerebantur, & Magiſtro illius Sacri Palatij S. Vincentio Ferrerio, habitæ ſunt congregationes complurium Rabinorum, in hebraica lege eruditorum vbi poſt multos factos congreſſus, plurimi Iudæorum ad Chriſtum conuerſi ſunt: quo etiam anno S. Vincentius Agarenorum multitudinem copioſam ſacro regenerationis lauacro Maioricæ abluit. *Bzou. num. vlt.*

P. Sancius Beſaram Inquiſitor Generalis Aragoniæ ſcripſit eruditiſſimum librum contra errores Hæreſiarchæ Arnaldi de Villa Noua: eodemq; tempore viriliter contra hæreticos pugnabant P. Michael Segarra Inquiſitor Maioricæ, & Bernardus Pages Inquiſitor Ceritaniæ, & Roſ-

& Roſſilionis, quorum plurimos pertinaces, vel relapſos igni tradidère comburendos. *Diag. lib.* 1.

Aſſumuntur & hoc anno ex Prædicatoribus ad regendas Eccleſias cum fidelibus illarum, P. Iacobus de Raguſio, ad Tribunen. & Mercanen. & P. Zaroslaus de Lublin Prior Conuentus Lublinen. ad Laodicenſem in partibus infidelium in locum Fernandi ſuperiori anno recenſiti. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Thomas de Firmo Magiſter Ordinis poſt rectum ſumma cum vigilantia Ordinem in Citramontanis Prouincijs, aliiſq; quæ Ioannem XXIII. & Anteceſſores illius venerabantur: poſt regularem obſeruantiam pluribus in conuentibus, tam in Italia, quàm extra reſtitutam, vitam cum morte commutauit apud Genuam poſt Capitulum Generale ibidem eo anno celebratum. *Olmeda.*

Prædicabat hoc tempore in Ligurum regione Apoſtolicus vir S. Vincentius Ferrerius, cuius ignitis eloquijs peccatores, deteſtatis proprijs iniquitatibus, ad cœleſtia inflammabantur; eoq; pluries à Margarita, ſtirpe Regia Ducum Sabaudiæ orta, ac Theodoro Montis Ferrati Marchioni nupta audito, ad altioris perfectionis ſtudium & ipſa inflammata, quantum per coniugij ſtatum licuit, Deo ſe totam deuouit, & ſub veſte prætioſa aſpero cilicio corpuſculum edomans, carnem ſpiritui ſeruire compellebat. Defuncto marito Tertiaria Ordinis noſtri effecta, ſanctiſſimam vitam ieiunijs, vigilijs, cilicijſq; duxit afflictam. De qua an. 1474. *Ex eius vita.*

Caput XII.

P. LEONARDO DE DATIS.

Magiſtro Generali XXV.

ANNO 1414. Februario menſe, rationes, & articuli per Ioannem Paruum, pro defenſione necis Ducis Aurelianen. propoſiti, qui hactenus ob potentiam Burgundiæ Ducis fuerant ab Vniuerſitate Pariſien. Epiſcopo, atq; Inquiſitore Generali Franciæ derelicti, ab Inquiſitore P. Ioanne Poleti Ord. Præd. ac Gerardi Ep. damnati ſunt, poſt eorundem maturam diſcuſſionem, facto decreto die 23. Februarij, quod die 25. fuit promulgatum, ipſis articulis in atrio Pariſienſis Eccleſiæ publico igni adiudicatis. Quòd cum vergere in opprobrium Burgundiæ Ducis videretur, prouocatum eſt ad Sedem Apoſtolicam, cauſa in Concilio Conſtantien. agitanda. *Spondan. in Annal. num.* 1.

Eodem anno dum Ioannes Pont. Bononiæ eſſet, quæ fidei erant, procurans, cum audiſſet Huſſitas Boemos flocci facere, quæ ab ipſo in eos fuerant decreta, mandauit Doctoribus Pariſien. vt ſcriberent contra eorundem errores à Vvicleſſiana labe reuocandos; quod illi, inter quos multi erant ex Prædicatoribus, ſtatim præſtitère, cauſa in futuro Concilio Conſtantien. diſcutienda. *Spond. num.* 1.

Ioannes Pontifex cum eſſet apud Friburgum Conſtantien. diœceſis in domo Fratrum Prædicatorum, ad Concilium Conſtantien. vocatus, vt lacrymabile ſchiſma totaliter ab Eccleſia poſſet eradi-

cari, P. Petrum de Geugenbach Friburgen. Conuentus Priorem Apoſtolicum Pœnitentiarium in Vrbe Romana Curia, & apud Apoſtolicam Sedem creauit Dat. Apoſt. literis Friburgr 10. Kal. Maij pont. an. 5. incipien. *Relig. zelus, vitæ ac morum honeſtas, prudentia ſpiritualium, &c.* ſunt in Ord. Arch.

E mortalium oculis ſublato Thoma de Firmo Io: XXIII. Pontifex Vicarium Ordinis conſtituit P. Leonardum de Datis Statij filium, Sacri Palatij Magiſtrum, de Romana Prouincia; virum in multis probatum, dicendique facundia mirabilem, qui in Generali Capitulo an. 1414. apud Florentiam congregato, Magiſter Ordinis ſalutatus eſt ab omnibus prouincijs, quæ eundem Pontificem Maximum venerabantur; in altera obedientia Præſidente Ordini Magiſtro Ioanne de Podio Nucis Lemouicenſe, viro & ipſo cordatiſſimo, de quo infra. *Olmeda*.

Indicto iam Generali Concilio apud Conſtantiam in fine huius anni inchoando, Ferdinandus Aragonum Rex inclytus, pro diro ſchiſmate elimando ab Eccleſia Sancta Dei, Petrum de Luna Pſeudopontificem, Benedictum XIII. in ſua obedientia nuncupatum apud Moſellam conuenit, vbi ab eodem Petro, Ferdinando Rege, Ioanne Tordeſilla Segobien. Epiſcopo, necnon & Zamorren. & Salmanticen. Epiſcopis: Admiralio Regni Caſtillæ; P. Ferdinando Illeſcas Ioanni Caſtillæ Regi, & P. Didaſe Ferdinando Regi à ſacris confeſſionibus, habitus eſt congreſſus pro reddenda pace, & vnione Eccleſiæ Catholicæ, media ceſſione prætenſi Pontificatus ab illo, Gregorio XII. & Ioanne XXIII. facienda, Quinquaginta dies magnis altercationibus in huiuſmodi congreſſibus fuere conſumpti, exiguo aut nullo cum fructu: Idque ſolum obtinère potuit ab obſtinato Petro de Luna, vt ad Sigiſmundum Regem, & Conſtantienſe Concilium Legatos ſuos mitteret, qui à Concilio prorogationem, & à Sigiſmundo Romanorum Rege congreſſum cum Ferdinando poſtularent. *Bzou. in Annal. num.* 30.

Fuerunt in eodem Concilio duo Magiſtri Generales Ordinis noſtri, tanquam duo probitatis, & ſapientiæ lumina; luminare quidem maius, P. Leonardus filius Statij de Datis, in Regnis, & prouincijs Pontifici Max. Gregorio XII. adhærentibus veneratus, Reipub. Florentinę Orator. Luminare verò minus P. Ioan. de Podio Nucis, in alijs Ordinis prouincijs Petro de Luna obſequium exhibentibus, obeditus. Hi Eccleſiæ vnitatem, & pacem reſtituendam ſolam præ oculis habentes, omnibus alijs poſthabitis, ad illam procurandam totaliter addicti, legationes, itinera, ærumnoſos labores, ac calamitates multas & malas experti, cuncta hilari fronte pertulère, communi fidelium Matri deperditum obſequium reſtituturi. Fuère autem nobili ſibi ſubditorum Religioſorum, ex toto Ordine ſelectorum, corona ſociati, vt propria ſapientia deblaterantium hæreticorum fallacias, ac deliramenta delumbantes, Angelici doctoris ſapientiæ iaculis illos debellarent, preſternerent diſſiparent. *Olmeda, & Lucarinus*.

Properauère quoque ad illud alij præſtantiſſimi viri à Principibus miſſi, inter quos recenſentur P. Ludouicus Valliſoletanus Ioannis Regis Caſtellæ Confeſſarius, eiuſdemque ad Concilium Regius Orator, P. Antonius à Coſta Luſitanus, à Luſitaniæ Rege, P. Io: Nucibò Illemus, P. Io: de Conſtantinopoli græcæ linguæ peritiſſimus. P. Nicolaus Iaquerius, & P. Andreas de Piſis, necnon P. Henricus Kaltiſen Confluentinus, omnes viri doctiſſimi, & magni nominis Theologi, cum alijs præſtantiſſimis Patribus, de quibus infra. *Olmeda, & Ferrarius de Reb. Hung. Prou. p. 2. lib. 1.*

Card.

Card. Io: Dominici, Cardinalis de Raguſio dictus, à Gregorio XII. à quo purpuram acceperat, Legatus & procurator cum pleniſſima auctoritate ad deponendum nomine ipſius Pontificatũ in Concilio inſtitutus, ab illo diſcedens, non ſine lachrymis, & benedictione accepta, Conſtantiam versùs properauit, lętus ſucceſſu. Igitur tranſactis alpibus, tandem Conſtantiæ appropinquans, Sigiſmundum Romanorum Regem obuium habuit, à quo humaniſſime receptus eſt, ſimulq; Conſtantiam ingreſſi ſunt 20. Decemb. vbi Cardinalis Raguſinus habuit pro hoſpitio cœnobium Auguſtinianorum, & cum ſuper fores illius Gregorij XII. ſui Pontificis inſignia apponi feciſſet, ſequenti nocte deiecta ſunt: qua de re vt conqueſtus fuit Cardinalis, decretum eſt à Patribus, nequaquam illa reponenda eſſe in loco obedientiæ Io: Pontificis. Tacuit autem prudenter Ioannes, ne ſuſcitato tumultu præberetur occaſio Ioanni Pontifici diſcedendi à Concilio. *Ferrarius vbi ſup. & Bzou. num.* 33.

Die Sabbati 1. menſis Decembris de mandato Ioannis Pont. & aſsenſu ſacri Concilij deputati ſunt ad examinandos errores Ioannis Huſs Cardinales Cameracen. Brancatius, & de Florentia cum Magiſtro Ord. noſtri F. Leonardo de Datis, & F. Antonio de Pareto Miniſtro Generali Minorum, quibus adiuncti fuere ſex alij viri Doctiſſimi. *Bzou. num.* 33.

Congregatum eſt igitur ſacrum Generale Concilium opera Sigiſmundi Imperatoris, aliorumq; Regum, & Principum Chriſtianorum pro tamdiu deplorato infelici ſchiſmate abolendo, atque pace, & vnitate S. Eccleſiæ reddenda, renuentibus Petro de Luna, Angeloque Corrario Piſani Concilij decretis de eorum facta depoſitione acquieſcere; cui interfuit Io: XXIII. adſiſtentibus Imperatore Sigiſmundo cum multis Principibus, & magnatibus, Cardinalibus 29. Archiepp. 47. Epiſcopis 160. Abbatibus verò, ac Theologis numeroſiſſimis: in qua Sacroſancta Synodo mirum in modum Dominicani Ordinis zelus, doctrina, atque pietas eluxit: nam illius inclyti filij, auro primo charitatis amicti, nullis laboribus fracti, omnem præſtitère conatum pro S. Eccleſiæ vnione promouenda, auertendo obſtacula cuncta, quæ illam perturbare poſſe dignoſcebantur: nec non & pro erroribus Io: VViclef, & Ioannis Huſs damnandis: quod fœliciter præſtitum eſt, vt dicetur. *Bzou. vbi ſup. & Spondan. num.* 2.

Adfuere quoque Sacroſancto Concilio ex Prædicatoribus Inſulati Patres prçſtantiſſimi, pietate, ac zelo fulgentes, ex quibus ſequentes ab Ordinis Scriptoribus recenſentur.

F. Io: Dominici Card. de Raguſio.
Dominicus Archiep. Toloſanus.
Petrus de Rripa Tranſona Archiep. Corinthien.
Dominicus de Florentia Archiep. Lugdunen.
Andreas Paſtor Colocen. qui in Generali ſeſs. 20. ita ſe ſubſcripſit *Andreas Ep. Colocen. pro ſe, & Rege Romanorum.*
Antonius Ponticorona Ep. Agrigentin.
Corradus Ep. Arben.
Martinus Porreus Ep. Atrebaten.
Simon Ep. Brugnaren.
Antonius Ep. Caprulen.
Garzias Ep. Caurien.
Antonius Corrarius Ep. Ceneten.
Antonius Ep. Cephaledit.
Gregorius Maliſardus Ep. Cæſenaten.
Guarinus Ep. Sagonen.
Petrus Monticellus Ep. Comaclen.
Thomas Tomaſſinus Ep. AEmonien.
Gualterius Ep. Inſulanen.
Franciſcus Ep. Iuſtinopolitan.
Iacobus Arigonus Ep. Lauden. qui in ſeſſ. 21. contra Hieronymum de Praga hæreſiarcham perorauit, eiuſque oratio-

orationem tranſcripſit Cocleus lib. 3. hiſt. Huſſitarum.

Federicus Frezius Ep. Fulginaten. qui die 3. Iauuarij 1416. ſeſſioni 20. ſubſcripſit, & in eadem Concilio diem extremum compleuit. *Ex Theat. Dom.*

Cardinalis autem de Raguſio F. Ioan. qui pro renunciatione papatus Gregorij multum inſudauit, ipſi Gregorio acceptiſſimus, eiuſdemque Legatus ad Concilium, ac Procurator ad deponendum Pontificatum cum Carolo malateſta inſtitutus, procuram huiuſmodi non manifeſtauit, ne Ioannes XXIII. in eodem Concilio præſens, à ſua renunciatione facienda abſtineret. Vocatus igitur, in Concilio coram Patribus Ioannes literas Gregorij exhibuit, quibus inſtituebatur Legatus ad Concilium, literas autem, quibus inſtituebatur Procurator ad deponendum nomine ipſius Gregorij Pontificatũ, in quo maximũ negotium conſiſtebat, ocultauit.

Io: igitur Pontifex, non alia, quàm vidiſſet mãdata Gregorij adeſſe exiſtimans, iure iurando, ac datis literis coram tota Synodo ſe facturum promiſit, ſi modo Gregorius ipſe verè, & ſincerè ceſſiſſet: (De tertio autem Petro de Luna actum erat; quandoquidem ab omnibus derelictus, nec ad Concilium veniſſet, nec ſuos Legatos miſiſſet.) Itaque aſſurgens Cardinalis Raguſinus coram toto Concilio talem habuit Orationem relatam à Ferrar. *Et ſi virtutes omnes, Præſul ampliſſime, tuque Imperator inuictiſſime, & vos qui adeſtis omnes, qualis, quantuſue homo ſit aſtruant atque probent, nulla tamen eſt, quæ ita homines prodit, vt fide facis. Et quidem fide ſaluati ſunt omnes, eademque ſaluantur. Per fidem enim Sancti victoriam ſunt conſecuti per fidem iuſtitiam operati, perque fidem eternas promiſſiones adepti. Ea verò, quamuis in rebus multis poſita ſit, in nulla tamen re magis, quã in capitis vnitate conſiſtit. Nam & vna fides, & vnum batiſma, vnus Deus, & Pater omnium magiſterque vnus, & legiſlator exiſtit. Vnum præterea corpus multi ſumus, omneſque vno pane, vnoque calice participamus. Neque vero plures partes incõſutili tunica ſua paſſus eſt fieri Chriſtus, nec cum alia veſtimenta diuiſerint, eam ſcindere, aut diuidere impijs illis conceſſum eſt, ſed illam ſortiri, vt vnius tantùm vſui eſſe poſſit, Spiritu Sancto illis (vt arbitror) inſpirante, quatenus hoc exemplo futuris hominibus ſuaderet ab eius tunicæ ſciſſura, quam maximè eſſe cauendum. Poſtremo, cum vnica ſit, & incontaminata Virgo Mater Eccleſia, vni dumtaxat viro copulanda profecto eſt, quandoquidem Apoſtolo teſte, & virum ipſum vnius eſſe vxoris oportet, quos autem Deus coniunxit homo non ſeparet. Qua omnia cum ingenti, ac ſummo deſiderio cuperet noſter ipſe Gregorius, diſtulit tamen in hanc vſque horam, & diem, quod hominum non cerneret animos, ad eam rem, vt opportunum fuerat, eſſe diſpoſitos. At vbi ex multis ſignis diuina illi voluntas innotuit pro Eccleſiæ tranquillitate, ac pace nos ſuos Legatos ad hanc ſanctam Synodum deſtinauit, vt eius nomine in Dei, & Eccleſiæ manibus omnia reponentes ea diſponatis, & de illius dignitate, de cæteris omnibus, quæ videantur vniuerſorum conducere ſaluti. Pontificatui ergo, & omni, quod in eo habuiſſet iuri, aut habere potuiſſet, eius nomine liberè cedimus, & ſincere, ac ſine dolo renunciamus, humilitatis, & operis à Domino præmia percepturi.* Et adiecit. *Ego quoque, qui illius hic legatus aſſiſto, cum meo iam functus officio ſim, & pileo, & dignitati ab eo mihi collatæ ſponte, ac vltrò reſigno.* Et cum Cardinalis *ad inferiorem locum inter alios Epiſcopos ſe cõtuliſſet, Imperatoris, & omniũ qui aderant in Concilio authoritate illum, & Cardinalatus dignitati, & Concilij præſidentiæ reſtituendũ, atq; decorandum cum ingenti gloria decrèuere. Itaq; iã nihil in ea Synodo gerebatur, nihil apud Imperat. niſi vbi Raguſini Card. uthoritas interceſſiſſet.* Hæc Fernãdez.

In

In eodem Concilio Pater Antonius Ponticorona Alphonſo Aragoniæ,& Siciliæ Regis à ſacris confeſſionibus, nec non & ſecretioribus conſilijs,Regius Orator ad illud miſſus, in ſeſſione habita die Mercurij 10. Martij ſolemniter Miſſam decantauit de Spiritu Sancto. *Pyrrus Sicil. Sac. inter Epp. Cephaleditan.*

P. Martinus Porreus Atrebaten. Epiſcopus Ioannis Burgundię Ducis confeſſarius, & Legatus eiuſdem, Conſtantien. Concilio interfuit,cui in ſeſſ. 2. 11. & 30. aſtitit: quod legationis munus eiuſdem Ducis nomine apud Angliæ Regem etiã obiuit. *Gall. Chriſt.*

P. Nicolaus Iaquerius Inſulanus, hæreticorum hoſtis infenſiſſimus, & ipſe Sacroſancto Concilio aſtitit, qui coram Patribus publicam diſputationem habuit contra Ioannem Huſs,euulgatam ſub nomine N. I. *ex Bibliot. Belgica*.

Committitur cura Dominici gregis in Archiep. Eccleſia Corciren. P. Gregorio Candolfino à Pontifice Max. viro parato ponere animam ſuam pro ouibus ſuis, vt eas in cœlum dirigeret. *Ex lib. prouiſ. Prælat. Io: XXIII. Pont.*

S. Vincentius Ferrerius prædicator Apoſtolicus pro tollendo ab Eccleſia Dei ſchiſmate diro, quo diſcindebatur, innumeros labores pertulit, Petrumq; de Luna Pſeudopontificem omni conatu ab obſtinatione, qua detinebatur, amouère apud Aragoniam procurauit, vt ſuo pretenſo pontificatui cederet: qua de re pluries cum Alphonſo Aragonum Rege tractauit, itinera multa maximo cum incommodo proprijs pedibus conficiendo. *Ex eius ſacra legenda*.

Dum hæc agerentur pro pace Eccleſiæ reddenda, idem S. Vincentius pro eadem dilatanda,& augenda apud Regnum Aragoniæ in Dracorenſi vrbe centum, & decem Iudæos ad ſaniorem mentem ſua prædicatione reuocauit(relictis erroribus) ſacraq; vnda abluit. *Diag. lib. 2.*

In electi Magiſtri Ord. locum Magiſter Sacri Palatij creatur à Ioanne XXIII. P. Bartholomæus de Bolſtenech natione Germanus, vir in omni ſcien tiarum genere verſatiſſimus, qui licet optimè, breui tamen tempore Apoſtolicæ Sedi in hac præfectura inſeruiuit, properante morte anno 1418. *Olmeda, & Lucarin.*

In Lombardia Inquiſitor erat hoc tempore P. Io: Sacriſia, qui in Aſten. ciuitate,ac Diœceſi ſuum conſtituerat Vicarium P. Stephanum Madeam; hic cum quoſdam occultos hæreticos in Aſten. ciuitate, ac diœceſi latitantes audiſſet, nec eorum cognitionem habere poſſet, edicto promulgato, atq; valuis Maioris Eccleſiæ, ac S. Mariæ Magdalenæ affixo, omnes, & ſingulos Clericos, atq; Eccleſiaſticas perſonas, tam ſæculares, quàm Regulares, ciuitatis, ac diœceſis Aſten. qui ſcirent, vel audiſſent, ſeu crederent, aliquem in dictis locis hæreticum eſſe, ſeu de catholica fide male ſentire, aut eſſe hæreſis labe reſperſum, monuit, ac mandauit eiſdem, vt infra certum tempus ſibi, ac tribunali S. Officij in Conuentu Aſten. denunciarent ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. Cum autem ſibi delatum eſſet Canonicos quoſdam; necnon & Minorum, ac Carmelitarum Ordinum Profeſſores aliquos in præfatis ciuitate, ac diœceſi latitantes hæreticos cognouiſſe, ipſoſque denunciare renuiſſe, excommunicatione in eos promulgata, ſacri Tribunalis reos iudicauit, atq; pro cauſa coram ſe dicenda citauit,qui ad Ioann. XXIII. appellatione interpoſita, & recurſu habito, ab excommunicationis vinculo abſolui, atq; audiri petière. At Pont. cauſa commiſſa Præpoſito Eccleſiæ S. Secundi Aſtenſis diœceſis, voluit, vt audito P. Stephano, atq; denunciatis excommunicatis, ſi reos illos inueniret,benè excommunicatos denunciaret; ſi verò inculpabiles, ab ex-

commu-

Digitized by Google

communicationis laqueo abſolueret, datis Apoſt. litteris Bononiæ 8. Id. Febr. Pont. an. 4. incipien. *Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum, &c.* ſunt in Ordin. Arch. ſententia Stephani confirmata.

Amadeus Sabaudiæ Comes videns vberes fructus, quos S. Vincentius Ferrerius eiuſq; ſocij Prædicatores in conuertendis infidelibus, atq; peccatoribus ad Chriſtum faciebant, conceſſit Patribus noſtris vt in tota ditione ſibi ſubdita, tam ciuitatibus, quàm caſtris, poſsent nouos conuentus formare, & erigere, vt euangelij prædicatone populis ſibi ſubditis fierent in ſalutem, qua de re etiam Ioannem XXIII. ſuplicauit, qui Apoſtolicis literis Mantuæ 3. Id. Febr. datis Comitis decretum confirmauit; litteræ autem ſunt in Ord. Archiu. Prouinciali Franciæ directę.

Cum in Piſano Concilio à congregatis Patribus in electione Alexandri Pōtificis fuiſset vnio Eccleſiæ reſtituta, Gregorio depoſito, atq; Petro de Luna excommunicato, necnon pſeudopontifice declarato: Alexander Pontifex vnitatem quoq; Dominicanæ Religionis voluit, vnico eidem Prælato Genereli Magiſtro, vnicoque ſingulis Prouincijs Priore Prouinciali, quibus, & non alijs Fratres cuncti debitum præſtarent obſequium vt alibi diximus; cùm autem Inquiſitor Toloſanus P. Stephanus de Comba Benedicto, dicto XIII. Antipapæ in aliquibus obſequium præſtaret, neq; ad adorationem Alexandri veniſſet, re ad Magiſtrum Ord. Thomam de Firmo delata, eundem Stephanum Inquiſitoris munere priuauit, P. Magiſtro Ioanne de Podio in eius locum cōſtituto, qui à Ioanne XXIII. Pontifice hoc anno ſui poutificatus 5. per Apoſtolicas litteras, Bononiæ 13. Kal. Octobr. datas in ſuo munere confirmatus eſt, quod annis pluribus cum Catholicæ fidei incremento non modico adminiſtrauit. Litteræ autem ſupradictæ ſunt in Ord. Archiuio. At Ord. totalis vnio vſq; in anum 1418. dilata eſt, vt dicetur. *Olmeda.*

ANNO 1415. Cum Io: Pontifex cognouiſſet ad eſſe mādatum procuræ apud Cardinalem de Raguſio, Carolumque Malateſtam pro renunciatione Papatus, Gregorij XII. ne cogeretur etiam ipſe ad id præſtandum, clam nocte ante ſolemnitatem Annunciationis B. Virginis Conſtantia diſcedens Schiafuſam ingreſſus eſt, quod nō modicā moleſtiā Concilij PP attulit. Inſeſs. igitur 6. die Mercurij 18. Aprilis habita decretum eſt Ioannem reuocandū fore è Schiafuſa ad Concilium: vel ſi id præſtare renueret, per procuratores ſuos Papatum renunciaret, præſcripta eidem renunciationis formula, quā noſter P. Martinus Porreus Ep. Atrebaten. conſcenſo ambone in Concilio corram Patribus legit, cunctis eam approbantibus. *Spondan. in Annal. num.* 14.

P. Io: Nider Doctor celebris, Baſileenſis Prior, atque hæreticæ prauitatis Inquiſitor, omnem adhibuit conatum pro VVIclephianis, & Huſſitis hæreticis ex ſibi ſubditis populis, præcipuè Baſileenſibus, fugandis, quorum multos, non ſine vitæ periculo, ſæculari brachio tradidit comburendos. *Bzou. in Annal. ſub an.* 1410. *num.* 24. *& Diag.*

Cum Cardin. noſter Ioannes Dominici in Hungariam à Gregorio XII. directus Legatus Apoſt. Huſſitarum errores in eo Regno, viciniſque regionibus diſſeminatos incrementum non modicum ſumpſiſſe, agnouiſſet, ſcripſit contra illos eruditiſſimum librum, quem in Conſtantien. Concilio ſumma cum ſui, & Ordinis gloria publicauit; conſtitutuſque eſt Commiſſarius à Patribus ſuper cauſam Huſſitarum, eiuſdemq; Ioannis Hus cognoſcendam. *Olmeda in Vita Thomæ de Firmo Mag. Ord.*

Anno eodem ipſe Cardinalis Ioan. de Raguſio Legatus Gregorij XII. confirmauit

uit Concilium, eiuſdemque conuocationem factam. *Spondan. in Annal. num. 3.*

Idem Io: Cardinalis in ſeſſione 14. atq; Carolus de Malateſta Procuratores inſtituti à Gregorio XII. ad renuntiandum Papatum nomine ipſius, in Concilio id exequuntur, lecta, & promulgata per eundem Carolum renunciationis ſcheda. *Bzou. ibid.*

His peractis Card. (vt ſup. annuimus) coram toto Concilio dixit poſt factam renunciationem papatus Gregoriani. *Ego quoque, qui illius hic Legatus aſſiſto, cum meo functus ſim officio, & Cardinalitio pileo, & dignitati, à Gregorio mihi collata ſponte, ac vltrò reſigno.* Quibus dictis Cardinalitium Galerum, toto ſpectante, & mirante ſupra modum Concilio ad Imperatoris pedes proiecit, & ad ſibi debitũ locum inter Archiepiſcopos, tamquam Archiep. Raguſinus acceſſit. Tanti viri modeſtiam, inconcuſſamque conſtantiam mirati Imperator, & Patres cuncti, ex vnanimi voto Cardinalitiæ dignitati reſtitutus fuit; atque à cœteris Cardinalibus ad oſculum pacis admiſſus, collocatus eſt inter Franciſcum Venetiarum, & Antonium Aquileien. Præsbyteros Cardd. Fuitque & Præſes eiuſdem Concilij magna ſui, atque Ordinis gloria electus: Itaque iam nihil in ea S. Synodo gerebatur, nihil apud Imperatorem tractabatur, niſi vbi Ioannis Dominici Card. authoritas interceſſiſſet, vt dictum eſt. *Fernand.*

Relatione, & cenſura facta de Ioannis Hus erroribus, examinatis à P. Ioanne Card. Raguſino Commiſſario à Concilio electo, à P. Leonardo De Datis Magiſtro Generali, & alijs ad hoc à Concilio deputatis, ipſo Huſs in carceribus detento apud Prædicatores Conſtantiæ, coram toto Concilio in ſeſſ. 15. fuère damnati, & ſeſſione terminata eius libri in foro Epiſcopalis palatij concremati, ipſo auctore ſigna pœnitentiæ dante, atque errores abiurante. At cum cognouiſſent Prædicatores ſimulatè, & fictè Ioannem abiuraſſe, re ad Concilium delata, & comprobata, degradatus igne conſumptus eſt. *Lucarin. in Chronol. Ord. Præd. & Bzouius vbi ſup. & Spondan. num. 6.*

Cũ Petrus de Luna ſuo prætenſo papatui renunciare renueret, Patres in Concilio Conſtantien. congregati, honorifica ad S. Vincentium Ferrerium, apud eundem in magna veneratione exiſtentem, legatione deſtinata per Cardinalem Petrum Anibaldũ Tit. S. Angeli, cum rogarunt vt interpoſita ſua auctoritate, & precibus, eundem induceret ad renunciandum iura, ſi quæ haberet, in pontificatu; quod cum Sanctus ab indurato Luna conſequi non valeret, eo derelicto, ad Regem Aragonum acceſſit, ac de eo deſerendo monuit; contra quẽ & prædicauit, eius obſtinationem deteſtando, cenſuras, ſententiaſque in eundem latas, publicando. *Lucarin. vbi ſup. & Bzouius ibid.*

Damnati ſunt in Seſſ. 8. huius Sacri Concilij articuli, & errores Io: Vvicleph poſt diligentem eorundem diſcuſſionem factam, quos refert Caranza noſter in ſumma Conciliorum, cum de Concilio Conſtantien. tractat: pro quibus confutandis ſtrenuam poſuère operam Fratres Dominicus Archiep. Toloſanus, & Petrus de Ripatranſone Aarchiep. Corintien. de mandato Concilij. *Fernand.*

S. Vincentius Glorioſiſſimus hoc anno apud Perpinianum plurimos Iudæos ſua prædicatione ad venerationem filij Dei Ieſu Chriſti attraxit, ex quibus plures S. prædicatorem comitati ſunt, ad Concilium properantem, vſque Toloſam, in fide exactiùs inſtruendi, & confirmandi. *Diag. lib. 2.*

Eodem anno P. Iacobus de Suſato Inquiſitionis officio in Germania fungebatur, & ſtrenuam pro extinguendis erroribus Vſſitarum, & Vviclephianorum ibidem

P p

dem pullulantium, operam nauabat, in Colonien. conuentu ſacro tribunali inſtituto; necnon, & P. Petrus Franciſcus Inquiſitor Cathaloniæ eadem præſtabat, magnos in re Catholica progreſſus faciendo. *Diag. lib.* 1.

Dirigitur in cœlum hoc anno à Dominicana Religione B. Thomas Antonij de Senis, vir virtutibus clarus, cœleſtibuſque apparitionibus recreatus, corpore Venetijs apud S. Dominicũ condito. *Plod.*

Hæc ſunt obſequia à generoſa S. Patris Dominici ſobole, feruida in Deum, & proximum charitate conflagrante, militanti Eccleſiæ, illiuſque Paſtoribus Maximis hoc ſecundo ſæculo exhibita.

Benedictus Deus.



PARS III.

PARS III.

DE OBSEQVIIS PRAESTITIS

Seculo III.

NON minora hoc III. ſeculo præſtantur à S. P. Dominici inclytis filijs Prædicatoribus Catholicę Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi, ac ſuperioribus, obſequia; in ſacris Concilijs diſputantibus; hæreticos confundentibus; frequenti cõgreſſu illos conuincentibus, atque ſacra dogmata in eos confirmantibus, prædicationibus, colloquijs, argumentis, ſtylo, voce, calamo, eorum impia deliramenta euertentibus, cum temporalium bonorum ammiſſione, Conuentuum iactura, ſanguinis profuſione, atque vitæ propriæ perditione, ſeminantibus hic quidẽ in lachrymis, in exultatione verò vitam æternam meſſuris; de quibus proprio loco, & tempore ſumus acturi, eorum inuictam conſtantiam, ærumnoſos labores, fidem inconcuſſam, atque erga S. Apoſtolicam Sedem, Summoſque Pontifices venerationem maximam referentes.

ANNO 1416. Durante ſacro Conſtantienſi Concilio, atque in eo formato proceſſu contra Hieronymum de Praga, Viclephi hæretici ſuperiori anno combuſti, ſectatorem, inuentus eſt, ipſe hoſtis accerrimus Fratrum Prædicatorum; eò quòd illius errores deteſtarentur; vnde & vnum ex ipſis grauiter vulnerauerat; & P. Beneſſum de Iuuem Baſlama cum alio F. Minore collaphizauerat; & inſuper alteri apoſtaſiam ſuaſerat; necnon in Priorem noſtrum Pragenſem violentas manus iniecerat: In ſeſſ. 26.

damnatis illius erroribus, publico igni comburendus traditus eſt 2. Kal. Iunij. *Bzou. ibid.*

Magiſter Generalis Ord. P. Leonardus de Datis Dominica 1. Quadrageſimæ pro concione, multùm de Pontificis Max. auctoritate ſuper Eccleſiam perorauit, ac doctiſſimè diſſeruit, & 22. Aprilis P. Iacobus Arigonus Epiſc. Laudenſis panegyricum in exequijs Regis Ferdinandi publicè à Concilio pompa ſolemni habitis, de laudibus eiusdem dixit ex PP. Concilij decreto. *Bzou. num. 26.*

Alphonſus Rex Aragoniæ patris ſui veſtigia conſtantiſſimè ſequutus in negotio S. vnionis promouendo, ad S. Vintentium Ferrerium, qui maximā partem habuerat in colloquio Perpinianenſe pro illa exequenda, litteras tales dedit, vt ad Concilium, à quo vocabatur, properaret.

Religioſo, dilecto, & deuoto noſtro Vincentio Ferrerio ſacræ paginæ profeſſori.

Religioſe, & dilecte noſter. Quia per litteram conuocatoriam, quam vobis mittimus in præſenti, per Congregationem Conſtantien. excitamini vna cum alijs ad perſonaliter ibidem comparendum ob ſchiſma ſedandum, & Vnionem Eccleſiæ procurandam, ſecundum quòd extiterat recordatum: vos affectuosè rogamus, & per viſcera Ieſu Chriſti requirimus, quatenus, vt ab vniuerſo orbe agnita ſit feruida veſtra intentio erga Eccleſiam vniendam, in Conſtantia quantociùs poteritis compareatis perſonaliter. Nos enim pro expenſis, & ſumptibus fiendis, vtpotè pro menſibus ſex, quingentos, & quadraginta florenos vobis deſtinamus. Si verò vltra tempus prædictum pro eadem cauſa contigerit moram trahere, pro illo etiam de ſufficienti pecunia vobis curabimus prouidere, cū nullus fidei Orthodoxæ pugil à tam grandi Dei ſeruitio, & totius chriſtianitatis pace perenni debeat ſe ſubtrahere, ob quod nec perſonæ, nec bonorum facultatibus parcendum eſt, ſed ad illud procurandum, etiamſi peregrè debeat proficiſci. Dat. in Monaſterio Populeti ſub noſtro ſigillo ſecreto die 15. April. Anno à Natiuit. Dom. 1416. Rex Alphonſus. Bzou. nu. 7. Ex quibus litteris colligitur quanta in veneratione, atq; exiſtimatione eſſet S. Vincentius apud Concilium, & Regem.

Quia verò in conuerſione gentium occupatus apud Perpinianum, non poterat S. Vincentius tam celeri pede ad Concilium properare, prout optabant Patres illius, alias literas eidem ſcripſit Alphonſus Rex, publicæ charitatis calcari in hunc modum illi impacto.

Religioſo, & dilecto noſtro F. Vincentio Ferrerio in Sacra Theologia Magiſtro.

Religioſè, & dilecte noſter. Quia nunc tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis, operemur bonum, dum tempus habemus. Vt igitur quod glorioſo vouiſtis principio, glorioſiùs conſummetur, vos rogamus, & per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti requirimus, & hortamur, quatenus pro Deo, cuius res agitur, iter veſtrū versùs ciuitatem Conſtantiæ, vbi ſalus publica veſtro egens auxilio, rauco guttere vos inuocat, maturetis, vt tanto bono (quod abſit) veſtra charitas non deficiat peregrè proficiſcens. De quo nobis, vltra Dei ſeruitium, & immortalem gloriam meritorum, complacebitis in immenſum. Dat. Barchinone ſub noſtro ſigillo ſecreto die vltima Auguſti anno à Natiuitate Domini 1416. Rex Alphonſus. Deſeruerat enim S. Vincentius in congreſſu Perpiniani Petrum de Luna tanquam diri ſchiſmatis authorem, & pertinacem fautorem, vt Eccleſiæ vnio fieret. *Bzou. vbi ſup.*

Diſcuſſis erroribus Hieronymi de Praga, & tanquam hærelicalibus damnatis à Cōcilio, ipſo apud PP. noſtros Cōſtantien. conuen-

conuentus in carcere detento, cum reſipiſcere nollet, ex PP. ſententia traditus fuit brachio ſeculari viuus comburendus Kalendis Iunij. *Bzou. & Spondanus hoc anno*.

Erat in Concilio P. Antonius Ponticorona Eccleſiaſtes eximius Prior Prouincialis Regni Siciliæ; necnon & Generalis Inquiſitor in eodem Regno, vt illud à naſcentibus nouis hæreſibus vindicaret, atque in puritate fidei conſeruaret; quòd ille vigilantia ſumma præſtitit, in fide delinquentibus ſeuerè punitis; quare in ſuorum laborum remunerationem ad Cephalebitanæ Eccleſiæ Epiſcopalem cathedram in hoc Concilio promoueri promeruit. *Pyrrus inter Epp. Cephaledit.* qui hæc de Antonio ſubdit. *ex ſeſ. 30. Mercurij x. menſis Martij fuit Seſſio generalis in maiori Eccleſia Conſtantien. ſolemniter celebrata, in qua quidem ſeſſione R. P. D. Antonius Ep. Cephaleden. officium Miſſæ de Spiritu Sancto deuotè decantauit*. Hæc ille.

ANNO 1417. S. Vincentius Ferrerius Conſtantiam ingreſſus, & à Patribus Concilij diu deſideratus, humaniſſimè receptus eſt, qui ſtatim grauiſſimam exortã controuerſiam de ſchiſmatis negotio inter Patres, ſua authoritate deffiniuit, & quidquid agendum foret, ſolus edixit: quod & alia vice præſtitit, mirumque in modum omnes Patres ad reliqua perficienda Concilij negotia confirmauit. *Bzou. num. 19. anteced. anni, & Fernandez*.

P. Io. de Podio Nucis Magiſter Generalis in ijs Prouincijs, quæ Petro de Luna obſequium præſtabant, cum eo derelicto, tanquam pertinace, in ſchiſmate Eccleſiæ perſeuerare intendente, ad Generale Concilium veniſſet, vt ſupra innuimus, inſtitutus eſt cum aliquibus Cardinalibus, alijſq; Prælatis Commiſſarius à Patribus contra eundem Petrum de Luna, ad ipſum citandum ad comparendum, & quatenus non compareret, ad conficiendum publicum inſtrumentũ contra illius contumaciam, cœteraq; neceſſaria peragenda; vt poſſet S. Synodus contra eum procedere debitis ſententijs, & nouum Pontificem eligere. Ita decretum fuit in ſeſſ. 32. facta die Iouis 1. Apr. quod ſtatim præſtitit ille. *Bzou. ibid.*

In Seſſ. 35. P. Io. de Valliſoleto ex Oratoribus Regis Caſtellæ, & Legionis, de conſenſu ſuorum Collegarum legit ſchedulam conuocationis, vnà cum bulla Concilij conuocatoria ſuo Caſtellæ Regi per Synodum miſſa, approbauitq; omnia geſta, & facta contra Petrum de Luna, Benedictũ in ſua obſtinatione XIII. dictum. *Bzou. ibid.*

Peractis omnibus ijs, quæ neceſſaria fuère iudicata pro noui Pontificis Max. canonica electione, ipſo die S. Martino ſacra, Nouemb. 11. Electores omnes Cardinalem Othonem Columnam Summũ Pontificem elegerunt, & adorauerunt, & in hunc modum, ſublato ſchiſmate, pax tandem diu optata à fidelibus, Militanti Eccleſiæ fuit reſtituta. *Bzou. num. 5.*

Tandem in Sacroſancti Concilij terminatione, quæ contigit die Veneris 22. Aprilis ſequentis anni ipſe P. Io. de Podio Nucis ex mandato Martini Pont. & de conſenſu Patrum, ambone conſcenſo, orationem habuit, ſumptis verbis Ioannis 16. *Vos nunc triſtitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, &c.* Sicil. Sac. inter Catan. Epp.

In eodem quoque Concilio Martinus Pont. tranſtulit P. Iacobum Arigonum ex Lauden. Eccleſia ad Tergeſtinam, & P. Nicolaum de Tenda euexit ad Sedem Famaguſtanam in Creta. *Ex Actis Conſiſt. eiuſdem Pont.*

P. Petrus de Ripa Tranſona vnitatis Eccleſiæ deſiderio flagrans ardenti, authoritatem Pontificiam contra ſchiſma mordicus defendit, & opuſculum doctiſſimum

mum de hoc euulgauit, cuius zelum miratus Martinus Pont. remuneratione condigna eundem affecit, vt dicetur *Plodius, Fernandez*.

Cum P. Ludouicus de Valliſoleto ad Concilium à Caſtellæ Rege Orator miſſus, vt ſupra diximus, in vnione Eccleſiæ cum alijs Patribus Hiſpanis ſecum adductis ſuam appoſuiſſet operam indefeſſam: illo terminato, à Martino electo Pontifice multis fuit auctus fauoribus, inter quos vt poſſet nouos conuentus, noua loca, nouaque Sororum Monaſteria in Hiſpania conſtruere, non obſtante Bonifacij VIII. decreto, ſequentibus datis Apoſt. litteris.

Dilectis filijs Priori, & Fratribus Ord. Præd. Prouin. Hiſpaniæ ſecundum morem dicti Ord. Sal. & Apoſt. Bened.

Sacer Ordo veſter in agro Dominico diuina diſpoſitione plantatus, dignè meretextolli, cuius profeſſores mundanis à ſe relegatis illecebris, & cæleſtium contemplationi vacantes, inſiſtunt iugiter profectibus animarum. Ea propter ad dictum Ordinem, quem felicia, dante Domino, incrementa ſuſcipere cupimus, Apoſtolicæ conſiderationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Ordo ipſe vberius valeat propagari. Veſtris igitur in hac parte, nec non dilecti filij Ludouici de Vallıſolete eiuſdem Ordinis, ac Sacræ Theologiæ profeſſoris per charıſs. in Chriſto filium noſtrum Ioannem Regem Caſtellæ, & Legionis Illuſtrem ad nos & Generalem Synodum Conſtantien. Ambaſciatoris deſtinati ſupplicationibus inclinati; vobis, qui vt aſſeritis, parua reſpectiuè domus & loca pro vſu & habitatione veſtris habetis, & poſteris veſtris qui erunt pro tempore, vt ſex domos, ſiue loca pro vobis, nec non quatuor alia loca pro Sororibus Ord. S. Auguſtini ſub cura, & cuſtodia veſtris degentibus, ad hoc tamen congrua, & honeſta, quæ in Prouincia Hiſpaniæ, in quibuſuis Regnis, aut terris vobis, & eiſdem poſteris conceſsione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, aut oblatione aliorum Chriſtifidelium, concedi, largiri, & offerri canonicè contigerit, recipiendi; nec non apud illa denuò fundandi, ædificandi, ſeu conſtruendi Eccleſias, humilia campanilia cum ſingulis campanis, & cæmeterijs, domibus, hortis, hortalitijs, & alijs neceſſarijs officinis pro vſu, & habitatione veſtris & eorundem poſterorum, habendi, ac perpetuò retinendi fel. record. Bonifacij PP. VIII. Prædeceſs. noſtri prohibente ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Ciuitate, Caſtro, vel Villa, ſeu alio loco quocumq; domos, vel loca quæcumq; de nouo recipere, aut habitare præſumant abſq; Apoſt. Sedis licentia ſpeciali plenam & expreſſam de inhibitione huiuſmodi mentionem faciente, & alia generaliter eiuſdem Sedis conſtitutione contraria non obſtante Diæceſanorum locorum, & quorumlibet aliorum licentia, vel conſenſu ſuper hoc minimè requiſitis. Iure tamen Parochialium Eccleſiarum in omnibus ſemper ſaluo, plenam & liberam tenore præſentium licentiam elargimur; volentes, & vobis auctoritate præfata concedentes quòd Fratres Ordinis veſtri, & Sorores huiuſmodi, qui pro tempore in eiſdem domibus, ſiue locis reſidebunt, ac etiam domus ipſæ, omnibus priuilegijs, gratijs, exemptionibus, & libertatibus à Sede prædicta Fratribus huiuſmodi dicti veſtri Ord. generaliter conceſsis, vti valeant pariter & gaudere. Nulli ergo hominum &c. Si quis autem &c. Dat. Conſtantiæ Non. Februarij Anno primo. Ex Archiuio Ordinis.

ANNO 1418. Legatus de Latere poſt completam Synodum dirigitur Card. Io: Dominici à Martino V. in Hungariam ad Regem Sigiſmundum pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, & contra hæreſes nouiter exortas, ipſo Sigiſmundo à Pontifice Max. enixè petente. Suaſit ille Regi, vt hæreticos armis,

ac

ac ferro perderet, ſi vellet hæreſes naſcentes conſumere, cum ipſe ſuis diſputationibus, ac ſuaſionibus nihil proficeret: quod cum facere negligeret, in Hungariam ſeceſſit, confirmaturus Catholicos illos in puritate Catholicæ fidei; vbi cum extremum ſibi diem imminere cognouiſſet, ſacramentis Eccleſiæ communitus, in Eccleſiam triumphantem tranſijt, miraculis clarus; hoc anno mortem illius contigiſſe S. Antoninus eius diſcipulus, qui tunc tẽporis viuebat affirmat; quod veroſimilius putamus, idemq; affirmat Bzou. num. IX. aſſerens id contigiſſe anno ætatis eius LXIII. Plodius autem, cuius ſententiam, ſed malè, ſequuti ſumus in noſtro ſacro Theatro Dominicano, eius mortem trãſfert in annum 1420. Beati nomen conſequitur in Ordine, iureque meritò; nam cum S. Vincentius Ferrerius rogatus fuiſſet à Florentinis, vt Florentiam veniret, & ſua ſacra prædicatione populum illũ in viam Dei dirigeret, Reſpondit ille: *Non ſe ad has Italiæ ciuitates miſſum, alteri (nimirum F. Ioanni Dominici) à Deo eas creditas eſſe, cuius doctrina, atq; vitæ integritate ſuos mores componerent, atq; emendarent.* Ferrar. de Reb. Hungar Prouin. p. 2. lib. 1. cap. 35. Bzou. num. 9. & S. Antonin. 3. p. qui ſubdit ipſum ſepultum fuiſſe ibidem in Eccleſia Fratrum S. Pauli primi Eremitæ regulariter viuentium.

Igne, opera FF. Prædicatorum, conſumpto Ioanne Hus Hæreſiarcha, ſicuti retulimus ſupra an. 1415. tantus eius ſequacium liuor in Prædicatores inualuit, vt in Dalmatia, ac Boemia ſupra viginti cœnobia illorum, igne conſumpſerint, ducentis, & vltra Fratribus ab eiſdem trucidatis, varioq; mortis genere peremptis hoc anno, & ſequentibus. *S. Antonin. 3. p. tit. 22. Caſtill. 1. p. lib. 1. cap. 63.*

E mortalibus ſublato P. Bartholomæo de Bolſtenech, Sacri Palatij Magiſtro, à Martino PP. V. delectus eſt Magiſter celebris ille vir P. Io: de Caſa Noua Aragonenſis, qui ob egregias ſuas virtutes, & ſeruitia Apoſtolicæ Sedi præſtita Infulas, & ſacram purpuram promeruit, vt dicetur. *Olmeda, & Lucarinus.*

Poſt factam Martini Pontificis electionem ſupplicauère illũ Patres Hiſpani in eodem Concilio exiſtentes, vt Hiſpaniç Prouinciam diuidere dignaretur, propter ſuam vaſtitatem, & amplitudinem, à Prouincialibus dificillimè regendam, ac viſitandam: quod in hunc modum præſtitit ille.

MARTINVS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

Sacra Religionis, ſub qua dilecti filij Mag. Generalis, & Fratres Ord. Prædicatorum mundanis abiectis illecebris, & pompis ſæculi abdicatis, ſedulum, & deuotum exhibent Altiſsimo famulatum, promererur honeſtas vt votis illorum, illis præſertim per quæ ipſi quietius viuere, & Deo feruentius in humilitatis ſpiritu deſeruire valeant, diutiuſque Ordo in bono ſtatu perpetuò conſeruetur, fauorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Magiſtri, & Fratrum Prædicat. petitio continebat, quod Prouincia Hiſpaniæ, quæ ſecundum conſuetudines, & inſtituta dicti Ordinis per Priorem Prouincialem eiuſdem Ordinis regi, & gubernari, ac viſitari, & reformari conſueuit, ac plura Regna, & Dominia continet, adeo longa, & lata exiſtit, quod Prior Prouincialis eiuſdem Prouinciæ exiſtens pro tempore ipſam Prouinciam, ac Domos, & Fratres eiuſdem viſitare, & reformare commodè non poteſt: propter quod Regularis diſciplina deperit, & diuinus cultus paſsim decreſcit in Prouincia, & domibus antedictis. Cum autem ſicut eadem petitio ſubiungebat: Si Prouincia huiuſmodi in tres Prouincias diuideretur, videlicet Hiſpaniæ, S. Iacobi, & Portugalliæ, & quòd ſub Hiſpania, Gaſtelle

le, Toletan. Murciæ, necnon Frontariæ, ſiue Luſitaniæ cum extrematura, Vizcaye cum Aſturijs de Santillan. Et ſub S. Iacobi, Legionis, Gallicie, & Aſturiæ de Oueto; ac ſub Portugalliæ Prouincijs huiuſmodi Portugalliæ Regna, & dominia comprehenderentur, ac quælibet Prouinciarum huiuſmodi ſuum haberet Priorem Prouincialem, vt Ordo, & domus, & Fratres prædicti poſſent in melius reformari, pro parte dictorum Magiſtri, & Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum vt prædictam Prouinciam, vt præmittitur, diuidere, & aliàs ipſis in præmiſſis oportunè prouidère de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad eoſdem Ordinem, & Fratres ſpecialem gerimus deuotionis affectum, ac de præmiſſis plenius informati, volentes ſuper his ſalubriter prouidere, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium Prouinciam Hiſpaniæ prædictam in tres Prouincias, videlicet Hiſpaniæ, S. Iacobi, ac Portugalliæ diuidimus, ac ſub Hiſpania, Caſtellæ, Toletan. Murtiæ, Frontariæ, ſiue Luſitaniæ cum extrematura Vizcaiæ, cum Aſturijs de Santillana: Et ſub S. Iacobi Legionis, Gallecia, & Aſturiæ de Oueto. Nec nòn ſub Portugalliæ Prouincijs, huius modi Portugalliæ Regna, & dominia prædicta perpetuò volumus comprahendi. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus quòd quælibet triũ Prouinciarum huiuſmodi ſuum de nouo proprium habeat Priorem Prouincialem, quem Fratres eligent ſecundum huiuſmodi dicti Ord. Conſtitutiones, conſuetudines, & inſtituta: Quodque quilibet Prior Prouincialis pro tempore exiſtens dictarum trium Prouinciarum Prouinciam ſibi decretam, ac Domus & Fratres, & etiam Moniales ſub ipſorum Fratrum cura degentes in eadem regere, gubernare, corrigere, & reformare, tam in capite, quàm in membris, ac in eis viſitationis officium exercere, prout ſibi ſecundum Deum, & Conſtitutiones, conſuetudines, ac inſtituta prædicta nouerint expedire. Non obſtant. ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ord. contrarijs, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcumq; Nulli ergo, &c. noſtræ diuiſionis, &c. infringere, &c. ſi quis autem &c. Dat. Conſtantiæ Nonas Febr. Anno primo. Ex Archiu. Ord.

Hanc diuiſionem in noſtris Scriptoribus non legimus, & ideò illam hic ponimus. His peractis, Martinus Pontifex redditam Eccleſiæ vnionem, ac pacem conſeruaturus, vnitatem quoq; Dominicanæ Religionis ex corde deſiderans, & vt ſuum conſequeretur effectum animum applicuit. Quare nominato Ioanne de Podio Nucis Catanen. Epiſcopo, vt ſupra annuimus, eodemque in animæ ſuæ cuſtodem, & confeſſarium aſſumpto, P. Leonardum Statij de Datis Florentinum pro Repub. Florentina in eodem Concilio Oratorem, vnicum totius noſtri Ordinis Generalem Magiſtrum, ac ſupremum caput cum omnimoda auctoritate creauit, in præmium laborum exantlatorum pro ſancta vnione Eccleſiæ reddenda, vt in ſequentibus Apoſt. litteris emicat.

MARTINUS PAPA V.

Dilecto filio Leonardo de Florentia Ordinis Fratrum Prædicat. in Theologia Profeſſori, ac eiuſdem Ord. Magiſtro Generali ſalutem & Apoſt. benedict.

AD hoc nobis Summi prouidentia Magiſtri iugum impoſuit Apoſtolicæ ſeruitutis, vt ſuper gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ diuinitus creditum, intenti, prout nobis deſuper conceditur, ſpeculatoris exercentes officium, quid præſertim pro Religionis cuiuslibet expediat propagatione felici, quid ſtatui conueniat ſub illa militantium quorumlibet, ſolertius attendamus, labores exquirentes, & ſtudia per quæ ipſa dilatetur Religio florida, decentiæ, & honeſtatis candore refulgeat, & electarum ſubſtitutione perſona-

ſonarum virtutum eleuata gradibus, continuum dante Domino ſuſcipiat incrementum. Cum itaq; execrabili iam tandem, cooperante Domino ſublato, tunc durante ſchiſmate, & obedientiarum, quibus contendentes de Spiritú præſiderent, diuerſitate ſuborta, poſtquam tu, ſicuti comperimus, electioni de te per maiorem, ſanioremq; partem dilectorum filiorum Fratrum Ord. Prædicatorum in illius Generalem Magiſtrum factæ attentiùs inhærendo, Generalis officium Magiſtri exercère curas, etiam dilectus filius Ioannes electus Catanien. ſe pro Magiſtro Generali geſſerit in Ordine memorato; noſq; de perſona dicti Ioãnis Eccleſiæ Cathanien. tunc Paſtore carenti auctoritate duximus Apoſtolica prouidendum, præficiendo eum illi in Epiſcopum & Paſtorem. Nos ex diuerſorum huiuſmodi Præſidentium officio in antea, quod abſit, tolerando concurſu inter ipſius Ordinis plantaria, quietis potius, ac tranquillitatis communione fouenda, diuiſiones & ſcandala, & eidem Ordini diſpendia, oneraq; plurima ſubſequi poſſe non immeritò reſoluentes, & propterea à Vniuerſali Eccleſiæ in nobis ſupremo aſcriptis ſolio pace firmata, ad inferiorum miniſteria, vt vnitatis integritate lætentur, capiteq; refecto membra vegetari cernantur, vices operarias intermittere ſalubriter exquirentes, ad te quoque moribus, & vita conſpicuum ſapientia, & prudentia circumſpectum, alijſq; virtutum donis multipliciter inſignitum debitè dirigentes conſiderationis intuitum, nobis ſpe firma, fiduciaq; pollicitis, quòd eo præſtante, ad cuius laudem & gloriam iugis Ordinis eiuſdem ſuccedet propagatio; tu, quem pro eiuſdem Eccleſiæ, vt à diliturnæ eriperetur ſciſſuræ laqueis reintegratione felici curis, ſtudiſſque indefeſſis fructuoſius experimentaliter elaboraſſe cognouimus, Ordini ipſi, illiuſq; perſonis, vt deſiderato potiantur euentu, exiſtere poteris admodum profuturus, habita ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione matura, de ipſorum conſilio Fratrum, te Generalẽ, & vnicum dicti Ordinis Magiſtrum actualem ab omnibus cenſendum & reputandum fore eadem auctoritate declaramus: decernentes te ad huiuſmodi officium, eiuſque exercitium in Generalem Magiſtrum Ordinis prædicti ab vniuerſis, & ſingulis Fratribus eiuſdem, prout iuxta ipſius Ordinis congruẽ conſuetudines, & ſtatuta admitti debere; irritum quoque & inane quidquid in contrarium à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes nihilominus diſtrictiùs Fratribus, & perſonis prædictis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, vt tibi in his omnibus, quæ ad huiuſmodi officium de iure, vel conſuetudine pertinent, humiliter pareant & intendant: nos enim ſententias, ſiue pœnas, quas ritè tuleris, ſiue ſtatueris in rebelles ratas habebimus, auctore Domino, vſq; ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari: non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & priuilegijs perſonis quibuſuis ſub quacumq; verborum forma conceſſis: nec non ſtatutis, & conſuetudinibus prædictis, iuramentis, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate vallatis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Tu igitur in commiſſo tibi huiuſmodi officio, ſic te geras ſollicitè, fideliter, fructuoſè, & prudenter, quòd fructus ſperati cumulentur exinde, & præter humanæ laudis præconium noſtra te, dictæq; Sedis comitetur beneuolentia tempore procedente. Datum Conſtantiæ 6. Non. Martij Anno primo: Sunt in Ordin. Archiuio harum Apoſtolicarum litterarum exemplaria, ex quibus hæc excripſimus.

Cum P. Ludouicus de Valliſoleto Catholici Regis Hiſp. ad Concilium Conſtant. Orator miſſus, de quo ſup. an. 1414. in vnione Eccleſiæ operam maximã apposuiſſet, atq; vt electio Pont. Martini in pace, & equitate fieret inuigilaſſet: idem Pont. in præteritorum laborum præmiũ, futurorumq; ſolatium, centum & quinquaginta florenorum auri de Camera annuam

nuam penſionem ſuper fructibus, & prouentibus collectoriæ ad Apoſtolicam Sedem ſpectantibus conceſſit, datis Apoſt. litteris eum in hunc modum commendantibus.

MARTINVS PAPA V.
Dilecto filio Ludouico de Valleſoleti Ord. Fratrum Præd. Profeſſori in Sac. Theologia Mag. ſalutem.

EXigunt tuarum virtutum merita, & labores aſsidui, quos pro pace, & vnione in Eccleſia S. Dei, & extirpatione nefandi ſchiſmatis proximis his temporibus in Sac. Conſtantien. Concilio pertuliſti, vt perſonam, tuam ſpeciali Apoſtolicæ Sedis munificentia proſequamur. Hinc eſt quòd nos volentes tibi in recompenſatione laborum prædictorum, quos ibidem te iugiter ſubire oportuit, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidère, teq; qui etiam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ioannis Caſtellæ & Legionis Regis Illuſtris Ambaſciator ad ipſum Concilium deſtinatus ex iſtis, præmiſſorum intuitu fauoribus proſequi gratioſis, tibi prouiſionem annuam centum & quinquaginta florenorum auri de Camera &c. anno quolibet in feſto omnium Sanctorum effectualiter perſoluen. de noſtra mera liberalitate concedimus, &c. Dat. Gebennis 2. Non. Iulij an. 1. Ex Archiu. Ord.

Cum verò P. Theodorus de Conſtantinopoli quoq; in eadem vnione Eccleſiæ nedum in Concilio Conſtantien. verùm, & in Florentino cum Græcis propriam operam præſtitiſſet inconcuſſam, ac indefeſſam, idem Martinus Pont. datis Apoſt. litteris, in quibus hæc habet. *Volentes itaq; tibi, qui in negotijs vnionis S. R. E. ac reintegratione Conſtantinopolit. Eccleſiarum in Conſtantien. Concilio laudabiliter laboraſti & in poſterum Deo tibi propitio laborare proponis, &c.* eidem conceſſit beneficia, quæcumq; vacantia, vel vacatura infra menſem in Diœceſibus Patracen. Coronen. ac Motonen. Datis litteris Conſtantiæ 7. Kal. Februarij Ann. 1. *Ex Archiu. Ordin.*

ANNO 1419. Facta tandem aliquando Ordinis noſtri vnione modo ſupra recenſito, illius Magiſter P. Leonardus Statij de Datis eandem conſtabiliturus, Generale Capitulum apud Metim, in Pentecoſtes ſolemnitate hoc anno celebrandum indixit, ad quod cum omnium Prouinciarũ Prouinciales Priores conueniſſent, amplexantibus ſe inuicem Patribus in charitate non ficta, facta eſt perfecta Ordinis vnio, bonorum omnium largitore Deo dante. *Ex Act. einſd. Capit.*

In vnione Eccleſiæ impij hæretici, qui in illius ſciſſura effrenatione maxima ſuas impietates, futiliaq; dogmata publicè profiteri non verebantur, à potentibus protecti, delumbati Inquiſitorum potentiam metuentes, deliteſcebant, ex quibus tamen capti multi, (alijs in Septentrionales partes fugientibus) publicis ſupplicijs affecti temeritatis propriæ pœnam luere coacti ſunt. *Param. & Taeg.*

P. Petrus Floreus in Gallia Generalis Inquiſitor vigilantiſſimus pullulantes in ditione ſua Huſſitarum, aliorumq; hæreticorum hæreſes mirabiliter frænauit, condignis ſupplicijs delinquentes puniendo, obſtinatos verò abſque ſpe veniæ flammis adiudicando. *Param. lib. 2.*

In Regno autem Luſitaniæ Generalis Inquiſitoris onus ſuſtinebat viriliter maximo cum Catholicæ fidei beneficio, P. Ioannes de S. Iuſta, qui ſuperſtitiones, errores, blaſphemias, necnon & lamias ab illo Regno fugandas procurauit. *Cazega.*

S. Vincentius Ferrerius Valentinus relictis mundanis miſerijs cœlum, propheticoſpiritu clarus, anhelat. Incredibile dictu quàm vberes animarũ fructus ex ſua prædicatione reportauerit Eccleſia. Supra centũ millia perditorũ hominum ad meliorem

lio rem frugem, & anteactæ vitæ ſeriam pœnitentiam traduxit. Pluſquam viginti quinque millia Iudæorum conuertit ad Chriſtum. Supra octo millia Saracenorũ, relicto Mahomete ad Eccleſiam reduxit; nactus illud mirabile Spiritus Sancti donum, vt vernacula ſuæ gentis lingua, apud diuerſiſſimas nationes prædicans, à cunctis clariſſimè intelligeretur; à Regibus, & Principibus magno ſemper in pretio habitus. Tandemque peragratis multis regionibus, multis in propagatione Euangelij exantlatis laboribus, Venetiæ in Britannia minori fœliciter ſpiritum Chriſto reddidit, æterna præmia conſequuturus, innumerabilium miraculorum patrator glorioſus. *Bzouius num. 1. & ſequent.*

In cœlum ſublato S. Vincentio, P. Manfredus de Vercellis, religioſus optimus, ac timens Deum, eiuſdem Sancti veſtigia ſequtus, aduentum Antichriſti proximè venturi magno ſpiritus feruore prædicauit. Quare terrore non modico percuſſi multi vtriuſque ſexus, & omnis ætatis, bonis omnibus abdicatis, Tertium Ordinem S. Dominici, de pœnitentia dictum, ſub eodem Manfredo ſuſcipientes, eidem adhæſerunt, viuentes in communi, viri ſeorſum à mulieribus ſeparati, & de labore manuum ſuarum, non prætermiſſis diuinis officijs, in honeſtatè, & charitate ſumma conuerſantes. Quod hominum genus, cum pertimeſceret Martinus Pontifex, ne aliquod ſcandalum generaret, conatus eſt congregationem diſſoluere, ſingulos ad ſua remittendo, & eleemoſynas eis dare prohibendo; nec tamen potuit; ob deuotionem populorum in eorum ſubuentionem procliuem: quinimò cum Martinus Romam petijſſet, ſequutus eſt illum Manfredus cum ſua Congregatione, ac præcipuè fœminis, quarum magna pars in Vrbe viſitationi ſacrorum locorum aſſueta, quieuit in pace. *Spondan. num. 4. ex S. Antonino.*

P. Antonius Guidius Florentinus à Pontifice Maximo Martino Quinto ad regendam Arienſem Eccleſiam in Græcia promotus, cum ouibus eidem annexis per aliquod temporis religioſè præfuiſſet, optimi Paſtoris prębendo ſe documentum, propriæ religioſæ quieti conſulturus Eccleſiã dimiſit. *Ex Act. Conſiſt.*

Promouetur inſuper P. Io. Muten. ad regendam Epiſcopalem Eccleſiam Maiorien. in partibus infidelium conſtitutam cum præcepto de ad eandem accedendo, atq; ibidem reſidendo: nam in Apoſtolicis litteris hac de re datis ita mandauit illi Pont. *Volumus autem quod quamprimùm præſentes litteras habueris expeditas, ad dictam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem. Dat. Apoſt. Romæ 5. Kal. April. Pont. an. 2.* De quo Paſtore Scriptores noſtri nullam faciunt mentionem. Sunt literæ Apoſt. in Ord. Archiuio, & *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Rhemis in Gallia ſacrum Tribunal Inquiſitionis adminiſtrabat, maximo cum fidei catholicæ bono P. Petrus Florius; qui ſupplicia condigna hæreſis labe infectis inferendo, factus illis formidabilis, ſibi creditam ditionem in puritate Chriſtianæ fidei conſtabiliuit. *Lopez p. 5.*

Martinus Pontifex de Catholica fide amplianda, ac conſeruanda ſollicitus, Naxiouan. Eccleſiæ in Armenia electum à Capitulo P. Martinum de Chiari confirmauit Archiepiſc. ampliſſima illi, & ſuæ Eccleſiæ conferens priuilegia circa confirmationem & conſecrationem illius, ac ſucceſſorum cum clauſula tamen: *præſentibus poſt triginta annos minimè valituris.* Tenor autem Apoſtolicarum litterarum, in quibus, quæ in fidei Catholicæ fauorem præſtabant Prædicatores in partibus illis recenſet, talis eſt.

MARTINVS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

CIrcumſpecta charitas Apoſtolicæ Sedis propagationi Catholicæ fidei, & ſaluti animarum intenta, illa libenter concedit cum neceſſitas imminet, & vtilitas perſuadet, per quæ propagatio, & ſalus huiuſmodi valeant facilius prouenire. Sanè cum pridem Eccleſiæ Naxiouanen. Paſtoris regimine deſtitutæ de perſona dilecti filij Martini de Chiari Ord. Prædicat. nunc nuncupati Vnitorum, Ordinem ipſum expreſsè profeſſi, & in Sacerdotio conſtituti, nobis, & Fratribus noſtris ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica dreximus prouidendum, præficiendo eundem illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis litteris plenius, continetur, ac fælicis recordationis Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter circumſpectè prouidens nonnullos Fratres prædicti Ord. ad partes Armeniæ Maioris, & Perſidis ad prædicandum fidem Chriſti & adregendum, & ad confortandum Catholicos in eiſdem partibus commorantes, duxerit deſtinandos, ac Fratres ipſi, qui ad præſens Ordinis Vnitorum vocantur ibidem exiſtentes fidem prædicent, dictoſque Catholicos in fide conſeruent ab hæreticorum veneno, & Gentilium impuritate cum omni vigilantia protegentes, ne Dominici gregis oues lupus rapax inuadendo diripiat. Quia Eccleſia Naxiouanen. prædicta in partibus prædictis exiſtens, vtpotè poſita inter infidelium nationes, Capitulo ad quod ſecundum inſtituta Sacrorum Canonum electio futuri Pontificis, cum Eccleſia ipſa vacaret, & Metropolitano ad quem huiuſmodi electionis confirmatio pertineret caret, & Apoſtolica Sedes, quæ diuina diſponere debet, præeſt cunctis Orbis Eccleſijs, illis, cum ſibi placet, de perſonis, quas ad id idoneas reputat, prout eidem Eccleſiæ, cum eam vacare contigerit, nequit vt decet, celeriter de idoneo Paſtore propter magnam locorum diſtantiam prouideri: propter quæ Eccleſia ipſa ſæpè longo tempore vacare dignoſcitur in dictæ fidei & animarum grauiſſimum detrimentum. Nos cupientes detrimento huiuſmodi obuiare; eiſdem Fratribus dicti Ordinis Prædicatorũ, nuncupati Vnitorum præſentibus & futuris, qui ad partes eaſdem de licentia Sedis prædictæ, vel dilecti filij Magiſtri dicti Ord. pro tempore exiſtentis accedent, quorumque nomina haberi volumus præſentibus pro expreſſis, ſi & cum contigerit prædictum Martinum promotum, & quemcumq; alium ex ſucceſſoribus eius in dicta Eccleſia eximi ab humanis, eligendi ſucceſſorem idoneum in Epiſcopum & Paſtorem præfatæ Eccleſiæ ſic vacantis. Et Venerab. fratri Epiſcopo Caffen. præſenti, & pro tempore exiſten. vel alij, qui Eccleſiæ præfatæ Naxiouanen. proximior erit, electionem huiuſmodi, prout iuſtum fuerit confirmandi, vel infirmandi; Et dicto Martino nunc per Vos promoto cum verſus partes illas eſſe reperiatur ad præſens, ac cuicumque alteri, & ſu.c ſſoribus ſuis electio, confirmatio huiuſmodi ſecundùm ritum Romanæ Eccleſiæ aſtitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus alijs catholicis Antiſtitibus gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, ſi eos commodè habere poterit, ſuper quo eius aſſertioni conſcientiæ ſtari volumus: alioquin ipſi ſoli in aliqua Eccleſia cuiuſcumque ciuitatis, vel diœceſis præſentium prædictarum, vel alterius patriæ munus conſecrationis impendendi, quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs nequaquam obſtan. tenore præſentium auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam poteſtatem, & licentiam elargimur, præſentibus poſt triginta annos minimè valituris. Volumus autem quòd dictus Martinus promotus, & quilibet alius ex ſucceſſoribus ſuis eligendus, & promouendus Epiſcopus ſtatim poſt impenſum eis huiuſmodi munus conſecrationis in manibus dicti Epiſcopi, qui eis huiuſmodi

munus

Digitized by Google

munus impendet, praestet fidelitatis debitæ iuxta ſubſcriptam formam ſolitum iuramentum. Forma iuramenti autem talis eſt. Egò N. Epiſcopus ab hac hora fidelis & obediens ero B.Petro,Sanctæq; Romanæ Eccleſiæ, ac Domino meo Dom. Martino Papæ V. ſuiſq; ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, vt vitam perdant, aut membrum, ſeu capiantur mala captione; conſilium verò quòd mihi credituri ſunt per ſe aut Nuncios, aut litteras ad eorum damnum me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum, & defendendum ſaluo meo Ordine contra omnem hominem, Legatum Sedis Apoſt. in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi propeditus fuero canonica propeditione: Poſſeſſiones verò ad menſam meæ Eccleſiæ pertinentes non vendam, neq; donabo, neq; impignorabo, neq; de nouo infeudabo, vel alio modo alienabo inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia. *Nulli ergo hominum &c. noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Dat. Florentiæ 12. Kal. Nouemb. An. 2.* Ex Archiuio Ord.

ANNO 1420. P.Io: de Podio Nucis in Cathalonia claro ex genere natus, de quo ſupra & Martino Pontifici à ſacris confeſſionibus, Epiſcopus Catanen. necnon & Referendarius Apoſtolicus, miſſus eſt ab eodem Pont. Nuntius Apoſtolicus ad Alphonſum Regem Siciliæ pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, factus quoque totius eiuſdem Regni Vicarius. *Pyrrus Sicil. Sac. inter Catanen. Epp.*

Cum Maurorum, & Iudæorum vafritie Catholica fides in Regno Valentiæ apud multos tepeſceret, Alphonſus Rex vnà cum Rectoribus Valentinæ Ciuitatis ſupplicauit Martinum Pontificē, vt in eodē quoq; Regno S.Inquiſitionis Tribunal, ad compeſcendam Maurorum, Iudæorumque audaciam, inſtituere dignaretur: Iuſtæ Regis petitioni annuit ille, præcipiendo Prouinciali Aragoniæ; vt, ſicuti apud Aragonenſes, & Catalanos fuerat conſtitutum Sacrum Inquiſitionis Tribunal, ita illud quoq; in Valentino Regno inſtitueret, prouideretq; de Inquiſitore, tanto munere digno. Iuſſa Pontificis adimpleuit Prouincialis conſtituto Inquiſitore P. Mag. Andræa Roſo, qui Maurorum, atq; Iudæorum audaciam compeſcuit, grauiſſimis ſupplicijs eos afficiendo, vt catholicos à puritate fidei auertere non intentarent. *Lopez p. 5.*

Martinus Pontifex Florentiæ in nobili cœnobio S. Mariæ Nouellæ à Prædicatoribus receptus, inter eos manſit quamdiù in eadem ciuitate reſedit; eorundem per magnificum templum conſecrauit, atque illius maius Altare proprijs manibus dedicauit, Indulgentiaſq; conceſſit. *Bzou. num. 26.*

Prætioſa munera ſua direxit in cœlum hoc anno Dominicana Religio: inter quæ primum locum conſequitur B. Clara Gābacurta de Piſis, ſanctimonialis Tertij Ordinis. Hæc à parentibus Adoleſcenti nobili nupta; vt virginitatem ſuam Deo conſecraret, ſectis crinibus, ad Monialium noſtrarum cœnobium aufugit, & inter illos recepta, orationibus, vigilijs, diſciplinis, atque ieiunijs ſe totam dicauit: charitate autem ita feruebat, vt etiam proprias veſtes in pauperum indumenta diſtribuerit. Miraculis clara, atq; in Orationibus aſſidua Crucifixum amplexata in oſculis ipſius euolauit in cœlum, cuius corpus poſt 13. annos, reſerato ſepulchro, ſuauiſſimum odorem emiſit; lingua illius, quam in diuinas laudes, & proximi vtilitatem maximo cum animarum fru-

fructu exercuerat, integerrima, ac rubicunda reperta. *Bzou. in Annal. num.* 31.

Alterum fuit B. Blaſius Catalanus S. Vincentij Ferrerij diſcipulus, ex quo tanquam puriſſimo, ac fluentiſſimo virtutum omnium fonte, zelum ſalutis animarum hauſerat; hic relicta nobili Eccleſiaſtica præbenda, in Aluernen. templo obtenta, Dominicanam togam induit, ſub qua rara eius effulſit humilitas, charitas multa in proximorum ſalute, ſacris prædicationibus, exhortationibus, atq; confeſſionum audientia procuranda. Miraculis clarus ſequutus eſt Magiſtrum ſuum ad gloriam. *Plod. lib.* 3.

P. Iacobus de Clauaro inſignis ſacræ paginæ profeſſor, Cardinaliſque Brandæ per Germaniam, & Hungariam Apoſtolici Legati Theologus, cum in Hungaria apud Legatum eſſet, quendam Presbyterum hæreticum perfidum pluribus deliramentis veſanientem conuenit, & pertinaciſſimum repertum, publica diſputatione conuincendum decreuit, quam tamen ille recuſauit. In carcerem igitur, ne fugeret coniectus, & diſputare cum Iacobo coactus, repertus eſt hæreſibus Vviclephiſtarum, Boemorum, Valdenſium, atque Arianorum ſumma eum pertinacia irretitus. Multiplicibus igitur diſputationibus, atque argumentis conuictus, ad Legati pedes acceſſit, veniam petijt, & abiuratis erroribus, in cœnobio S. Ioannis primi Heremitæ religioſum habitum induit. *Ferrar. de Reb. Hung. Prou. p.* 3. *lib.* 4.

P. Thomas Thomaſinus multarum Eccleſiarum Epiſcopus à Martino Pont. Max. ex Aemonienſi Sede, ad Polenſem Eccleſiam transfertur, vt ſibi creditum populũ per ſalutis ſemitam dirigat. *Vgh.*

P. Alphonſus verò de Cuſanea Aurien. Eccleſiæ præficitur Paſtor, vt ſibi commiſſas oues in æternæ ſalutis paſcua dirigat, datis Apoſt. litteris apud Florentiam 2. Non. Martij anno pont. 3. Præterea ab eodem Pont. creatur Epiſcop. Liſmoren. P. Finlaus de Albania per Apoſtolicas litteras, datas Florentiæ 2. Kal. Febr. pont. eiuſdem an. 3. & P. Io. de Ryſſerſcheit fit Ep. Chernien. dat. litteris Florentiæ 2. Non. Septemb. pont. 3. Litteræ autem Apoſt. eorum ſunt in Ord. Archiuio. De quibus Paſtoribus non tractant Scriptores noſtri.

Deficientibus Septentrionalibus populis, Polonorum coronæ ſubditis à Chriſtiana Religione P. Ioannes Opatouicẽſis Prouincialis Poloniæ ad Chelmen. Eccleſiam promotus, & P. Nicolaus Vezik, regnante Ladiſlao Rege, ipſum impulère, vt Fidei catholicæ cauſa ſuſcepta induceret illos ad perfidiam eiurandam, & ſchiſma contra Eccleſiam à ſe abdicandũ, quod Rex præſtitit, magna auxilia in hoc porrigentibus Fratribus conuentuum inter eos conſtitutorum. Vnde factum eſt vt noſtrorum prędicatione, Lithuanorum, Samagitarumque multa millia ſint ad fidem conuerſa. *Cromerus.*

P. Dominicus de Florentia Archiep. Toloſanus ex ſpeciali Martini Pontificis mandato reformauit Canonicos, & Collegium Magalonen. necnon & Mirapicen. Gimnaſij fundationem probauit, & confirmauit, ſequentiq; anno vitam cum morte commutauit. *Gall. Sac. inter Toloſ. Archiepp.*

P. Io. de Caſanoua Barchinonen. poſt Bartholomæum de Bolſtenech Sacri Palatij Magiſter, necnon & Pœnitentiàrius Apoſt. inſtitutus, vir doctiſſimus, qui plura ſcripſit contra hæret. vt alibi dicetur, in obſequiorum præſtitorum Apoſtolicæ Sedi condignum præmium, à Martino V. pro congrua ſui ſuſtentatione Commendam Prioratus S. Mariæ de Biſulduno Ord. D. Auguſtini Gerunden. diœceſis annui redditus quingentorum florenorum auri conſequitur. Datis Apoſtol.

ſtol. litteris Romæ 16. Kal. Decemb. in quibus ita illum commendet Pont. *Grata deuotionis obſequia quæ nobis & Apoſtolicæ Sedi hactenus impendiſti, & adhuc ſollicitis ſtudijs impendere non deſiſtis, &c. Nos volentes te, qui Pænitentiarius noſter minor, & in ſcholis Palatij noſtri Apoſtolici Magiſter exiſtis, vt decenter valeas ſuſtentari præmiſſorum obſequiorum, & meritorum tuorum intuitu fauore proſequi gratia ſpeciali Prioratum prædictum cum omnibus pertinentijs ſuis tibi vſq; ad Sedis Apoſt. beneplacitum commendamus, &c.* Ex O. d. Archiu.

ANNO 1421. P. Io. de Podio Nucis cum Nicolao Caſtanea Meſſanenſi conſtitutus eſt ab Alphonſo Aragoniæ, & Siciliæ Rege, Prorex eiuſdem Regni, datis litteris Regijs apud Meſſanam 15. Iunij, qui triennio ibidem ſumma cum laude, & charitate in pauperes, præfuit, & à Martino Pontifice Apoſtolicas litteras ad Syracuſanum Epiſcopum obtinuit, quibus ei præcepit, vt bona cuncta ab ipſo, vel anteceſſoribus ſuis, vſurpata ad Eccleſiam Catanen. ſpectantia reſtitueret, prout fecit. *Pyrrus Sicil. Sac. inter Catanen. Epp.*

Huſſitæ Hæretici in Conſtantien. Cócilio damnati, atq; Eccleſiaſticis cenſuris à Martino Pont. repreſſi, grauibus in eos edictis euulgatis, ſuis comitijs indictis, conati ſunt infamiam, atq; odium publicum de hæreſi, varijs technis à ſe amouere, frequentibus habitis conciliabulis in Bohemia apud Thabor, caſtrum munitiſſimum Ziſkæ præcipui eorum fautoris, ac Ducis, contra quos ſtatim inſurexit P. Iacobus de Suſato in Colonien. Metropoli hæreticæ prauitatis Inquiſitor, & Catholicæ fidei aduerſus hæreticos validiſſimus, ac indefeſſus propugnator, illorum conuenticula, inſanias, vafritiem, & deliramenta, calamo, ac lingua impugnando; & quotquot ex illis vinculatos habuit, igne perdidit, terrore maximo cunctis incuſſo. *Ferrar. vbi ſup. & Bzou. num. 1.*

In Lombardia autem & Marchia, cum Fraticellorum hæreſis reuiuiſcerent ſectatores, ijdemq; numero, & viribus potentes, ita vt non poſſent Inquiſitores in eos procedere, re ad Pontificem Max. delata, validam militum cohortem in Inquiſitorũ ſubſidiũ miſit, qui contra eos viriliter pugnãtes, caſtra duo, in quibus ſuũ cõſtituerant præſidium, funditus euerterũt, pluribus eorum igne, ac ferro perditis, reliquis in Græciam fugientibus, *S. Anton. 3. p. tit. 22. Bzou. num. 18.*

Nouum pomum prætioſiſſimum Dominicanum viridarium cœlo obtulit hoc anno B. Petrum Cerdanum S. Vincentij Ferrerij diſcipulum, atq; virtutum illius imitatorem egregium, qui verbi Dei prædicationi addictus, innumeros peccatores ad deteſtandas proprias culpas adduxit, & ſacramentali confeſſione Deo reconciliauit. Socius fuit peregrationum eiuſdem Sancti, in commune proximorum bonum aſſumptarum, cumque ad villam Grauenſem declinaſſet, ibique ſuas ad populum conciones de more habuiſſet, infirmatus euolauit in cœlum, laborum ſuorũ æterna præmia percepturus, cuius prætioſa mors fuit diuinitas manifeſtata: nã Angelica manu pulſatis cunctis oppidi illius campanis, accurrentes fideles, miraculumque cognoſcentes, laudauerunt Dominum, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. Miraculis in vita, & poſt mortem effulſit. *Plod. de Vir. illuſt. Ord. lib. 3. & Bzou. num. vlt. ſequentis anni.*

Idem Pontifex Max. de P. Iacobi de Imola virtutibus, doctrina, zelo promouendæ Catholicæ fidei, ſalutiſq; animarum procurandæ plenè informatus, cuius opera apud Conſtantinopolim vti deſiderabat pro ſchiſmaticis Græcis ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ reducendis, eundem Eccleſiæ SS. Petri, & Pauli de Conſtantinopoli, quæ ad Piſanos ſpectabat,

bat, præfecit, confluentibus ad illam Catholicis fidelibus in eadem ciuitate commorantibus eccleſiaſtica Sacramenta miniſtraturum; mandauitque eidem vt cum duobus, aut pluribus Ordinis Patribus ſocijs ſuis ibidem permaneret ad eundem effectum, datis Apoſtolicis litteris Bononiæ 5. Id. Maij Pont. ann. 4. in quibus ſic dicit. *Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanā Eccleſiam geris; necnon ſolers induſtria, de quibus apud nos fide dignorum teſtimonio commendaris, firmam nobis fiduciam exhibent, vt circa curam earum rerum quas tibi duxerimus committere, prudenter, & laudabiliter te habebis, &c.* Exemplaria harum litterarum ſunt in Ordinis Archiuio.

ANNO 1422. P. Nicolaus Vezik Prædicator Regius Ladiſlai Poloniæ Regis, eidemque à ſacris confeſſionibus, dum Samogitarum conuerſioni totus addictus, eorum hæreſes reuellère, ac deſtruère conaretur, poſt multos diſputationum congreſſus cum illis habitos, variè deluſus ab ipſis, necnon ad peiora quæſitus inſidijs: tandem Deo cooperante, qui vult omnes homines ſaluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire, copioſa eorum Samogitarum multitudo ſacro lauacro regenerata fuit Chriſto Domino ab eodem Nicolao. *Bzou. de prou. Pol. cap. 3.*

P. Philippus Gambacurta à conſilijs, & Confeſſionibus Alphonſo Regi Aragoniæ, & Siciliæ, conſtituitur ab eodem adminiſtrator, & Commendatarius Cephaleditanæ Eccleſiæ, bonorumque ipſius proprio Paſtore deſtitutæ, datis litteris Regijs 26. Febr. *Pyrrus Sicil. Sacr. inter Cephaledit. Epp.*

P. Laurentius de Vualdinis Florentinus in Hebraica lingua verſatiſſimus ſcripſit contra Hebręos, eorumque obſtinatam cæcitatem librum, cui titulum impoſuit *Capiſtrum Iudæorum*. ex quibus multos ad Catholicam fidem ſuis diſputationibus conuertit. *Lucarm. de Script. Ord.*

P. Petrus de Ripatranſone Archiepiſcop. Corinthien. theologus præſtantiſſimus, Benedicti Pſeudopontificis hoſtis accerrimus fuit, quem verbo, calamo, atque congreſſibus, tam publicis, quàm priuatis inſectatus eſt toto vitæ ſuæ tempore vt ab eius obedientia ſequaces auerteret, hoc anno, & tempore clarebat, erga Pontificem Max. Martinum V. ſumma veneratione affectus de quo alibi. *Vgh.*

Martinus Pontifex ad ſupplicationem Ioannis Vrbis Præfecti Caſtri Ciuitatis Vetulæ Domini, & communitatis eiuſdem, propter vberes fructus, quos confeſſionum audientia, diuinique verbi prædicatione faciebant Prædicatores, quibus peccatores ad pœnitentiam trahebant, cum in Sacramentorum adminiſtratione populus ille male tractaretur à ſecularibus miniſtris Eccleſiaſticis, Eccleſiam Parochialem S. Mariæ cum annexis domibus perpetua conceſſione Prouinciali Romano, & Patribus noſtræ Romanæ prouinciæ tradidit, data exeqntione immiſſionis Epiſcopo Montis flaſconis, cum Breui ſequen. tenoris

MARTINVS PAPA V.

DVdum Siquidem pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Ioannis Almæ Vrbis Præfecti, & Vniuerſitatis Caſtri Ciuitatis Vetulæ Viterbien. Diœc. fuit Nobis expoſ. quòd cum olim Parochialis Eccleſia S. Mariæ dicti Caſtri, cui animarum totius vniuerſitatis eiuſdem Caſtri veluti illius Parochianorum cura noſcitur imminere, propter ipſius Eccleſiæ Rectorum, qui pro tempore fuerunt incuriam, & imperitiam, nedum in Miſſis, & alijs diuinis officijs celebrandis, cultuque diuino peragendo, ſed etiam in Sacramentis Eccleſiaſticis miniſtrandis, multa, & grauia paſſi fuerant, & tunc patiebantur,

bantur ; & grauiora in futurum , niſi de oportuno prouideretur remedio, pati formidabant in ſpiritualibus detrimenta , etiam in euidens periculum animarum eorundem : Quodque ſi dicta Eccleſia Ordini Fratrum Prædicat. ad quem Io. Præfectus , Dominus in temporalibus ipſius Caſtri , ac Vniuerſitas antedicti ſpecialem gerunt deuotionis affectum perpetuò daretur , & concederetur, per eiuſdem Ord. profeſſores in diuinis laudibus inibi deſeruiretur , & animarum cura huiuſmodi diligentius exerceretur ; ac pro parte Præfecti , & Vniuerſitatis prædictorum nobis humiliter ſupplicatur, vt Eccleſiam ipſam Fratribus dicti Ordinis pro ipſorum vſu, & habitatione concedere , & donare dignaremur . Nos Venerab. Fratri noſtro Ep. &c. Dat. Romæ apud S.Petrum 16. Kal. Ianuarij Anno 5. Ex Archiu. Ord. in quo ſunt literæ ſuprad. quas hic inſerere voluimus eo quod huius Conuentus fundationem ignorantes , prout ignorant etiam Patres eiuſdem Conuentus filij , in hiſtoria *de Romana Prouincia Ord. Prædicatorum* à nobis euulgata eam recenſere nõ valuimus .

Eodem anno Pont. Martinus P. Stephano Spernato, de quo in Apoſtolicis litteris ſic fatur. *Religionis zelus &c. Hinc eſt quòd nos volentes te &c. promiſſorum meritorum intuitu , necnon conſideratione Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Hieruſalem , & Siciliæ Regis illuſtris pro te dilecto confeſſore , & familiari ſuo , continuo commenſali ſuper hoc humiliter ſuplicantis fauore proſequi gratioſo , &c.* dedit facultatem vt Hoſpitalibus pauperũ præſideret in Siciliæ Regno , eoſdem ſua charitate protecturus in ſuis neceſſitatibus & miſerijs . Literæ autem datæ ſunt apud S. Petrum 8. Kal. Iunij , & ſunt in Ord. Archiuio .

Idem Pont. Opt. remunerationem aliquam noſtris Patribus , qui in diuerſis Europeis partibus pro tollendo diro ab Eccleſia ſchiſmate calamo , ore , diſputationibus , eloquijs, ſacraque prædicatione inſudauerant conceſſurus , Capellanos Apoſtolicos , *honoris* dictos creauit , inter quos recenſentur Patres , Petrus Ioannis de Trapeſundis, Hermannus de Lerbeke, Io. de Rore Argentinen. Io. Solden. aliàs de Tehemborgh , Ouienterus Rout, Io. de Arnholte, Philippus de Franchenſtein, Eilardus Rambonunen. Thomas Streke ; Alberus Rahe , Io. Berghem , Thinionus de Segembergh , Humbertus Vvilhelmi de Seiedan , Matthæus Horleæ , atq; Io. Romana de Caliza, cum alijs pluribus Italis, quorum omnium inſtitutionum Apoſtolica Breuia ſunt in Ord. Archiuio , ex quibus hæc fuère deprompta .

Promouit Pont. ad cuſtodiendas Chriſti oues in Eccleſia Gasbelden. à malignantium hæreticorum præſſuris , prauiſque dogmatibus P. Iacobum de Vveſp. per Apoſt. literas Ep. creatum , expeditas 10. Kal. Febr. quæ in Arch. Ord. ſunt .

ANNO 1423. Quia aduenerat tempus in Concilio Conſtantien. à Martino Pontifice , & Patribus præſcriptum, quo Concilium Generale Papiæ celebraretur ad reliquias ſchiſmatis extirpandas , hæreſes graſſantes coercendas, & veterem reſtituendam Eccleſiæ diſciplinam ; placuit Martino Pontifici de conſenſu Cardinalium omnium Prælatos aliquos illuc præmittere, qui illud inchoarẽt. Miſſi igitur ſunt Papiam Petrus Donatus Archiep. Creten. Iacobus Camplo Epiſc. Spoletanus, Petrus Roſatius Abbas Aquileien. & P. Leonardus de Datis Mag. Generalis Ord. Prædicat. At dum alios Patres inibi expectabant, tanta repentè peſtis Papiam inuaſit ; vt ex Martini Papæ decreto , Patres inde Senas migrare coacti ſint . *Bzou. in Annal. num.* 1.

Senis igitur inchoatum eſt Concilium die 22. Auguſti huius anni , præſidentibus eidem quatuor ſupradictis Patribus , à Pontifice Max. miſſis , qui & ſe ad illud acceſſurum cum Sacro Cardinalium Col-

ret, dato Apoſt. Breui apud S. Petrum 4. Kal. Maij Pont. an. 6.

P. Thomas Tomaſinus Venetus, origine Turca, vir doctiſſimus, in Concilijs Conſtantien. & Senen. vnus ex Patribus à Pontif. Max. 18. Octob. translatus eſt ex Emonien. Eccleſia ad Vrbinate. *Vghell.*

Cum bellorum vi, atque nequitia in Neapolitano Regno vigentium Monaſterium Monialium ſancti Petri ad Caſtellum de Neapoli Benedictini Ordinis, ſub cura tamen Patrum noſtrorum viuentium, *per ſacrilegos, & pacis emulos, timore Dei poſtpoſito, præfatis Prioriſſa & Conuentu, rebus, & bonis ſuis, etiam libris, calicibus, cæteriſque ornamentis Eccleſiæ inhumaniter ſpoliatis, & ab eodem monaſterio turpiter eiectis, ignis incendio extiterit deuaſtatum in earundem Prioriſſæ, & Conuentus totalem deſolationem* (inquit Martinus Pont.) & diſperſis hinc inde Monialibus numero triginta, neque ad ſimul conuiuendum habitationis, ſeu alimoniæ ſuppeteret vſus, idem Pontifex Sancti Sebaſtiani Monaſterium cum bonis omnibus, ab vnico Benedictino Monaco inhabitatum, atque à Bobello Militen. Epiſcopo in commendam obtentum eiſdem Monialibus *Ioanna Regina petente*, vt inquit Bzouius, pleno iure conceſſit, Apoſtolica facultate Abbati Monaſterij S. Seuerini de Neapoli eaſdem in poſſeſſionem immittendi elargita: quæ paulo poſt Benedictino depoſito habitu ad Domenicanum tranſière. Litteræ autem Martini Pontif. datæ ſunt apud Gallicanum Prænestinæ Diœceſ. 2. Non. Aug. an. 7. quarum exemplar in Ordinis Archiuio cuſtoditur.

ANNO 1424. Martinus Pontifex de puritate Catholicæ fidei conſeruanda, atque graſſante hæreſi in Boemia extirpanda ſollicitus, P. Manfredum Inquiſitorem Generalem in Alemania, & P. Henricum Kaltiſen Confluentinum Inquiſitorem in partibus Germaniæ, & Boemiæ monuit, vt in hæreticos viriliter, pro Catholica fide vindicanda ab impijs hæreticis Boemis, inſurgerent, & cauſam Dei in illos conſtanti pectore ſuſciperent; qui Pontificijs mandatis obſequentes copioſam hæreticorum multitudinem in catholicos inſurgentem perdidère, alijs carceribus addictis, alijs ignibus conſumptis, alijſq; varijs modis afflictis, necnon & patibulo ſuſpenſis. *Lopez p. 5.*

Eodem anno Poloniæ Rex Vladiſlaus inſtantibus Pater Stephano Inquiſitore Cracouienſis & Pater Ioanne Briſcatore Inquiſitore Vratiſlauien. necnon & Pater Ioanne Priore Cracouien. edictum publicauit contra Polonos, Regiæque Poloniæ Corona: ſubditos quoſcumque inter Boemos exiſtentes, præcipiendo, vt in Poloniam reuerterentur infra determinatum tempus, aliàs ſe proceſſurum contra illos tanquam hæreticos. Neque his contentus Rex collecto exercitu valido in Boemiam irruit, multaque hæreticorum millia gladio iugulauit. *Lopez ibidem.*

Moritur hoc anno ipſa die Sanctiſſima Pentecoſtes ad 10. Kalendas Iunias Petrus de Luna Pſeudopontifex, ſchiſmaticus, & excommunicatus, ſui pſeudopontificatus anno 30. Mortuus eſt igitur ſenio, & calamitatibus grauiſſimis confectus, & apud cunctos cordatos homines prodigij inſtar fuit, in maxima rerum varietate, tantiſque procellis tamdiu vitam protraxiſſe, corpore apud Igluecam oppidum Aragoniæ, intra Arcem, loco profano ſepulto. *Bzouius num. 19. & 20.*

Idem Pont. Martinus de profectu mirabili, quem in ſchiſmaticorum, necnon Turcarum conuerſione ad Chriſtum, apud ciuitatem de Capha, adiacenteſq; prouincias, ac Regna faciebant Patres noſtri cum

Patribus Armeniæ Maioris, dictis Vnitis, pro dilatatione Euangelij prædicantibus, in qua ciuitate cœnobia tria erant ædificata, atque ab eis inhabitata, calamitates, perſequutiones, necnon, & afflictiones multas ſuſtinentes propter amorem Ieſu Chriſti, priuilegia cuncta à Bonifacio IX. atque alijs Prædeceſſoribus ſuis eiſdem conceſſa confirmauit, quorum cœnobia ac fratres per ſolos Viſitatores, ac Vicarios à Magiſtro Generali inſtitutos, viſitari ſemel in an. ne illa grauarentur nimis, viſitari voluit. Dat. Apoſt. litt. Romæ apud S. Petrum 2. Id. Decemb. Pont. an. 7. quæ in Ord. Archiuio ſunt.

Cum P. Io. Brucelli hæreticæ prauitatis Inquiſitor in Ciuitatibus Biſuntin. Gebennen. Lauſanen. Sedunen. Tullen. Meten. ac Virdunen. inſtitutus, ingraueſcente ætate, in munere ſuo exequendo de ſecordia, ſegnitieque apud Prouincialem Franciæ P. Antonium Coſtam accuſatus, informatione ſumpta, fuiſſet notabiliter in hoc culpabilis inuentus, ab exequtione ſui muneris amotus eſt, conſtituto in eiſdem ciuitatibus ac diœceſibus Generali Inquiſitore P. Odorico de Torrente inculpabilis vitæ viro, ac in eodem munere exequendo probato, quem velut fidei ſingularem zelatorem confirmauit Martinus Pont. datis Apoſt. litteris Romæ apud S. Petrum 15. Kal. April. Pont. an. 7. quæ ſunt in Ord. Archiuio.

Auctoritate Martini Pontificis transfertur Generale Concilium è ciuitate Senen. vbi peſtis vigebat ad Ciuitatem Baſileen. à Nuncijs Apoſtolicis Præſidentibus eiuſdem Petro Archiep. Creten. Iacobo Ep. Spoletano. Petro Abb. de Roſatio S. Petri, Aquilien. Diœceſ. & F. Leonardo de Datis Florentino Magiſtro Generali Prædicat. *Bzou. num. 23.*

Translato P. Thoma Tomaſino ex Vrbinaten. Sede ad Traguriem. in Sclauonia, Martinus Pont. Vrbinaten. Eccleſiæ præfecit P. Iacobum Arigonium de Bellardis dictum, ex Tergeſtina euocatum, qui Piſano, Conſtantien. atque Senen. Concilijs interfuit, in quibus in fauorem Eccleſiæ perorauit, & patrem Ioannem ex Armenis cum noſtris vnitis, virum doctum, ac fidei Catholicæ zelatorem Sultanienſem Archiepiſcopum creauit apud Septentrionales populos in locum alterius P. Ioannis ex noſtris Archiepiſcopi prædefuncti expeditis Apoſt. litteris Romæ 2. Idus Decemb. Pont. an. 7. quæ ſunt in Ord. Archiuio. P. autem Petrum Neapolit. Termularum Ep. inſtituit Kal. Decemb. vt conſtat ex lit. Apoſt. exiſten. in Ord. Archiu. Necnon, & P. Conradum Feden. Argion. Eccleſiæ præfecit Pont. an. 7. *Vghell.*

Euecto Ioanne de Caſa Noua ad Bonſanam Epiſcopalem Sedem, Martinus Pontifex nominauit Sacri Palatij Magiſtrum P. Andream de Piſis, virum in Conſtantienſi Concilio famoſum, qui Apoſtolicæ Sedi in aſſumpto munere inſeruiuit vſque ad annum 1429. quo ab eodem Pont. Max. Sutrinus Paſtor renunciatus eſt, cui Eccleſiæ cum regimine incorrupto præfuiſſet annos tres, oues ſibi commiſſas per mandatorum Dei ſemitam dirigendo, Creatori ſuo ſpiritum reddidit an. 1431. in Cathedrali ſepulturæ traditus. *Vghell. & Lucarin.*

ANNO 1425. Viriliter decertabant contra hæreticos, in Maiorica P. Petrus Murta, & Valentiæ P. Arnaldur Corts hæreſim reuellentes, qui captis multis hereticis Vviclephianæ ſectæ, contra eos, ex propria officij auctoritate proceſsère, multis brachio ſæculari relaxatis ad flammas, ad mortem; alijs carceribus caſtigatis. *Lopez p. 5.*

Perſene Petro de Luna Pſeudopont. ſuperiori anno defuncto, duo eius Pſeudocardinales, à Concilio Conſtantien. excommunicati, Iulianus Dobla ſcilicet, & Car-

Carthuſianus alter, inſtante Alphonſo Aragonum Rege, Martino V. infenſiſſimo, elegerunt in eius locum Egidium Munnoſium Canonicum Barchinonen. Pſeudopontificem, quem ipſe Alphonſus adorauit, contra Berengarij Bardaxini in Regno Aragoniæ iuſtitiæ Præfecti, viri cordatiſſimi, & pijſſimi, aliorumq; procerum voluntatem, qui omnem adhibuère operam apud Alphonſum, vt Idolo illo Sathanæ reiecto, atque deluſò Martino V. vero Pontifici Max. debitam venerationem eſſet præſtituturus. Quod conſequturi, Petro Card. Fuxen. ſuasère, vt Regem conſanguineum ſuum ad extirpationem noui Idoli, & ſchiſmatis commonèret, datis litteris ad eundem, Pontificique Martino ſe offerret ad operam omnem præſtandam pro Alphonſo emẽdando, atq; ad vnitatem Eccleſiæ adducendo. *Bzou.*

Hac ratione Martinus Pontifex Cardinalem Fuxen. Apoſtolicum Legatum in Aragoniam direxit, qui Carpentoratum ingreſſus, Regem Alphonſum de cauſa ſui aduentus præmonuit per Petrum Arnaldum, ibiq; reſponſa expectauit regia. Reſpondit Rex, non poſſe ſe Legationem Martini Pont. recipere, donec illi concederentur quædam ab ipſo petenda. Miſit ergo Rex ad illum Oratorem ſuum P. Ioannem de Caſanoua ex Prædicatoribus ſibi à ſacris confeſſionibus, & ſecretis conſultationibus, qui cum Legato plura tractaret pro vnione cum Pontifice Max. & rebus tandem aliquando benè compoſitis, toti Eccleſiæ pace reſtituta, P. Io. ab eodem Martino poſteà ſacra purpura cohoneſtatus fuit, vt dicetur ann. 1430. *Bzou. num.* 1. 2. *&* 3.

Moritur hoc anno P. Leonardus Statij de Datis, maximo Ordinis, cui Generalis Mag. præerat, detrimento; Nam fuit Leonardus diuini verbi præco famoſus, in Romana Prouincia Prior Prouincialis, in Apoſtolica Curia Sacri Palatij Magiſter, in Conſtantien. Concilio Pontificis Max. Elector, in Papien. & Senen. Præſes Concilij, & Legatus Apoſtolicus, apud Principes, & Magnates in magna veneratione habitus, Martino Pontifici acceptiſſimus, quem nobili hoſpitio in Florentino cœnobio S. Mariæ Nouellæ recepit. Ordinem (aliàs occupatus ipſe in legationibus Apoſt. aſſiduis pro vnitate Eccleſiæ ſanctæ Dei reddenda) per Vicarios ſuos viſitauit. Generalia Capitula celebrauit, primum Florentiæ an. 1414. quod fuit ſuæ electionis. Secundum Argentinæ 1417. Tertium Metis 1419. Quartum iterum Florentiæ 1421. Vltimum Papiæ 1423. Erat vulgatum in Curia, P. Leonardum fore ſacra purpura à Martino Pont. donandum, & verè ſic erat: At inuida mors illum rapuit 17. Kal. Aprilis, ante creationem Cardd. factam ſequenti anno 9. Kal. Iunij. Ex quibus decipi potuerunt auctores illi, qui Leonardum à Curia abſentem creatum fuiſſe Cardinalem, vno, vel altero die prædefunctum aſſerunt, quorum ſententiam, & Vghelli maximè ſequti ſumus in noſtro Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatij, ſed emendamus. *Olmeda*.

Floruerunt in Ordine, Eccleſia, & Orbe ſub Leonardo viri præclariſſimi, qui ſapientia ſua S. Matrem Eccleſiam ore, & calamo ab hæreticorum, ſchiſmaticorum, atq; impiorum preſſuris vindicarunt. In Gallijs vitæ puritate, & doctrinæ fulgore inſignis habebatur P. Io. Capreolus Toloſanus, de Conuentu Rhutenen. ſententiarum S. Thomæ egregius propugnator, earumque vnicus, ac lucidus declarator: cuius opera etiam noſtris temporibus plurimi fiunt, atque in æſtimatione max. habentur. In Viennen. Vniuerſitate P. Franciſcus de Rethſa ſimiliter in veneratione maxima erat, magni nominis Doctor, vtiliſſimuſque præceptor habebatur,

batur; vtpotè qui ibidem inceſſanter annis multis docuit, ex quo tanquam perenni fonte ſapientiæ innumeri ſalutaris doctrinæ riuuli in Eccleſiam promonarunt. Coloniæ verò P. Iacobus de Suſato ex Conuentu Colonien. Hæreticæ prauitatis Inquiſitor, & ſchiſmatis perſequtor, de quo ſupra, ſuper Bibliorum, ſententiarumq; libros ſcribens, de theſauro eruditionis ſuæ, tanquam Scriba doctus, noua, & vetera protulit, alijque complures, de quibus ſupra, & infra dicetur. *Olmeda.*

Azotenſem gregem paſcebat P. Ioannes ex noſtro Prædicatorum Ordine, inculpatæ vitæ vir, oues ſibi commiſſas Euangelij pabulo, probatorumque morum exemplo per ſemitam mandatorum Dei dirigendo, qui Martinum Pontificem enixè, vt de acquiſitis bonis poſſet in morte ad ſuæ Eccleſiæ pios vſus diſponere ſupplicauit, & obtinuit, expeditis Apoſtol. litteris Romæ 17. Kal. Maij Pont. an. 9. quæ ſunt in Ord. Arch.

Martinus Pont. P. Simonem de Amatore Cappellanum, & familiarem ſuum virum doctiſſimum, atque in pertractandis negotijs ſingulari dexteritate pollentem Apoſtolicum Nuncium pro vrgentibus cauſis Apoſtolicæ Sedis ad Imperatorem delegauit, commendans ipſum Archiepiſc. Epiſc. ac Principibus cunctis per quorum loca erat tranſiturus, dato ſequentis tenoris Breui. *Venerabilibus Fratribus Patriar. Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. Cum te dilectum filium Simonem de Amatore Ord. Frat. Præd. profeſſorem Cappellanum, & familiarem noſtrum, ac eiuſdem Ordinis in Regno Germaniæ Prouincialem ad regnum prædictum pro nonnullis noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negocijs præſentaliter deſtinamus: nos cupientes ipſum Simonem cum eius ſocijs, familiaribus, equitaturis, nauigijs, valiſijs, bonis, & rebus ſuis ineundo, ſtando, & redeundo plena ſecuritate gaudere, vniuerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attentè, quatenus eundem Simonem, &c.* Breuis exemplar eſt in Ordin. Archiuio.

Idem Martinus Pont. ad ſupplicationem Petri Ioannis Portugalliæ Regis filij, eidem benignè indulſit vt conuentum Ordinis in loco de Aueyro pro ſalute, ſpiritualique populi illius in ſalutis via dirigendi incremento conſtruere, Fratribuſque donare poſſet pro eorum perpetua inhabitatione cum annui redditibus pro congrua eorundem ſuſtentatione, expeditis Apoſt. litteris Romæ apud SS. Apoſtolos 11. Kal. Maij incipien.

MARTINVS PAPA V.
Dilecto filio nobili viro Petro Cariſſimi in Chriſto filij Portugalliæ, & Algarbij Regis nato Duci Colimbriæ ſal. ſinceræ deuotionis affectus, &c. Vt in loco de Aueyro Colimbrien. Diœceſis. Exemplar earundem eſt in Ord. Archiuio.

Caput I.

P. BARTHOLOMÆO TEXERIO Magiſtro Generali XXVI.

ANNO 1426. Defuncto Leonardo conuenère Patres Bononiæ pro noui Magiſtri Generalis electione, ad quam acceſſerunt ex cunctis Ordinis Prouincijs electores ſub Vicario Ord. P. Thoma de Regno, à Pontifice Max. inſtituto, cui & poteſtatem ſupplendi voces abſentiũ conceſſerat Martinus; quòd cum nouum in Ordine videretur, diſſidij cauſa fuit non modica inter Patres, quorum

rum aliqui ad Thomam declinantes, alij verò ad Ioannem Valliſoletanum Regiæ Maieſtatis Hiſpaniarum Confeſſarium, atq; Conſiliarium, neenon in Conſtantien. Concilio Regium Oratorem, viſum eſt Patribus, ad tollendas in Ordine diuiſiones, committere cauſam electionis per viam compromiſſi eiſdem duobus Thomæ, & Ioanni, ita vt quem ipſi nominarent, Magiſtrum Generalem totius Ordinis Fratres venerarentur, ac reciperent. Præter vſitatum igitur Ordinis morem, virtute compromiſſionis nominatus fuit Magiſter Generalis P. Bartholomæus Texerius Gallus de Prouincia Prouinciæ, abſens tamen à Capitulo, qui Prioris Prouincialis in dicta Prouincia obibat munus, & infirmatus ad Capitulum accedere nequiuerat. *Olmeda*.

Erat Bartholomæus vir ſtrenuus, vitæ ſanctimonia, & religioſæ obſeruantiæ fama in Ordine præclarus, Pariſinæ Vniuerſitatis Doctor celebris, vnde ab omnibus Patribus in Capitulo cum gaudio ſuſceptus fuit, dicentibus cunctis: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*. Miſſi ſunt igitur, ad Bartholomæum illius promotores PP. Thomas, & Ioannes, à toto Capitulo, quem apud Auenionem conuenientes, licet reluctantem, de mandato ſibi oneri ſuccumbere coegerunt. Statim ad reparandum Ordinis nitorem, in regulari obſeruantia labefactatum propter ſchiſmata, & peſtilentias, mentem applicuit: & manus Domini fuit cum illo; nam conuentus regularis obſeruantiæ in Italia multiplicauit, de quorum numero Bononienſis primus fuit. Diù enim in pace, & æquitate Ordini præfuit, & ſine querela alicuius ex Fratribus. *Olmeda*.

Fructum ſuauiſſimum cœlo dedit hoc anno Dominicana Religio B. Conradum de Pruſſia virum ſanctitate celebrem pœnitentia illuſtrem, & miraculis coruſcantem; qui dum in Apoſtolica Curia Summi Pœnitentiarij nobilem præfecturam exerceret, multiſque beneficijs auctus eſſet, cuncta arbitratus, vt ſtercora in patriam reuerſus Dominicanum inſtitutum profeſſus, ſub illo vitam duxit Angelicam. Conuentus Ordinis in Germania, Septentrionalibuſque partibus, & in regulari obſeruantia, & in ædificijs reſtaurauit, copioſo ære à Principibus, & Nobilibus emendicato. Tandem annorum pondere grauatus, miraculis, tam in vita, quàm in morte refulgens, euolauit in cœlum capularis ſenex apud Sconenſtembat. *Plod. lib. 3.*

Vacantem Piſtorienſem Eccleſiā Martinus Pont. regendam conceſſit P. Vbertino de Albizis Florentiæ nobili loco nato, inſtantibus Reipubl. Florentinæ Senatoribus apud eundem Martinum, vt illum ſibi Epiſcopum Florentinum præficeret; fuerat enim adhuc pauper & humilis inter Fratres tametſi Epiſcopi Feſulani eſſet Vicarius Generalis, in quo mira charitas in populos, & pietas in Deum ſemper effulſit, & P. Aymo Nicolai factus eſt Archiep. Aquen. cum priùs Senecen. & S. Pontij Tomeriar. Eccleſias integritate ſumma rexiſſet. *Vghell. Gall. Chriſt.*

In Germania viriliter decertauit P. Iacobus de Suſato Colonien. Inquiſitor contra impios Huſſitas, inualeſcentes etiam armorum vi, quorum veſſanias facundo ore, ac calamo impugnauit, & quotquot in ſui regiminis partibus vinctos habuit ſeuerè caſtigauit, copioſa illorum multitudine igne conſumpta, at non ſine euidenti vitæ ſuæ periculo. *Par. ram. & Plod.*

ANNO 1427. Audiens Martinus, Pontifex quanta feciſſent mala, quanta flagitia Huſsitæ heretici, non ſolùm in Boemia, ſed & in multis Germaniæ Prouincijs exercerent, incendijs, direptionibus, ſacrilegijs, abominationibus,

bus, libidinibus, atque atrocitatibus in Catholicos ſæuientes, Henricum Anglûm Card. S. Euſebij, Magnæ authoritátis virum, Legatum Apoſtolicum in totam Germaniam, Boemiam, & Hungariam direxit, dato Diplomate 15. Kal. April. cum ampliſſima facultate ad exercitus contra Vviclephiſtas, & Huſſitas hæreticos comparandos, atque prædicandam Crucem contra illos, cum eiſdem Indulgentijs, & priuilegijs, in Terram Sanctam Cruceſignatis properantibus, à Prædeceſſoribus ſuis Pontificibus Summis conceſſis. Delecti ſunt igitur aliqui ex Prædicatoribus ad prædicandum in illis Septemtrionalibus partibus ſacram Crucem, inter quos mirabiliter eluxit P. Henricus Kaltiſen. de Confluentia, vir in ſacris declamationibus ad populum famoſus; necnon & P. Nicolaus de Cuſa, vitiorum, atque hæreticorum maximè, hoſtis accerrimus, & Theologus validiſſimus, qui Fratribus Manfredo, & Iacobo de Suſato in illis partibus Generalibus Inquiſitoribus in hæreticam prauitatem adiuncti, damnum maximum hæreticis intulère, Catholica fide ab eorum inſidijs vindicata. *Spondan. num. 1. Feenandez, & Plodius*, qui ſubdit Nicolaum fuiſſe poſtmodum euectum ad Brixien. Eccleſiam regendam.

Cum hi Prædicatores perquiſitioni, & conuerſioni præfatorum hæreticorum auctoritate proprij tribunalis, atq; ſacræ prædicationis eſſent viribus totis intenti, alij calamo eos ſauciare non deſiſtebant. Quapropter P. Thomas (quem Gozeus Adamum dicit) Braduardinus Cantuarienſis hæreticorum malleus fortis ſcripſit librũ contra hæreticos, eorumque errores, cui titulum inſcripſit: *De Cauſa Dei*, in quo hæreticorum deliramenta, errores, veſaniaſque refert, detegit, impugnat, & P. Hermannus Zithandus ſcripſit librum de ſacramentalis confeſſione, & neceſſitate ipſius. *Gozzeus, Plodius, Fernandez.*

Ne Huſſitæ hæretici nobile Poloniæ Regnum ſuis hæreſibus etiam interficerent, ſicuti Bohemiam adiacenteſque Prouincias deturpauerant, atque vaſtauerant, Martinus Pont. Generalem Inquiſitorem P. Ioannem Cracouienſem Priorem, virum tanta præfectura digniſſimum creauit, qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, cauſa ſuſcepta, charitatiſque in proximos lorica præcinctus Huſſitas, eorumque ſequaces perſequens, innumeros ex eis morte deleuit, eiſdem formidabilis factus, Poloniæ Regno ab imminenti malo maximo liberato. *Bzou. de Reb. Pol.*

Martinus Pontifex vnitatem Eccleſiæ, ac pro illa reddenda, pia, atque indefeſſa Prædicatorum opera procuratam recogitans, condignum eiſdem præmium, ac retributionem congruam redditurus, cũcta priuilegia eiſdem ab anteceſſoribus Pontificibus Maxx. & à Gregorio XI. maximè de Prædicatorum Ordine ita loquẽte: *Gregorius Epiſc. &c. Virtute conſpicuos ſacri veſtri Ord. profeſſores, qui contemplationi cæleſtium feruenter inuigilant, & pia vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, &c.* confirmauit Apoſtolicis litteris datis Romæ apud SS. Apoſtolos 12. Kal. Iunij Pont. an. 10. incipien. *Ex Apoſtol. Sedis prouiſione, &c.* quæ ſunt in Ord. Archiu.

ANNO 1428. Martinus Pontifex contra rebellantes Bononien. ſpiritualia, atq; temporalia arma mouit: nam primò ſacra illis interdixit, deinde collectis militaribus copijs contra eos proceſſit. Tunc P. Dominicus Magacoſta conuentus S. Dominici ibi Prior, mandato Pontificis Max. obtemperandum eſſe, & in priuatis, & in publicis colloquijs perſuadere Senatoribus, ac populo non omiſit. Quare veriti illi, ne tumultus fieret in populo, eiectum è ciuitate Dominicum exulare compulerunt: quibus Pontifici nunciatis, Dominici Conſtantiam commen-

men-

mendauit, Bononienſium autem temeritatem damnauit, *Bzou. num.* 12.

Audaciam igitur Bononienſium compreſſurus Pontifex Max. Sacramentis Eccleſiæ ciuitatem interdicere decreuit; at cum non inueniretur qui cum vitæ periculo euidenti inhibitionum, atque interdicti Apoſtolici litteras introferre, & publicare audèret, P. Corradinus Bornatus de Brixia, ſanguine ſuo Eccleſiaſtica iura propugnaturus, acceptis à Martino interdicti litteris equum intrepidè conſcendit, Vrbeq; diſcedens, Legatum in Pontificio exercitu exiſtentem adijt, & perficiendum opus nunciauit. Affigens igitur haſtæ interdicti litteras Bononiam intrepidè ingreſſus, & ad forum ciuitatis procedens, ibi toto ſpectante populo alta voce dixit: *Ecce vobis, Deo, & Vicario eius rebellibus, Vniuerſa diuinorum ſacra interdicuntur. Nullus quauis occaſione tergiuerſari poterit. Ignoraſſe nemo audebit. Litteras inſpicite, errorem corrigite.* Capitur illicò P. Corradinus, & in vincula ſub dira cuſtodia conijcitur, cunctis ira exardeſcentibus, mortiſq; reum illum iudicantibus. Ex illis autẽ vnus è ſenioribus ſurgens dixit: *Nec huic Fratri inferendo nihil aliud facimus, quàm optatam illi pro Eccleſia mortem concedemus, ideoque non interficiendum eſſe ego primus cenſuerim.* Eductus igitur ab ergaſtulo, neque minis, neque terroribus amoueri potuit, quin in publicis declamationibus infracto animo prædicaret, Martino Pontifici eſſe obediendum. Quare iterum in vincula ipſo coniecto, accurrit populus ad cœnobium Prædicatorum, illoque bonis omnibus expilato, militum cuſtodia Fratribus conſtituta eſt, ne ad quæſtuandum exirent, ſed fame perirent. At quia Dominus nunquam deſeruit ſperantes in ſe, ciuium aliquorum corda mouit, qui clam de nocte eis ad victum neceſſaria contulère. Corradinus autem ex Senatus decreto, ſine cibo, & potu, vt ibidem inedia conſumeretur, pluribus diebus in carcere fuit detentus. At cum ille orationibus ſemper intentus, in aera raptus conſpectus fuiſſet à carceris cuſtodibus, re ad Senatores delata, liber ſtatim dimiſſus eſt, velut ſanctus à cunctis adiudicatus. Voluit autem Martinus Pontifex tantum virum ſacra purpura cohoneſtare, ſed illum in ſua humilitate perſeuerantẽ vnicè dilexit. Factum recenſet Caſales in Candore lilij, & Plodius. *Spon. dan. in Annal. num.* 2. & *Bzou. n.* 12.

Martinus Pont. puritatis, candoriſq; Catholicæ fidei conſeruandi deſiderio flagrans, P. Nicolaum de Camiſio hęreticæ prauitatis vigilantiſſimum Inquiſitorem à P. Antonio de Bonconto Prouinciali Regni inſtitutum apud Neapolim, tanta præfectura dignum agnoſcens, Apoſtolica confirmauit auctoritate, illius iuriſdictioni inſuper additis ditionibus terræ Barij, Capitaniatæ, necnon Apuliæ, ac Beneuentanæ diœceſis, expeditis hac de re Apoſt. litteris Romæ apud SS. Apoſtolos 16. Kal. Iunij Pont. an. 12. quæ ſunt in Ord. Archiu.

Excolebant Prædicatores laboribus indefeſſis vineam Domini Anglicanam, vt vberes fructus Domino in odorem ſuauitatis produceret, ſacris prædicationibus, lectionibus, Sacramentorumq; miniſtratione illam fouendo: horum omnium teſtimonium ad hunc modum Martino Pont. perhibente in Breui Elnen. Epiſc. dato, vt Apoſtolica auctoritate decretum in Prouinciali Capitulo formatum, quod ad Cantabrigiæ viſitationem Langelegæ conuentus ſpectaret, confirmaret, ſub his verbis: *Super gregem Dominicum nobis licet immeritis deſuper creditum vigilias extendentes, ſpeculatoris officium in decore ſacræ Religionis, ſuper qua dilecti filij Priores & Fratres Prædicat. in Regno Angliæ, mundanis abiectis illecebris deuotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, ingenti*

mentis exultatione reficiuntur proſpicientes potiſſimè quod ipſi ad alta virtutum gradibus per exercitium bonorum operum, & præclara humilitatis merita procedentes, cæteros ad diuinum Maieſtatis obſequium trahunt per exempla, vitam ducendo piiſſimam, diuinisque laudibus, ex quibus gloria attollitur Altiſſimi accuratius inſiſtendo: & hic in mundo mortui, Dominoque Ieſu Chriſto, qui vita eſt, viuentes in ſpiritu, pro vniuerſorum ſalute fidelium preces flagitant inceſſanter, propter quæ ipſos Priores & Fratres, quos etiam ad dictum Ordinem erga nos, & Romanam Eccleſiam ſingulares deuotionis claritate relucere conſpicimus, paternis contemplantes affectibus, circa felicem eorum ſtatum frequentibus vigilamus ſtudijs, & vt Deo propitio in pacis, & tranquillitatis agro locati iugiter protegantur à noxijs, & ab omni perturbatione ſalubribus incrementis conquieſcant, &c. Dat. Romæ apud SS. Apoſtolos 11. Kal. Maij Pont. an. 11.

Idem Martinus Pont. viduatæ Eccleſiæ S. Iuſtæ in Sardinia præfecit Paſtorem virum probatiſſimum P. Hectorem Antonij de Mancha per Apoſtolicum Breue, in Vrbe apud SS. Apoſtolos datum 18. Kal. Maij, in locum prædefuncti Dominici Epiſcopi, incipien. *Dilecto filio Hectori Antonij de Mancha electo S. Iuſtæ ſal. Apoſtolatus officium, &c.* per quæ corrigenda ſunt ea, quæ ex ſcriptoris Vghellianis diximus in noſtro Sac. Theatro Dominicano inter Epp. S. Iuſtæ cum de hoc Paſtore loquimur. Præterea P. Matthæũ Bonimpertum de NouariaMantuanæ Eccleſiæ Paſtorem dedit, cuius merita recenſet Pont. in expeditis litteris Apoſt. dat. 12. Kal. Iunij. Inſuper Scutaren. Eccleſię adminiſtrationem ad Apoſt. Sedis Beneplacitum P. Marino Seldi de Venetijs cōceſſit. Dat. Apoſt. litt. apud SS. Apoſtolos 10. Kal. Ianuarij. Boianen. verò P. Petrum de S. Blaſio per litteras datas vbi ſup. 7. Kal. Martij.

ANNO 1429. Huſſitæ hęretici in Morauia, Silſiaque effrontes, & debacchantes, Monaſteria ſubuertentes, ſacras Virgines conſtuprabant, Fratreſq; omnes, quotquot inuenère, trucidantes, Catholicam fidem ex illis prouincijs totaliter eradicare nitebantur. Cumque per contumeliam Chriſti, Sanctorumque ſacras imagines coaceruatas vndique, & in pyram collectas flammis adiudicarent, Supprior Conuentus Ordin. Prædicat. illius ciuitatis accurrēs, ex flāmis eas erepturus, ſolemnem in foro concionem habuit contra illos, illorumque impias hæreſes, ac facta petulantiſſima. Quare à furente populo captus, atque ſacris imaginibus vinctus ſuppoſitus, accenſo rogo fœlici conſumato agone euolauit in cœlum. *Cochleus in Hiſt. Huſſit. lib. 6. Plodius.*

Conſtātē virum hoc anno Dominicana Religio ſociauit P. Corradinum Bornatum de Brixia, de quo ſuperiori anno. Et licet quod ibi retulimus factum eius ſanctitatis optimum teſtimonium poſſet præbere, tamen quædam alia in illius confirmationem referemus. Fuit Corradinus ieiunijs, vigilijs, ac diſciplinis maximè addictus, ob comprimendos libidinis motus, eademque de cauſa ad B. Virginem confugiebat, vt illibatum virginitatis lilium ad mortem vſq; intactum, atque inuiolatum conſeruare valèret. Cum autem aliquando illam deuotiori ſtudio de hoc interpellaret, duas inter Virgines Catharinam, & Agnetem adfuit cœlorum Regina, & ſacro vngento renes illius perunxit, ex quo tempore omni poſteà libidinis ſenſu caruit. Ferrea catena corpus ad mortem vſque cruentauit, propria, proximique peccata deflendo. Prophetico ſpiritu futuram peſtilentiam, multaq; alia prædixit, & plures ægrotantes ſanitati dedit, mortuo etiam vitæ reſtituto. *Bzou. in Annal. num. 97.*

De-

Demandatur regimen ouium Chriſti in Eccleſia Sutrina à Martino Pontifice P. Andreæ de Piſis Magiſtro Sacri Palatij, vt propriæ vitæ exemplo illarum mores formaret ad dirigendos greſſus ſuos in viam vitæ, in cuius locum idem Pontifex Sacri Palatij Magiſtrum aſſumpſit præſtantiſſimum virum P. Ioannem de Conſtantinopoli, Theologum famoſum, & tanta præfectura dignum, in Sanctis Patribus Græcis verſatiſſimum; dum peracto regimine Prouinciæ Græciæ, à Magiſtro Ord. Texerio ſocius aſſumptus, Ordini inſeruiret. Oblatam Nidroſien. Infulam conſtantiſſimè recuſauit, ſed in ſuo Magiſterio perſeuerans, deceſſit in Curia poſt annum 1431. *Lucarin.*

Temeritatem, necnon & audaciam maximam Huſſitarum hęreticorum compreſſurus Martinus Pontifex Inquiſitores in Septentrionalibus regionibus inſtituit, vt quotquot ex eis captiuos haberent igne, ferro, ac condignis ſuplicijs punirent. Inter cœteros autem P. Ioannem Braſeatoris Generalem Inquiſitorē in Vratiſlauiam miſit, virum doctrina, pietate, atque zelo promouendæ catholicæ fidei in multis probatum, qui omni mortis timore poſtpoſito, in hæreticos quoſcumque ſeuiendo, copioſam eorundem multitudinem cuiuſcumque ſtatus conditionis, & ſexus in publicis plateis igne, ferro, ac patibulo caſtigauit, factus cœteris formidabilis, qui relictis locis eius ditioni commiſſis, ad alias Prouincias fugientes, è manibus eius euaſère. *Bzou. de Propag.*

ANNO 1430. Martinus Pontifex de extinguendis, ac perdendis hæreticis ſollicitus, P. Bartholomæum Lapatium Florentinum, virum doctiſſimū, atque in Græcis Sanctis Doctoribus verſatiſſimum, Generalem Inquiſitorem cum Apoſtolica auctoritate ampliſſima delegauit in Hūgariam, qui aſſiduis diſputationibus, concionibus, priuatiſque colloquijs multos eorundem conuictos ad ſaniorem mentem per errorum abiurationem reduxit, catholicoſque in puritate chriſtianæ fidei conſtabiliuit. Vir ſanè potens in opere & ſermone, qui pro Eccleſia Dei multùm inſudauit, vt dicetur ſequentibus annis. *Ferrar. de reb. Hungar. Prou. p. 3. lib. 1. cap. 4.*

P. Antonius de Carmona ex Valentino Conuentu, Reginæ Aragonum Mariæ, filiæ Regis Caſtellæ à ſacris confeſſionibus, dum abſente Rege Alphonſo Regnum gubernaret ipſa, hæreſes in Aragonia frænauit, compeſcuit, & fugauit, Inquiſitoribus neceſſaria ſubſidia præbendo, quibus faciliùs in hæreticos animaduerterēt, eoſque condignis ſupplicijs mulctarent. Deceſſit autem zelator fidei feruidus hoc anno. *Lopez p. 5.*

P. Io: de Caſanoua Barchinonen. qui Regem Aragoniæ ad adorationem Martini adduxit, aliquando Sacri Palatij Mag. poſtmodum Bonſan. Ep. deinde Eluen. poſtmodum Gerunden. ab eodem Martino Pontifice S. R. E. Cardinalis creatus eſt, cum quibuſdam alijs vltimo ſui Pontificatus anno, quos tamen non publicauit: publicati autem poſtmodum fuère ab eius ſucceſſore Eugenio IV. ſequenti anno. *Ciaccon.*

P. Antoninus de Perozzis, inter ſanctos Confeſſores poſtmodum relatus, antequam Archiepiſcopalem Florentinam conſcenderet Sedem, tanta apud Florentinam Rempub. pollebat extimatione, vt pro eadem, non vnam, ſed multas legationes; nedum apud Apoſtolicam Sedem, verùm & ad ſeculares Principes obiuerit, de quo Vghellus ſic fatetur: *Principibus Chriſtianis maximè charus fuit, ita vt adhuc Praedicator fraterculus pro Republica Florentina trepidàs legationes obiret.* Ital. Sac. inter Florent. Archiepp.

Io: Piſienſis de Prouincia Germaniæ Superioris ita hæreticorum hoſtis effulſit,

vt ad eorundem intuitum ſpiritu in eos fremeret, & tabeſceret, eoquod potentum protectionẽ munitos, cunctos illos ex catholico orbe eradicare nequiret; eoſtamẽ facundo ore in vita, & calamo etiam poſt mortem perſequi non deſtitit: nam ſcripſit contra eos librum doctiſſimum, cui titulus: *De tranſubſtantiatione panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ*, opus eiſdem infenſiſſimum. *Poſſeuinus*.

ANNO 1431. Defunctum 23. Februarij luxit hoc anno Chriſtianus orbis Pontificem Martinum V. verè Maximum, verè pium, dum pro extirpandis hæreticis ſacrum Concilium apud Baſileam indixiſſet; ad quod deſtinauerat Legatum Iulianum Cardinalem Cæſarinum, virum eloquentiſſimum, & cordatiſſimum, cum alijs pluribus ex noſtris Prædicatoribus, vt dicetur. *Bzou. num.* 1.

Antequam verò ex mortalium oculis raperetur Martinus Pont. P. Andræam de Conſtantinopoli Magiſtrum, atq; in S. Palatij ſcholis Doctorem, ſeu Sententiarum Lectorem, Generalem ſocietatis Peregrinantium inter infideles pro Catholicæ fidei dilatatione Vicarium inſtituit, quem & in Poloniæ Regnum propter eandem cauſam cum ampliſſima facultate delegauit, fructu multiplici Eccleſiæ ſanctæ per infidelium conuerſionem ad Chriſtum dato. Expeditæ autem ſunt Apoſtolicæ hac de re litteræ 4. Id. Ianuarij apud SS. Apoſt. an. Pont. 14. quarum exemplar in Ord. Archiuio cuſtoditur.

Prætereà idem Pont. 10. Kal. Febr. P. Antonium Sancti de Reate virum doctiſſimum, omniumque virtutum corona redimitum, proptereàque ſummopere ab eodem in expedito Breui commendatum, perpetuum Apoſtolicum in Vaticana Baſilica Principis Apoſtolorũ Pœnitentiarum conſtituit (cæteris ad Pontificum beneplacitum inſtitutis,) quod munus alia vice laudabiliter exercuerat, vt in eodem Breui teſtatum reperitur, dato in Vrbe apud SS. Apoſtolos Pont. an. 14. *Ex Ord. Archiu.*

In Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam apud Prædicatores, tanquam fidos Domini Canes in Vrbe, habitum eſt Cardinaliũ Conclaue pro eligendo nouo Pontifice, in quo ſalutatus fuit Summus militantis Eccleſiæ Paſtor Card. Gabriel Gundulmerius Venetus, Gregorij Papæ XII. ex Sorore nepos, qui Gregorij IV. nomen aſſumpſit, vir potens in opere, & ſermone. Extat monumentum huiuſmodi electionis ſuper fores ſacrarij eiuſdem Templi in hunc modum.

Memoriæ creationis hic habitæ Summorum Pont. Eugenij IV. & Nicolai V.

Hoc igitur anno inchoatum eſt Generale Concilium apud Baſileam, à Martino V. legitimè indictum, & congregatum contra Huſſitarum, Boemorumque errores, alioſque hæreticos, tunc temporis vigentes, atque pro reformandis Eccleſiaſticorum, cœterorumque fidelium moribus, quod annos plures perdurauit in ſancta obedientia Eugenij IV. Pontificis Max. à quo tandem defecit, verſumque eſt in conciliabulum peſſimum, & diabolicum. *Spondan. hic*.

Cum verò Card. Cæſarinus in Germania Legatus, occupatus eſſet in bello contra hæreticos Boemos, nec poſſet pro tunc Concilio præſidère, miſſi ſunt Eugenij Pontificis auctoritate Ioannes de Palomar Apoſtolici Palatij Gen. Auditor, & P. Ioannes Stoicus de Raguſio Ord. Præd. in Romana Curia Generalis Procurator Baſileam, vt Apoſtolicæ Sedis, necnon Iuliani Card. Legati nomine Concilium auſpicarentur, eidemq; præeſſent, vſque ad ipſius Iuliani aduentum; qui valido exercitu 40. millium pugnatorum, vna cum Friderico Brandeburgen. Marchione, militum Generali

rali Præfecto Boemiam ingreſſus, complures hæreticorum Villas incendit, oppidaq; diripuit, multis millibus eorũ ferro peremptis, non parcentes Germani ætati aut ſexui, vt Huſſitarum crudelitati vices rependerent. *Spondan. num.* 8.

Baſileam igitur ingreſſi ſunt Io. Palomar, & noſter P. Io. Stoicus de Raguſio die Iouis 19. Iulij, & die Lunæ 23. eiuſdem menſis, conuocatis Patribus, qui ad Concilium celebrandum acceſſerant, vnà cum Clero Baſileenſi Concilium inchoauère, ipſis duobus Præſidentibus eidem. Quia verò pauci Patres erant ibi, decretum eſt expectandum fore eorundem maiorem numerum. *Spondan. numer.* 13.

Dum hæc agerentur, Card. Cæſarinus Legatus P. Ioannem Nider Priorem Baſileen. ex Prædicatoribus, & P. Ioannem Helguſium ex Ciſtercienſibus, Nuncios ſuos miſit ad Catholicos Boemos, vt eos confirmarent in fide, atque obedientia erga S. Apoſtolicam Sedem, necnon à pactis, & conditionibus cum hæreticis ineundis dehortarentur: Boemos autem hæreticos, illorumque Anteſignanos ad Concilium vocarent pro illorum falſis dogmatibus à Patribus diſcutiendis, prout fecère. *Spondan. num.* 13.

Acceſſerunt ex noſtris ad Concilium de mandato Pontificis Max. viri egregij, præter recenſitos, inter quos effulſit P. Io. de Texerio Magiſter Generalis Ordinis cum pluribus filijs ſuis, & ſocijs, necnon & P. Henrico Kaltiſen. cũ Ioanne de Conſtantinopoli Magiſtro Sacri Palatij, qui cum ſe præpararet ad iter, hoc anno deceſſit. *Fernand. S. Antonin. 3. part.*

Adfuère quoque Infulati multi, inter quos recenſentur à noſtris ſcriptoribus P. Andræas Archiep. Coloſſen. Andræas Ep. Andren. Antonius Corrarius Epiſc. Ceneten. Antonius Ponticorona Epiſc. Cephaleditanus, Matthæus Epiſc. Mantuanus, & alij, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. *Ex eiſdem Auct.*

ANNO 1432. perdurante Concilio Eugenius Pontifex Nuncios Apoſtolicos ad illud miſit P. Andream Archiepiſcop. Coloſſen. virum præclariſſimum, linguæ græcæ peritiſſimnm, necnon in Doctrina SS. Patrum Græcorum apprimè verſatum, cum Ioanne Archiep. Tarentino, Bernardo Ep. Maglonen. atq; Antonio de S. vito S. Palatij cauſarum Auditore Gener. qui poſt celebratam ſeſſionem 5. in publico Patrum conſeſſu auditi ſunt, exhibitis Apoſtolicis litteris; & P. Andreas 11. Kal. Septemb. orationem luculentiſſimam habuit de malo ſchiſmatis, & diuiſionis Eccleſiæ; deque pacis, & vnionis illius bono; cum exhortatione ad illud omnimodè fugiendũ, hancq; amplexandam; quo faciliùs, & Græci, & Huſtæ conuerti, & morum reformatio fieri poſſet. *Spondan. num.* 13.

Miſit quoq; Pontifex ad Concilium P. Ioannem de Turrecremata Hiſpanum, qui fuit poſtea Sacri Palatij Magiſter, poſt deceſſum P. Ioannis de Conſtantinopoli inſtitutus, virum præſtantiſſimum, atque eo ſeculo nemini ſecundum, à Patribus humaniſſimè receptum, atque ob ſuam doctrinam, prudentiam, virtutes, catholicæque fidei promouendæ zelum, in veneratione habitum, qui multa in eodem Concilio operatus eſt, vt dicetur annis ſequentibus. *S. Antonin. 3. p.*

P. Io. Nider Prior Conuentus Baſileen. eidem Concilio interfuit, qui à Patribus Legatus Concilij miſſus eſt ad Fridericum Marchionem Brandeburgẽſem, & Ioannem Bauariæ Ducem, aliſque Principes, vt ſaluum conductum Boemis hæreticis promitterent, ac iurarent, vt ſalui, & incolumes ad concilium venire poſſent, pro diſputandis articulis, in quibus ab Eccleſia deficiebant. *Cocleus, &*

Bzo-

Bzouius ſub an. 1410. *numer.* 24.

Fructum ſuauiſſimum cœlo dedit hoc anno Dominicana Religio P. Petrum Confluentinum, qui Baſileæ Dominicanum inſtitum profeſſus, paucos annos ſub eo viuens, compleuit tempora multa, inſigni fide, feruenti deuotione, maximoq; virtutum ſplendore, necnon miraculorum operatione illuſtris, à Deipara Virg. & S. Vrſula, quibus ſpeciali deuotione erat addictus, cœleſtibus apparitionibus recreatus, ab hac ſingulare donum promeruit, quod contra omnia tentamenta pudicitię opponeret. Inſtante vitæ termino in riſum lætus prorupit, & de cauſa lætitiæ interrogatus, ſe adſtantem habere dixit S. Vrſulam cum ſuarum Virginum agmine: & his dictis fœlicem animam Deo dedit. *Bzou. num. vlt.*

Ad hunc pertinet annum celebre illud factum P. Ioannis Sarazin. eximij Sac. Teolog. Doctoris, ac verbi Dei annunciatoris feruidi de Conuentu Carnuten. qui Carolo VII. Regi Galliæ à confeſſionibus fuerat; hic videns Patriam ſuam Carnutum dira tyrannide Anglorum per 15. annorum continuatum decurſum detentam, atque hæreſi deprauatis moribus, inteſtiniſque odijs ardentem, ſuis feruidiſſimis declamationibus Crucifixũ geſtans, excitato populari tumultu in Anglos, ex ciuitate illos eiecit, propriumq; Regem in eandem introduxit, pace ciuibus reddita, hæreſique fugata. *Leſeb.*

Dum Concilium celebrabatur Baſileæ ſubortis inter Patres illius, atque Eugenium Pontificem Max. difficultatibus, decreuit hic Concilium diſſoluere, quòd ægrè ferentes illi, Eugenium id facere non poſſe contendebant, Epiſcopoſque Gallos ad Concilium euocabant. Ancipites igitur Galli Paſtores hæſerunt, & ex Regio decreto congregatus eſt conuentus quorundam Epiſcoporum in Biturigen. ciuitate hoc anno, cui interfuère Epiſcopi, Doctores, & Theologi, etiam ex noſtris conſulturi, cui nam parti foret adhærendum. Quibus Eugenio nunciatis P. Ioannem de Turrecremata Sacri Palatij Magiſtrum doctiſſimum, cauſam Apoſtolicæ Sedis defenſaturum Bituricum miſit, qui Gallos in fidelitate erga Eugenium Pontificem confirmauit, atq; induxit, vt procurarent Patrum Baſilienſium erga eundem Eugenium obedientiam bebitam. *Lucarin. Olmeda, & Spondan. ad ann.* 1440. *num.* 7.

Eodem anno graſſante in Portugalliæ Regno, & Vlyſipone præcipuè, dira peſte, quæ maximam mortalium partem illius nobilis Regni de hoc ſæculo nequam eripuit, cum pluribus Religioſis noſtris in Sacramentorum miniſterio occupatis; dum morbus, permittente Deo propter eorundem culpas, & delicta, in dies magis inualeſcebat, P. Andræas Diaz, (qui paulo ante cum beneplacito Apoſtolico dimiſerat Ep. Eccleſię Megaren. in Græcia & Prouincia Acaiæ, in ſuum Vlyſipouen. conuentum reuerſus, vt ibidem in pœnitentijs, alijſque virtuoſis actibus reliquos vitæ dies duceret,) vrgente charitate, ſalutiſque morientium zelo, Sacramenta die, ac nocte infatigabili ſtudio, & amore erga proximum cunctis dira peſte ſauciatis miniſtrabat, pijſque exortationibus ad amplexandam mortem ſuadebat. Cumque in Miſſæ ſacrificio quotidiano cum lachrymis diuinam Bonitatem, vt indignationem ſuam ab afflicto nimis populo auertere, vrgère non deſiſteret, à Spiritu ſancto edoctus, deuotionem erga nomẽ Sanctiſſimum Ieſu Chriſti prædicauit, tanquam vnicum præſidiũ ſalutare contra peſtilentiam, & die 20. Nouembris, quæ in Dominicanam incidit, completa prædicatione in laudem ſanctiſſimi eiuſdem nominis pontificalibus indutus, magnam vas aquæ in Eccleſia præparatum benedixit, quæ ægrotantibus

tibus diſtributa, cunctos ſanabat; atque hac ſacra medicina fugata eſt peſtilentia ex Vlyſiponen. Vrbe, Regnoque Portugalliæ. *Marcheſ. in Sac. Diario tom. 1.*

ANNO 1433. P. Io: de Turrecremata, mandantibus Concilij Patribus, ibidem contra Boemorum errores ſcripſit librum doctum de ſacratiſſimo Chriſti corpore in ſacramento Altaris, & de conceptione Beatiſſimæ Virginis, recognouitque S. Brigittæ reuelationes *S. Antonin. p.*

Acceſsère ad Concilium Boemorum Oratores 4. Ianuarij, & exhibitis ſuorum deliramentorum articulis, decretum fuit à Patribus, vt primo articulo propoſito à Rockyſana de Communione ſub vtraq; ſpecie reſponderet P. Io: Stoicus de Raguſſio Procurator Gen. Ord. (de quo ſup.) qui octo diebus antemeridianis horis eidem ſapientiſſimè reſpondit, mirantibus Patribus Viri ſapientiam, promptitudinem, ac doctrinæ profunditatem. Secundo à Vuenceſlao Taborita propoſito, de corrigendis peccatis publicis, ſatisfecit Aegidius Carlerius Cameracen. Eccleſiæ Decanus per quatuor dies. Tertio ab Vdalrico Preſbytero Orphanorum propoſito, de libera prædicatione verbi Dei P. Henricus Kaltiſen. Confluentinus hæreticæ prauitatis in Germania Inquiſitor vir doctiſſimus per tres dies reſpondit. Quarto autem de ciuili dominio Clericorum à Petro Payne exhibito, ſatisfecit Io. Palonarius cauſarum Sacri Palatij Auditor, necnon & Archidiaconus Barchinonen. per tres dies, quos omnes confutatos, & conuictos agnouere Patres, cunctique adſtantes, ipſis in ſua pertinacia perſeuerantibus. *Io. Cocleus in Hiſt. Huſſitarum Prateol. lib. 9.*

Cum verò Boemis etiam in nonnullis particularibus difficultatibus eſſet reſpondendū, P. Io: Stoicus prædictus ſurgens in medio Concilij clara voce petijt à Patribus ſibi poteſtatem dari, vt priuato nomine ad primum Boemorum articulum poſſet reſpondère. Aſſensū præbuit Sacra Synodus, & octo diebus reſpondit ante meridianis horis; cumque inter reſpondendum crebro hæreſis, & hæreticorum vocabulum haberet in ore, id ægrè ferentibus Boemis, Procopius apud S. Synodum conquæſtus eſt eorum nomine dicens: Conterraneus iſte noſter iniuria nos afficit, hæreticos vocans, cui P. Io: reſpondit: Conerraneus veſter ſum lingua, & natione, proptereaque tam auidè cupio vos ad S. Matrem Eccleſiam reuocare. *Cocleus vbi ſup. num. 69.*

P. Henricus Kaltiſen autem Vlricum Hæreſiarcham effutientem conuicit, & confudit coram publica concilij Congregatione. *Cocleus ibid.*

P. Io: Capreolus, & ipſe de mandato Pontificis, ac Magiſtri Generalis Ordinis Concilio interfuit, vir inſignis, & ſapientiſſimus de Toloſano Conuentu, qui in illo ſæpiùs cum Alphonſo Toſtato, & Oratoribus Boemorum præfatis ſtrenuè decertauit aſſiduis diſputationibus. *Spondan. in Annal. ſub anno* 1443. *num.* 10.

In noſtro autem Baſileen. cœnobio, cui P. Io: Nidor præerat Prior Congregationes à Patribus Concilij habebantur præparatoriæ ad ea, quæ in ſeſſionibus Concilij proponenda, & decidenda fuerant; & ibidem factæ ſunt vſque ad reuocationem Concilij indictam ab Eugenio Pontifice an. 1437. & tūnc eiectis cunctis Eugenij rebellibus, clauſis Conuentus oſtijs, nullam ſatanicam Congregationem in illo habendam voluère deinceps Prædicatores noſtri, vt dicetur infra. *Fernand. & Ferrarius Lucarin. in Chron.*

Mortuo Ioanne Conſtantinopolitano Magiſtro Sacri Palatij, alter Ioannes, huic non impar inſtituitur ab Eugenio IV. Pont. Max. Magiſter, de Turrecremata dictus, vir doctiſſimus, potens in opere, & ſer-

& ſermone à cunctis ſcriptoribus ſummopere commendatus, & in Concilijs celeberrimus, de quo infra. *Lucarin. Olmeda.*

ANNO 1434. Cum P: Io: de Turrecremata S. Palatij Mag. ex ſacri Concilij decreto reuelationes S. Brigittæ recognouiſſet, atque euulgari poſſe Patribus eiuſdem retuliſſet, approbatæ ſunt à Concilio. *Spondan. num.* 12.

Euulgatæ inſuper ſunt in Concilio reſponſiones datæ articulis Boemorum à Patribus Ioanne de Raguſio, & Henrico Kaltiſen, quas refert Bzou. in Annal, hoc anno tali modo.

ORATIO

Qua Io: de Raguſio Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis Reſpondit per octo dies in Concilio Baſileen. ad art. 1. Boemorum, De communione ſub vtraq; ſpecie propoſitum à Mag. Rogzyzana 16. Ianuarij huius anni 1433.

R*Euerendiſſimi, Reuerendiq; Patres, & omnes Patres Domini, & Fratres dilectiſſimi, qui huic ſacræ Congregationi, diuinoque certamini, &c.*

Reſponſiones verò P. Henrici Kaltiſen. ita Bzouius refert.

ORATIO

Henrici Kalteiſen Dominicani, Profeſſoris Sacræ Theologiæ in celeberrima Colonien. Academia, & Hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, quæ in Concilio Baſileen. an. 1433. per dies tres refutauit tertium articulum Boemorum De libera prædicatione verbi Dei. Quem propoſuit per triduũ Vdalricus Presbyter Orphanorum.

P*Atres, & Domini Reuerendiſſimi, Doctores prudentiſſimi, &c. In medio tam magnatorum, tamque auditorij diuiniſſimi locuturus; renuit conſolari anima mea, &c.*

Aſſumpti ſunt ad regendas oues Chriſti in Eccleſijs, P. Petrus de Triniaco Carolo VII. Franciæ Regi à ſacris confeſſionibus in Eccleſia Siluanecten. & P. Laurentius Pinon in Antiſiodoren. iurium ſuæ Eccleſiæ defenſor inuictus, qui bona multa eidem recuperauit. *Gall. Chriſt.*

P. Andreas Ros primus in Valentino Regno peculiaris Inquiſitor Apoſtolica auctoritate inſtitutus, vt diximus, quatuordecim annorum decurſu ſacrum illud tribunal rexit inflexibilis conſtantiæ vir, qui pullulantes hæreſes vigilantia ſumma carpens, ex ſibi credito Regno eradicare conatus, igne, ac ferro iuxta ſacrorum canonum documenta hæreticos perſequutus eſt, Boemos maxime, quorum deliramenta, & veſanias, tam in publicis, quàm in priuatis congreſſibus facundo ore deteſtabatur: cumque bonum certamen certaſſet, curſum conſummaſſet, fidem ſeruaſſet, repoſitam ſibi coronam iuſtitiæ percepturus à iuſto iudice, hoc anno vale dixit mortalibus. *Salelles, & Param.*

In Gallia verò apud Toloſam P. Petrus Brunus Inquiſitor, ne populus curæ ſuæ commiſſus hæreticali veneno Vſſitarum per Regnum illud ſerpente, coinquinaretur, inuigilabat, ipſos hæreticos ad mortem perſequendo, necnon & extremo ſuplicio in cœterorum documentum caſtigando. Quare tantum eis terrorẽ incuſſit, vt ad Toloſanas partes declinare omnino formidarent. *Ex Arch: Toloſ.*

In Polonia autem P. Nicolaus Lancianen. ſeu de Lancicia in ſacra Theologia Baccalaureus, & Inquiſitor, contrà adiacentium Boemorum errores, ne in Poloniam ſerperent, ita vt catholicæ fidei candor aliqua in parte conſpurcaretur, omnem adhibebat conatum: Quare moleſtias, & perſequutiones non vulgares ſuſtinere coactus, in concuſſa conſtantia cuncta ſpernens, ſe ipſum in ſacrificium laudis æterno Deo viuo, & vero diebus ſingulis offerebat. *Bzouius. de Prouin. Polon.*

AN-

ANNO 1435. Publicauit Magiſt. P. Io: Nider, de quo ſup. ann. 1431 opuſculum contra hæreſim Boemorum de Communione ſub vtraque ſpecie in Concilio, à quo miſſus eſt Nuncius Conſtantinopolim ad Orientis Imperatorem Ioannē Paleologū, qui Eugenio Pontifici, ac Patribus Concilij Baſileen. litteras per oratores ſuos dederat anno ſuperiori pro vnione facienda Eccleſię Gręcæ cum latina medio Concilio Generali. *Ferrarius de reb. Hung. Prouin. p. 3. lib. 3. cap. 3.*

Auditis Oratoribus Ioannis Imperatoris Orientis ab Eugenio Pont. ad vnionem Eccleſiæ accelerandam cum Græcis Secretarium ſuum miſit Conſtantinopolim, vt Imperatorem à voluntate celebrandi Synodum apud Conſtantinopolim, amouèret; qui cum eundem Imperatororem cum Græcis in ſua ſententia obfirmatum inueniſſet, re infecta, ad Eugenium Pontificem reuerſus eſt, & quid acciderat, Concilio nunciauit. Ex Concilij igitur decreto delecti ſunt P. Io. de Raguſio, Henricus Manger decretoru m Doctor, Canonicuſque Conſtantienſis. & Simon Frieron Canonicus Aurelianen. Legati ad Imperatorem, vt nomine Generalis Concilij eidem, & Græcis ſuaderent pacta Baſileenſia adimplere, ſuperiori anno ſtabilita; his præcipuè rationibus, quòd perfecta vnio, ipſis etiam Græcis fatentibus, fieri non poſſet abſque Concilio œcumenico ex vtraq; Eccleſia orientali, & occidentali: non autem Conſtantinopolitanum Concilium œcumenicum futurum eſſet ex parte Eccleſiæ Occidentalis, etiam ſi intereſſet Legatus Apoſtolicæ Sedis; ſed tantùm particulare, ac proinde nullum inde fructum ſequturum. *Spondan. num. 17. & Bzouius anno ſequenti num. 17.*

P. Thomas Tomaſinus Venetus poſt rectas cum laude Eccleſias Emonien. Polen. Vrbinaten. & Traguricn. factus eſt ab Eugenio IV. vnitarum Eccleſiarum Maceraten. & Recanaten. Paſtor, vt earundem Chriſti oues in viam pacis dirigeret. *Vghell.*

Triumphanti Eccleſiæ dedit Dominicana Religio athletam inclytum B. Ioannem de Polender Nurimbergenſem, qui de humani generis hoſte maligno, mundo, & concupiſcentis eius triumphaturus, diſciplinis, cilicijs, ac ieiunijs mirrabiliter macerando corpus, illud ſpiritui ſeruire, quoad vixit, coegit. *Plodius.*

Apud Ianuenſes erat Inquiſitor hoc anno, & tempore P. Mag. Raphael de Pornaſio, qui ſacrum tribunal illud annos viginti zelo ſummo rexit. Inuigilabat autem ne Vſſitarum, & Boemorum hæreticale virus apud Ianuenſes pedem figeret, quod in Septentrionalibus partibus ignaræ plebis copioſam multitudinem ad mortem infecerat. Cum verò mercatores quoſdam de tali hæreſi ſuſpectos in vincula conieciſſet, patefacta hæreſi, in ſua ſententia principaliore ex ipſis permanente, brachio ſæculari igne conſumendus fuit relaxatus, complicibus veniam peten. tibus, ac miſericordiam ab Eccleſia implorantibus, ſalutaribus pœnitentijs impoſitis mortem euadentibus. *Taeg.*

ANNO 1436. In Poloniæ Regno P. Nicolaus de Lancicia Inquiſitor hæreticæ prauitatis in Diœceſib. Gneſnen. & Poſnanien. omnem conatum adhibuit pro eliminādis, eradicādiſq; à ſibi ſubditis populis erroribus Boemorum, Vſſitarum, aliorumque hæreticorum, capiendo delinquentes, ipſoſque dignis pœnis, etiam vltimi ſupplicij, mulctando: tradditique plures brachio ſæculari, puniendos igne, ac ferrro; ad quòd perficiendum Vladiſlaus Poloniæ Rex, datis litteris Lanciciæ præcepit omnibus ſuis Gubernatoribus, & Miniſtris, vt eidem aſſiſterent, omnemque operam, & opem

Digitized by Google

efficaciter præſtarent. *Bzou. de Prouin. Polon. cap. 8.*

Legati à Concilio miſſi ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſuperiori anno, vt illum cum Patriarcha Conſtantinopolitano, ac Patribus Græcis ad congregandum Concilium in Italia, pro vnione Eccleſiæ Græcæ cum Latina facienda inducerent, negotio, ſtabilito, ac concluſo, ad Pontificem Eugenium primò, deinde ad Concilium reuerſi ſunt lætantes: Legati autem fuère, vt diximus, P. Ioan. Stoicus de Raguſio Procurator Generalis Ordin. Prædicat. Henricus Menger Decretorum Doctor Conſtantien. Canonicus, necnon Simon Frieron. Canonicus Aurelianen. *Bzou. num. 17.*

Eripitur ex hoc ſæculo nequam, in cœlum euolans B. Michael Pages Catalanus de conuētu Manreſæ, vir vitæ auſteritate mirabilis, regularis obſeruantiæ ſectator egregius, necnon proprij corporis durus macerator, qui in vita, & morte tot fulſit miraculis, vt numerari vix poſſent. *Diagus, & Plodius.*

Michaelem ſequtus eſt ad gloriam hoc quoque anno Cardin. F. Ioan. Caſanoua, religioſę paupertatis amator feruidus, Eugenioque Pontifici in paucis charus, depoſita corporis ſarcina Florentiæ, apud S. Mariam Nouellam tumulatus. Scripſit doctiſſimus Cardin. multa opera, ingenij ſui partus fœlices, inter quę celeberrimū habetur illud *De poteſtate Papæ ſupra Concilium; & contra ſchiſmaticos Baſileenſes.* Ciacconus.

P. Io: Epiſcopus Chelmen. & P. Michael Kijouienſis cum quibuſdam Fratribus Kijouien. conuentus noſtri diligenter curarunt, vt ſchiſmatici Septentrionales ad Eccleſiam reducerentur: At quia in Iſidoro Ruthenorum Metropolita ſummam rei conſtitutam conſpiciebant, quippè cum eius voto cœteri Rutheni, ac Græci ritus Epiſcopi, & ipſe Orientis Imperator Romanam Eccleſiam facilè venerarentur vt Matrem, ſummumq; Pontificem Romanum pro Paſtore Vniuerſali; cum eo totis viribus egerunt, (Eugenio Papa id ſuadente,) diſputationibus, congreſſibus, concionibus, priuatiſque colloquijs, vt ad agnitionem veritatis, & vnitatis Eccleſiæ veniret, quod tandem præſtitit; fuitque cauſa vt Imperator ad Concilium Florentinum acceſſerit pro vnione Eccleſiæ cum Latina conſtabilienda. *Bzou. cap. 3. de Prou. Polon. & Spond. an. 1440. n. 29.*

Eugenius Pontifex erga Dominicanum Ordinem ſingulari dilectione affectus ob fructus vberrimos ab eodem in Eccleſia promanantes, plures ex eis ad varias Epiſcopales Sedes promouit, inter quos recenſetur P. Nicolaus Odalij ad Acaden. euectus, quem multiplicium virtutum meritis inſignitum aſſerit in datis Apoſt. literis apud S. Petrum hoc anno 3. non. Septemb. pontif. an. 6. quæ ſunt in Ordin. Archiuio.

ANNO 1437. Eugenius Pontifex per Apoſtolicam Bullam, datam Bononiæ 14. Kal. Octob. tranſtulit Concilium Generale Eccleſiæ ex Baſileenſi ciuitate Ferrariam. Tenor Bullæ eſt.

Eugenius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam.

D*Octoris gentium admoniti ſaluberrima, ſuauiſſimaque doctrina, hortantis, vt ſolliciti ſimus ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, &c.* eſt in Bzou. nu. 4.

Hæc pro translatione Concilij Baſileen. Ferrariam edixit Pontifex Eugenius virtute decreti, Baſileæ hoc anno 7. die Maij ex communi Patrum, Oratorum Regum, & Principum, ac in primis de conſenſu Nunciorum Imperatoris, & Patriarchæ Conſtantinopolitanorum editi, quo eligebatur Florentia, vel Vtinum, transferendo Concilium: quod decretum Pontifex

tifex

tiſex Bononiæ confirmauit die 29. Maij. *Bzou. num. 4. ſuprad.*

Conceſſit autem Pontifex Patribus Baſileæ congregatis, vt per 30. dies poſſent protrahere Concilium pro decidenda cauſa Boemorum, ſub vtraque ſpecie communicandi, quibus tranſactis declarauit Concilium diſſolutum ipſo facto, ac Ferrariam translatum, irritando quæcumque in illo fuiſſent poſt dictos 30. dies peracta. *Bzou.*

Cum autem de more Concilij ab illius initio ad eandem vſque diem congregationes præparatoriæ factæ fuiſſent in noſtro Prædicatorum conuentu, vt dictum eſt an. 1433. tranſactis poſt receptionem pontificiæ Bullæ triginta diebus, P. Ioan. Nider Prior eiuſdem Conuentus, clauſo oſtio conuentus, noluit Patres Concilij ad Congregationes in illo admittere, proteſtatus diſſolutum eſſe auctoritate Pontificia concilium; propter quod Fratres eiuſdem conuentus tribulationes multas & malas experti ſunt ab eiſdem Patribus, & Ciuibus Baſileen. negantibus illis eleemoſynas dare; vnde pedem efferre è conuentu non audebant. Cumque conſumaſſent cuncta quę habebant commeſtibilia, Qui dat eſcam omni carni Deus, ne fideles ſerui ſui fame perirent, miſſo Iuene quodam cum amplo vehiculo, panibus, piſcibus, ouis, aliiſque commeſtibilibus onuſto Fratrū ſubleuauit inopiam, & euanuit ab oculis eorū: quo facto magis confirmati illi, in veneratione veri Pontificis Eugenij non ſolum permanſère, ſed eam cunctis fidelibus neceſſariam conſtanti pectore ibidem, & alibi populis prędicauère. *Lucarinus Ferrar. & Fernand. cum Taegio.*

Cum verò Patres Baſileen. à Pontifice Max. Eugenio, eiuſque obedientia defeciſſent, multaque in illum egiſſent, decretaque peſſima contra auctoritatem ipſius edidiſſent, P. Andreas Coloſſen. Archiep. orationem habuit ad ſuadendum illis contumacibus, vt cum Eugenio Pontifice pacem haberent, illumque, tanquam ſupremum Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarium reuererentur; cumq; nihil ſe proficere cerneret, illis obſtinatis in malo, ac ſchiſmate, Baſilea cùm omnibus alijs Prædicatoribus diſceſſit, & ad Ferarien. Concilium indictum cum omnibus illis acceſſit: atq; adeo in electione Antipapæ Fœlicis inter 32. electores, nec vnus quidē ex Prædicatoribus fuit, cum ex aliorum Ordinum profeſſoribus multi numerarentur in illa. Fratres autem Conuentus noſtri Baſileen. poſt diſceſſum Archiepiſcopi Andreæ, aliorumque Patrum noſtrorum, innumeras ſuſtinuère calamitates; à populo propter lucra copioſa quę ſibi proueniebant à Patribus Concilij; ibant autem illi gaudentes à conſpectu eorūdem, quoniam digni habiti ſunt pro fidelitate, & obedientia erga S. Sedem Apoſtolicam contumelias & mala multa pati. *Lucarin. in Chron. Ordin. ex Cocleo in hiſtor. Huſſit. lib. 6.*

Poſt electionem Alberti Regis Hungariæ, & Boemiæ in Cæſarem, ac Imperatorem hoc anno factam, Oratores ſuos in Concilio voluit eſſe qui fuerant Sigiſmundi Imperatoris, & in finę huius anni Nurimbergam acceſſit, vt diſcordiam ſedaret, quæ inter Pontificem Max. & Baſileenſes Patres vigebat. Miſit ergo illuc Eugenius Nuncios ſuos, Apoſt. qui congreſſibus nomine ſuo adeſſent, iuraque Sedis Apoſtolicæ defenſarent contra rebelles Baſileenſes, vnuſque ex Nuncijs Apoſt. fuit doctiſſimus P. Io. de Turrecremata. At cum hic animaduerteret Baſileen. nolle in re ad obedientiam Eccleſiæ redire, relictis illis in ſua perditione, ad Eugenium Pontif. cum reliquis Nuncijs Apoſt. reuerſus eſt. *Spondanus anno ſequenti num. 26.*

ANNO 1438. Execrato Baſileen. Conciliabulo, Eugenius Pontifex Concilium Generale Ferrariam euocauit, inchoandum per Nicolaum Albergatum Card. S. Crucis, ſuo, & Apoſtolicæ Sedis nomine, cum plena poteſtate Legati de Latere, datis hac de re Apoſtolicis litt. Bononiæ 4. Non. Ian. anno 1437. ab Incarnatione Domini; qui Ferrariam petens confeſtim die 8. Ian. huius anni in Eccleſia maiori Sacrum conuentum habuit pro intimatione Concilij vnà cum quinque Archiepp. inter quos erat noſter Colloſſen. Decem & octo Epiſcopis, aliiſque pluribus, & inter illos emicabat noſter Prouincialis Lombardiæ P. Ioannes de Monte Nigro, vir verè doctiſſimus. *Spondan. num.* 4.

Die veneris decima menſis Februarij habita eſt Ferrarien. Concilij ſeſſio, cui interfuerunt pro prima vice Generales Ord. Prædicat. & Minorum, aliique Doctores, qui recenter Ferrariam appulerant. *Spondan. num.* 5.

Habita eſt alia Seſſio dicta prima Concilij die 8. Octobr. fer. 4. in amplo Sacello Palatij Pontificis Eugenii podagra laborantis, ideoque ad Epiſcopalem Eccleſiam accedere non valentis, coram Imperatore, ac Patriarcha Græcorum Beſſarione, aliiſq; pluribus Patribus Græcis, in qua delecti fuerunt ex Prædicatoribus ad diſputandum cum Græcis de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, Filioq; P. Andreas Archiep. Coloſen. & P. Io. de Monte Nigro Prouincialis Lombardiæ pro Eccleſia Romana ex parte Latinorum, Græcorum enim linguam optimè callebant. *Spondan. num.* 19.

In 2. ſeſſione idem Arciep. Coloſſen. ex parte latinorum, Beſſarionem, viſum ex Græcis præſtantiſſimum imitatus, graui oratione, Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, totiuſque Synodi laudes, ac gloriam facundo ore celebrauit. Habita eſt autem ſeſſio die Sabbati 11. menſis Octobr. *Spondan. num.* 30. ex S. Antonino, qui tunc temporis viuebat.

In ſeſſione 3. celebrata feria 3. die 14. eiuſdem menſis Marcus Epheſinus Archiep. captata Patrum beneuolentia orationem habuit, oſtendens Chriſtum Dominum pacem Eccleſiæ, velut hæreditatem reliquiſſe fidelibus, quam tamen contemptam fuiſſe à Romana Eccleſia doluit. Reſpondit P. Andreas Coloſſen. Archiep. Romanæ Eccleſiæ nil pace, ac concordia gratius, iucundius nihil vnquam fuiſſe; ac propterea Concilijs Orientalibus omnibus Romanos Pontifices per ſe, vel Legatos ſuos ſemper interfuiſſe, pacemque, & concordiam cum Græca Eccleſia per literas, ac Legatos Apoſtolicos coluiſſe, ac procuraſſe. Subdidit Marcus vera eſſe, dicta; veruntamen Romanos Pontifices diſſidij fomites extitiſſe ob factam ad Symbolum additionem, *Filioque procedit*, quæ ſi ſublata foret, inter vtramque pax illico effulgèret. Reſpondit Andreas, illud verbum iure merito ſymbolo additum fuiſſe, adductis ad id comprobandum multis, tam Græcorum, quàm Latinorum Sanctorum Patrum auctoritatibus, teſtimonijs, & argumentis. *Bzou. n. 7. Spond. num.* 30. *ex S. Antonino.*

In ſeſs. 4. habita 15. Octob. & 5. celebrata die 16. eiuſdem menſis (quod & in ſequentibus ſeſs. 6. & 7. factum eſt) idem Coloſsen. Archiep. cum dicto Marco Epheſino diſputauit de eadem particula *Filioque*, probans legitimè à Romana Eccleſia fidei Symbolo appoſitam fuiſse. *Ex ſuprad. Auct. num. ſequen. adducen.*

Seſſio 8. habita eſt Kalendis Nouemb. in qua Beſsarion Nicenus, orator facundiſſimus, Græcorum partes ſuſcepturus, quæ in antecedentibus ſeſſionibus fuerant propoſita reaſſumens, nouis rationibus, & auctoritatibus, de non facienda tali additione *Filioque* peroravit: Quibus omnibus

omnibus eruditione ſumma, atque doctrina ſolida in Sanctorum Patrum auctoritatibus fundata reſpondit, ac ſatisfecit, Archiep. noſter Coloſsen. P. Andreas, concludendo particulam *Filioque* legitimè, imò & neceſsariò additam fuiſse à Romana Eccleſia fidei Catholicæ Symbolo. Quod etiam in ſeſs. 9. habita die 4. Nouemb. peregregiè comprobauit. *Bzouius vbi ſupra num.* 10. *&* 11. *ex S. Antonino.*

Decima ſeſſio celebrata eſt die Sabbathi 8. Nonouemb. in qua in arenam deſcendit cum Beſſarione doctiſſimus noſter Prouincialis Lombardiæ P. Mag. Io: de Montenigro, diſputando de eadem particula *Filioque*, fuerit nec ne legitimè à Romana Eccleſia Symbulo fidei appoſita, aſſeruitque triplicem additionis modum dari, quorum primus eſt, cum additamentum rei adauctæ opponitur, vt ſi Deum Patrem quis eſſe genitum diceret, quòd eſſet hæreticum. Secundus eſt, qui à re, cui opponitur, tantùm diuerſus eſt, vt ſi Deum Patrem, diceret quis, Geometram, quod eſſet ineptum. Tertius eſt cum vtrumque eſt congruum, vt ſi filius Patri dicatur conſubſtantialis; & hunc tertium modum pium, ac Religioni declarandæ vtilem aſſerebat Ioannes noſter, concluſitque varijs argumentis, & auctoritatibs SS. Patrum, etiam Græcorum, Romanam Sacroſanctam Eccleſiam particulam *Filioque* non addidiſſe, vt fidem Græcorum euerteret: ſicuti prætendebat Beſſarion., ſed vt Nicenum, Conſtantinopolitanumque Concilium, idem eſse, idemque ſignificare, declararet. *Bzou. num.* 12. *ex S. Antonino.*

In reliquis poſtmodum ſeſſionibus reſpondit ad obiecta Card. Iulianus Cæſarinus, & in vltima huius anni translatum eſt Concilium Florentiam propter inſurgentem Ferrariæ, circumuicinìſque locis peſtem. *Bzou. vbi ſup.*

P. Guilerius Balam ex Bethleemitana Eccleſia ad Ebroicenſem regendam transfertur ab Eugenio Papa IV. ſicuti teſtatur Gallia Chriſtiana antiqua inter Ebroicen. Epp. num. 8. §. *Martinus*, qui commiſsos ſibi fideles per viam mandatorum Dei verbo, & exemplo dirigere non omiſit. P. Matthæus autem Armenus Auenicenſis datus eſt Paſtor Eccleſiæ Armenæ, vt populum illum in veneratione S. R. E, contineret, quòd cum præſtitiſset in Cyprum veniens, ibidem quieuit in pace, laborum ſuorum fœlicia prœmia conſequturus. *Galan. de Concil. Eccleſ. Arm.*

ANNO 1439. vigente circumcirca dira peſte, translatum eſt Ferrarien. Concilium Florentiam, & Ianuario menſe egreſſi ſunt Ferraria Eugenius Pontif. Io. Imperator, & Ioſeph Conſtantinopolitanus Patriarcha, vnà cum alijs Patribus Concilij, tam Græcis, quàm Latinis, ac ſuo quique itinere diuerſis diebus menſis Febrarij Florentiam peruenerunt, ad continuandam ibi Synodum Ferrariæ inchoatam. *S. Antoninus.*

In noſtro nobiliſſimo S. Mariæ Nouellæ templo Florentinum Concilium celebratum eſt, in cuius cœnobio permagnifico Pontifex Maximus nobili hoſpitio receptus fuit, cui Concilio inter cæteros noſtros ſupra relatos adfuit S. Antoninus tanquam particularis Doctor; non dum enim Archiepiſcopus Florentinus renunciatus erat, quod contigit poſtmodum 4. Id. Febr. an. 1446. qui Acta in Concilio, tanquam teſtis oculatus, refert. *Spondan. num.* 3.

Dum hæc agerentur Florentiæ in Concilio Sacroſancto pro vnione Eccleſiæ Latinæ cum Græca, in Conciliabulo Baſileen. Patres, qui ab vnitate Eccleſiæ defecerant, laborabant in diuiſione illius procuranda, eligentes Pſeudopontificem Fœlicem, de quo ſupra. Quare Romanæ Eccleſiæ conſulturus Eugenius Pontifex,

Florentiæ

Florentiæ in ipſo Generali Concilio, & Conſiſtorio publico 15. Kal. Ianuarij Cardinales decem & ſeptem creauit, inter quos effulſit P. Io. de Turrecremata Sacri Palatij Magiſter dum ex Hiſpania, ad quam Nuncius Apoſtolicus ab Eugenio fuerat miſſus, ad Concilium reuerteretur, Cardinalis Tit. S. Mariæ transtiberim renunciatus. *Lucarin. in Chron. Ord. Præd. & Spondanus*.

Celebrata eſt poſtmodum ſeſs. 2. apud Florentiam, quæ in ordine Concilij Ferrariæ inchoati fuit 18. in qua ſicut & in ſubſequentibus 19. 20. 21. 22. & 23. diſputatum eſt per Marcum Archiepiſc. Epheſinum ſuprad. & P. Io. de Monte Nigro de Spiritus Sancti proceſſione; ac primùm quidem de ſignificatione vocis *Proceſſio*: deinde de auctoritatibus SS. Ephiphanij, & Baſilij quibus F. Io. aſſerebat probari proceſſionem Spiritus Sancti tam ex filio, quàm ex Patre; quòd tamen negabat Marcus: *S. Antoninus, & Spondanus num. 2.*

Cum verò P. Io. de Monte Nigro teſtaretur D. Baſilium in libro ad Eunomium de Spiritu Sancto aſſerere disertè, Spiritum Sanctum, non ſolum à Patre; verùm & à Filio procedere; & ex collatione diuerſorum codicum D. Baſilij deprehenſa fuiſſet Græcorum malitia, qui in nonnullis vocem *Filij* ſubtraxerant, tuncque Imperator dixiſſet, in Græcia multos reperiri eiuſmodi codices, abſque illa voce; ideoque ſtandum non eſſe paucis illis, qui iam in medium afferebantur, Iulianum Card. Cæſarinum tunc in hæc verba prorupiſſe refert S. Antoninus. *Nonne Imperator Sereniſſime, cum decreuiſſes ad certamen venire, decuit arma tua tecum afferre, & non in ipſo certamine expectare?* Subdit autem S. Antoninus, ad diſputandum cum Græcis quatuor ex latinis electos fuiſſe à Concilio, ex quibus duo eſſent Dominicani, nempe Andreas Archiep. Coloſſen. & Ioan. Prouincialis Lombardiæ, alios autem duos fuiſſe, vnum ex Minoribus, alterum verò Ambroſium Generalem Camaldulenſium. Subdit item Spondanus: *Confutatiſque à Ioanne de Monte Nigro quæ ad prædicta ſingula Marcus Epheſin. opponeret, aut reſponderet, adeo vt ſæpius obmuteſcere cogeretur.* S. Antonin. & Spondan. num. 2.

In ſeſſionibus autem ſubſequentibus 24. & 25. habitis die 21. & 24. ad audiendas magis alias Latinorum reſponſiones ad Græcorum argumanta, & prolatæ in antecedentibus ſeſſionibus doctrinæ probationes, atque confirmationes, quàm ad nouas diſputationes ineundas; poſtquam id noſter Io. de Monte Nigro præclarè & doctè egit, nemine Græcorum contradicente, additis deinceps pluribus priuatis congreſſibus tam Græcorum inter ſe, quàm Latinorum cum ipſis, miſſiſque hinc inde à Pont. Maximo Imperatore, & Patriarcha Nuncijs, collocutis inſuper inter ſe Eugenio, & Imperatore, plerique ex Græcis ſententiæ Latinorum adheſerè, ipſo Marco Archiep. Epheſino in ſua pertinacia perſeuerante. *S. Antonin. & Spondan. num. 4.*

Beſſarion autem inter ipſos Græcos vir famoſus, rationibus Monte Nigri conuictus, pro Spiritus Sancti à Filio proceſſione fortiter agens, hanc Sanctorum Patrum doctrinam fuiſſe, aſſeuerabat viriliter, habuitque ad ſuos Græcos orationem elegantiſſimam dogmaticam pro vnione cũ Latinis amplexanda, quæ tandem facta eſt, ipſo Patriarcha Conſtantinopolitano, Imperatore, Epiſcopiſque, Rutheno, Nicœno, Lacedæmonio, Mitylenenſi, Rhodio, Nicomedienſi, Diſtrenſe, Gannenſe, Dramenſe, & Melenienſe conuenientibus ſimul, & ſtatuentibus tenendum eſſe Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio vt ab vno principio, & vna ſubſtantia; & procedere per Filium, vt conna-

connaturalem, & conſubſtantialem, ſolo Marco Epheſino Archiep. in ſua ſententia perdurante. S. Antoninus, & Spondanus num. 9.

Facta igitur, maxima cum Chriſtiani Orbis exultatione, vnione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, contigit Patriarcham Conſtantinopolitanum veſpere diei 9. Iulij repentè ex hac vita migraſſe, & reliquiſſe hanc ſcripturam propria manu exaratam *Ioſeph miſeratione Diuina Archiep. Conſtantinopolis noua Romæ, & œcumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitæ meæ perueni ſoluturus iam commune debitum, Dei gratia ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam apertè vniuerſitati meorum filiorum. Omnia igitur, quæ ſentit, & dogmatizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſenioris Romæ, ipſe quoque ſentio, & ijs me acquieſcentem do, ac dico. Profiteor quoque Batiſſimum Patrem Patrum, & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini noſtri Ieſu Chriſti antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem: necnon Purgatorium animarum. In horum quippe fidem ſubſcriptum eſt die menſis Iunij 9. 1439. Indictione ſecunda*. Ex quo colligitur qualem fructum dederint Eccleſiæ Sanctæ diſputationes, & congreſſus cum Græcis habiti à Fratribus noſtris Andrea Archiep. Coloſſen. & Io. de Monte Nigro Prouinciali Lombardiæ. Fuit autem ſepultus Ioſeph Patriarcha ſummo honore, maximaque funeris pompa, adſtantibus Cardinalibus cum Patribus Concilij omnibus, ritu Græco terræ traditus, in Templo noſtro magnifico S. Mariæ Nouellæ. *Spondan. num. 10. ex S. Antonino*.

Diſputauère quoque in eiuſdem Concilij congreſſibus præſtantiſſimi Theologi P. Ioan. Cardin. de Turrecremata, & P. Bartholomæus Lapatius maxima cum ſui, & Ordinis laude. Quare *Defenſoris Fidei* titulum Io. à Patribus promeruit, & ab Eugenio Pontifice. Ioannes autem de Monte Nigro, Sacras Infulas oblatas, etiam maiores, ſuſcipere recuſauit, in humilitate magnus, in paupertate diues, & in ſcientia Angelicus effectus. *Lucarin. in Chron. Ord. S. Antonin. & Fernand.*

Completis diſputationibus, factaque vnione, Eugenius Pontif. eiuſdem vnionis, decretorumque in Concilio Bullam expediuit die 6. Iulij Octaua SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, cui ſubſcripsère idem Pont. Max. cum octo Cardinalibus ibidem exiſtentibus, & ex parte Latinorum duo Patriarchæ, Hieroſolymitanus, & Gradenſis, duo Epiſcopi Oratores Ducis Burgundiæ, octo Archiepiſcopi, & alij Epiſcopi 47. quatuor Generales Ordinum, & inter eos noſter Bartholomæus Texerius cum 41. Abbatibus. Græco verò autographo ſubſcripsère Imperator, duo Vicarij Patriarchæ Alexandrini; vnus Antiocheni, vnuſque Hieroſolymitani, cum Beſſarione: Seſſiones autem omnes Concilij habitæ ſunt in noſtro permagnifico templo S. Mariæ Nouellæ. *Spondan. num. 12. ex S. Antonino*.

Dum hæc agerentur cũ ſumma quiete, ac pace in Concilio Florentino, maximum ſchiſma in Eccleſia moliti ſunt, qui Conciabulo Baſileenſi intererant, deponentes auctoritate, qua carebant, Pontificem Maximum Eugenium IV. in ſeſſione 24. eiuſdem Conciliabuli die 25. Iunij: quod facinus ita deteſtati ſunt Principes cuncti, imo & Patres, qui in eodem Conciliabulo permanſerant, vt ex triginta Epiſcopis eiuſdem Conciliabuli, octo tantummodò ſeſſioni huic, & depoſitioni interfuerint, inquit Turrecremata; & inter ipſos aliqui Epiſcopatu priuati; alijque eidem Eugenio inſenſiſſimi, Oratoribus Principum recedentibus; ſicuti Sanctus Antoninus, qui eo tempore viuebat, refert. *Spondan. num. 13.*

At Deus, qui non permittit nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ignitos ſerpentes in

tes in populum duræ ceruicis, immiſit; hoc eſt peſtẽ ſæuiſſimam Baſileæ graſſantem, qua multi ex miniſtris Conciliabuli conſumpti ſunt, Eugenio Pontifice diras eccleſiaſticas, ſententiamque ex communicationis in eos proferente in Concilio Florentino. *Spondan. num.* 33. *&* 34.

P. Hieronymus Ioannis de Florentia oratoria arte excellentiſſimus in eadem Florentina Synodo elegantiſſimas orationes pluries habuit ad Patres illius pro ſancta vnione inter Græcos, & Latinos facienda. *Lucarin. in Chron. Ord. & Fernand. in Concertat.*

P. Ioanni de Bordonio demandata eſt ab Eugenio Pontifice cura Alexandrinæ Eccleſiæ, vt illius oues Chriſti ſanguine redemptas è diaboli faucibus erutas, per viam mandatorum Dei in vitam ęternam dirigeret, rexitque gregem ſibi commiſſum vſque ad Nicolai V. tempora. *Ex Vghell. manuſcript.*

Creato Card. Ioanne de Turrecremata, Eugenius Pont. in eius locum Sacri Palatij Magiſtrum delegit P. Bartholomæum Lapatium de Vbertinis nobili loco Florentiæ natum, virum tanto Magiſterio digniſſimum, non modò latino eloquio, verùm & græca redolentem eloquentia, qua in Florentino Concilio pluries cum Græcis diſputans, illorumque argumentis non ſuccumbens, Latinam Eccleſiam cum Prædicatorum Ordine, doctiſſimi, atque eruditiſſimi viri ſibi nomine vindicato, plurimùm illuſtrauit. *Olmeda & Lucarinus.*

ANNO 1440. terminato Concilio & in ſuas Eccleſias reuerſis Patribus, cum Card. Venetus Apoſtolicus de Latere Legatus ad Imperatorem Conſtantinopolitanum miſſus fuiſſet ab Eugenio Pontifice, ſecum duxit P. Bartholomæum Lapatium de Vbertinis Florentinum, græcæ linguæ peritiſſimum, (de quo ſupra anno antecedenti) atque in lectione Sanctorum Patrum, tam Latinorum, quam Græcorum verſatiſſimum; qui coram Imperatore, totaque eius Imperiali Curia cum Marco Epheſino Archiep. publicum certamen habuit de his, quæ in Florentino Concilio definita iam fuerant; & Spiritu Sancto linguam eius dirigente, tanta facundia, ac Patrum eruditione ſacra cuncta probauit, vt confuſus Marcus, & argumentis Bartholomæi reſpondère neutiquam valens, nimio mœrore tabeſcens infra paucos dies infœlicem animam euomuerit cum ſtercore per os, in perpetuas æternitates gehennali igne cruciandam; deceſſit enim in ſua obſtinatione. *S. Antonin. & Luſitan. in Chron. Spond. n.* 16.

P. Io. Card. de Turrecremata ſcripſit eruditum opus contra electionem Fœlicis Antipapæ, noui Idoli Baſileenſis Conciliabuli, in defenſionem veri Pontificis Eugenij, quo eorum inſanias, malaque opera deteſtatur, electum Fœlicem Idolum Sathanæ nuncupando, recedente à tali electione, vt ſupra ediximus ex triginta Epiſcopis maiori eorum parte, Principumque Oratoribus cunctis ab eadem alienis, *Spondan. num.* 31. *ſuperior. anni.*

P. Ioan. Leonis Romanus Larinen. Epiſcopus, vir doctiſſimus ſcripſit de Concilijs Baſileien. Ferrarien. & Florentino, necnon, *De Synodo, atque Eccleſiaſtica poteſtate.* Lucarin.

P. Nicolaus autem de Cuſa vir doctiſſimus, vitiorum hoſtis accerrimus, animique integritate mirabilis, contra huiuſmodi execrabilem electionem per Germaniam totam prædicauit, populos illos ab Idolo Sathanæ auertendo, atque in fidelitate erga verum Pontificem Maximum Eugenium conſtabiliendo, à quo Brixienſis Eccleſiæ Paſtor renunciatus, oblatam dignitatem aſſumere recuſauit, paupertatis, & religioſæ quietis deſiderio flagrans. *Spondanus vbi ſupra & Anton. Senen:*

Euge-

Eugenius verò Pontifex ne Pontificiæ dignitati, ſibique deeſſe videretur, & ad extirpandum Idolum Sathanæ, 10. Kal. April. huius anni Amadeum Sabaudum, electores, fautores, ac ſequaces omnes dicti Fœlicis Antipapæ, niſi infra quinquaginta futuros dies reſipiſcerent, vt hæreticos, ſchiſmaticoſque anathemati ſubiecit, incurſuros pœnas contra huiuſmodi à iure latas (*Ne videretur Eugenius liuore vindictæ, non zelo iuſtitiæ procedere*) inquit S. Antoninus. *Spondan. num.* 5.

Eugenius quoque hoc anno ad Eccleſiarum regimina Prædicatores aſſumpſit; & quidem Bartholomæum Lapatium de Vbertinis in Florentino Concilio celebrem ad Cortonen. in Etruria: Leonem Ligurem ad Alerien. & Thomam Tomaſinum tranſtulit ad Bellunen. qui ſibi creditas oues per viam ſalutis verbo, & exemplo direxère. *Vgell.*

Poſt aſſumptionem Lapatij ad Eccleſiam Cortonen. ex qua ad Coronen. poſt octo annos tranſijt, factus eſt Magiſter Sacri Palatij P. Henricus Kaltiſen. patria Confluentinus, qui in Concilio Baſileen. contra Vldericum ſuæ doctrinæ copiam fecerat; Inſeruiuit Apoſtolicæ Sedi Henricus annos duodecim, promotus deinde ad Archiepiſcop. Nidroſien. in Noruegia. *Olmeda & Lucarin.*

ANNO 1441. & ſequentibus P. Michael Ferriz Inquiſitor in Aragonia, & P. Martinus Trilles Inquiſitor Valentinus, vt hæreſim carperent, viriliter in hæreticos inſurgebant, & Vuiclephiſtas maximè, plures illorum condignis ſupplicijs caſtigantes, aliquibus S. Matri Eccleſiæ per ſalutares pœnitentias reconciliatis, alijs verò igne, & ſuſpendio conſumptis. *Diagus.*

Eugenius Pontifex animo perpendens quanta feciſſent Prædicatores in tranſactis Concilijs pro iuribus Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ defenſandis; necnon, & pro vnione Græcorum cum Latina Eccleſia, cuius fuere ipſi præcipui auctores, Collegiatam S. Mariæ de Caſtello Ianuen. ciuitatis cum canonicatibus, & Parochia ſuppreſſit, atque noſtris Fratribus Prædicatoribus in regulari obſeruantia viuentibus liberè conceſſit cum omnibus bonis, & iuribus ad eandem ſpectantibus, datis Apoſtolicis litteris pro ijs omnibus exequendis Epiſcopo Accien. & Priori S. Theodori extra muros Ianuen. in quibus de Ordine Prædicatorum, eiuſque Fratribus in eum locum venturis ſic ait: *Sed & vt vniuerſi de ciuitate prædicta, & alij fideles in ea pro tempore cōmorantes, plurimas ſuarum animarum vtilitates, conſolationes, & gaudia ſentire debeant, &c. Nos igitur cultum, & augmentum, ac Religionis propagationem huiuſmodi, noſtris potiſſimè temporibus, vbique locorum vigère intentis deſiderijs affectantes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, &c.* Vghell. inter Archiep. Ianuen. ſub. n. 24.

Apud Conſtantinopolim P. Bartholomæus Lapatius de Vbertinis (de quo anno antecedenti) in lingua græca, ac Sanctis Patribus græcis verſatiſſimus, innumerós Græcos ad proteſtādam fidem Catholicam de proceſſione Spiritus Sancti *à Patre, & Filio* ſuis prædicationibus, diſputationibus, & congreſſibus attraxit, maxima cum animi exultatione Pontificis Eugenij, videntis vberrimos fructus opera Fratrum Prædicatorum in Eccleſia promanentes. *Lucarin. in Chron. Ord.*

Vixit hoc tempore in Baſileenſi conuentu, Cantoris functus officio P. Paulus de Franchenſtein, vitæ ſanctitate mirabilis, abſtinentijs, vigilijs, & diſciplinis aſſuetus, qui perditionem illius ciuitatis, impio Idolo diaboli Fœlici pſeudopontifici addictæ, quotidie lamentabatur, & inconſolabiliter deflebat, videns tantam animarum multitudinem in ruinā declinantem ſempiternā. Auertere igitur omni

conatu curabat populum ab illius adoratione, aſſiduis prædicationibus, atque monitis; & multos quidem ad deteſtationem illius adduxit. Cæterùm ne peiora videret, raptus eſt à Domino in cœlum hoc anno ex eodem Baſileen. conuentu, in quo propter fidelitatem erga S. Apoſtolicam Sedem tribulationes innumeras, & malas ab impijs ſchiſmaticis paſſus fuerat cum reliquis Fratribus noſtris. Retulit Confeſſarius, cui cuncta vitæ ſuæ peccata confeſſus fuerat, ipſum nunquam mortaliter peccaſſe. *Plod.*

Ioannes Cardin. de Turrecremata glorioſiſſimus, pijſſimus, & doctiſſimus vir ſcripſit erudirè *De Concilio Florentino* contra Græcos de eo obloquentes. Inſuper *De Concilijs & Eccleſia*. Necnon *De Authoritate Eccleſiæ Romanæ* ſuper cæteras. Scripſit inſuper *De vnitate Græcorum*, quam in Florentino Concilio præſtiterant, ac promiſerant; at heu citò nimis ab ea defecerunt. Euulgauit quoque *Reſponſionem ad Baſileen. Oratorem*, atque etiam *Contra Mahometi Alcoranum*; ſcripſit præterea alia opera, præclara cuncta, quæ quia ad rem noſtram nonfaciunt, iure merito non referimus. Iuſſu autem Patrum Baſileen. Concilij, antequam in Conciliabulum verteretur, S. Brigittæ Reuelationes recognouit, quas doctiſſimo Commentario illuſtrauit vt innuimus ſup. *Lucar. Plod.*

ANNO 1442. Eugenius Pontifex zelum promotionis Catholicæ fidei P. Bartholomæi Lapatij miratus, eum Nuncium Apoſtolicum cum pleniſſima auctoritate miſit in Hungariam, & Poloniam ad comprimendam naſcentem hæreſim, quæ, *Simplicis animi*, dicebatur. Properauit in Poloniam, & Hungariam ille, & rem fœliciter, Deo fauente, peregit hæreſi iugulata. *Ferrar. par. 3. lib. 4.*

P. Nicolaus Iaquerius hæreticorum malleus & ipſe zelo zelatus pro Domino Deo, ſcripſit librum contra Hæreticos Valdenſes, quorum deliramenta detexit, diſcuſſit, & validis rationibus deſtruxit. *Bibliot. Belgica.*

P. Petrus de Ieremia Doctor in ſacra Theologia celebris, & Prior conuentus S. Zitæ de Panormo, ab Eugenio Pontifice miſſus Apoſtolicus Commiſſarius ad reformandum Monaſterium S. Placidi de Meſſana, illud tam in capite, quàm in membris, ſtrictiori regularis vitæ diſciplina Monachis reſtituta, reformauit. *Sicil. Sac. tom. 2. lib. 3.*

P. Fœlix de Neapoli, vir religioſiſſimus ab Eugenio Pontifice aſſumptus eſt ad regendam Caietanam Eccleſiam; vt populum illius in viam ſalutis æternæ dirigeret: & Cardinalis de Turrecremata, S. Sixti dictus, ab eodem Pontifice commendatam habuit Eccleſiam Aurienſem in Hiſpania. *Bzou. num. 12. & Vghell.*

Cũ in Hiſpania apud Durangum Fraticellorum ſectę impurę, fœdęque ſemina excitata fuiſſent, à noſtro Generali Inquiſitore extincta ſtatim fuere, aliquibus ex eis errores abiurantibus, alijs viuis combuſtis. Quidam verò illius improbæ ſectæ coryphæus Alphonſus Mallu rigorem S. Officij declinans, ad Mauros Granatenſes confugit, pluribus ſecum adductis mulierculis, vbi infœlix per ludum crucifixus quam fugerat mortem inuenit. *Bzouius num. 13. Diag.*

Cum Patres noſtri Feſulani Conuentus regularem obſeruantiam exactiſſimam profitentes, ſuis prædicationibus, ſacramentorumq; adminiſtrationibus Florentinum populum ad meliorem viuendi normam in dies reducerent, idque Eugenio Pontifici Florentiæ exiſtenti optimè innoteſceret, hic ad ſupplicationem S. Antonini Feſulani Conuentus Prioris monaſterium S. Marci, quod ad Siluestrinos Monachos pleno iure ſpectabat, eidem S. Antonino, & Feſulanis Patribus conceſſit pro concionibus in eadem ciui-

tate

tate habendis, atque ſacramentis populo commodius miniſtrandis: Eccleſiam autẽ non dum conſecratam, ſolemni ritu per Cardinalem Capuanum in feſto Epiphaniæ conſecrari voluit Pont. & conſecratione peracta, ſolemnem Capellam Pontificiam cum Cardinalibus ibidem habuit, peculiaribus indulgentijs adſtanti populo elargitis. *Tueg. in Monum. Ord.*

ANNO 1443. Agebatur Francofordię in cauſa ſchiſmatis conuentus, magna Principum frequentia, cui præerat Fridericus Cæſar, ad quem acceſsère Cardd. Antipapæ Fœlicis, Arelatenſis, Panormitanus, ac Segobienſis, Legati eiuſdem: necnon Io. Carauial, P. Nicolaus de Cuſa noſter, & Iacobus Ferrarienſis ab Eugenio Pontifice Max. Nuncij miſſi. Dum autem Aquiſgranum ad ſuſcipiendam primam coronam Fridericus properaſſet, conſtituit aliquos Epiſcopos, qui Cardinales præfatos Fœlicianos, & Apoſtolicos Eugenianos Nuncios interim audirent. Auditus eſt igitur primo pro parte Fœlicis, Card. Panormitanus, qui infinitis iurium allegationibus adductis, pontificatum Fœlicis, cauſam depoſitionis Eugenij, & proſequtionem Concilij probare niſus eſt, tanquam ritè factam. Auditi ſunt poſtmodum Eugeniani Nuncij, ex quibus ſolus P. Nicolaus de Cuſa, (de quo ſup. an. 1440.) loqutus eſt, dicens: primùm iniquos Amadeiſtas fuiſſe iure merito damnatos, & excommunicatos, dirisq; ſuppoſitos. Deinde cauſam Eugenij, & translationis Concilij Baſilea Ferrariam facuendo ore egit, validiſque rationibus fuiſſe ritè factam comprobauit, ſubdens, Baſileen. Conciliabuli fructum ſchiſma fuiſſe, diuiſionem Eccleſiæ, & abominationem Fidelium Chriſti: Depoſitionem autem Pontificis Maximi, Eugenij à non habentibus auctoritatem inductam, ridiculam apud omnes viros cordatos haberi: maximè cum ad depoſitionem vnius Epiſcopi, duodecim ſint neceſſarij: ad depoſitionem verò Pontificis Maximi ſoli ſeptem (nam tot interfuerunt Conciliabulo in depoſitione Eugenij inquit S. Antoninus) ſatis fuerint adiudicati ab impijs: Ferrarien. autem & Florentini Concilij fructum fuiſſe vnionem Græcorum cum Eccleſia Latina; Conuerſionem Armenorum, Iacobitarum, & Iberorum; pro indeque deferendos, & eijciendos eſſe Baſileenſes cum ſuo Sathanæ Idolo, atque recipiendum, venerandumque tanquam vnicum, & ſupremum militantis Eccleſiæ caput Eugenium IV. Pontificem Maximum Chriſti Vicarium. Dederunt inſuper vtrique Cardinalis ſcilicet Panormitanus, & P. Ioannes in ſcriptis contradictiones ſuas, vt fideliùs pleniuſque Cæſari & Principibus cuncta referentur. *Spondan. in Annal. ſub an. 1439. num. 31. & 1442. num. 6.*

Eugenius Pontifex videns Prædicatores in cuſtodiendis ouibus Chriſti ſc cordatos, charitate feruidos, peruigileſque exhibere, P. Raymundum de Tullio Conſeranenſi Eccleſiæ in Vaſconia Paſtorem præfecit, & P. Ioannem Alamanæ Maioricenſem Regi Siciliæ à ſacris confeſſionibus, necnon & Maiorem Capellanum ex Vrgellenſi Sede translatum ad Syracuſanam promouit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Sicil. Sac. tom. 1.*

Cum Alphonſus Toſtatus ſententias, ac concluſiones quaſdam Theologicas apud Senas diſputandas propoſuiſſet, atq; in ipſis defenſandis in errores aliquos circa auctoritatem D. Papæ incidiſſet, Eugenius Pontifex illos à Card. de Turrecremata cenſura notari voluit, quod & præſtitit ipſe feſtinantur. *Spond. n. 10.*

ANNO 1444. Clarebat in Sacro Palatio ſententiarum Lector celebris P. Bartholomæus Pennades de conuentu de Balaguer ex prouincia Aragoniæ, qui egregium librum compoſuit de

hæreticis, hæreſibuſq; ſuorum temporum, quas retulit, & impugnauit doctiſſimè; eorum vafritiem, veſaniam, ac pertinaciam detegendo. *Lucarinus de Script. Ordin. Lopez p. 5.*

Cum Aetnæus ignis è faucibus montis erumpens Catanam versùs irrueret, & pagis, ac caſtris multis damna maxima intuliſſet, peioraque in Catanenſi ciuitate timerentur, proptereaque vlulatibus, ac gemitibus populus diuinæ iræ placationem imploraret: P. Petrus Hieremias de Conuentu Panormitano, qui ibi in Ordinis Eccleſia conciones feſtiuis diebus feruentiſſimas Catanenſibus habebat, magnæ pietatis, ac probitatis vir, apud eoſdem in veneratione maxima, accurrens ad Eccleſiam, velo S. Agathæ aſſumpto, Cleroque comitante, ad eam partem ciuitatis proceſſit, cui ignis imminebat, & ſigno crucis contra flammas inſurgentes iteratis vicibus facto, hæ receſsère ſtatim, aliò declinantes, & meritis eiuſdem S. Virginis, & Mart. Catanen. ciuitas à proximo excidio liberata eſt, regioque decreto ſancitum fuit, vt Hieremias Cathedrale templum iam iam corruiturum regijs ſumptibus permagnificè repararet. *Sicil. Sac. in Notitia Catanen. Eccl.*

P. Gaſpar Petri de Bononia Inquiſitor Bononien. quoſdam hæreſis Fraticellorum ſectatores veſanias ſuas in occulto coram ignara plebe manifeſtantes cum detexiſſet, eorundemque aliquos in vincula conieciſſet, formato proceſſu, illos tãquam hæreticos damnauit, & reſipiſcentes per pœnitentias ſalutares S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, tribus ex eiſdem in ſua pertinacia perſeuerantibus ſæculari brachio traditis, qui in publico foro ante Eccleſiam S. Dominici viui cremati ſunt. *Taegius.*

P. Raymundus de Fillio factus eſt Toloſanus Inquiſitor, vt populum illum Eccleſiæ fidei Sanctæ deuotum in puritate catholicæ fidei conſeruaret illæſum, atq; ab hæreſi, & hæreticis alienum, qui cũ munus ſuũ indefeſſo labore exequeretur, effrontes hæreticos frænando, in præteritorum laborum præmim ad Eccleſiaſticam Inſulam poſtmodum euectus eſt à Nicolao V. Pont. *Gall. Chriſt. ex Relat. Toloſ.*

ANNO 1445. Perſeuerabat adhuc Concilium Florentinum ab Eugenio Romam tranſlatum, cuius approbationis decretum ipſe condidit 7. non. Auguſti in Congregatione apud S. Petrum habita, pro Chaldeis, & Maronitis; quo narrat quomodo poſt celebratam Synodum Florentinam, in qua Græci, Armeni, Iacobitæ, & Meſopotami vniti ſunt cum Eccleſia Latina, P. Andream Archiep. Coloſſen. ad partes Orientis, & Cypri Inſulam deſtinaſſet, vt Græcos, Armenos, & Iacobitas, necnon & Moſopotamos ibidem degentes, in ſuſcepta Catholica fide confirmaret, & Neſtorianos cum Macarij ſequacibus ad agnitionem Catholicæ veritatis perducere conaretur; quod ille indefeſſo labore præſtans diligentiſſimè, per diuerſas, multipliceſque diſputationes Timothæum Tarſen. Archiepiſcopum Metropolitam Chaldæorum Cypri Neſtorianum, & Eliam Epiſcopum Maronitarum Macarianum cum vniuerſo eorum Clero, & populo Inſulæ Cypri ad Romanam fidem profitendam adduxit; adeo vt Timothæus ipſe cum Iſaac Eliæ nuncio, ſolemnem fidei profeſſionem emiſſuri, Romam ad Eugenij pedes profecti ſint. *Spondan. num. 4.*

Eugenius Pont. demandauit regimen Signinæ Eccleſiæ P. Petro Antonio Petruccio Viterbien. viro pio, & erudito; & P. Fœlicem tranſtulit ab Eccleſia Caietana ad Stabienſem. Ioannem verò Alamanum ex Syracuſana ad Maioricen. *Pyrrus.*

Euolauit in Cœlum B. Ioan. Micon ex Prouincia Beticæ, vir doctrina, & pietate clariſſimus, miraculorum gloria maxima co-

ma coruſcans, qui peccatorum conuerſioni ſedulam operam nauans, plurimas perditorum hominum animas per pœnitentiam ad Chriſtum attraxit. Scripſit multa opuſcula pia, & inter alia de prætioſo Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine, opus commendatiſſimum. *Diagus.*

Clarebat hoc tempore & anno in Italia tota Prædicator famoſus P. Thomas de Trentaquatro Bononienſis, Apoſtolici pectoris vir, ſalutiſque animarum ſitientiſſimus, ad peccatorum indurata corda emollienda ſingulari dono à Deo ditatus, qui cum Neapoli coram Alphonſo Rege quadrageſimali tempore concionaretur, atque contra meretrices ardenti ſpiritus zelo, ſemel, iterum, ac tertiò inuehæretur, tanta fuit earundem conuerſio ad pœnitentiam, vt multæ domus ad illarum receptionem, à Rege ad hunc effectum delectæ, non ſufficerent. Quare, hortante Thoma, Alphonſus Rex eaſdem ad diuerſa Caſtra miſit, ibidemque in pœnitentia dies ſuos conſumentes, regia annona enutriuit. *Taegius in Monumentis Ordinis.*

ANNO 1446. Iterum congregati ſunt apud Francofordiam Electores Imperij, Dux Brandeburgen. cum alijs Principibus, & Epiſcopis pro cauſa Baſileen. Conciliabuli terminanda, paceque optata diù fidelibus concedenda. Adfuère & Nuncij noui Idoli Diaboli Fœlicis, & & Conſilij Baſieen. Adfuère quoq; Legati Apoſtolici veri Pontificis Max. Eugenij P. Nicolaus de Cuſa, de quo ſupra anno 1443. Thomas Ep. Bononien. & Io. Caruaiales. Hi igitur Apoſtolici Nuncij delatis, & exhibitis propriæ Legationis Eugenij literis, admiſſi ſunt ad congreſſus, in quibus P. Nicolaus partes Eugenij ſuſcipiens, ita in defenſione auctoritatis Pontificiæ ſe geſſit, vt Germani, qui antea neutrales fuerant, execrato Conciliabulo cum illius Idolo, ad venerationem veri Pontif. Max. Eugenij proceſſerint. *Bzou. in Annal. num. 4.*

P. Simon de Blundo Panormitanus Alphonſi Siciliæ Regis Capellanus, ad eiuſdem Regis petitionem factus eſt Abbas inſignis Abbatiæ SS. Petri, & Pauli de Agro ab Eugenio Pont. vt Monaſterium illud ad regularem obſeruantiam reformaret, cui idem Rex conceſſit & terram, & fortilitium de Agro. Deficiente verò Simone factus eſt Commendatarius Abbas eiuſdem Monaſterij Magnus ille Beſſarion Græcus Conſtantinopolitanus. S. R. E. Cardinalis, in Florentino Concilio famoſus an. 1450. *Sicil. Sac. Not.* 10.

Magnus Antoninus conſiliorum, cuius doctrina in Florentino Concilio S. Eccleſiæ Latinæ multum profuit ad vnionem conciliandam cum Græcis, à Pontifice Maximo Eugenio fit Archiepiſcopus Florentinus, quam Eccleſiam ſanctiſſimè rexit annis pluribus, vitæ ſanctitate, & miraculis toti Orbi factus mirabilis, & P. Vbertinus de Abizis eiuſdē S. Antonini ſocius promouetur ad Epiſcopatum Piſtorien. qui fuerunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante dominum. *Vghell. Ital. Sac. tom. 3.*

P. Ioan. de Sancto Miniate euangelij Apoſtolica tuba in Italia tota effectus, ſacris prædicationibus, Ordinem mirum in modum illuſtrabat, & peccatores ad pœnitentiam lacrymarum dono à Deo ditatus compellabat, tanta dicendi facundia ſacra præditus, vt hæretici, & hæbrei ad illum audiendum in magno numero confluerent, & compuncti multi ad agnitionem veritatis per pœnitentiam venirent. Marchioni propterea Montis Ferrati Gulielmo ſūmopere charus, ab eo petijt ædificari conuentum noſtri Ordinis in Caſali, Xenodochium conſtrui, viduiſq; ac egentibus copioſas eleemoſynas diſtribui, quòd obtinuit. *Taeg. in Monum. Ord.*

ANNO

ANNO 1447. Venerunt Romanam in Vrbem ad Eugenium Pontificem Legati Friderici Romanorum Regis, omniumque Electorum, ac Principum Imperij debitum obſequium eidem præbituri, ſi Eugenius ſtabilita in congreſſu Francofordienſi anno præcedenti, præſtare non renueret. Fuère illi ſolemni pompa in Vrbe recepti, exultantibus Romanis, tubis, acclamationibus, clangoribus, atque campanis, obuios habentes Prælatos cunctos Apoſtolicæ Curiæ, cum nobilibus omnibus Romanis, flente vbertim ipſo Eugenio præ dulcedine ſpiritus, & gaudio cordis ſui clamante: *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace*. Quia pacem diu deſideratam in Eccleſia Sancta Dei reſtitutã videbat. Tertia die in Conſiſtorio ſecreto auditi ſunt Legati nomine illorum, in hunc modum orante AEnea Siluio, qui ſub Pij II. nomine Apoſtolicam Cathedram poſtmodum conſcendit. *Non habet me dubium Pater Sanctiſſime, cum apud te ſit illa domus, quam Dominus in Euangelio ſuper firmam petram laudat ædificatam, &c.*

Perorantem AEneam mirum in modum commendarunt Eugenius & Cardinales; At correptus egritudine Pontifex eadem die in lecto decubuit; & cum vltimum ſibi vitæ iam imminere diem agnouiſſet, pacem Eccleſiæ relicturus, in Conſiſtorio ſecreto, coram ſe à Cardd. habito, Bullam Apoſtolicam expediuit, in qua concordata Friderico, ac Electoribus conceſſit. Inde tota Vrbe ad publicam lætitiam iterum clangoribus, campanis, atque ignibus geſtiente, decretæ ſunt in ſequentem diem publicę gratiarum actiones ad Lateranen. Baſilicam, ad quam acceſsère Cardinales, Prælati cuncti, cum toto Romano Clero, & populo, debito ordine procedentes, delatis ex S. Marco S. Silueſtri Papæ, & S. Io. Baptiſtæ ſacris reliquijs. Ad Lateranum cum perueniſſent, & Cardinales cum Prælatis, ac Legatis Cæſaris, aliorumque Principum ante Aram Maximam in nobili conſeſſu eſſent, P. Henricus Kaltiſen Sacri Palatij Magiſter facundo ore perorauit in laudem Eugenij Pontificis Max. Friderici Cæſaris, aliorum Principum Imperij, necnon & vnitatis Eccleſiæ tamdiu deſideratæ, accipiens pro themate verba Apoſtoli *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete* & finita Oratione cantatum eſt exultatione maxima *Te Deum Laudamus, &c.* à Cantoribus Apoſt. Capellæ. *Lucarin. in Chron. Ord. Bzou. num. 1.*

Mortuus eſt igitur hoc anno in feſto Cathedræ S. Petri 22. Februarij Eugenius Pont. & nouemdialibus de more peractis habitum eſt Conclaue iterum apud conuentum noſtrum S. Mariæ ſuper Mineruam, in quo electus eſt Nicolaus Papa V. *Ciaccon. Lopez p. 5.*

P. Thomas de Naro doctrina, ac pietate conſpicuus, aſſumptus eſt ab Eugenio Pont. qui illum ob præclaras virtutes ſuas deamabat, ad regimen Hipponen. Eccleſiæ, & Eccleſiæ Syracuſanæ ſub Vicarij titulo annis pluribus præfuit. *Sicil. Sac. inter Syracuſanos Epp. num. 82.*

Moritur & P. F. Bartholomæus de Mutina Ferrarien. Inquiſitor, hæreticis infenſiſſimus, quippe qui eorum conuenticula detexit, viuendi modum coercuit, & ſalutaribus pœnitentijs caſtigauit, quorundam principalium audacia frenata, quam & ſcriptis & ferro confutauit. *Taeg. in Monum. Ord.*

In Polonia autem Inquiſitor Generalis erat P. Nicolaus Aduocati vir doctiſſimus, hæreticorumque hoſtis acerrimus, qui hæreſim iugulaturus in eoſdem ſeuiens cum omni Sacrorum Canorum rigore, alios conſuetis pœnis, caſtigauit, aliosq; publico igne, in ſequaciũ terrorem conſumpſit, vt catholica Fides illæſa conſeruaretur. *Bzou. de Prou. Polon.*

ANNO

ANNO 1448. Cum Laurentius Valla apud Neapolim quaſdam propoſitiones hæreſim ſapientes aſſeruiſſet, nouaſque in dies proferret, ex quibus hæreticus manifeſtè iudicabatur, re ad Inquiſitorem noſtrum P. Mag. Petrum de Manſtrettis Generalem Inquiſitorem Apoſtolica auctoritate inſtitutum ibidem, & in toto Regno delata, in carcerem, ac vincula coniectus eſt, ibique cauſa dicta, damnatus fuit tāquā hæreticus nouorū errorum aſſertor, atque igni adiudicatus. At Rege Neapolitano Alphonſo inſtante, ignis ſupplicium euaſit, ea tamen conditione, vt manibus poſt terga reuinctis per clauſtrum cœnobij S. Dominici, vbi ſacri tribunalis erant carceres, circumductus virgis cæderetur: quod factum eſt, atque exinde carceri perpetuo addictus: *Param. lib. Spondan. num. vltim.*

Eodem anno Nicolaus V. Pontifex turcicum gladium à Conſtantinopolitano Imperatore, & Hungaris auerſurus non modicas ſuppetias Ioan. Coruino miſit, & P. Bartholomæum Lapatium de Vbertinis Cortonen. Epiſcopum Nuntium Apoſtolicum in Hungariam deſtinauit, qui ſacram militiam, more conſueto Eccleſiæ, propoſitis maximis Indulgentijs, indiceret, & prædicaret, idemque per Fratres Prædicatores præſtari curaret: Copijs Cruceſignatorū vndequaq; collectis, quibus cum poteſtate Apoſtolici Legati ipſe præeſſet. Iuſſa Pontificis Max. impleuit Lapatius, & ſignis cum hoſtibus collatis, triginta quatuor Barbarorum millibus peremptis, ex Cruce ſignatis octo millia periere tantùm. *Ferrar. p. 3. lib. 4. Spond. n. 5. Bzou. num. 7.*

P. Nicolaus de Cuſa, de quo ſupra, ſcripſit *Contra Alcoranum*, *& Contra errores Boemorum hæreticorum*, quod opus prænotauit: *De Cribratione Alcorani* in quo refert, reprobat, & confutat Turcarum ſectam, & legem. *Anton. Senen. & Lucarinus de Scriptoribus Ordinis.*

P. F. Leonardus de Chio, vir doctiſſimus, atq; in Sanctis Patribus græcis verſatiſſimus, miſſus eſt à Nicolao Pontifice cum Legato de Latere Iſidoro Card. Sabinen. Conſtantinopolim ad Imperatorem Conſtantinum Palæologum, vt Græcos in vnionem cum Latinis, in Florentino Concilio ſancitam, ex qua turpiter receſſerant ſua ſapientia ac dexteritate reuocaret. *Abbas Iuſtinian. in Chio Sac.*

Graſſante ſupra modum in Italia hoc tempore, in Etruria maximè, lue, ita vt innumeri mortalium conſumerentur, nec facilè, propter imminentem mortem, qui ſacramenta deficientibus miniſtrare inueniretur, S. Antoninus Florentiæ, tunc in Conuentu S. Marci exiſtens, ea qua pollebat in proximum charitate (poſt inſtitutū P. Nicolaum de Carmignano ibidē Priorē) Fratres hortatus eſt, vt induentes loricam charitatis, exirent ad pugnam contra mortem temporalem, fideles ſacramentorum adminiſtratione ab æterna vindicaturi. Exierunt igitur Patres cum Priore per ciuitatem, & caſtella adiacentia, ſacramenta infirmis miniſtrantes, mortemque contemnentes, vt meliorem inuenirent reſurectionem; At cum multi ex ipſis in aſſumpto Apoſtolico miniſterio defeciſſent, Patrès Conuentus Feſulani primò, deinde S. Mariæ Nouellæ, eiuſdem Ciuitatis (quòd, & aliorum Conuentuum Patres in ſuis ciuitatibus, & Caſtris viriliter præſtitère) propriæ profeſſionis non immemores, ipſo S. Antonino ſēper duce inconcuſſo, Patrum S. Marci exemplum optimum ſequti, innumeros fideles per exhibita ſacramenta in cœlum direxère; at cum tāta eorundem mortalitate, vt diuinus cultus in illorum Eccleſijs defecerit, & vix eſſent ſuperſtites, qui diuinum officium in ipſis perſoluerent. Quapropter Magiſter Generalis, inſtante S. Antonino, ex prouincia Lombardiæ multos

Patres

Patres in adiutorium ſuperſtitum Fratrum in Etruriam miſit. *Ex Monum. eiuſdem Conu. S. Marci.*

ANNO 1449. Viriliter inſurrexère Inquiſitores in Lombardia, & apud Tuſciam, necnon & Fabrianum contra Fraticellorum hæreticorum ſemina, quæ ſuis peſſimis dogmatibus puritatem Catholicæ fidei inficere conabantur, ex quibus multi ſæculari brachio relaxati, flammis cõſumpti ſunt, alijs proprijs erroribus abiuratis, condignis pœnitentijs mulctatis. *Lopez. p. 5. & S. Antoninus p. 4.*

Dum P. Bartholomæus Lapatius poſt, cæſos Turcas, in Italiam reuerteretur, Nicolaus Pontifex præcepit illi, vt Venetias ſe conferret, ibiq; Apoſtolica auctoritate Fraticellorum hæreticorum reuiuiſcentia ſemina exterminaret; quod ille præſtitit fœliciter, ſingulari fidei Catholicæ incremento, à Senatu Veneto in eo negotio maximè adiutus. *Olmeda in vita Texerij Mag. Ord.* In ſequentem annum alij hoc factum reijciunt.

P. Bartholomæus Texerius Magiſter Generalis migrauit è vita in Gallia menſe Iulio, qui in Generalatu, ſicut & ante illum, paupertatem vnicè coluit, & dilexit; humilitatem verò & docuit, & amauit ſupra modum. Ad Concilia cum ſui ſæculi præſtantioribus Theologis noſtris acceſſit. Generalia Capitula celebrauit, biennalia, & triennalia iuxta Ordinis conſuetudinem, quibus ipſe, vel per Vicarios ſuos, præfuit, in Concilijs occupatus. Et quidem, poſt Capitulum Bononien. ſuæ electionis, ſecundum celebrauit Coloniæ anno 1428. Tertium Lugduni 1431. Quartum Columbariæ 1434. Quintum Venetijs 1437. Sextum Sauiliani 1439. Septimum Auenione 1442. Octauum Diuioni 1444. Nonum autem apud Podium 1447. Ordinem in pace, & æquitate rexit, ſub quo floruerunt viri præcariſſimi, de quibus ſuis locis dictum eſt; & dicetur infra. Inter eos autem ſingulariter effulſit, vt ſupra innuimus illud iubar Eccl. ſingulare Io: à Turrecremata, qui ob egregia, Catholicæ fidei, atque Apoſtolicæ Sedi præſtita, tam in Concilijs, quam extra, beneficia, & obſequia, *Protector Fidei* meritò eſt dictus, & ab Eugenio IV. & à Pio II. *Olmeda.*

P. Io: Breſlaer Germanus hæreticorum hoſtis accerrimus de Colonien. conuentu, eiuſdemque vniuerſitatis doctor inſignis ſcripſit librum cõtra errores duodecim Altemburgi in Miſnia ortos, populos illos inficientes in puritate Catholicæ fidei, quod opus ad inſtantiã Numbergen. Epiſcopi euulgauit, maximo cum fidelium fructu. *Lucarin.*

Promouetur P. Antonius de Carlenis, à Pontifice Max. Nicolao ob præclaras virtutes, animique dotes deamatus, ad infulam Amalphitanam, vt fideles illius Eccleſiæ ſuo exemplo ad deſiderium cœleſtis patriæ inflammaret, qui ante aſſumptam infulam concilio Piſano interfuit, & Alexandri V. partes infracto animo ſuſtinuit: Annos 11. ſibi creditis ouibus paſtor bonus præfuit, & mortuus eſt. *Vghellus.*

Caput II.

P. PETRO ROCHIM Magiſtro Generali XXVII.

ANNO 1450. Conuenère Patres noſtri apud Lugdunum pro celebratione Capituli nouique Magiſtri Generalis electione, in quo Mag. Ordin. ſalutatus fuit P. Petrus de Rochim Gallus, & ipſe de Prouincia Prouinciæ, eiuſdemq; Prior

Prior Prouincialis, & recepti ſunt ad gratias Ordinis ſupra duodecim Fratres, ad Eccleſiaſticas infulas varijs in Eccleſijs aſſumpti. Petrus igitur Magiſter nouiter electus grandi libertate, nec minori applauſu, à quo bona cuncta in Ordine ſperabantur, dum Romā verſus cum P. Guidone Procuratore Ord. ad deoſculandos Nicolai Pont. pedes, Indulgentiaſque anni Iubilæi ſuſcipiendas parat iter, infra menſem ad patres ſuos, graui Fratrum mœrore, apponitur. *Olmeda*.

Præter receptos in Capitulo Epiſcopos ad gratias, & ſuffragia Ordinis, alij fuerunt hoc anno à Nicolao Pontifice erga Prædicatorem Ord. optimè affecto promoti nam P. Hugo Rheſut Archiep. Corinthiens factus eſt: Bartholomæo de Bononia dato quoq; Epiſcopo Eccleſiæ Signien. in Sclauonia. *Ferrar. & Plod.*

P. Gaſpar Bononien. de Caſtello S. Ioannis in Perſicheto, & ipſe ſanctitate vitæ clarus, euectus eſt à Nicolao Pontifice ad Imolen. Sedem, poſt quam Bononiæ Regens, atque Inquiſitor hæreticorum fuiſſet, qui Ferrariæ euolauit in cœlum an. 1457. tanto cum populi concurſu, viri ſanctitatem acclamantis, vt inſepultum corpus aliquot diebus remanſerit. In cuius funere præclarus ille diuinorum declamator P. Leonardus de Vtino ornatiſſimam orationem ad Clerum, & populum habuit, laudantibus cunctis & dicentis facundiam, & defuncti ſanctitatem. *Olmeda in vita Martialis Aurib.*

P. Iacobus de Cluſio ex Romana Prouincia Tarſenſis Epiſcopus in Cilicia, ſuis prædicationibus, & diſputationibus plurimos infideles ad amplexandam Chriſtianam fidem adduxit, nutanteſque in eadem conſtabiliuit. *Plodius p. 2. lib. 3. Bzou. num. 20.*

Conſtituti ſunt inter Beatorum agmina B. Stephanus Bandellus de Caſtro Nouo, & B. Paulus de Retegno, quorum poſterior ita fuit meditationi deditus, vt etiam ſanguineis lacrymis Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem defleret, & apud Comum euolauit in cœlum; prior verò tanta effulſit ſanctitate, vt miracula multa in proximorum ſalutem patrauerit; & apud Salutium migrauit ex mortali vita in immortalem, à Sanctis Angelis tranſlatus. *Plod. & Chron. Comen. Bzou. n. 21.*

Inuigilabant Prædicatores, tribunali S. Inquiſitionis præpoſiti in diuerſis Europèis Regnis, & Prouincijs vt hæreſi fugata, fidei catholicæ candor illæſus eluceſceret. In Polonia autem duo ex noſtris Inquiſitores erant P. Iacobus Grimalius vnus, & P. Nicolaus Bræſten Prouincialis Poloniæ alter, qui ſuper ſibi creditum populum vigilantes, illum ab hæreſi alienum conſeruatum voluère, condignis ſuplicijs malefactoribus caſtigatis. *Bzou. de Prou. Polon.*

P. Ioan. Scandelandus autem, alter à Io. Ep. Vormatien. an. 1366. relato apud Coloniam contra Fraticellos hæreticos ex Italia fugatos, inſurgens, multos ex eis in vincula coniecit, & quos obſtinatos, ſeu relaxos agnouit, brachio ſæculari comburendos viuos tradidit, vt ſequacibus eorum fierent in documentum. *Plodius*.

Caput III.

P. GVIDONE FLAMOCHETTO Magiſtro Generali XXVIII.

ANNO 1451. Congregatū eſt Romæ Nicolao Pontifice petente Generale Ordinis Capitulum pro Magiſtri illius electione, cui adſtitit Cardinalis Protector

tector accedente copioſo Patrum numero: & hoc fuit primum in Vrbe celetum: nam antea Romani congregatos Patres noſtros pro Capitulo Gen. numquam viderant; exultante Romana Curia, cæteriſq; ex populo necnon & Pontifice ipſo vberes eleemoſynas largiente. In eo igitur ex maiori Patrum voto nominatus eſt Magiſter P. Guido Flamochetti Gallus, cum eſſet Ordinis Generalis Procurator, & Vicarius; qui priſtinum regularis obſeruantiæ nitorem illi reſtituturus, terminato Capitulo, ad viſitationem eiuſdem Neapolim proceſſit, vbi die 28. Nouemb. eiuſdem anni mœrentibus cunctis humanæ conditionis debitum perſoluit, in Choro templi S. Dominici ſepultus. *Olmeda*.

Claruit hoc anno & ſequentibus P. Michael de Mauriano, Magiſter in Sacra Theologia ſapientiſſimus, atque in Dalmatia Apoſtolicus Inquiſitor, qui cum hæreticos Boemos virili pectore inſequeretur, ab eiſdem pluribus inſidijs ad mortem quæſitus, diuina ope ſeruatus fuit illæſus; quod cum Nicolao Pontifici innotuiſſet, Metropolitanæ Spalatenſi Eccleſiæ Archiepiſcopum eundẽ præfecit cum retentione officij Inquiſitoris, vt in hæreticos poſſet faciliùs inuehi, prout præſtitit, ferro, ac igne eos conſumendo. *Lucar. in Chron. & Ferrar. p. 3. lib. 1. cap.* 4.

Erat apud Brixiam in parua crypta quidam Eremita, Lottus nomine, extra populi frequentiam à ciuitate non multum diſtans, in nemoroſa ſolitudine habitans, qui ſimulata ſanctitate vitę futuras pluuias, & mala prædicebat quandoque; propter eaque in maxima ſanctitatis opinione à Brixienſibus habitus: cum autem muliercula quædam ipſi deuota, ſe eius præcibus commendaſſet, vt filium maſculum ex marito ſuſciperet, promiſit ille ſe id facturum, dummodo, quæ ſibi mandaſſet adimpleret, qua promittente, dixit illi: genua flectas, & dicas alta voce *Credo Dæmonem eſſe auctorem omnium viſibilium, atque ad ipſum ſpectare dare mihi filium, ſiue maſculum, ſiue fœmellam*: quod cum illa præſtitiſſet, & Eremita rem cum illa habuiſſet, dimiſit eam, mandans ipſi, ne in domo ſua Crucifixi imaginem haberet, neque ipſum vltra adoraret, certa quòd paruulum eſſet paritura. Receſſit ab Eremita mulier, læta ſucceſſu, ſperãs ſe ex ſancto illo viro, vt credebat, filium maſculum parituram: & cum in domum veniſſet, Crucifixi imaginem propter timorem mariti non amouit; non tamen eam prout ſolebat, deinde venerata eſt; id cum aduertiſſet vir eius, & cauſam ſciſcitatus, de euentu edoctus fuiſſet, ad Inquiſitorem Brixien. P. Antonium de Lauda acceſſit, & quæ ſuę vxori acciderant enarrauit; qui captum Eremitam in vincula coniecit, non ſine vitę periculo ob tumultuantem populum; & cauſa ibi dicta, inuentus eſt multis hæreſibus coinquinatus, imò & in eas relapſus. Quare traditus brachio ſæculari, in publico foro viuus combuſtus eſt, muliercula ſcelus abiurante. *Targius*.

ANNO 1452. P. Ioan. Gritſch de Baſilea, vir doctus atque in lectione SS. Patrum ſatis verſatus deſijt eſſe inter mortales, qui cum poſt P. Ioannem Nider Prior eſſet Conuentus noſtri Baſileenſis tempore Conciliabuli Baſileen. non ſolum vetuit, ne congregationes fierent in Conuentu, vt conſueuerant Patres antequam deficerent ab obedientia Eugenij Pontificis Max. Sed etiam, ne Fratres vllo modo eorum conſultationibus, etiam priuatis adeſſent, vt firmi, ac ſtabiles in obedientia Eugenij permanerent, idque populo ſuaderent, prout fecerunt. *Lucar. in Chron. Ord. & Tritem.*

Inualeſcebant, & confundebant, imò & perdebant condignis ſupplicijs hæreticos noſtri Inquiſitores zelum Dei haben-

res,

Digitized by Google

tes, P. Nicolaus Aduocati in Polonia. P. Chriſtophorus Galuez in Aragonia, necnon & P. Michael Iuſt. in Valentiæ Regno, viriliter cauſis fidei incumbentes, hæreſimque carpentes, ab Eccleſia Dei illam eliminabant. *Bzou. de Prou. Pol. & Plod. Lopez p. 5.*

Panormitanus Conuentus B. Petrum Hieremiam (de quo ſupra an. 1444.) cœlo dedit, virum verè Apoſtolicum, qui innumeros pœnitentiæ filios per ſacramentalem confeſſionem Deo dedit, eumque Sicilia tanquam Apoſtolum, ſibi deſuper conceſſum, venerata eſt. Pluribus claruit miraculis, ſub honorifico ſepulchro conditus, cui tale proſtat elogium.

Spectatiſſimi Patris Petri Hieremiæ oſſa in hoc ſepulchro ſita ſunt, cuius doctrina, & ſanctitas vitæ ſibi nomen æternum præbuit; & Prædicatorum Ordini laudem peperit glorioſam, à IESV Chriſto 1452. quinto Nonas Martij obijt. Plod. Bzou. num. 18.

Cum Fridericus Cæſar Romam peteret pro ſuſcipienda de more à Pontifice Maximo Nicolao V. Imperiali corona, & Bononiæ eiuſdem Pontificis nomine benignè, atque honorificè fuiſſet exceptus à Cardin. Beſſarione Pontificis Legato, Florentiam pergens, à S. Antonino Archiep. cum Clero, ac Magiſtratu Florentino, ei obuiam facto, ea qua par fuerat magnificentia in Conuentu noſtro S. Mariæ Nouellæ hoſpitio nobili receptus eſt, vbi manſit quàmdiu Florentiæ fuit. *Bzouius num. 1.*

P. Henricus Kaltiſen Confluentinus cum Apoſtolicæ Sedi ſua præſtitiſſet obſequia in Sacri Palatij Magiſterio, Cæſarien. & Nidroſien. Eccleſiarum curam ſuſcepit à Pontifice Max. Nicolao, quas integritate ſumma gubernauit, ſuæ inculpatæ vitæ exemplo, dirigens ſibi commiſſas oues in ſalutis viam. *Lucarin.*

Promoto Henrico Kaltiſen ad Cæſarien. & Nidroſien. Eccleſias P. Iacobus Aegidius Aragonen. à Nicolao V. Sacri Palatij Mag. inſtituitur. Fuit autem Iacobus vir doctiſſimus, atque eruditiſſimus; Alphonſo Aragoniæ Regi, Magnanimo dicto, in paucis charus, cuius nomine Concilio Florentino interfuit; & coram Patribus, atq; Eugenio Pontifice doctrinam ſuam ita glorioſe manifeſtauit, vt doctiſſimi viri ſibi nomine in Eccleſia vindicato, Apoſtolici poſtmodùm Palatij Magiſter fieri promeruerit. Calixto III. Pont. mandante, Transfigurationis Domini noſtri Ieſu Chriſti officium compoſuit, cuius feſtum in Eccleſia idem Pont. ob inſignem victoriam nauali bello contra Turcas reportatam; inſtituit. Priuilegiorum Magiſtri Sacri Palatij ab antecedentibus Pontificibus Max. conceſſorum confirmationem impetrauit ab eodem Calixto, & tandem communem mortis viam ingreſſus eſt. *Olmeda Lucarin.*

P. Petrus de Maricalmo ex Rhutenen. conuentu factus eſt Toloſanus Inquiſitor, vt populum illum Eccleſiæ fidelem ab hæreticorum documentis peſſimis ſua ſolertia vindicaret; quod ille præſtitit animo inconcuſſo, multos ex eis condignis ſupplicijs puniendo. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

Caput IV.

P. MARTIALI AVRIBELLO Magiſtro Generali XXIX.

POſt exceſſum Guidonis, conuenere in vnum Patres noſtri pro alterius Generalis Magiſtri electione anno 1453. apud

apud Nannetas in Britannia, in qua delectus eſt Magiſter Ord. P. Martialis Auribellus Auenionen. Vicarius Generalis, ac Prouincialis Prouin. Prouinciæ. Fuit Martialis ingenio clarus, Doctor Pariſienſis inſignis, animo conſtans, ſpiritu promptus, qui reformationi, promotionique Ordinis ſtatim manum applicauit, & quod diù anteceſſor concupierat, ac procurauerat, nempe Canonizationem S. Vincentij Ferrerij Confeſſoris, ad optatum finem perduxit ille. Necnon & Senenſem Virginem Catharinam inter Sanctos relatam vidit. Celebrauit Capitula præter primum Nanneten. hoc anno; apud Montem Peſſulanum ſecundum an. 1456. tertium autem apud Nouiomagum an. 1459. poſt quod aliud non celebrauit, ſed abſolutus fuit à Magiſterio Ordinis à Pio II. Pont. *Olmeda*.

Annus hic Orientali Imperio, atque vniuerſali Eccleſiæ ob amiſſam Conſtantinopolim quã maximè funeſtus extitit, idque diuino iudicio factum cuncti dixère. Eam porro tunc nefaria hæreſi in Spiritum Sanctum laborantem, quam paulò ante in Florentino Concilio depoſuerant Græci, & duodecim vicibus poſt Conſtantinum Imperatorem diuerſis temporibus ſucceſſiuè ab obedientia Romanæ Eccleſiæ per varias hæreſes, & ſchiſmata auerſã Nicolaus V. anathemate ligauerat, & Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt, vlciſcente, ſexageſimo die oppugnationis à Mahomete II. Turcarum tyranno, 29. Maij feria 3. Pentecoſtes capta, expugnataque fuit, Conſtantino XV. Palæologo Imperatore Græcorum ad portam ciuitatis perempto, cuius præciſum caput in contumeliam per caſtra delatum eſt ſuper haſtam. Tantæ cladis cauſam recenſet S. Antoninus, qui tunc temporis adhuc inter mortales erat, quòd Græci à fide præſtita pro vnione in Concilio Florentino facta cum Latina Eccleſia Romana, ſtatim defeciſſent: & qui proceſſionem Spiritus Sancti à Patre, & filio negabant, in ipſa ſolemnitate Spiritus Sancti tantum excidium cum amiſſione Imperij iure meritò fuerunt experti, in quo & noſtri Prædicatores in conuentu apud Peram degentes, cum catholicos Latini ritus ibidem exiſtentes in fide corroborarent, multa mala paſſi ſunt, aliquibus ex eis fuſtigatis, & Fratre Chryſoſtomo Vicario Generali congregationis in Oriente trucidato. *Bzou. n. 1. & 10. Lucarin. in Chron.*

Florebat hoc tempore mirum in modum in Germania, Auſtria, & Hungaria apud noſtros Prædicatores regularis obſeruantia, zelus animarum, hæreticorumque conuerſio, quorum fructum commendauit Aeneas Siluius Apoſtolicus apud Imperatorem Nuncius, literis ad Martialem Auribellum Magiſtrum Generalem in hunc modum datis in noua ciuitate Auſtriæ 10. Nouemb. huius anni. *Stimulus quidam nos vrget, vt Fratres veſtros ex ſuperabundantia commendemus, quos boni operis cupidos, & ad fructificandum in agro Dominico feruentes eſſe conſpeximus, quales ſunt Fratres Auſtralicæ nationis, & præcipuè Conuentus Viennen. in Auſtria, inter quos viget excellens doctrina, & vitæ munditia laudabilis; ita vt odor eorum, ſicut odor agri pleni, cui Dominus benedixit, cunctos in circuitu lætificet. Ii nunc propter nonnulla negotia pia, & occaſione pauperculatum plantationum in Regno Hungariæ nouiter introductarum, quæ per Dei gratiam iam florère incipientes, fructus vberes in horreum Domini repromittunt &c.* Ferrar. de Reb. Hungar. Prou. p. 4. cap. 9.

Inuigilabat ſupra modum P. Iacobus Grimalius in Polonia Generalis Inquiſitor, ne Vſſitarum hæreticorum, maximè Boemorum, virus ſibi creditum populum inficeret; quare cum aliqui ex eis cum mulierculis ſuis Cracouiam veniſſent, quaſi in occulto, & ſua conuenticula facerent

cerent in abſcondito, monitus hac de recordatus Inquiſitor ſuper eos irruit, & captos ſæculari brachio relaxauit: qui in cœterorum terrorem in foro publico, adſtante copioſiſſima populi multitudine fuère combuſti. *Bzouius*.

ANNO 1454. P. Leonardus de Valle Brixinenſi in Viennen. Vniuerſitate primarius S. Theologiæ Doctor, in regulari obſeruantia enutritus, illiuſq; reſtitutor in Germania & Hungaria, ſcripſit librum *De Corpore Chriſti, & Communione Laicali* contra Huſſitas hæreticos in Boemia vigentes, opus egregium, atque ipſis hæreticis inuiſum. *Ferrar. de Hung. Prou. p. 4. cap. 9.*

Cum Io: Rochezana impius hæreſiarcha apud Boemos in ſumma veneratione haberetur, & velut Propheta à ſuis aſſeclis coleretur, ipſeque in tantam proceſſiſſet, vecordiam, vt feſta indicere, pluraque alia, ad Pontificem Max. ſpectantia conſtituere præſumeret, talia ſcelera ſuſtinère non valerent noſtri Prædicatores, irruit ſpiritus Domini bonus ſuper P. Lectorem ſacræ Scripturæ, (quem Concionatorem in Eccleſijs noſtris diebus feſtiuis per annum dicimus) & in publica concione habita apud S. Clementem Pragæ coram copioſa populi multitudine, veſanias; deliramenta, hæreſes, ac impietates Rochezanæ ita facundo ore detexit, & tanto cum ſpiritus feruore reprobauit, vt multi ex aſſeclis ipſum deſerere, & ad vnitatem S. Matris Eccleſiæ redire decreuerint. Quare tumultu inter hæreticos excitato, raptus eſt ex connentu Predicator, & in profluentem demerſus, victor glorioſus in cœlum laureatus conſcendit. *Bzou. num.* 8.

Sacrum Inquiſitionis tribunal regebat apud Valentiam P. Arnaldus Coiro, qui cum eſſet inſignis S. Theologiæ, & Sacrorum Canonum Doctor, ſacras paginas in Valentina Metropoli ſingulis diebus dominicis enodauit; abſque eo quod nihil omitteret eorum, quæ ad proprij tribunalis vigilantiam, ſpectarent; vnde iudaizantes aliquos, licet nobiles, carceribus addixit, reſipiſcenteſque pœnitentijs iniunctis Sanctæ Matri Eccleſiæ reconciliauit. *Salelles*.

Apud Toloſam autem S. Inquiſitionis Tribuali præfectus P. Magiſter Raymundus de Fillio ex Conuentu Carcaſſonenſi, dum hæreticos ſumma diligentia perſequeretur; à Nicolao V. Pontifice ad Vaſaten. Eccleſiam ſequenti anno promoueri dignus fuit. *Ex Archiuio Inquiſit. Toloſ.*

ANNO 1455. Defuncto Nicolao V. Pontifice verè Maximo aſſumptus eſt, iuxta S. Vincentij Ferrerij prophetiam, ad Summum Pontificatum Alphonſus Borgia, Calixtus III. dictus. Hunc adhuc infantulum cum Mater ad S. Vincentium Valentiæ in Eccleſia, poſt peractam de more concionem, adduxiſset, vt ei benedictionem daret, ponens Sanctus dexteram ſuper infantis caput dixit: *Creſce puer, & maximum mihi præbebis honorem in Eccleſia Sancta Dei*. Quare eodem anno in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ipſum Vincentium in Sanctorum confeſſorum Album retulit, eademque die ſolemnem proceſſionem ex Templo S. Mariæ ſuper Mineruam ad S. Petrum in Vaticano cum clero, Cardinalibus, Prælatis, curia, ac Romano populo habuit, in qua ingenti cum deuotione omnium, qui incedebant, diuinam opem contra Turcas implorauit; & creditum eſt eas preces plurimùm Chriſtianis profuiſſe ad hoſtes frænandos, ſternendoſque *Bzou. num. 9. & 11.*

Antequam verò decederet Nicolaus Pont. ad inſtantiam Fratrum Prædicatorum damnauit per Bullam Apoſtolicam errores Ioannis de Polliaco, & quorumdam Pariſienſium Doctorum eius ſequacium,

cium, aſſerentium, quòd confitentes peccata Fratribus mendicantibus,tenebantur eadem poſtea ſuis Parochis iterum confiteri *Incipit Bulla inter cætera &c.* Plod.

Cardinalis F.Io:de Turrecremata Prçneſtinam Eccleſiam commendatam habuit à Calixto III. ſui Pontificatus primis diebus. *Vghell. tom.* 1.

Infatigabili ſtudio vigilabant Prædicatores ſacro tribunali S. Inquiſitionis præpoſiti in Italia, Vſſitarum hæreſis impium virus in Boemia incrementa ſumens, ſe in Italiam diffunderet; quare plures ex eis captos, carceribuſque, igne, ac gladio conſumentes, timore cæteris incuſſo, peſtem illam ex Italia eliminauère. *Taeg. in Monum. Ord.*

In aſſumpti Raymundi de Filio locum ſuffectus eſt Inquiſitor apud Toloſam P. Vgo Nigri de Toloſana prouincia, tanta præfectura dignus:qui anteceſsorum ſuorum zelum, pietatem, charitatem, atque veſtigia æmulatus ſibi in aſſumpto munere non defuit, effrontes hæreticos perſequendo, atque condignis pœnitentijs, etiam vltimo ſupplicio, caſtigando: quo in Apoſtolico miniſterio ab Eccleſiaſticis infulis alienus permanſit inconcuſsus vſque ad annum 1465. quo defecit. *Ex Relat. Archiu. Toloſan.*

ANNO 1456. P. Lupus Barientos Epiſcopus Conchenſis, Maior Cancellarius Regis Hiſpaniæ Ioannis II. eiuſque Confeſsarius, Magiſterque Henrici IV. combuſſit libros Henrici à Villena Comitis Tinei apud Matritum in foro Conuentus noſtri Regalis S. Dominici, in quibus errores multi contra fidem catholicam, ſuperſtitioneſque continebantur; ediditque librum doctum, ac eruditum contra quatuor ſpecies necromantię, & chiromantiæ. *Bzou.n.*20. *& Paramus.*

Succreuerat ex peſtiferis VViclefi dogmatibus Boemorum ſecta peſſima, quæ Huſſitarum dicebatur, Ioanne Huſs,atq; illius diſcipulo Hieronymo de Praga pręcipuis propagatoribus, quibus in Conſtantien. Concilio combuſtis, eorundem mortem diſcipuli in Boemia vindicaturi crudeliſſimè Catholicos vexâuere,& Religioſos maximè, atque inter hos, Prædicatores ſpeciatim, quorum cœnobium Pragenſe inuadentes, quotquot inuenerunt, Religioſos trucidauère. Nec ſolùm Pragæ,ſed per totum Regnum eorundem cœnobia incendijs conſumpsère, ſacris Virginibus cōſtupratis, Fratribuſque Ferro peremptis. Quare ex Pontificis Max. decreto collecto catholicorum exercitu, in eos Pragæ primò animaduerſum, vbi vna die ad duo, & viginti millia hæreticorum cæſa ſunt; deinde ad alia loca, in quibus degebant, digreſſi fideles, quotquot inuenerunt, trucidauère, & hoc modo eorum perfidia, atque arrogantia humiliata fuit. *Bzouius ad hunc annum ſub cap.* 15.

Cum decreuiſſet Calixtus Pont. arma in Turcas ſumere propter captam Conſtantinopolim, peioraque in Eccleſia Dei damna pertimeſceret; fœdere cum Chriſtianis Principibus inito, FF. Minores, & Prædicatores per vniuerſam Chriſtianitatem miſit, qui ſacram Crucem, & militiam cum Indulgentijs populis prædicarent, ipſoſque ad ſumenda arma in communem fidei hoſtem inflammarent, prout factum eſt,victoria contra Turcas apud Albam diuinitus reportata. *Bzouius ibidem cap.* 28.

Munus ſuum, pretioſum in conſpectu Domini, cœlo dedit Dominicana Religio, dum ex ergaſtulo corporis ſolutus eſt B. Io. de Feſulis,communiter Angelicus, ob vitę, puritatem cōrdiſque munditiam, dictus, quem iratū vidit nullus vnquam, neque Ordinis ſtatuta, vel in minimis, violantem.Pingendi arte pręſtantiſſimus; cum ex decreto Nicolai V. Pont. in Vaticano Palatio ſacras hiſtorias pingeret,

innuit

inuit illi Pontifex, vt de carnibus ſibi ab eo miſſis comederet, qui reſpondit, ſe non poſſe carnibus veſci ſalua regulæ obſeruantia Ieſu Chriſti, & Sanctiſſimæ illius Genitricis imagines pingens, non niſi genibus flexis fluentibuſq; lacrymis operi incūbebat. Cum aliquando Michael Angelus Bonarota effigiem Annunciationis B. Virginis in noſtro Feſulano templo à Ioanne Pictam vidiſſet admiratus picturæ maieſtatem dixit, id non potuiſſe præſtare Ioannem, niſi eas ſpecies in cœlo vidiſſet. Cum Eugenius Pontifex illum Florentinum Archiep. renunciare decreuiſſet, reſtitit Io. & S. Antonino, ſe digniori, concedi voluit. Euolauit in cœlum in Conuentu S. Mariç ſuper Mineruam poſt completam effigiem B. Virginis Mariæ Sacratiſſimi Roſarij, ibidem ſepulto corpore. *Bzou. num. 23.*

Aſſumuntur à Calixto Pontifice viri inclyti ex Prædicatoribus ad paſcendas Chriſti oues varijs in Eccleſijs; & primò quidem P. Franciſcus Portius in Eccleſia Ceruien. & P. Dominicus Mercarius Neapolitanus in Rauellen. *Vghell.*

Facta eſt ſolemnis translatio corporis S. Vincentij Ferrerij Confeſſoris, à Calixto Papa inter ſanctos ſuperiori anno relati, ex humili loco, in quo iacebat, ad nobiliorem à Magiſtro Generali Martiali Auribello coram Apoſtolico Legato, Duce, & Duciſſa Britanniæ, necnon & Epiſcopo Veneten. cum concurſu perſonarum extranearum ſupra centum quinquaginta millia; miraculis coruſcante S. Confeſſore. *Ex Act. Capit. Montis Peſſul. denunc.* 3. In quo Capitulo ſocietas Fratrum Prędicatorum peregrinantium inter infideles pro illorum conuerſione fuit ſuppreſſa; quæ à Pio II. poſtmodum reſtituta eſt an. 1464. vt dicetur, & huius ſocietatis ſuppreſſionem fuiſſe cauſam, ob quam Pius Martialem Generalem à Magiſterio abſolueritt, aſſerit Ferrarius de Hungar. Prouin. p. 4. lib vn. cap. 8. cum alijs Ordinis ſcriptoribus.

ANNO 1457. in Catalonia Patres Iacobus de S. Ioanne, & Io: Come Inquiſitorum munera aduersùs hæreticam prauitatem viriliter agebant, naſcētes hæreſes carpentes magno cum fidei catholicæ incremento, delinquenteſque condignis ſupplicijs, & pœnis affligentes. *Diagus.*

P. Michael de Epilla Cæſarauguſtanus, vir deuotiſſimus, & eruditiſſimus, cum in perſequendis, atque confutandis hæreticis diù laboraſſet, euectus eſt ad regimen Eccleſiæ Vrgellen. in qua ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei direxit vſque ad annum hunc, quo ſolutus nexu corporis, ad Chriſtum properauit. *Lopez. lib. 2. p. 5.*

Perſequutiones non modicas paſſi ſunt Prædicatores in Boemia ab impijs hæreticis Huſſitis ibidem debacchantibus, à quibus multi iugulati, alij fuſtigati, alij lapidibus obruti, alij cæſi, in magnas anguſtias redacti ſunt ſuperſtites; ita vt alimonia, atque eleemoſynis eiſdem tanquam auctoribus damnationis factę in Concilio Coſtantienſi ſuorum Magiſtrorum igne conſumptorum, denegatis, coacti ſint, ne interirent, aliorſum declinare. *Ferrarius.*

In Sabaudiæ oppido quodam, tam viri, quàm mulieres Adamitarum iniqua pice coinquinati, Dominica die, deficiente ſole, in antiquam Eccleſiam, temporum iniuria fatiſcentem, extra populi frequentiam conſtitutam, ſpecie pietatis conuenientes, tenebris, noctéque inualeſcente, indumentis omnibus expoliati, in nefarios amplexus porruentes, quaslibet carnis ſpurcitias ad ſatietatem complebant, vt mortificarent carnem (inquiebant ipſi) ne ſurgeret cōtra ſpiritum: & ſatiata libidine, vnuſquiſque ad propria redibat. Horū dux & caput erat Clericus, quidam coniugatus, nomine Siſinus inueteratus

ueteratus dierum malorum, qui tantum ſcelus promouebat ſingulis diebus Dominicis. Factum, vtpotè ocultum diu, inualuit, tandemque ad Pater Auguſtinum de Nizia Inquiſitorem apud Montemregalem delatum eſt, qui in Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis de nocte ſuper congregatos irruit, & captos ex eis multos cum Siſino, vinctos ad Montemregalem ſecum perduxit, vbi manifeſtato delicto, dignis pœnis caſtigati ſunt, ipſo Siſino duce publico igne conſumpto. *Targius.*

Cardinalis Io. de Turrecremata ſcripſit ſuper decreta Florentini Concilij pro vnione Eccleſiæ Latinæ cum Græca contra ſchiſma Græcorum, pluraque alia tanto doctore digna alibi referenda. *Fernand. &c.*

In cœlum euolauit B. Laurentius de Ripafracta, vir vitæ ſanctitate celebris, qui innumeros peccatores per ſalutares pœnitentias direxit ad Chriſtum, de quo S. Antoninus, qui fuit eius in theologicis diſcipulus. *Atteſtatur, ipſum in vinea Domini à prima adoleſcentia vſque ad ætatem decrepitam viriliter laboraſſe pro Dei amore, ſummaque cum iucunditate: nec dubitat eum ob cordis munditiem Beatum appellare.* Ex hiſt. Rom. Prou. & Bzou. in an. anteced. num 22.

ANNO 1458. Card. Io. de Turrecremata euulgauit librum de Corpore Chriſti contra Huſſitas, opus commendatiſſimum, ac tanto authore, atque doctore dignum. *Plodius.*

Calixtus Pontifex confirmauit extrauagantem Innocentij IV. ad Inquiſitores Ordinis Prædicatorum datam de Prædicando verbo Dei; de Cruceſignatis; de concedendis Indulgentijs; deque procedendo contra impedientes ſacrum Inquiſitionis officium; data Bulla apud Sanct. Petrum 7. Id. Iunij, incipien. *Iniunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruituris officium, &c.* Plodius, & Fernandez.

Cœlo dedit Dominicana Religio filium ſuum inclytum P. Ioannem de Dacia, virum ſanctiſſimum, atque in eadem Prouincia aliquando Prouincialem, qui in conuertẽdis Mahumetanis, & infidelibus plurimùm cum ſocijs inſudauit in vita cum fructu max. & poſtmodum requieuit in pace. *Plodius.*

Aliam quoque, vitæ ſanctitate nobilem, æternæ gloriæ obtulit B. Stephanam de Soncino, Cœnobij Monialium Tertij Ord. noſtri apud Soncinum fundatricem ex Quinzana familia, quæ tantæ fuit puritatis, & innocentiæ; vt à Deo ſeptennis fuerit deſponſata anulo, pyropo ditato. Paulò poſt S. Andræam Apoſtolum crucem ferentem vidit, dicentem ſibi. *Hac itur ad cœlum*, & relictis omnibus, crucem amplexata, vſque ad mortem illam portauit, ieiunijs, cilicijs, flagellis, atque quotidianis mortificationibus aſſueta. Ad cœlitum conſortium, tribus annis antea ſibi reuelatum, miraculis clara fœliciter euolauit. *Bzou. num.* 39.

Calixtus Pontifex aſſumpſit ad regimen Eccleſiæ Folianen. P. Stephanum Chaan Portugallen. & Petrum de Venetijs ad Archiep. Coroycon. viros doctiſſimos, & pijſſimos; noſter verò Card. de Turrecremata obtinuit Epiſcopatũ Albanen. talis enim interfuit electioni Pij II. *Ex lib. Prouiſ. Præl. eiuſd. Pont. & Bzou. n.* 13.

Cum Mahometus Lesbij inſulam ſibi ſubegiſset, ciuitatemque Lesbien. cœpiſset, incolas eiuſdẽ Latini ritus ad vnum omnes trucidauit, & inter eos inuictum Paſtorem illius P. Leonardum de Chio, catholicos ad ſuſtinendam viriliter pro Chriſti nomine mortẽ exhortantem, crudeli morte peremit; vt ad æternam vitam breui cõpendio tranſiret. *Finis quidem deplorabilis, & tanto viro indignus*; inquit Abbas Iuſtinianus in Scio Sacra.

Cum

Cum P. Laurentius de Caſtro Florentino diuini verbi annunciator in Italia famoſus, ſalutis animarum cupidiſſimus eſſet, à Pio Papa II. cui tanti viri zelus optimè innotuerat, mittitur Epiſcopus in Achaiam, vt talentum ſibi creditum Domino ſuo duplicatum reportaret inter infideles illos, ex quibus multos per Euangelij lumen ad Catholicam fidem attraxit; & in Apoſtolico aſſumpto miniſterio perſeuerans, ad æterna tandem præmia commigrauit. *Ex Monum. Conuent. S. Mar. Nouellæ de Florentia*, in quo Dominicanam profeſſionem emiſerat.

ANNO 1459. Nobili hoſpitio recipitur Pius II. Pont. Max. Florentiæ apud noſtros Prædicatores in permagnifico cœnobio S. Mariæ Nouellæ, (in quo Martinus V. & Eugenius IV. eius prædeceſſores pariter reſederant,) dum Mantuam peteret, & octo diebus ibidem permanſit, à Florentina Repub. magnificentiſſimè habitus. *Bzou. num.* 12.

Cardinales Beſſarion, & de Turrecremata induxerunt Rem publicam Florentinam, populumque illius ad ſumenda arma cum alijs Principibus Chriſtianis in Turcas, quod priùs Pio Pontifici negauerant. *Bzou. num.* 43.

S. Antoninus Florentinus Archiep. in humilitate magnus, in paupertate diues, & in corpore Angelus euolauit in cœlum, miraculis, tam in vita, quàm poſt mortem coruſcans, quem Adrianus VI. in Sanctorum album retulit poſt ſexageſimum quartum obitus annum, vt dicemus. De ipſo S. Antonino tale habet elogium Spondanus ex Calixti Bulla & Gobellino. *Domuit auaritiam, conculcauit ſuperbiam; libidinem prorſus ignorauit: potu, ciboque parciſſimè vſus eſt: Non iræ, non inuidiæ, non alteri paſſioni ſuccubuit: Doctrina Theologica emicuit: ſcripſit plura volumina, quæ docti laudant. Prædicator acceptus in populo, quamuis ſcelerum inſectator vehemens. Correxit Cleri, & populi mores: lites diligenter compoſuit; inimicitias, quoad potuit, ex vrbe pepulit: Prouentus Eccleſiæ inter Chriſti pauperes diſtribuit. In cognatos, & affines ſuos, niſi admodum inopes eſſent, nihil contulit. Vitreis, ac fictilibus tantùm vaſis eſt vſus: familiam, quæ parua illi fuit, contentari modico voluit, & ad Philoſophiæ leges viuere. Mortuo nobile funus ex publico ductum; in domo nihil repertum eſt, præter mulum, quo inſidere ſolitus erat, & vilem ſupellectilem: cætera manus pauperum aſportauerat.* Hæc ille num. 6. & Bzouius num. 48. & P. Marcheſius in Sacro Diario Dominicano hoc mirabile ſubdit de eodem S. Preſule. *Il giorno che ei ſpirò giunſe à Firenze il Sommo Pontefice Pio II., quale hauend' inteſo la morte di ſi grand' huomo, ſe ne dolſe, molto, & ordinò che ſe li faceſſero ſuntuoſiſſimi funerali: comandandò perciò, che v' aſſiſteſſero molti Veſcoui è Prelati che ſeco erano, tra quali fu il Card. di S. Marco, che doppo, fatto Papa ſi chiamò Paolo II. è di piu conceſſe ſette anni è ſette quarantene d'Indulgenza à tutti coloro che andaſſere à riuerirlo & à baciarli la mano.* Hæc ille tom. 3.

Euolauit quoq; in cœlum eodem anno apud Comum B. Antonius de S. Germano Diœceſis Vercellen. qui cum inuitus præfectus fuiſſet conuentibus Nouocomen. Bononien. atque Florentino S. Marci, in quo adamuſſim vigebat regularis obſeruantia, profluuium lacrymarum ex oculis emittebat, dicens, ſe remo vix aptum, ſupremo clauo fuiſſe præfectum ineptum. Animarum ſalutis addictiſſimus, peccata pœnitentium frequenter audiebat, illiſque compatiebatur ex intimis viſceribus; cœterùm ſine reprehenſione, & emendatione illos non dimittebat. Infirmis ſanitatem, muto loquelam & cœco lumen reſtituit: at prophetico ſpiritu multa prædixit, & inter alia ſui obitus diem, & horam, quâ fœliciter euola-

uit in cœlum, miraculis multis coruſcans. *Bzou. num.* 57.

Celebrata ſunt noſtra Generalia Comitia apud Nouiomagum, in quibus recepti ſunt ad gratias, & beneficia Ordinis plures Religioſi, & Paſtores optimi varijs Eccleſijs præfecti. Hi autem fuère, PP. Petrus de Venetijs Archiep. Corcyren. Antonius de Regio Lombardus Ep. Bituntinus. Henricus de Rauennato Ep. Venecoponen. & Suffraganeus Colonienſis. Hericus de Praga Ep. Sebaſten. Io. Hunder Ep. Laudanen. Necnon & Venerabile monaſterium ſacrarum Virginum noſtrarum, Vallis Liliorum in Prouincia Saxoniæ tam in morte, quàm in vita. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Habitus eſt quoque hoc anno apud Mantuam à Pio II. Pont. Max. Apoſtolicus conuentus S. R. E. Cardinalium, Oratorum Principum Chriſtianorum, aliquorumque Eccleſiaſticorum Paſtorum; necnon & Theologorum, pro pace, atq; concordia inter eoſdem Principes conſtabilienda, & ad ſumenda arma contra Chriſtiani nominis hoſtes acerrimos Turcas; qui octo menſibus completus eſt, ac terminatus Februario menſe ſequẽtis anni, cui & plures ex Prædicatoribus adfuère, & inter illos Card. de Turrecremata, ex cuius voto diſcuſſus eſt punctus difficultatis & reſolutus *An Concilium ſit ſupra Papam*, ac propterea *An liceret appellare à Summi Pont. viuentis ſententijs & cenſuris ad futurum Concilium*, prout ſuperioribus annis contigerat, in quibus multi appellauèrant à Pontificibus Max. ad Concilium primò, Conciliabulum poſtea Baſileen. quod & accidit in Concilijs Conſtantien. & Florentino. Decretumque fuit excommuni Patrum voto, appellationes huiuſmodi cum ſuis auctoribus fore execrandas, & damnandas; ac propterea appellantes à Romano Pontifice ad futurum Concilium, tanquam hæreſis fautores, læſæque maieſtatis reos plectendos eſſe decretum eſt, quod Pius Pontifex confirmauit, euulgato Apoſtolico diplomate 15. Kal. Febr. ſequentis anni, quod incipit. *Execrabilis, & priſtinis temporibus inauditus tempeſtate noſtra inoleuit abuſus, vt à Romano Pont. Ieſu Chriſti Vicario, &c.* In eo autem Patrum congreſſu primò orationem habuit Bartholomæus Lapatius Coronen. Epiſcop. in magna Græcia de Pontificis propoſito, & conuentus cauſa, ac neceſſitate rei gerendæ. *Lucarin. in Chron. Bzou. num.* 1. ſequentis anni, & *Spondanus num.* 9.

ANNO 1460. Glorioſum pro Catholica fide pertulit agonem P. Antoninus de Ripolis Florentinus. Hic à S. Antonino Priore conuentus S. Marci de Florentia ad Ordinem receptus, ex eodem, tamquam puriſſimo virtutum omnium fonte, pietatem, atque regularem obſeruantiam hauſit; & ſtudiorum deſiderio accenſus, à ſuperioribus licentiam pergendi in Siciliam, vt Panormi Theologicis ſtudijs vacaret, obtinuit. Dum verò Neapoli Siciliam versùs nauigio veheretur, à pyratis captus Tunetum delatus eſt, vbi in miſerrima ſeruitute viuens, de deſerenda Catholica fide cogitauit, & permittente Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt, illam impiè abnegauit, vxore etiam ducta. Cum verò à Florentinis negotiatoribus ibidem exiſtentibus eidem prætioſa mors S. Antonini in Religione Patris ſui, miraculis innumeris corruſcantis, nunciata fuiſſet, diuino ſpiritu afflante compunctus, ſtatim in genua procumbens, eleuatis in cœlum luminibus, alta voce clamauit ad Deum dicens: *Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter,*

noſter, & proper gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris proper nomen tuum. Quibus dictis, ad domum aduolauit, bona, quæ habebat, ſuſtulit, & pauperibus Chriſtianis diſtribuit, vxorem parentibus reſtituit, atque omnibus humanis rebus ſolutus ad Regem acceſſit, & ſe impiè Ieſu Chriſti veram, ſanctam, ac diuinam legem abnegaſſe, ac propterea pro ea ſe mori paratum eſſe proteſtatus eſt. Miratus tyrannus viri conſtantiam, dimiſit illum facto decreto, vt poſt tres dies ad ſe rediret, propoſitum ſuum nunciaturus. Abijt Antoninus, & tranſactis in continuis ieiunijs, & orationibus tribus diebus, iterum ad tyrannum reuerſus, & Mahometicam ſectam deteſtatus, damnatus eſt ad mortem, lapidibus obruendus. Die igitur 10. Aprilis in forum publicum ductus, genuflexus orientem versùs, alta voce ſcelus ſuum deteſtatus, dixit *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*. Et inter ſaxorum impetus fœlicem animã Deo reddidit dicens cum Stephano; *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*; cuius corpus in ingentem rogum ibidem paratum iniectum fuit, ſed nec pilis, aut veſtibus ignis nocère potuit, obſtupeſcentibus Mahumetanis, quorum aliqui nouitate miraculi perterrefacti, catholicam fidem amplexati ſunt, corpore B. ſerui Dei in Eccleſia Tunetana Ianuenſium honorificè ſepulto, vbi multis claruit, & claret miraculis. *Lucarinus in Chron. Bzouius num. 47. & Spondanus num. 17. cum P. Marcheſio.*

Boſinæ Rex hortantibus Fratribus Prędicatoribus Manichæos hæreticos in ſuo Regno exiſtentes aut ex eo exulare, aut ſacrum baptiſma ſuſcipere voluit. Ad duo millia igitur baptiſma ſuſcèpere; ad quadraginta autem, relictis bonis, exulare coacti ſunt. Tres verò principaliores hæreticos in aula Regia potentes, Nonenſis Epiſcopus vinctos ad Pij Pontificis pedes ſecum duxit, qui eos tradidit Cardinali S. Sixti de Turrecremata, in catholica fide erudiendos; & edoctos in rebus fidei, abiuratis erroribus Pontifici Maximo reſtituit, & hic ad Regẽ illos remiſit. Poſt hæc autem Pius Pont. Senis exiſtens Cardinalem de Turrecremata, apud eundẽ Pont. in maxima æſtimatione habitum Legionen. Epiſcopum creauit, ipſo Legionen. Epiſcopo Senis defuncto: Henricus autem Caſtellæ Rex poſſeſſionem eidem non conceſſit, ex quo iurgia, & contentiones magnæ inter Pontificem Pium, & Henricum Caſtellæ Regem emerſerunt. *Bzouium. 17. & 38.*

ANNO 1461. Solemni canonizationis ritu Pius Pontifex in Sanctarum Virginum chorum, & Album retulit Chriſti ſponſam Virginem Catharinam Senenſem, ad inſtantiam Senenſis Reipublicæ Romæ 3. Kalend. Iulij, acceito Epiſcoporum Concilio, conceſſaq; Indulgentia ſeptem annorum viſitantibus illius ſepulchrum, & quotannis fieri memoriam ipſius in Eccleſiæ tabulis voluit, officiumque in eius ſolemnitate, quo Ordo noſter vtitur, compoſuit. *Bzou. num. 11.*

Cœlo datus eſt ab Ordine fructus pretioſiſſimus P. Sanctes de Florentia, à Leandro inter Beatos Prædicatores recenſitus, qui in regulari obſeruantia enutritus, vnus fuit ex dilectis diſcipulis S. Antonini, ex quo tanquam virtutum omnium vberrimo fonte, charitatem, humilitatem, extremam paupertatem, zelumque animarum hauſerat, quarum conuerſioni totus incumbebat. *Plod. lib. 3.*

Plures ex pauperculis tellulis erutos, ſuper candelabra Eccleſiæ militantis conſtituit Pius Pontif. die ac nocte vt omnibus, qui in Domo Domini erant, ſuis virtutibus, pietate, atque exemplari vita prælucèrent, ex quibus recenſentur P. Donatus Otoncubayr Anglus ad Ala-

denam Eccleſiam euectus. P. Raymundus de Rota ad Acconen. & P. Iulianus Matoui ad Sulcitanen. *Ex lib. Prou. Prælat. eiuſdem Pont.*

P. Mag. Gabriel de Caſafrages Barchinonen. Prior, & Regens, necnon & Inquiſitor Bononien. ſolertia ſumma, & ſtudia inter Religioſos, & Catholicæ fidei nitorem in populo ſibi credito conſeruare, ac promouère ſatagens, à fide deuios per ſalutares pœnitentias ad illam venerandam compulit. Hæreticos extirpauit, iudaizantes, & relapſos igne conſumpſit, atque blaſphemorum linguas ita frænauit, vt ſceleſtiſſimum blaſphemiæ vitium penitus ex ſibi ſubditis eradicauerit. De quo aſſumpto ad legendum Theologiam in conuentu Romano S. M. S. Mineruam, ita loquitur Pius Pont. datis Apoſt. literis 4. Decemb. huius anni. *Cum à Patribus legendi gratia ad Conuentum Mineruæ Vrbis Romæ miſſus, &c. Nos conſiderantes neceſſitatem officij tibi commiſſi, & quantùm inſudaueris ad extirpandos errores, & ad mentes multorum deprauatas in melius reuocandas, &c. Volumus quod in eodem officio Inquiſitoris Vicarium deputare cum omni facultate poſſis, &c.* Ex Archiuio Inq. Bonon.

P. Bartholomæus Lapatius de Vbertinis ſub Eugenio Papa IV. in Florentino Concilio famoſus, de quo ſup. ſcripſit doctiſſimū tractatum de diſtinctione Spiritus Sancti à Filio, & de eius à Filio proceſſione contra errorem Grecorum, quem Cardinali Beſſarioni dedicauit; necnon & de ſanguine Chriſti in Cruce effuſo, opus Pio II. oblatum. *Fernand.*

P. Martialis Magiſter Ordinis poſt rectum illum annis nouem, Capitulaque Generalia tria celebrata, ſupra recenſita; poſt relatos ſolemni canonizationis ritu, inter Sanctos Confeſſores à Caliſto III. B. Vincentium Ferrerium, qui ſuo ignito eloquio multa millia Hæbreorum, & Saracenorum ſacro lauacro abluerat; & ſupra centum millia perditorum hominum de ſua ſalute propter impœnitentiam deſperantium ad propria deteſtāda facinora, etiam cum lacrymis perduxerat; atque inter Sanctas Virgines à Pio II. B. Catharinam Senenſem, ipſo Martiali non modicum apud dictos Pontifices proper hoc inſudante, à Pio II. regimine Ordinis priuatur hoc anno, maxima cum Patrum illius perturbatione, dolore, & miratione. Cauſam talis depoſitionis dicunt ſcriptores aliqui fuiſſe, quòd in partes Regis Galliæ, cum ipſe Gallus eſſet, contra Pontificis voluntatem declinaſſet. Dicunt alij id factum eſſe eo quod promotores regularis obſeruantiæ, in Ordine reparatæ, non fouèret. Alij tandem, quòd credibilius videtur, id accidiſſe aſſerunt, eo quod Congregationem Patrum peregrinantiū proper Chriſtum inter infideles pro illis ſacro lauacro regenerandis, Pontifice inconſulto, extinxerit. *Olmedia & Ferrar.*

Caput V.

Fr. CONRADO ASTENSE Magiſtro Generali XXX.

ANNO 1462. Viriliter decertabant in hæreticos P. Raphael Garzia in Regno Valentiæ Inquiſitor, P. Martinus de S. Angelo apud Cæſarauguſtam, P. Ioan. Geraldus Maioricæ, & P. Petrus Solanus Inquiſitor Roſſilionen. P. Philippus Barberius verò in Regno Siciliæ Acurſium de Politio, aſſerentem B. Virginem poſt partum virginitatem amiſiſſe, publico igni adiudicauit: quædam verò

mulier-

mulierculæ eidem adhærentes abiurata hæreſi, fuère per Panormitanam ciuitatem ad ſanguinem vſq; ſuper aſellum fuſtigatæ. *Pyrrus Bzou. & Diag.*

Mandante Pio Pontifice celebrata ſunt Ordinis Generalia comitia ad Feſtum Aſſumptionis B. Virginis apud Senas, in quibus electus eſt Magiſter P. Conradus Aſtenſis Lombardus, cum Vicarij, ac Procuratoris Ordinis officio fungeretur. Fuit Corradus Regens famoſus in ſtudijs Ord. doctrina quippe, atque omni diſciplinæ genere præcelſus habitus, in regimine verò Ordinis ſe minùs habilem reputãs, poſt triennium, Magiſterium depoſuit, & in conuentũ ſuum ſe recipiens, in humilitate Ordinis perſeuerauit vſq; ad mortem. Sub eo autem eluxère viri inclyti, in prædicatione Euangelij feruentes, inter quos recenſentur P. Io. de Neapoli, & Ioan. de Piſtorio, qui non vna vice coram Pontifice Max. orauerunt; hiſque acceſsère P. Bartholomæus de Senis, & P. Thadæus de Vrbeueteri, qui linguas ſuàs igne Eliæ imbuentes aduersùs peccatores, & laſciuos maximè per totam Italiam verbum Chriſti multo cum animarum fructu diſſeminauère. *Olmeda*.

P. Io. Armenus præfectus èſt Archiepiſcopus Armeniæ populis, conſecratus in Curia, exqua diſceſſit, prætioſa ſacra ſupellectili, Indulgentijs, atq; alijs Apoſtolicis fauoribus onuſtus, cui Pius Pontifex populos illos plurimùm commendauit. P. autem Gregorium Melchiorij Baruten. Eccleſiæ præfecit, vt oues illas inter infideles in fide conſtantes, in eadem conſtabiliret. *Ex lib. Prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont. & Galano*.

P. Ioannes Gactus Meſſanenſis, vir omni ſcientiarum peritia ornatus, cum græcis, hæbraicisque literis polleret, Inquiſitor in ciuitate Meſſanen. atque eius Diœceſi creatus, ita hæreticos inſectatus eſt, vt Ferdinandi II. gratia, ac beneuolentia promerita, ad Cephaleditanum Sacerdotium euehi dignus fuerit, de quo infra ad annum. 1471. *Pyrrus Sicil. Sac.*

B. Alanus de Rupe Britannus eximius concionator, vir reuerà, & ſanctitate, ac deuotione præfulgens, ſub Magiſtro Ord. Conrado, Pſalterij, ſeu Roſarij B. Virginis, monitus ab eadem, præcipuus dilatator & reſtitutor fuit; vnde in Germania primium Societas hæc virorum, & mulierum in laudem eiuſdem Virginis Sacratiſſimæ inſtituta, in Italiam poſtmodum, & totam Europam, catholicumque orbem incredibili cum animarum fructu diffuſa eſt. *Olmeda in vita Conradi*.

ANNO 1463. Occaſione cuiuſdam concionis habitæ apud Brixiam à Religioſo Minorita, in qua ad ſuam oſtentandam doctrinam, die S. Paſchæ dixit prætioſum Chriſti ſanguinem in triduo paſſionis, dum in terra iacuit ſparſus, & effuſus, indignum fuiſſe latriæ cultu. Inquiſitor noſter edixit illi, vt ſententiam retractaret: & ni pareret, reſponſuro de fide diem dixit. Interpoſuit Epiſcopus Brixien. auctoritatem ſuam, vt rem componeret, ſed cum id conſequi non valèret, ad Apoſtolicam Sedem cauſa remiſſa eſt. Pius Pont. ex Cardinalium conſenſu Generalibus Ordinis Prædicatorum & Minorũ; vt viros doctiſſimos ad hoc diſputandum coram ſe, ſeligerent, & ad Curiam quam primùm vocarent, iniunxit. Tres Prædicatores delecti ſunt ad certamen, P. Gabriel Caſaſrages de Barchinona Catalanus Regens Generalis ſtudij Bononien. P. Iacobus de Brixia, & P. Vercellinus de Vercellis: ex Minoribus verò F. Franciſcus Saonẽſis, Vuillelmus Gallus ex gymnaſio Pariſien. cum alio. Diſputatum eſt igitur coram Pont. Max. Cardd. cœtu, multiſque Epiſcopis, doctiſſimiſque viris, non ſemel de hac re: & poſt hæc Pontifex auditorium diſſoluit, & rem cum Cardinalibus tractauit. Maior pars ſententiam Prædicatorum

dicatorum ſuſtinuit, minor autem Minoribus adhæſit, ipſo Pont. Maximo in maiorem partem inclinante. De tali inito cum Minoribus à noſtris congreſſu, hæc ſubdit Spondanus. *Pulchrum ac delectabile fuit audire doctiſſimorum præclara ingenia inter ſe contendere verbis, & nunc iſtum, nunc illum ſuperiorem cernere: certaſſe, vt decuit, coram tanta maieſtate, non ſine modeſtia, ac trepidatione: verùm adeo durum, & acre certamen habuiſſe, vt media hyeme, cum rigerent omnia gelu, in ſudorem reſoluerentur: tantus erat vincendi ardor.* Hæc Spondan. num. 12. anni præced. *Bzou. num. 1. & S. Olmeda in vita Corradi Mag. Ord.*

Eodem anno Matthias Coruinus Hungariæ Rex miſit Regium Oratorem ad Pium II. Pont. Marcum Tinien. Epiſcopum pro canonizatione B. Margaritæ Belæ IV. Hungarorum Regis filiæ Ordinis Prædicatorum. datis literis Regijs 26. Martij ad eundem Pontificem Max. & S. R. E. Cardinales, in quibus S. huius Virginis virtutes recenſet, extantq; apud Ferrarium p. 2. lib. 2. cap. 34. ipſæ litteræ Regiæ.

P. Bartholomæus de Scalis aſſumitur à Pio Pontifice ad regimen Sulmonen. Eccleſiæ, quam ſanctiſſimè rexit vſque ad annum 1491. maximo cum creditarum ſibi ouium in via ſalutis emolumento. *Vghell.*

Poſt deceſſum Iacobi AEgidj Aragonen. Magiſtri Sacri Palatij Pius Pont. P. Leonardum Manſuetum de Peruſio in eius locum ſubſtituit Magiſtrum, virum doctum, & tanto Magiſterio dignum; qui anno 1468. Capitulo Generali Romæ congregato, (abſente Magiſtro Ordinis) præfuit Vicarius Generalis; tandemque defuncto Conrado in eius locum regimen Ordinis aſſumpſit, factus illius Generalis Magiſter. *Olmeda.*

ANNO 1464. Viriliter decertabant in hæreticos, Boemorum hæreſi coinquinatos, in Polonia graſſante, etiam cum vitæ periculo, quinque ex noſtris Prædicatoribus Inquiſitores contra hæreticam prauitatem, ſcilicet P. Gregorius Heyeze in Vratiſlauia, P. Nicolaus Gruneb apud Thorunen. P. Matthias Conradi in Ruſſia. P. Dionyſius apud Cracouiam, cum P. Alberto de Lancicia, qui cauſa fidei ſuſcepta pro conſeruandis in fide Catholicis, magnos labores & calamitates pertulerunt, hinc inde diſcurrentes, & tali peſte coinquinatos condignis ſupplicijs afficientes. At quia multi Principes, & nobiles Boemis hæreticis adhærebant, neceſsè fuit Inquiſitoribus proprium munus maxima cum prudentia exequi, ni vellent trucidari. *Bzou. cap. 8.*

Congregatio Fratrum Peregrinantium proper Chriſtum apud infideles pro eorum conuerſione, à Martiali Auribello ſublata, de Pij II. Pontificis mandato reſtituta eſt à Mag. ſtro Ordin. Corrado Aſten. cum gratijs ampliſſimis, reſtitutis eidē conuentibus apud Conſtantinopolim, & in Oriente exiſtentibus, necnon & alijs, qui ex Prouincijs Hungariæ, & Poloniæ fuerant euulſi in Lituania, Podolia, Ruſſia, Moldauia, & Valachia, prouenientibus inde copioſiſſimis fructibus ex gentium conuerſione in Eccleſia Dei, præfecto illi Vicario P. Benedicto de Filicaia Florentino ex Romana prouincia, viro, qui mori pro Chriſto diligebat, & pro euangelij promulgatione pati non renuebat. *Ferrar. p. 4. lib. vn. cap. 8.*

Poma noua prætioſiſſima cœlo obtulit Dominicana Religio, inter quæ ſingulariter emicuit B. Margarita de Sabaudia, de qua ſup. an. 1413. cum defuncto viro ſuo Marchione Montis Ferrati palam S. P. Dominici habitum Sororum Tertij Ordinis aſſumpſiſſet, votumque perpetuę caſtitatis emiſiſſet; à ſęculi vanitatibus, & conſortio abeſſe cupiens, in Alba Pompeia conſtructo Virginum cœnobio ſub D. Mariæ

Mariæ Magdalenæ protectione, ac Prædicatorum cura, in perpetua clauſura, ſolemnibus Religionis emiſſis votis, reliquos vitæ dies omnipotenti Deo bonorum omnium largitori conſecratura, in illud ingreſſa ritè velata eſt, ſtudiumque Deo famulandi operoſius duplicauit: vbi in humilitate magna, in paupertate diues, atque in corpore Angelus effecta multis patratis miraculis, in cœlum euolauit, illapſa tranſitus hora Monialium auribus Angelica ſimphonija. *Ex eius vita*.

B. Margaritam ſequuti ſunt eodem anno ad gloriam P. Chriſtophorus de Mediolano ſpiritu prophetico & miraculis clarus, cũ alio Religioſo Erfordienſe, cuius nomen ſilent Authores, qui in Ruſſia, & Liuonia innumeros Idolatras, ideſt ad quinq; millia ſacro lauacro regenerauit Chriſto Domino, ciſque in apertis campis prædicabat, cum Eccleſiæ non ſufficerent ad recipiendam tantam auditorum multitudinem, quæ illum ſequebatur. *Plodius*.

Cardinali de Turrecremata demandata eſt cura Sabinen. Eccleſiæ. Ioanni Simonis Nazauanen. à Paulo II. Paulo de Cracouia Laodicen. Enguerardoque Segnart confeſſori Caroli Comitij Caloualeſij filij Ducis Burgundiæ Salubrien. *Ex lib. Prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont. & Vghell.*

Matthias Coruinus Hungariæ Rex, datis literis ad Pium II. Pont. Max, ab eo inſtanter petijt, vt P. Euſtachius Vngarus, vir doctiſſimus, ſalutiſque animarum per ſacram euangelij prædicationem cupidus promoueretur & fieret Abbas inſignis Abbatiæ de Topouzka, quòd Pōtifex præſtitit feſtinanter. *Ferrar. de Vngar. Prou, tit. Abbates*.

Sublato de terra viuentium Pio II. electoque Paulo II. ad extirpandas hęreſes hic animum applicuit, in Italia maximè, adiacentibuſque inſulis. Quapropter cum defuncto P. Petro Maſtretto Inquiſitore Generali in Neapolitano Regno, Corradus Aſtenſis Mág. Ordinis in eius locum ſubrogaſſet P. Mag. Barnabam de Neapoli, Paulus Pontif. talem inſtitutionem ratam habuit, atque Apoſtolicis literis confirmauit, datis apud S. Petrum 7. Kal. Octob. pont. an. 1. incipien. *Dilecto filio Barnabæ de Neapoli Ord. Fratrum Prædic. ac Theolog. profeſſ. prouinciæ Siciliæ citra Farum ſecundum morem dicti Ord. Inquiſitori hæret. prauit. ſal. &c. Iuxta paſtoralis officij debitũ, &c. deputationem per eundem Generalem Mag. de perſona tua factam ratam habentes, & gratam, illam auct. Apoſt. tenore præſentium, approbamus & confirmamus*. Ex Arch. Ord.

Caput VI.

P. MARTIALI AVRIBELLO Magiſtro Generali Reaſſumpto

ANNO 1465. Dimiſſo, ac renunciato à Corrado Aſten. Magiſterio Ordinis, congregatum eſt Capitulum apud Nouariam pro alterius Magiſtri electione, in quo iterum aſſumptus eſt ad regimen illius P. Martialis Auribellus, qui alia tria Capitula celebrauit Romæ 1468. Auenione 1470. & Baſileæ 1473. Martialis igitur reformationi, & promotioni Ordinis addictus, eundem, etſi annorum pondere grauatus, viſitauit, & petente Card. S. Sixti Turrecremata in Hiſpaniam, poſt viſitatam Galliam pertranſijt, ibique in Valliſoletano Conuentu regularem obſeruantiam primò reſtituit, deinde in pluribus alijs conuentibus, donec tota Prouincia, cooperante Deo, regulari obſeruantiæ reſtituta eſt, P. Di-

daco

daco de Magdaleno eidem primo Prouinciali præfecto. Martialis igitur plenus dierum debitum naturæ perſoluit apud Auenionem poſt celebratum Capitulum Baſileenſe an. 1473. *Olmeda.*

In ipſo autem Capitulo apud Nouariam hoc anno celebrato conſtitutus eſt à Patribus Generalis Inquiſitor in tota Gallia P. Io. Vacat doctiſſimus laureatus Pariſienſis, atque inculpatæ vitæ vir, qui demandatum ſibi munus in hæreticos ſumma vigilantia exercuit. *Ex Act. eiuſd. Cap.*

Hoc anno, & tempore clarebat P. Blaſius Conſtantinus de Raguſio, vir doctus, atque in Bononien. Generali ſtudio Regens, cui cum Raguſinus Senatus Abbatiam in Meliden. Inſula Ordinis Benedictinorum nigrorum conceſſiſſet, ac propterea Monachalem habitum ſumere opus eſſet, idque facere deliberaſſet; quieſcenti per noctem adfuit S. P. Dominicus, & increpatum illum de cogitatione dimittendi ſuæ Religionis habitum ſeuera diſciplina corripuit, ita vt expergefactus dolorem nòn modicum ſentiret, & ſigna liuida proprijs oculis videret; quare à dimittendo habitu abhorruit, illumq; etiam in Epiſcopatu Tribunen. prout conſueuerat in clauſtris, retinuit. *Ferrar. p. 3. lib. 1. cap. 5.*

P. Petrus de Maſtrettis Iſabellæ de Claramonte Neapolitanæ Reginæ à ſacris confeſſionibus, & conſultationibus, Generalis Inquiſitor in eodem Regno Apoſtolica auctoritate conſtitutus, catholicam fidem ab erroribus quibuſcumque vindicauit. Nam hæreticorum hoſtis acerrimus effectus, eos ferro, ac igne perſequendo, ex ſibi credito Regno abire coegit; ſtriges, quibus illud abundabat compeſcuit, multaque alia beneficia Catholicæ fidei præſtitit, & Reginam ipſam Apoſtolicæ Sedis deuotam effecit, quæ hoc anno in pace quieuit. *Grauina pro Sac. Dep.*

In Toloſana verò ditione conſtitutus eſt Inquiſitor P. Antonius Thaluyſti, vir doctus ac potens in opere, & ſermone, qui vt hæreſim carperet, & ſibi commiſſas Chriſti oues ab omni illius macula alienas conſeruaret, edictis publicis, & hæreticos, & receptores, & fautores illorum, ex ſibi creditis locis exules eſſe voluit condignis pœnis tranſgreſſores caſtigando iuxta Apoſtolica documenta, nullo rigore ommiſſo. Quare multi abiuratis hæreſibus Sanctæ Matri Eccleſiæ reconciliati ſunt, alijs in alienas prouincias fugientibus. Permanſit autem in Apoſtolica præfectura hac ad annum vſque 1482. & poſtea in pace factus eſt locus eius, & habitatio eius inter electos. *Ex Relat. Archiu. Toloſanus.*

Viriliter quoque decertabant in Liuonia noſtri Prædicatores, vt Catholicam fidem ibidem cum effuſione maxima ſanguinis plantatam, incontaminatam ſeruarent, vbi confinia Chriſtianitatis erant, infidelibus valde propinqua. Cœterùm cum ipſi ſoli aliquorum Patrum Minorum adiuti ſocietate tantam ſpiritualem ſarcinam ſuſtinère non valerent, Magiſter Fratrum Theutonicorum B. Mariæ, ad quem iure patronatus ſpectabant loca illa, in quibus erant duo conuentus Ordin. Paulo II. Pontifici indefeſſos labores, ærumnoſaſque calamitates, quas pro euangelij prædicatione, fideique dilatatione ſuſtinebant illi, ſignificauit, ſupplicans vt Patribus Minoribus licentiam concederet fundandi tres conuentus in eiſdem locis; quòd benignè conceſſit Paulus datis Apoſtolicis literis Romæ apud S. Marcum prid. Kal. Febr. Pont. an. 2. ad Archiep. Rigen. pro exequtione, incipien. *Ven. Fr. Archiep. Rigen. Sal. &c. Super grege Dominico noſtræ diuinitus vigilantiæ credito, &c. Cum itaque in Liuoniæ terra quæ in finibus Chriſtianitatis, & infidelibus vicina exiſtit præter quædam loca, ſiue domus Ordinis Fratrum Minorum de obſeruantia nuncupat.*

nuncupat. non ſint niſi duæ domus Ord. Fratrum Prædicat. & per vicinitatem eorundem infidelium valde expediens ſit plures in eadem terra Religioſos, tam pro fidelium in fide confirmatione & manutentione, quam pro infidelium conuerſione, fore, pro parte dicti Magiſtri, qui vt aſſerit in eadem terra iuriſdictionem temporalem habet, &c. Exemplar harum literarũ Apoſt. eſt in Ord. Archiuio.

ANNO 1466. Sanguine ſuo chriſtianam diſciplinam ſanxit glorioſus hæreticæ prauitatis Inquiſitor B. Bartholomæus de Ceruerio xj. Kalend. Maij. Hic cum ſacrum Inquiſitionis tribunal Apoſtolica auctoritate regeret apud Sauilianum, Catholicæ fidei ſe defenſorem inuictum, hæreticorumque expugnatorem acerrimum exhibens, contra eos aſſiduis prædicationibus inſurgens, atque ex officio procedens, multos ad Catholicam fidem attraxit, alioſque condignis ſupplicijs, etiam mortis, caſtigauit; & mortem ſibi ab eiſdem inferendam prænunciauit: Cum enim pro exequendo munere Inquiſitionis iter ſuſcepturus eſſet, ſacra exomologeſi peracta, dixit F. Chriſtophoro de Caramanico, ſe apud Ceruerias hæreticorum gladio eſſe perimendum; quod vt prædixerat, euenit: nam è Braida cum duobus ſocijs Ceruerium versùs pergens, quinque hæretici ex inſidijs irruentes, lanceis in modũ eum crucis confoderũt. Fratres fuga ſuſcepta, ad conuentum Ordinis Caruerienſem venientes, B. Martyris necem cœnobitis nunciauerunt, qui cum ad ſacrum cadauer exangue veniſſent, riuuli ſanguinis ex vulneribus ad eorum proſpectum ſtatim erupère; cum tamen in cæde, nec vna quidem cruoris gutta ſtillaſſet ex eiſdem. Hora, qua cæſus, cum ſol iam occumberet, Sauilianenſes alterum ſplendidiſſimum ſolem in cœlo, radiaque eiaculantem verſus martyrij locum conſpexère; vbi etiam arbor alta per miraculum exorta ſtatim eſt, ramos, foliaque in modum crucis habens. Multis miraculis claruit, interquæ illud celebre habetur: quòd cum Decanus Sauilianen. in caſtro Summæ Ripæ, compedibus vinctus detineretur, voto facto B. Martyri, ſomno aliquantulùm oppreſſus, cum euigilaſſet, ſe extra carcerem, & caſtrum reperit liberum, & fractos compedes ad ſui liberatoris ſepulchrum appendit. *Bzou. num. 12. in Annal.*

Præceſſit ad gloriam B. Bartholomæũ venerabilis Virgo Soror Eufroſina Toraglia Barchinonen. in Monaſterio Montis Syon, quæ vigilijs, diſciplinis, atque cilicijs aſſueta, diuiniſque viſionibus ſæpe recreata, die 2. Ianuarij depoſito carnis onere Agnum ſequuta, palmam accepit. *Plodius ex Diago.*

Paulus II. Pontifex Max. aſſumptos ex Ordine regimini Eccleſiarum præfecit Epp. Fratres inclytos zelum Dei habentes; & quidem P. Ludouicum Longum ex nobili gente natum (vt in lib. Prouiſ. Prælat. eiuſdem Pont. Max. dicitur) Motonen. P. autem Robertum Bonimpertum Mantuanæ. *Vghell.*

P. Vincentius Piſtoya in Sicilia prædicator Apoſtolicus, & S. Vincentij Ferrerij fidus diſcipulus Catholicam Eccleſiam plurimùm hoc tempore illuſtrabat; is fuit puerulus ille, qui per mediũ diuiſus, aſſatus, atq; ad comeſtionẽ ab inſanien. matre impoſitus menſæ, à S. Vincentio illico fuerat reſuſcitatus. Hic igitur ignito ſuo eloquio innumeros hebræos ad ſacrum baptiſma adduxit, eius mellifluis verbis, Deo cooperante, allectos. Quare inter illos initum eſt conſilium de eo non audiendo ampliùs, ne Synagoga peſſum rueret: Loximenus autem Prorex Siciliæ, datis 18. Martij huius anni literis, præcepit, vt Iudæi omnes ad audiendos ſermones Piſtoyæ in templo Prædicatorũ apud Platiam compellerentur, grauiſſimis pœnis tranſgreſſoribus impoſitis, vt ad fidem

Z z conuer-

conuerterentur. *Sicilia Sac. in notit. Eccl. Cathanen.*

P. Bartholomæus Lapatius in hoc opere multiplici rerum euentu famoſus, humanarum rerum, quæ ad æternam nihil proficiunt ſalutem, pertæſus, dimiſſa Archiepiſcopali Coronenſi Infula, Florentiam cum ſe recepiſſet, S. Romuli Commendatarius à Pont. Max. effectus, ibidem in humilitate magnus, atque in paupertate diues vitam duxit Angilicam; & poſt præfuſas in pauperum ſubſidium copioſas eleemoſynas, poſt redemptas inopum virginum auro inceſtus, poſt deploratas propriæ conſcientiæ culpas, relicto poſteris nobili *De ſenſibilibus delicijs Paradiſi* opere, ad peccatorum emollienda corda aptiſſimo, humanæ fragilitatis debitum hoc anno perſoluit Maij 24. in S. Mariæ Nouellæ permagnifico templo ſepulturæ traditus. *Vghellus, & Lucarinus.*

ANNO 1467. apud Polum, in AEquicolis caſtrum, Fraticellorũ hæreſi quidam coinquinati detecti ſunt, inter quos numerabatur illius oppidi Dominus, aſſerentes nullum poſt S. Petrum Apoſtolum verum fuiſſe Pontificem in Eccleſia Sancta Dei, qui paupertatem Chriſti non fuerit profeſſus. Contra hos proceſſum formauit, mandante Paulo II. Põtifice P. Leonardus Manſuetus de Peruſio Magiſter Sacri Palatij, & inuenti ſunt hac hæreticali pice inquinati, Caſtri Dominus, octo viri, necnon & mulieres ſex, qui omnes Romam adducti in area Capitolina, mitris papyraceis ad ludibrium, & confuſionem circumamicti, coram Pontificis Max. Vicario, alijſq; Epiſcopis, necnon & copioſa populi multitudine proprios errores abiurauère, atque pœnitentiæ habitum induère. *Lucarinus in Chron. Bzou. num.* 10.

Imago B. Virginis apud Viterbium in quadam quercu appenſa, miracula maxima operari incipit, vbi nobilis Eccleſia poſtmodum conſtructa, Fratribus noſtris diuinitus data eſt, vt in noſtra hiſtoria de Romana Prouincia Ordinis Prædicatorum retulimus; perſeueratque apud noſtros vſque in hodiernum diem, miraculis coruſcans. *Bzou. num.* 11.

P. Petrus Niger Gallus in D. Thomæ doctrina diſcipulus admodum excultus, ſcripſit multa opera tanto Magiſtro digna, inter quæ librum contra Iudæos *De vero Meſſia, & conditionibus illius.* Trithemius & Plod.

Paulus Pontifex Dominici gregis cuſtos peruigil P. Vincentium Vguzbianthe Ennenſi Eccleſiæ præfecit Paſtorem, vt oues ſibi creditas in æternæ ſalutis paſcua dirigeret. *Ex lib. Prouiſ. Prælat. eiuſdem Pont.*

P. Seraphinus Soldanus Siculus moribus ſanctitiſſimis ornatus, conuerſioniſque infidelium ad Chriſtum cupidiſſimus, mortem pro æterna conſequenda vita, contemnens ad Turcarum regiones perrexit Crucis vexillum inibi erecturus; at ventorum vi in Græciam delatus, ibi Romanæ Eccleſiæ primatum, auctoritatemque prædicans, ſchiſmaticos multos ſuorum eloquiorum vi ad Summi Pontificis venerationem adduxit; vbi tandem poſt ærumnas multas, indefeſſoſque labores toleratos vocatus eſt à Deo in æternã requiem. *Pyrrus in not. Eccleſ. Catanen.*

Stryges multæ deteguntur, & comprehenduntur in Regno Siciliæ à noſtris Inquiſitoribus, quæ cum multis, & pueris maximè, nocèrent vſque ad mortem, tormentis addictæ, conuictæ, & confeſſæ, varijs modis iuxta criminum qualitatem caſtigatæ ſunt, & alijs per ciuitates fuſtigatis, alijs carceribus adiudicatis, alijſque igne conſumptis, expurgatum eſt Regnum à tanto malo. *Pyrrus Sicil. Sac.*

Card. Io. de Turrecremata Ep. Albanen. ſcripſit in defenſionem Catholicæ fidei contra errores Vſſitarum librum *De Corpore*

Corpore Chriſti, necnon & plura alia tanto viro digniſſima. *Plodius p. 2.*

Zelo Catholicæ fidei loricati P. Gregorius Heycze Vratiſlauien. & P. Matthias Corradi in Ruſſia Generales Inquiſitores in Boemos hæreticos à fide Catholica in multis turpiter deficientes, atque in Poloniam ingredi, ibique ſuum impium virus effundere intentates, conſtanti animo procedebant, aduentantes illos ad ſibi creditas ditiones, vinculis, carceribus ferro, & igne caſtigantes, ac conſumentes, vt Catholicæ fidei candor ibidem conſeruaretur immaculatus: circuibant enim per ciuitates & Caſtella vigilantia maxima, proprio muneri, atque zelo animarum ſatisfacturi; etiam cum euidenti vitæ periculo, à quo fuère à Deo non ſemel mirabiliter erepti. *Bzou. de Prou. Pol.*

Erupère ex Calabriæ confinibus in Siciliam ſtriges, numero, ac veneno non ſpernendæ, quæ ibidem incantationibus ſuis nocumenta varia incolis afferentes, mala multa perpetrabant. Cũ verò vnam ex illis in vincula conieciſſet P. Philippus Barberius ibidem Inquiſitor apud Syracuſam, tormentis applicatam, criminis ſocias fateri compulit, cunctaſque captas ex Regia ſententia ſæculari brachio viuas comburendas relaxauit. *Pyrrus.*

ANNO 1468. prædicatum eſt in Chriſtiano orbe ſacrum bellum cum Indulgentijs conceſſis à Pont Max. ijs, qui arma ſuſciperent in Gregorium Podiebracium hæreticum, Boemiæ Regno ab eodem Pontifice Paulo II. priuatum, mandante Laurentio Rouerella Epiſcopo Ferrarienſe Legato Apoſtol. à Fratribus Prædicatoribus & Minoribus Poſſonij in Procerum conuentu, & vbique per Germaniam, Boemiam, Auſtriam, Sileſiam, atque Morauiam. Quare in Boemiæ Regno multa paſſi ſunt Dominicani & Franciſcani Fratres à Podiebracio, qui eos multipliciter vexatos ex ſuo regno eijciendos decreuit: quòd tamen, maiora ob id ſibi inferenda damna pertimeſcens, non perfecit. *Lucarin. in Chron. Bzouius num. 12.*

Cœlo dedit fructus ſuauiſſimos hoc anno Prædicatorum Religio, inter quos primus recenſetur B. Corradinus Arioſtus Bononien. vir doctus, pius, & humilis, orationibus, vigilijs, ieiunijs, charitatiſq; operibus addictiſſimus, & in meditatione paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ita aſſiduus, vt ſine lacrymarum profuſione affluenti illam contemplari nequiret; qui cum graſſante lue Bononiæ Prior præeſſet, diuertentibus ad diuerſa loca Fratribus ad euitandam imminentem mortem, ipſe cum aliquibus ſocijs in conuentu permanens, & infirmis ſua manu ſacramenta miniſtrans, mortem non timuit, vt illos ſacramentorum perceptione conſolatos in vitã dirigeret ſempiternam, & miraculis coruſcans perrexit & ipſe in cœlum. *Bzou. num. 22.*

Alter fructus ſuauiſſimus cœlo datur hoc anno Card. F. Io. de Turrecremata, vir, cuius fama vſque in hodiernum diem per orbem volat, in Concilijs celebris, atque in confundendis hæreticis egregius, qui vt ſupra innuimus. *Defenſoris Fidei* nobiliſſimo nomine, & titulo conſecuto, Sodalitati Sanctiſs. Annunciatæ in templo S. Mariæ ſuper Mineruã pro pauperibus virginibus dotale ſubſidium perpetuum reliquit, annis ſingulis diſtribuendum. Bzouius autem in Annalibus Eccleſiaſt. ſub num. 21. hoc anno eius virtutes egregias, merita præclara, ac laudes maximas recenſet. *Ex eodem Bzouio.*

Generalis Inquiſitor præerat tribunali S. Inquiſitionis in Sicilia hoc anno P. Thomas de Miſtrecta, qui demandato ſibi muneri ſedulam operam dans, hæreticos inſectatus, ex Inſula & Regno abire compulit, multis ex eis varijs ſupplicijs peremptis. *Sicil. Sac. tom. 1.*

Cum verò apud Parmam hæreſes reuiuiſcerent. P. Mag. Ordinis, Pontificia ſibi tradita auctoritate, Inquiſitorem in Parmen. & Regien. diœceſibus P. Vincentium de Peſſotis Parmenſem, vt illas reuelleret inſtituit, qui ſtatim tanquam Leo impauidus circuiuit per ſibi credita loca, vt quos inueniret hæreticali morbo infectos, condignis ſupplicijs, & flammis deſtrueret; at illi audito Vincentij aduentu, in Germaniam abierè feſtini. *Ex Reg. Mag. Ord.*

Paulus Pontifex ouium Chriſti regimen in Panaden. Eccleſia exiſtente inter infideles P. Benedicto de Oberch ex Scotia, viro religioſiſſimo, zeloque Chriſtianæ pietatis flagrantiſſimo demandauit, qui ſibi creditū populum per viam ſalutis dirigere nunquam deſtitit quoad vixit. *Ex lib. Prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont.*

ANNO 1469. Prædicato per Patres noſtros, & Minores ſacro bello in Boemos hæreticos nimis inualeſcentes, atque in Gregorium Podiebrachiumà Pontifice Max. Boemico Regno priuatum, eorumdem fautorem, aſſeclam ac protectorem, initum eſt ſolemne prælium ab Hungaro Rege, reliquiſque catholicis cum Podiebrachio, & Boemis, & cecidère multa Boemorum millia, Podiebrachij filio cū multis nobilibus ab Hungaro captis; vnde & ſpes firmata eſt apud Pannonios conſequtionis Regni Boemiæ infra paucos menſes. Victoria ad Pontificem delata, in Vaticanum templum deſcendit, & cum Clero proceſſione inſtructa, gratias Deo egit, ignibus per Vrbem excitatis; & quibuſcumque peractis, quæ in ſummis gaudijs præſtari ſolent in Curia *Lucarin. in Chron. & Bzou. num.* 2.

P. Aloyſius de Roxiate Bergomas rebus humanis exemptus cœlo datur à Dominicana Religione dum Mantuanæ Eccleſiæ Epiſcopus præeſſet; qui Bergomi inſtitutum Dominicanum profeſſus, ad eam ſanctitatis perfectionem peruenit, vt omnium virtutum ſpeculum cunctis apparèret. Doctrina præterea eminenti, & facundia clara refulgens, innumeros peccatores ad pœnitentiam, & hæreticos ad Catholicam fidem adduxit. Inter paſtorales curas orationi addictiſſimus, ad pauperum miſerias, & neceſſitates, ſubleuandas totus incumbebat. Decumbentis lectulum delapſa cœlitus lux circumdedit, auditaque eſt vox: *Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* & vocem ſequtus, cœlos ſtatim conſcendit. *Bzou. num. vlt.*

Regimini fidelium in diuerſis Eccleſijs præfecti ſunt à Paulo Pontifice Prædicatores; & quidem Albintimilienſi P. Baptiſta de Iudicibus: Guardienſi verò P. Io. de Nola, viri pijſſimi, & charitate ditati ſingulari, qui gregem ſibi commiſſum cuſtodientes, per viam ſalutis direxère in gaudia ſempiterna. *Vghell.*

P. Io. Gactus Meſſanen. ſpectatæ probitatis, ac prudentiæ vir à Pontifice Paulo præficitur Abbas nobili monaſterio SS. Petri & Pauli de Agro; vt illius Monachos reformaret, atque in regulari obſeruantia confouèret; qui etiam à Prorege Siciliæ Orator ad Pontificem Max. miſſus eſt, ne quædam Apoſtolica reſcripta, in fauorem Fratrum de Obſeruantia S. Franciſci emanata, exequtioni in Sicilia darentur. *Pyrrus Sicil. Sac. notitia* 14. *tom.* 2.

ANNO 1470. Viri cordati, ac zelotijpi ex Prædicatoribus aduersùs hæreticam prauitatem dimicabant in præcipuis chriſtiani orbis partibus, vt puritatem Catholicę fidei illibatam ſeruarent. & Piſis quidem in Italia P. Ludouicus Piſanus: Senis P. Chryſtophorus de Ptolomeis: Antonius Riccius in Hiſpania: Petrus Barent in Aragonia, Franciſcus Vidal in Catalonia: Franciſcus Pinedus in Regno Valentino: Nicolaus Merola in Maiorica;

Maiorica; & Martinus Kaczer in Polonia. *Bzou. in Annal. Eccl. num. vlt.*

Beatorum choro duo præclara lumina adiuncta ſunt, è Prædicatorum Ordine ſublata, B. Paulus de Mileto Calaber, & B. Petrus de Bergomo: quorum prior regularis obſeruantiæ in ſua prouincia Calabriæ reſtitutor, aliquorumque conuentuum reformator, magna ſanctitatis opinione apud cunctos eluxit miraculis clarus; exquibus illud commendatur, quòd cum aliquando eſſent Fratres in loco Capituli Prouincialis congregati pro Prioris Prouincialis electione, apud Cuſentiam facienda, & parati eſſent ad prandendum pulſato iam cymbalo, ad ingreſſum refectorij nunciauit cellarius vinum in dolio defeciſſe. Iuſſit illi Paulus, vt ad cellam vinariam properaret, & vinum ex dolijs alijs extraheret. Subdidit ille, dolia cuncta eſſe vino à multo tempore deſtituta. Vade dixit in nomine Domini, qui parauit ſeruis ſuis vinum optimum. Perrexit cellarius, & dolia cuncta vino optimo plena reperit, & Fratribas miniſtrauit, *Bzou. & Plodius.*

Poſterior verò Petrus de Bergomo ex Malduria familia, vir doctiſſimus, qui tabulis, & indicibus locupletiſſimis S. Thomæ operibus lucem dedit non modicam, vitæ innocentia, doctrinæ præſtantia, Catholicęque fidei zelo aduersùs hæreticos plurimùm inualuit, contra quos ſæpe ſæpius diſputationibus habitis, perpetuum ſe eorundē hoſtem factis declarauit. Multis miraculis tam in vita, quàm in morte conſpicuus euolauit in Cœlum Placentiæ, corpore ſub Ara maxima condito. *Bzou. vbi ſup. num.* 14.

P. Manſuetus Pichitus Patiſinus Doctor celebris aſſumitur à Pontifice Max. Paulo ad regimen fidelium Ebronenſis Eccleſiæ in partibus infidelium, vt oues illas Chriſti à lupis infidelibus defenſaret. *Ex lib. Prouiſ. Prælat. eiuſd. Pont.*

Clarebat hoc anno, & tempore in Eccleſia P. Gabriel de Barleta Apoſtolicus Prædicator, qui innumeros peccatores ad pœnitentiam reuocauit. Huic ſermones quoſdam ſuperiori ſæculo impreſſos indoctos, & ineptos quidam attribuunt, eoſdemque adducunt aliqui, Prædicatorum Ordini non benè affecti, in deriſum Authoris, & Ordinis: Sed quid de huiuſmodi ſermonibus Mirreus in ſua Bibliotheca ſæculo xvj. dicat, audiamus. *Gabriel Baroli in Apulia natus Ordinis Prædicatorum fuit homo eruditus, & diſertus. Typis ſunt editæ Conciones illi inſcriptæ, ſed ab homine imperito, mihique in adoleſcentia noto fabricatæ, qui vt ſplendorem operi ineptiſſimo quæreret, falsò Gabrielis Baruli nomen prætexuit.* Hæc ille.

Ordinem ſuis virtutibus, ac ſapientia plurimùm illuſtrabat. P. Sigiſmundus Vogel de ygloria Friderici Rom. Imperatoris Capellanus, atque à ſecretis conſilijs, cuius religioſam ſocietatem neammitteret Imperator, Paulum Pont. vt illum ab omni obedientia Ordinis, etiam Magiſtri Generalis eximeret, ſupplicauit, vt ſibi in Imperialis Coronæ negocijs facilius inſeruiret; quod præſtitit Pont. datis Apoſtolicis literis apud S. Petrum hoc anno 7. Kal. Iunij incipien. *Dilecto filio Sigiſmundo Vogel, &c. Sinceritas tuæ deuotionis* Sunt in Archiuio Ord.

ANNO 1471. Defuncto Paulo II. electoq; Pontifice Max. Sixro IV. hic P. Iacobum Sprenger Prouincialem Germaniæ Generalem Inquiſitorem ibidem inſtituit, virum præſtantiſſimum, vt hæreſes carperet, hæreticoſque frænaret, qui virili pectore in eos decertās, multos varijs ſupplicijs puniuit; propter quod ab eiſdem non ſemel quęſitus ad mortem, diuina ope ſeruatus fuit illæſus. *Lucarin. in Chron. Plod.*

P. Petrus de Clementia conſtitutus eſt à Sixto IV. Pontifice Abbas nobilis Monaſterij

Monaſterij S. Mariæ de Gala Baſiliani inſtituti in Sicilia, vt Monachos ad obſeruatiam reuocaret Regularē. *Pyrrus Sicil. Sac. tom.* 2.

P. Io. de Bomalia Brabantinus Louanien. Doctor, atque in regulari obſeruantia excultus, ſacrum Inquiſitionis tribunal in Brabantia regebat hoc anno, & tempore; qui in omni ſcientiarum genere verſatus, multos pietate, atque eruditione in animarum ſalutem euulgauit libros, hæreticoſque lingua, calamo, ac igne perſequi, quoad vixit, non deſtitit. *Biblior. Belg.*

Sixtus IV. Pontifex P. Henricum Lunguardum Panormitanum, Ferdinando Seniori Neapolitanò Regi à ſacris confeſſionibus, Policaſtren. Epiſcopum, ad Archiepiſcopáles Eccleſias vnitas Acheruntinam, & Materanam tranſtulit, vt oues Chriſti, in eiſdem exiſtentes per ſalutis viam ſuo exemplo dirigeret. *Vghell.*

Cœlo obtulit, in æternum victurum cũ Chriſto Dominicana Religio B. Matthæum Cauerium Mantuanum, virum pietate, charitate, atque pœnitentijs præſtantiſſimum, & miraculis ita coruſcantem, vt apud Vigleuanum, vbi euolauit in cœlum, & corpus eiuſdem quieſcit, ex indulto Apoſtolico de eo fiat officium à Fratribus Ord. *Plodius.*

P. Io. Gactus Meſſanenſis magnæ auctoritatis vir à Ferdinando II. Siciliæ Rege ad Sixtum IV. Legatus mittitur ad euitandas lites, quæ ratione prouiſionis faciendæ de Archiepiſcopo Meſſanen. Eccleſiæ oriri poſſent inter ſe, Apoſtolicãq; Sedem, quę dexteritate Legati fuère compoſitæ. Aliam quoque ad Pontificem eundem Sixtum Legationem exercuit Gactus ann. 1475. à primoribus Siciliæ pro grauioribus Regni negotijs miſſus cum literis Proregis. *Pyrr Sicil. Sac. not. 5. Eccl. Cephaled.*

ANNO 1472. Inquiſitoris Generalis Apoſtolici onus ſuſtinebat in Hollandia zelo Catholicæ fidei illibatæ ſeruandæ P. Io: Boſcoducenſis, qui Boemorum hæreſim euellere, & extirpare in ſibi creditis prouincijs conatus eſt. Cum autem Guillelmum quemdam Nouiomagenſem, hæreticum relapſum, brachio ſeculari comburendum relaxaſſet, abiuratione in publico foro ante conuentum Ordinis coram copioſa populi multitudine facta, dum in ſuam cellam reuerteretur probus Inquiſitor, à damnati hæretici filio ictu ſclopeti percuſſus, diuina ope ſeruatus fuit illæſus; itaut ſequenti die, intrepidus pro tribunali aſtiterit, dum ſupplicium damnato infligeretur. *Lucarin. in Chron.*

P. Albertus Fuſten Germanus hoc tempore ſcripſit eruditum librum contra hæreticos ſui temporis, eorumque hæreſes, ac inuentores, quos confutauit, probans illos eſſe, de quibus dixit Chriſtus Dominus: *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos*: quod opus egregium obtulit Martiali Auribello Magiſtro Generali Ord. Germaniam viſitanti, qui ſequenti anno apud Baſileam Generale Capitulum celebrauit. *Lucarin. vbi ſup.*

Aſſumuntur à Sixto IV. Põtifice Max. viri præſtantiſſimi ex Ordine ad multarum Eccleſiarum regimina; & quidem P. Io: Gactus omni ſcientiarum genere ornatus ad Cephaleditanam. P. Petrus Gara Pontifici affinis ad Sauonen. quam annos 27. in pauperes miſericors rexit, & P. Antonius de Neapoli ad Archiep. Amalphitanam inquit Vallus in hiſt. de Prou. Regni. *Sicil. Sac. & Vghell.*

Datur triumphanti Eccleſiæ à Dominicana Religione B. Maria Magdalena Copina de Mantua, quę Dominicano habitu induta, maior ſe ipſa fieri voluit, deſpicientia

picientia ſui, auſteritate vitæ, mortificatione corporis, atque aſſidua mentis in Deum eleuatione. Sæpius in aſpectu Crucifixi defixa adeo in extaſim rapiebatur, vt nulla ratione potuerit à circumſtantibus ad ſenſuum vſum reuocari. Spiritu prophetico clara, cordium interna penetrabat. Denique miraculis tam in vita, quàm in morte corruſcãs in cœlum conſcendit. *Bzou. in Annal. num. 3.*

P. Alphonſus de S. Cypriano Hiſpanus, euecto ad ſummam Sedem Sixto IV. à Caſtellæ Rege ad eundem Pontificem Regius orator mittitur, vt eidem nomine ſuo, & totius Regni debitum præberet obſequium, de quo Olmeda hæc refert: *Alphonſus de S. Cypriano paternarum traditionum vehemens æmulator, &c. apud Ferdinandum, & Eliſabettam Hiſpaniarum inclytos Reges tanto fuit in pretio, vt non ſolum ad conuicinos Principes, ſed ad Sixtum IV. Pontificem Max. Nuncius, & Orator ſit deſtinatus, &c.* Olmeda in vita Corradi Aſten. Mag. Ord.

Strigibus multis iterum in Siciliam ex Calabria inundãtibus, malaq; multa ibidẽ perpetrãtibus occurrère Inquiſitores eiuſdem Regni, illorumque Vicarij, ac miniſtri contra eaſdem procedentes, & captas plures ſæculari brachio relaxatas, ex Regio edicto publico igne conſumptæ ſunt. *Pyrrus.*

ANNO 1473. Poſt celebratum Capitulum Generale apud Baſileam reuerſus Auenionem, ibidem occubuit P. Martialis Auribellus poſt viſitatum, ac rectum ſumma integritate Ordinem totum. *Olmeda.*

Eodem anno Sixtus Papa Vicarium Generalem Congregationis peregrinantium inter infideles P. Chriſtophorum de Viterbio, necnon & Apoſtolicum Inquiſitorem in Oriente creauit, cum facultate ſubſtituendi in diuerſis partibus alios Inquiſitores. Dat. Apoſt. literis talis tenoris.

Dilecto filio Chriſtophoro de Viterbio Ordinis Prædicatorum S. Theol. profeſſori totius Societatis peregrinantium proper Chriſtum inter gentes Vicario Generali, & hereticæ prauitatis Inquiſitori per nos deputato in partibus Orientalibus, & quam maximè in Ciuitatibus Caffæ, Peræ, Chij, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Gothorum, Zirorum, Rhutenorum, Cumanorum, AEthiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Syrorum, Iacobitarum, Nubianorum, Tartarorum, Carclorũ, Hungarorum, Maioris Hungariæ, & aliorum, qui nondum Sacramenta fidei perceperunt, &c. concedimus facultatem vt alios Inquiſitores in prouincijs, de quibus tibi videtur, ſupradictis ſubſtituere valeas, &c. P. Chriſtophorus igitur cum multis alijs Fratribus peregrinantibus proper Chriſtum, in Orientem profectus, magnũ fructum reportauerunt Eccleſię ſanctę Dei conuerſione multarum animarum ad Chriſtum. *Ferrar. de Reb. Hung. Prou. in Apend.*

Vt autem maiorem poſſent cum lætitia fructum prædicti afferre Eccleſiæ, Sixtus Pont. cuncta priuilegia Peregrinatibus ad infideles proper Chriſtum à quibuſcumque Pontificibus Max. conceſſa, eiſdem confirmauit, nouiſque auxit. *Ferrar. par. 4. lib. vnico cap. 8.*

P. Antonius de S. Philippo ex Palatia Siculus magni nominis Theologus, ac Prædicator à Sixto Papa IV. Generalis Commiſſarius Spoliorum, ac Iurium quorumcumq; ad Cameram, & Sedem Apoſtolicam ſpectantium deligitur, quod munus ſingulari integritate per annos plures exercuit, inuentus à Pontifice ſeruus bonus, & fidelis in paucis, ac multis. Cum verò eidem condignam remunerationem ob exantlatos pro Apoſtolica Sede labores Sixtus impertiri decreuiſſet, oblatas non ſemel Infulas, etiam maiores, reiecit Antonius, in religioſa paupertate afflictionibus Ordinis malens ſuccumbere, vt

ſpiritus

ſpiritus ſaluus fieret, quàm in Epiſcopalibus palatijs opiperè viuere cum illius periculo. *Pyrrus Sicil. Sac.*

Hoc quoque anno, vel ſaltim tempore cum Sacratiſſimum Roſarij inſtitutum à S. P. Dominico in Eccleſia publicatum, vel hominum negligentia, vel dæmonis arte paulatim cœpiſſet excidere; vt penè iam extinctum videretur, Beatiſſima cœlorum Regina monente B. Alanum Britannum ad illius reparationem, reſtitutum eſt maximo cum animarum fructu. *Spondan. in Annal. num. 16. Bzou. n. 22.*

Caput VII.

P. LEONARDO DE MANSVETIS Magiſtro Generali XXXI.

ANNO 1474. Defuncto Martiali Auribello Sixtus Pontif. P. Leonardum de Manſuetis Peruſinum S. Palatij Magiſtrum, Ordinis Vicarium creauit, indixitque Capitulum futurum celebrandum in Vrbe. Congregato igitur Capitulo electus eſt Generalis Ord. Magiſter idem P. Leonardus gratulante Pontifice Max. cum tota Curia, cui electi virtutes, & merita erant optimè cognita. Vacante autem Magiſterio Sacri Palatij propter Leonardi aſſumptionem ad Ordinis regimen, quid egerit Sixtus, in hunc modum refert Olmeda; *Sixtus item Magiſterium Sacri Palatij, ſicut illatenus Prædicatorum fuerat regulariter, cum eis etiam perſeuerare voluit, Minores ſuos in hoc non audiens*. Nominauitque in eius locum Magiſtrum P. Saluum Caſſetam Panormitanum, virũ tanta præfectura dignũ. *Olmed.*

Præcepit Sixtus electo Leonardo, vt Inquiſitores Apoſtolica auctoritate ſibi tradita in vniuerſum Chriſtianum Orbem, ad comprimendas veſanientes hæreticos, fidemque Catholicam exaltandam, delegaret; quod ille ſtatim præſtitit, & ſequentes ex Regeſtis eiuſdem erutos, Inquiſitores hoc anno creauit. P. Ioannem Generalem Inquiſitorem Aragoniæ: P. Iacobum, Valentiæ. P. Ioannem, Barchinone. P. Franciſcum Vitalem, Cataluniæ. P. Vgonem de Albinis, in ciuitate & Diœceſi Aſten. (et hunc in Capitulo de mandato Pontificis, & conſenſu Capituli inſtituit, in quo etiam P. Iacobus de Valentia fuit factus Inquiſitor Patauinus) P. Ioachinum Turrianum Venetijs, & in locum P. Simonis de Nouaria amoti ab Inquiſitione Bononien. Inquiſitor Bononien datus eſt P. Michael de Hollandia. P. Michaelem verò de Moricello, Carcaſſonæ. P. Io. Svvatat Pariſijs. P. Clementem de Venetijs Vicentiæ. P. Marcum Maroldum de Neapoli Inquiſitorem Generalem in Regno Neapolit. P. Henricum Sartorij, in Theutonia. P. Nicolaum de Bugella apud Vercellum. P. Aymonem, apud Salutium. P. Nicolaum de Conſtantinis, apud Nouocomum. P. Petrum de Cariate, apud Mediolanum. P. Io. Dominicum, Cremonæ. P. Vincentium de Peſottis Parmæ, & Regij; & P. Blaſium, Montis Regalis: Peuſtachius autẽ à Lancha de Conuentu Brugen. factus eſt Vicarius Inquiſitionis in Ciuit. & Diœceſi Tornacen. & P. Iacobus in Monaſterien. Hi omnes Inquiſitores ad ſuas Prouincias, & ciuitates properantes, maximum incuſsère hæreticis timorem, ita vt nullus ſe talem profiteri audèret; & in hunc modum Catholica fides, frænata hæreſi, magis conſtabilita eſt. *Ex Regeſt. eiuſd. Mag. Ord.*

Inſuper Pontifex eidem Leonardo reſtaurationem ſacrorum ſtudiorum collapſorum in Romana Vniuerſitate Sacri Palatij

latij demandauit; qui ex diuerſis nationibus ſelectos Lectores doctiſſimos in illa conſtituit. Et quidem P. Io. Derici Gallus factus eſt Baccalaureus S. Theologiæ ſub Magiſtro Sacri Palatij P. Saluo Caſſeta. P. Io. de Candido Siculus, Lector Philoſophiæ. P. Ioannes Simonis Baccalaureus S. Theologiæ extraordinarius. P. Geminianus Laurentij, Biblicus Lector. P. Io. Auguſtini de S. Miniate, Baccalaureus pro lectione Sacr. Canonum, qui omnes ſuis lectionibus pro viribus addicti Vniuerſitatem Sacri Palatij in priſtinum decorem reſtiuère. *Ex Regeſtis ſuprad.*

Cœlo dedit fructum ſuauiſſimum hoc anno, ſiue ſequenti vt alijs placet, Dominicana Religio B. Alanum de Rupe, Sanctiſſimi Roſarij B. Virginis promotorem ſtrenuum, qui in ſuorum laborum præmium meruit ab eadem cœli Regina anulo ſubarrhari; & miraculis, tam in vita, quàm in morte, corruſcans, pridie Aſſumptionis B. Virginis in Hollandia euolauit in Cœlum. *Bibliot. Belg. & Plod.* qui in annum ſequentem reicit eius mortem.

P. Matthias de la Rapita Mag. inſignis, Ioanniq; Aragonum Regi à Sac. confeſſionibus, fuit factus Inquiſitor Roſſilionis, ad inſtantiam eiuſdem Regis, qui inuicta animi conſtantia hæreſis labe pollutos etiam nobiles, carceribus, alijſque pœnis ſeuerè caſtigauit. *Ex Regeſt. Gen. Leon. Manſueti.*

ANNO 1475. Dedit in lucem P. Petrus Niger Germanus hæbraicæ linguæ peritiſſimus vir, atque in Sanctorum Patrum lectione verſatus librum contra Iudaicam perfidiam, opus peregregium, apud Catholicos magno in prætio habitum, Iudæis autem ipſis inuiſum, ac deteſtabile; in quo, aſſumpto themate ex Pſal. 117. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* oſtendit 1. Chriſtum in ſuo primo aduentu venturum fuiſſe in ſtatu paupere. 2. Eundem eſſe verum Deum. 3. Fuiſſe ante quam carnem aſſumeret. 4. Reprobandam gentem Iudęorum Meſſiæ incredulam. 5. Per nouam legem reprobatam eſſe antiquam. 6. Ipſum de Virgine naſciturum ſacris literis fuiſse prænunciatum: quę puncta omnia Ratiſponæ coram Epiſcopo, Conſulibus, Rabinis, doctoribuſq; multis, ac innumera populi multitudine per 4. menſes (mirabile dictu) cum Rabinis diſputauit, & ita illos conuicit, & confudit; vt non audèrent mortificati in publicum vlterius procedere, multis ex eiſdem ad amplexum Catholicæ fidei adductis, cœteris mœrentibus in ſua conuicta pertinacia permanentibus. Quibus Matthiæ Coruino Hungariæ, & Boemiæ Regi nunciatis, accerſitum Petrum per P. Andream Dalmatam, Generalibus ſtudijs Budę erigendis Præfectum conſtituit: Familiarem ſuum, atque Regium Capellanum nominauit, & Reginæ confeſſarium dedit. Vniuerſitatem Regiam igitur Budæ apud noſtros Prædicatores fundauit, cui ipſe, quoad vixit, præfuit Preceptor, & Rector. *Ferrar. de Hungar. Prou. p. 3. lib. 3. cap. 3.*

Puritatis Catholicæ fidei zelator feruidus noſter Generalis Magiſt. Leonardus, præter inſtitutos ſuperiori anno in diuerſis mundi partibus Inquiſitores, Pontificis Max. voluntati ſatisfacturus, alios hoc quoque anno in diuerſis partibus addidit. Et quidem P. Gregorium Prouincialem Poloniæ in Polonia Generalem Inquiſitorem conſtituit. P. Nicolaum Merulam confeſſarium Regis Aragonum, in Maiorica. P. Matthiam de Valentia in Roſſilione. P. Ioannem in Nauarra, & P. Io. de Gandino apud Brixiam, qui omnes demandatum ſibi munus zelo maximo adimplentes, puritatemq; S. Fidei inter Chriſti fideles incontaminatam conſeruantes, timorem hęreticis maximum, ex Italia fugatis incuſsère. *Ex Regeſt. eiuſd. Leonardi.*

P. Ioachinus Turrianus de Venetijs ibidem Inquiſitor Pontificem Sixtum de ſcelere maximo à Iudæis in odium Ieſu Chriſti Domini noſtri patrato Tridenti, vbi ſacrũ Inquiſitionis tribunal non erat, certiorauit. Erant ibi Tobias, Angelus, & Samuel hæbrei, & apud Tobiam morabatur ſenex, Moyſes dictus, quem venturi Meſſiæ tempus, & horam, prophetico ſpiritu ſciredecantabant. Hi Feria 3. Hebdomadæ Sanctæ 12. Kal. April. conuenerunt in domum Samuelis, & de immolando innocente puero baptizato tractauère, quem in contemptum Domini noſtri Ieſu Chriſti mactarent atrociter, & exhauſto ſanguine veſcerentur in azimis ſuis. Ibi concluſum eſt capiendum fore puerum à Tobia; in domo verò Samuelis immolandum. Feria 6. igitur in Paraſceue dum Chriſtiani in Eccleſijs ad diuina conueniſſent, Tobias aliorum ſocietate fretus, per vicos, & plateas circumiens puerulum quendam pulcherrimum, Simonem nomine, inuentum, pomis, ac nummis allectũ, ſub pallio in Samuelis domum intulit, vbi hora tertia noctis innocente puero denudato, Moyſes euaginato gladio ſummum virgæ eius perforauit, correptãque faſcie maxillam dexteram dilaniauit, & particulam carnis abſciſſam in cratère poſuit, colligentibus adſtantibus ſacrum pueri ſanguinem; quem tandem crudeliter vulneratum, crucifixerunt, & poſt emiſſum ſpiritum, ſacrum corpus in flumen proiecerunt: quod repertum multis claruit miraculis. De Atroci facinore informatus Pontifex, Ioannem Brixianum Iuriſconſultum celebrem Tridentum miſit, qui de perpetrato facinore proceſſum formauit, & ſcelcratos hebræos viuos igni tradidit, in publico foro conſumendos. *Bzou. num.* 13. *&* 14. *& Lucarin. in Chron.*

ANNO 1476. P. Franciſcus de Magno, alijs de Magiſtro, cum Capellanus Regis Siciliæ eſſet, Abbas Monaſterij S. Mariæ de Imarijs Benedictini inſtituti, vt monachos illos regularem obſeruantiam edocèret, & ad meliorem viuendi ritum reuocaret, datus eſt a Pontif. Maximo Sixto. Promotus ad Epiſcopatum Hipponen. poſtmodum ad talem Eccleſiam non acceſſit, ſed Abbas in eodem Monaſterio perſeuerans vſq; ad annum 1494. ſolutus nexu carnis perrexit ad Chriſtum. *Pyrr. Sicil. Sac. inter Mazaren. Ep.*

Inſtituuntur & hoc anno à Magiſtro Generali alij Inquiſitores contra prauitatem hæreticam: & quidem P. Franciſcus Vitalis Generalis Inquiſitor fit in Aragonia. P. Io. Lugdunen. P. Victor, Lauſanen. P. Petrus, Verdunen. P. Blaſius Confeſſor Ducis Sabaudiæ, Taurinen. P. Dominicus Quintinus confeſſor Marchioniſſę Salutiarum, Salutien. & P. Thomas Faentinus, Ferrarien. Inquiſitores effecti ſunt. *Ex Regeſt. eiuſd. Leonardi.*

Cum P. Franciſcus de Stylo Liparitanus Epiſcopus ſuam Eccleſiam multa bonæ amiſiſſe, & præteritis annis in bellicis tumultibus Regni Siciliæ à diuerſis vſurpata fuiſſe comperiſſet, Ferdinando Regi, cui accepti ſſimus erat, proteſtationem fecit contra malos poſſeſſores pro eorumdem recuperatione; qui auditis partibus, cuncta iniuſtè ſublata Liparitanę Eccleſiæ reſtitui voluit, datoque regio diplomate eiuſdem iura omnia corroborauit. *Pyrrus Sicil. Sac. & Vghell. tom. 2. in Apend.*

P. Io. Bilarus de Conuentu Bleſenſi à Sixto Pontifice promouetur ad Bethleemitanam Epiſcopalem Sedem vt populum ſibi creditum per viam mandatorum Dei directum, æternæ vitæ ſociaret: & P. Luinus Brunſtorp de conuentu Halberſtaden. fit Ep. Dionyſien. ſuffraganeuſq; Epiſcopi Prutunen. receptus ad Ordinis beneficia hoc anno. *Ex Regeſt. Mag. Ord. Leonardi.*

Religio

Religio Dominicana B. Ioannem Auguſtinum Catalanum de Conuentu Leriden. virum mortificationibus, vigilijs, ieiunijs, macerationique corporis aſſuetum, in cœlum direxit, qui per audientiam confeſſionum, ſacramque prædicationem innumeros peccatores ad pœnitentiam, priorumque criminum deteſtationem adduxit. Cœleſtium Spirituum crebris viſionibus recreatus, ſæpe ſæpius repetebat illud Apoſtoli: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Colluctationes cum humani generis hoſte in extremo vitæ termino habuit maximas, quibus tandem fauente Deo ſuperatis, fœlicem ſpiritum Deo reddidit 15. Nouemb. miraculis in vita & morte clarus. *Plodius. Bzou. num.* 18.

ANNO 1477. Viri præclariſſimi Ordinem ſuis virtutibus condecorabant. P. Alphonſus Hiſpanus Regis Hiſpaniæ eleemoſynarius. P. Antonius de Iadra confeſſarius Reginæ Hungariæ, atque P. Iacobus Gipſon confeſſor Reginæ Scotiæ. Hic quidem in humilitate magnus, atq; in paupertate diues, pauperum pater meritò dictus, cuncta, quæ habebat, in viduas, & pauperes pia liberalitate profundebat, authorq; fuit vt Regina multas Virgines Orphanas, dato ſubſidio dotali, à perditione auerteret. Antonius animarum ſaluti deditus, peccatores ad pœnitentiam per Sacramentales confeſſiones indefeſſo ſtudio reuocabat. Alphonſus autem erogatis in pauperes eleemoſynis, eos à Iudæorum ſeruitio elongabat, atque in Catholica fide confirmabat. *Ex Regeſt. Mag. Ord. & Fernan.*

P. Io. de Toloſa promouetur à Magiſtro Ord. ad Carcaſſonen. Inquiſitionem regendam, vt reuiuiſcentes ibidem Albigenſium hæreſes iugularet: qui cum ſibi demandato muneri inuigilaret ſtrenuè, Guillelmum quendam hæreticorum fautorem, quem facta priùs abiuratione ſalutaribus pœnitentijs caſtigauerat, ad carcerem damnauit per decennium. *Ex Paramo*.

Eodem anno Magiſter Ord. Leonardus P. Bartholomæum de Bononia præſtantiſſimum Theologum Inquiſitorem Bononien. creauit, quorundam Religioſorum audaciam compreſſurum, publicè aſſerentiũ, tam in diſputationibus, quàm in concionibus, non eſſe hæreticum, neq; à Catholicæ fidei veritate alienum, dœmonum expectare, ac petere reſponſa; contra quos ex officio proceſſit, cumque illi ad Sixtum Pont. appellaſſent, ſcripſit Pont. ad Epiſcopi Vicarium, vt de re diligenter inquireret, atque ad Sedem Apoſtolicam formatum proceſſum mitteret. *Lucarin. in Chron. Ord. Spondan. ad ann.* 1473. *num.* 13.

Cœlo ciues dedit inclytos Dominicana Religio PP. Andreã Noorth, & Ioannem Vithnot ex Congregatione Hollandiæ, & conuentu Harlemen. vitæ ſanctitate, ac regulari obſeruantia ſpectabiles; quorum prior erga B. Virginem ſumma deuotione affectus, eamdem quotidianis precibus interpellabat, vt ſe in vna ex præcipuis eius ſolemnitatibus, nexu ſolutum luteo, in cœlum perduceret; votique compos effectus, in ſolemnitate Aſſumptionis eiuſdem Dei genetricis hoc anno euolauit in cœlum; Poſterior verò tanquam alter Iob grauiſſima vlcerum infirmitate toto corpore afflictus, cum Auguſtino ad Crucifixum clamabat patientia ſumma. *Domine hic vre, hic ſeca, hic non parcas, vt in æternum parcas*: & conuerſus ad Beatiſſimam cœlorum Reginam ſupplicabat, vt ſibi in tantis anguſtijs patrocinari dignaretur, perrexitq; ad Chriſtum & ipſe in feſto Natiuitatis eiuſdem glorioſæ Virginis huius anni. *Plodius*.

Sixtus Pontif. Catanen. Eccleſiæ præfecit virum præſtantiſſimum; P. Ioannem Gactum, nobilem Meſſanen. ex Cephalcditana Eccleſia translatum, de quo idem

Pontifex, ſcribens Catanenſibus, hæc ait. *Dedimus pridem vobis in Epiſcopum, & Paſtorem venerab. P. Ioannem Gallum, virum magnæ doctrinæ, & probitatis, & omni honore dignum, &c.* At contradicente Rege ad illam non acceſſit, ſed ſequenti anno ad Cephaleditanam reuerſus eſt, vt iurgia inter Pontif. & Regem tolleret. *Sicil. Sac. Pyrri.*

ANNO 1478. Generalia Ordinis comitia celebrantur apud Peruſium Magiſtro illius in Legatione Apoſtolica ad Cæſarem occupato: quod quidem Ordini ſat incommodum accidit, quanquam aliunde honorificum ei fuerit, ſuum Generalem Magiſtrum in Obſequio S. Sedis Apoſtolicæ idemtidem occupari, quo vtcumque abſentia ſui domeſtici Capitis excuſabatur, eratque æquanimiter toleranda. *Ex act. eiuſd. Capit. & Olmeda.*

Magiſter Generalis conſtituit Inquiſitorem in VVeſtphalia P. Ioan. Kramoinchel, de quo in Regeſtis eiuſdem Generalis ſic reperitur adnotatum. *Mag. Io: Kramoinchel Conuentus Tremonien. & Inquiſitor per VVeſtphaliam habuit confirmationem penſionis annuæ 15. florenorum Romanorum cum tribus modijs frumenti ex patrimonio ſuo pro officio Inquiſitionis, à quo non habet prouiſionem; & ideo nullus inferior eum moleſtet. Dat. Peruſij 22. Apr. ann.* 1478.

Sixtus Pontifex viduatæ Eccleſiæ Armeniæ ob defunctum P. Ioannem Archiepiſcopum, eidem præfecit P. Benedictum Armenum, qui populum illum cum Catholica Eccleſia Armena gubernauit, ac rexit vſque ad annum 1492. quo laboribus fractus quieuit in pace. Et Eccleſiæ Vrbinaten. paſtorem dedit P. Lazarum de Racanellis Eugubinum, virum pium, & ſalutis animarum cupidum. Lucerinæ in Apulia P. Petrum Zanzanum Panormitanum; & P. Io. Hermanus Dionyſien. Ep. acceptatus fuit hoc anno ad gratias, & beneficia Ordinis. *Galan. & Vghell.*

Idem Petrus Ranzanus, vir doctus à Ferdinando vtriuſque Siciliæ Rege Neapolim accerſitus, primogeniti ſui præceptor, & director in ijs, quæ ad morum probitatem, ac chriſtianæ pietatis normam ſpectant, inſtitutus, inter alia illum de charitate in pauperes, atque erga Apoſtolicam Sedem reuerentia docuit. Ad Matthiam Coruinum Pannoniæ Regem Orator miſſus, in ea legatione ſe bonorum omnium præbendo exemplum ſupradict. Epiſcop. renunciatur hoc anno vt creditas ſibi oues in viam ſalutis dirigat. *Vghell. Tom.* 8.

Inquiſitionis tribunal regebat apud Mediolanum P. Petrus de Cariate, qui à Magiſtro Generali inſtitutus Inquiſitor, pro vt eius Regeſta teſtimonium perhibent; cum audiſſet Eremitam quendam vitæ auſteritate inſignem apud S. Mariam de Monte, prope Vareſium eiuſdem Diœceſis Mediolanen. in paupercuło tugurio latitantem in Lombardia tota famoſum, nomine Rolandium, multa prædicere futura, ſanitates conferre, aliaque ſanctitatis indicia præbere; acceſſit ad eum, vt eius ſpiritum probaret an ex Deo eſſet; & ſolus ſine ſocio, poſtquàm Beatiſſimam Virginem de Monte adoraſſet, ad tugurium deſcendit, quaſi via ipſum feſelliſſet, & intuitus hominem, ex aſpectu cognouit hypocritam, facie eius ſtatim immutata: & cum interrogaſſet eum de multis, cognouit ſpiritum eius ex Deo non eſſe, & abijt. Cum verò poſt paucos dies nunciatum fuiſſet eidem Inquiſitori, Eremitam hunc quendam adoleſcentem ouium cuſtodem ad turpia ſollicitaſſe, aſſumpto ſæculari brachio ad tugurium clam acceſſit, & facta perquiſitione oſſa quædam, quæ pueruli videbantur reperit, cum thure copioſo, & vaſculo

ſculo pro igne conſeruando; cunctà Mediolanum cum vincto Rolandio deferri voluit; vbi cauſa in vinculis dicta, inuentum eſt ipſum fuiſſe in Necromantia inſtructum, thus dœmoni offerentem, atque puerulum innocentem eidem ſacrificaſſe. Quare traditus brachio ſæculari viuus combuſtus eſt, eius tugurio flammis conſumpto, ſoloque æquato. *Tagius in Mon. Ord.*

ANNO 1479. Cum Petrus Martyr Oxomen. in Salmantina Academia primæ cathedræ moderator quædam docuiſſet, & ſcripſiſſet, quæ in detrimentum Catholicæ fidei vergebant, inſtiterunt Fratres Prædicatores, & Magiſter Didacus Betonnus, cum Didaco Deza apud Archiepiſc. Toletanum Alphonſum Carillum, vt eius propoſitiones trutinarentur; nam ijdem ad Apoſtolicam Sedem detulerant iam illius doctrinam, tanquam erroneam, ſcandaloſam, nota, & cenſura dignam. Congregati ſunt igitur Compluti multi Theologi ad hoc negotium perficiendum, inter quos eminebat ex Prædicatoribus, vltra ſupradictos duos Didacos, P. Petrus de Ocania Regens ſtudij noſtri Toletani in conuentu S. Petri Mart. & diſcuſſis erroribus eiuſdem Petri, contentis in libro de Confeſſione, die 24. Maij per eundem Archiepiſc. Toletanum damnati ſunt, tanquam hæretici, erronei, ac ſcandaloſi, libro publico igni adiudicato. Nec his contenti Prædicatores, Salmanticæ proceſſionaliter ſtolis ornati, ex Eccleſia Ordinis per mediam ciuitatem ad ſcholas proceſsêre, vt eas luſtrali aqua benedicerent, & purificarent à contagione, quam ex praua Oxomenſis Petri doctrina contraxerant, ipſo Petro Martyre, Salmanticæ, & Compluti, ſuos errores, & doctrinam, publico in ſcholarium, hominumq; congreſſu maximo è ſuggeſtu abiurante, & cathedra priuato. *Caranza in Summa Conciliorum.*

Viriliter quoque decertabant in diuerſis Orbis partibus pro conſeruatione candoris Catholicæ fidei noſtri Inquiſitores, ferro, ac igne violatores illius perdentes. Et quidem P. Iacobus Meda in Sicilia, P. Reginaldus Montorus in Germania, P. Henricus, & Gerardus in Polonia, & P. Io. Francus in Aragonia, omnes viri inclyti, ac bellatores ſtrenui contra hæreſes. *Bzou. cap. 4.*

P. Engelbertus Cultrificis Nouiomagenſis ſcripſit librum contra Mendicantium Apoſtolica priuilegia impugnantes, in quo probat, & potuiſſe illa à Pontificibus Maxx. ipſis concedi, & in præmium eorundem laborum pro Eccleſia exantlatorum iure merito fuiſſe conceſſa. Euulgauit quoque pro pœnitentium peccatorum directione, de Sacramentali confeſſione tractatum. *Biblioth. Belg.*

Clarebat hoc anno, & tempore P. Andræas de Vdine, origine Croata, variarum linguarum peritia clarus, multarumque animarum infidelium piſcator glorioſus; legationibuſque Friderici Imperatoris ad Pontificem Sixtum IV. conſpicuus, à quo ad Craynenſem Archiepiſcopalem infulam euectus, multos Eccleſiæ ſanctæ filios dedit prædicatione Euangelij, atque inculpatæ vitæ exemplo. Tandem verò à Sixto IV. hac Sarcina exoneratus ad Ordinem redijt, & quoad vixit, Croatis Euangelium Ieſu Chriſti ſtudio indefeſſo fructuq; non impari prædicauit. *Plodius.*

ANNO 1480. Cladem maximam experiuntur fideles apud Otrantum, impijs Mahumetanis ciuitatem depopulantibus, ac miſerrimè vaſtantibus. Quare Dominicani Patres noſtri iuuenculas hortabantur, & fideles cæteros, vt in fide catholica, & puritate conſtantes, mortem contemnerent temporalem, æternam profuſione ſanguinis conſequuturi.

Inter

Inter eos autem fuit Supprior deuotionis Sanctiſsimi Roſarij ibidem promotor, cuius nomen aureis characteribus vitæ liber continet, qui Cathedralem Eccleſiam populo innumero repletam ingreſſus, & Crucifixum cum Roſario præ manibus geſtans, pulpitum conſcendit, & tanto ſpiritus ardore (Deo, cuius cauſa agebatur, linguam eius dirigente) audientium corda ad ſuſtinendam pro Chriſto Domino mortem inflammauit, vt irruentibus impijs in templum, cuncti cuiuſcumque ſexus, & ætatis mortem conſtanter ſuſtinuerint, ipſo Prædicatore clamante, *Viuat Deus, & Sancta Fides* per medium framea ſecto, & minutim conciſo. *Vall. de Prou. Reg. Ord. Præd.*

Anno eodem Leonardus de Manſuetis Magiſter Generalis, Sixto Pontifici in paucis charus, ad purpuram in proximo promouendus, moritur menſe Iulio, regiminis Ordinis anno ſexto; cum multa præſtitiſſet in fauorem promotionis regularis obſeruantiæ, & maximè Congregationis vitæ regularis in Prouincia Hiſpaniæ. Iacet in Minerua ante gradus Aræ Max. Moritur & hoc anno Romæ Card. Petrus de Ferrice Ord. Protector in Clauſtro Mineruæ pariter ſepultus, daturque Protector à Pontifice Cardin. Oliuerius Carraſa, qui Ordinem vnicè dilexit. *Olmeda*.

P. Didacus Deza Taurenſis, damnato Petro Mart. Oxomenſi tanquam hæretico, ac primaria Salmantina cathedra Theologiæ priuato, vt anno antecedenti retulimus, in eius locum ſuffectus eſt Lector maximo Academiæ applauſu, qui cathedram illius Petri nō aſcendit, ſed eam cum illius libris in media Academia, in terrorem aliorum, publico tortoreo igne cremandam voluit, nouamque conſcendit, & errores Petri viriliter impugnauit, *Fernandez inter Script. Ord.*

Dantur cœlo poma noua BB. Andreas Piſcarienſis, & Ioan. Galetus, quorum prior, inſignis Prædicator apud Vallem Tellinam, magna ſanctitatis, doctrinæ, & eloquentiæ argumenta in populorum ſalutem dedit, ibidemque apud Morbinium ſancto fine quieuit, votiuis tabellis quàm pluribus, ob gratias eius interceſſione acceptas, ſepulchro appenſis. Poſterior verò natione Bononienſis, annis, & meritis grauis, pietatiſque operibus onuſtus, prænunciata mortis die, & hora, dicendo *Proficiſcere anima mea quid times* euolauit in cœlum. *Bzou. num.* 48.

Cameracenſi Eccleſiæ præficitur à Pontifice Max. Paſtor P. Michael Belga, vir cordatiſſimus, qui breui tempore, probè tamen, populum ſibi creditum rexit, quotidianis exhortationibus proprias oues in viam ſalutis dirigendo. Socius eiuſdem fuit in paſtorali inſula P. Antonius Dalmata Iadrenſis morum candore venerabilis, qui à Matthia Coruino Rege Hungariæ Maior Capellanus, & à Beatrice Regina Confeſſarius aſſumptus, vtrumque in via mandatorum Dei dirigens, Modruſien. Epiſcopus creatus, ſibi commiſſo gregi bonorum omnium exemplum præbuit. *Plod. & Ferrar. de reb. Hung. Prou.*

Caput VIII.

P. SALVO CASSETA Magiſtro Generali XXXII.

ANNO 1481. Congregatum eſt Capitulum Romæ, in quo, non per electionem, ſed per communem inſpirationem

Digitized by Google

rationem (quod nunquam antea contigerat) Patres Pontificis Maximi votis ſatisfacturi, nominauerunt vnanimiter Magiſtrum Generalem Ordinis P. Saluum Caſsetam Siculum Panormitanum, Sacri Palatij Magiſtrum, Sixtoq; Pontifici acceptiſſimum: timebant enim ſi Saluum recuſaſsent, ne aliquis ex Vicarijs nouarum congregationum vitæ regularis proponeretur à Pontifice. Erat Saluus vir cordatus, & doctus, in ſua prouincia aliquando Prior Prouincialis, in vtroq; Siciliæ Regno Generalis Inquiſitor, actualiſque Sacri Palatij Magiſter, & Sixto Pontifici, etiam in minoribus, in paucis charus; propterque Cardinalitiani dignitatem conſequuturus putabatur. Cui Sixtus blandiens dicere ſolitus erat: *Felicior tu cunctis, qui non perſeueraſti vſque in finem, & ſaluus es*. Cui ille reſpondebat. *Vtinam non infælicior, qui nomen habeam, quod viuam, & mortuus ſim*. Ab eodemque Pontifice excipi ſolebat his verbis; *Salue Salue*. Legendam, ſeu officium, quo in Ordine vtimur de S. Vincentio Ferrerio compoſuit, & multa alia in augmentum Regularis obſeruantiæ, tunc refloreſcere incipientis in Ordine, præſtitit. *Olmeda*.

P. Paulus de Monelia, eue cto Caſſeta ad ſupremum Ordinis regimen, conſtituitur à Sixto Pontifice Sacri Palatij Magiſter, quo in munere annis pluribus Sanctæ Sedi inſeruiuit, Apoſtolicis Legationibus factus in Eccleſia conſpicuus, cui ab eodem Magiſtro Generali, etiam Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis generale regimen in Liguria conceſſum eſt, ad quod aliquando acceſſit, aliàs per ſuos Vicarios Generales illud regens. De quo infra. *Olmeda, Lucarinus, & Plodius*.

Hiſpali in Hiſpania conuenticula plurimorum Iudaizantium detecta ſunt à P. Alphonſo Hoieda Priore Conuentus S. Pauli Hiſpalenſis. Hic in animum ſuum induxerat rationem adinuenire, qua tot mala, quæ ex Iudæorum ſocietate, ac conuerſatione, necnon & prauo commercio, in ſacrã Chriſtianam Rempublicam irrepſerant, finem haberent; & cum ſermonibus ad populum, concionibus, exhortationibuſque habitis id conſequi nequiret, clamabat lacrymis ad Dominum, cuius cauſa agebatur, vt ipſe tantis malis remedium præberet. Feria 5. igitur in cœna Domini prima noctis vigilia ad eum venit generoſus vir nobilis ex Guſmanorum familia, nuncians in quadam domo conuenifse Iudæos cum pluribus chriſtianis apoſtatis, vt ſuis ceremonijs vacarent, Chriſtumque Saluatorem noſtrum multis contumelijs, atque blaſphemijs afficerent: ſicut proprijs oculis ex vicina domo conſpexerat Guſmanus. Cucurrit igitur ad domum Prior, & viſis ſceleribus Iudæorum, ad Ferdinandum Hiſpaniæ, Caſtellæ, & Legionis Regem, Cordubæ exiſtentem ſequenti die properauit, & quæ viderat perpetrata ſacrilegia nunciauit. Doluit ſupra modum pijſſimus Rex de ſcelere, mandauitque eidem P. Alphonſo, vt cum alijs ſelectis ſui Ordinis Patribus diligentem inquiſitionem de patrato ſcelere ſumeret; quod ille infracta animi conſtantia præſtitit, & inuentos ſex à fide Catholica apoſtatas illius ſocietatis carceribus in ſuo conuentu mancipauit, qui condignis ſupplicijs ſuæ temeritatis pœnas luère. *Bzouius in Annal. num.* 10.

Card. Io. de Aragonia per Hungariam, Boemiam, & Poloniam Sixti IV. Pontificis Max. Legatus de Latere, P. Dominicum Priorē Caſſouien. cum Ioanne Plebano Caſſouienſe Commiſſarium Apoſtolicum in S. Iubilæi negotio publicando, ac ſumenda arma contra communem hoſtem fidei Turcam, delegauit, datis literis Caſſouij 8. Martij huius anni, continentibus omnium peccatorum remiſſionem,

nem, Iubilæi conſequtionem, atque in mortis articulo plenariam peccatorum remiſſionem conceſſam ijs, qui ſacro bello in Turcas promouendo nomen darent: ex quo factum eſt, vt multa bellatorum millia Sacram militiam, in fidei catholicæ defenſionem ſuſceperint. *Ferrarius de Prou. Hungar. p. 3. lib. 4.*

Datur hoc anno cœlo B. Conſtantinus de Fabriano Aſculi in Piceno, cum magnæ ſanctitatis communi opinione defunctus, in quo, velut in ſpeculo, clariſſimæ virtutes, puritatis, paupertatis, moderationis animi, mortificationis carnis, contemplationis paſſionis Domini, regulariſque obſeruantiæ effulsère. Aliquando pro Græcorum neceſſitatibus, qui à Turcis vexabantur, cum Roſarium B. Virginis recitare inchoaſſet, tot diſtractionibus fuit vexatus, vt illud omittere ſit coactus; ex quo intellexit, Deum voluiſſe ſchiſmaticam gentem Turcica ſeruitute caſtigare. Pane in communi Fratrum cœnaculo deficiente, profuſis ad Deum precibus, annonæ copiam impetrauit. Regularem obſeruantiam in pluribus cœnobijs reſtituit, & meritis onuſtus in cœlum conſcendit, miraculis in vita, & morte coruſcans. *Bzou. in Annal. num. 18.*

ANNO 1482. Ianuario menſe confirmati ſunt à Pontifice Sixto Inquiſitores, Patres Michael de Morillo & Io: de S. Martino, electi à Catholicis regibus, vt Hiſpali, vbi Apoſtatarum à fide impietas graſſabatur magis, ſuum tribunal conſtabilirent. Et cum in negotio fidei multum proficerent, ad prædictorum Regum inſtantiam idem Pontifex hoc anno octo alios e Prædicatoria familia inſtituit cum pleniſſima auctoritate Inquiſitores; vt Hiſpaniæ Regna, ab hæreticali peſte vindicarent. Hi autem fuere P. Thomas de Turrecramata Regum eorundem, hoc eſt, Regis atque Reginæ confeſſarius; P. Ioannes de S. Spiritu Prouincialis Hiſpaniæ; Alphonſus de S. Cijpriano Vicarius Congregationis ſub exacta regulari obſeruantia viuentis in eadem Prouincia; P. Petrus ab Ocanna Regens Toletanus; Pater Ioannes de S. Dominico primariæ cathedræ ſalmantinæ ſacræ Theologiæ præfectus; P. Petrus Martinez; Pater Rodericus Segarra, & P. Benardus de S. Maria, qui omnes in Caſtellæ, & Legionis Regnis in rebus ad puritatem S. Fidei ſpectantibus præeſſent. Hi antequam ſacri tribunalis ſeueritatem exercerent, publico edicto in ſibi creditis Prouincijs euulgato, conceſsère plenariam veniam cunctis Apoſtatis à fide, dummodo infra quadraginta dies proprijs erroribus eorum Sacro Inquiſitionis tribunali propalatis, S. Matri Eccleſiæ reconciliarentur, data fide publica de non moleſtando eos, neque in bonis, neque in perſonis. Quod ſi infra taxatum tempus id non præſtitiſſent, ſe iuxta normam ſacrorum canonum contra eos, eorumque bona, ſeuerè proceſſuros. Mirabile dictu: pluſquam decem, & ſemptem millia virorum, ac mulierum ad abiurationem propriorun errorum faciendam ad ſacrum tribunal acceſsère, quibus iuxta proprios exceſſus ſalutares pœnitentiæ impoſitæ ſunt, venia ab Eccleſia impetrata, gaudentibus ſupra modum de tantæ multitudinis conuerſione Pontifice Sixto, Regibuſque Catholicis. *Paramus & Fernand. Bzou. an. anteced. num. 25. Lopez. p. 6.*

Eodem anno P. Chriſtophorus Galuez Generalis Inquiſitor in Aragoniæ Regnis ad inſtantiam P. Guillelmi Caſellæ cenſoris fidei in Maiorica, apud Valentiam congreſſum habuit multorum Theologorum, tam Ordinis noſtri, quam extraneorum ſuper quaſdam propoſitiones euulgatas, & impreſſas in eadem Inſula, quæ hæreſim ſapere videbantur, eaſque cenſuratas ad Sixtum Pont. miſit;

vltimam

vltimam manum rei impoſiturum, qui doctrinam quatuor S. R. E. Cardinalibus, P. Paulo de Monelia Magiſtro S. Palatij, alijſq; præſtantioribus Theologis diſcutiendam commiſit: decretumque fuit poſt multas Congregationes habitas hoc, & ſequenti anno prolatores earundem propoſitionum cogendos fore ad abiurationem illarum, dato decreto Apoſtolico Romæ die xj. Septemb. ſequentis anni 1483. *Lopez. p. 5. & Diagius de Prou. Aragon.*

Mittitur Magiſter Ordinis Saluus Legatus de Latere à Sixto Pontifice ad Imperatorem Fridericum pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs, & pro expeditione in Turcas ſuſcipienda: de quo hæc ſubdit Olmeda: *Cumque graues pro Sixto Pont. iam ſenio prapeditus, ſuſtinuiſſet labores, eaque perfeciſſet ad quæ miſſus fuerat, poſt annum à legatione rediens*, (nempe 1483.) *infra quindenam regreſſus ſui in Vrbem è vita intra Mineruam decedit ante feſtum S. Michaelis, videlicet 15. menſis Septemb.* 1483.

Offertur gloriæ hoc anno B. Steno Danus, vir pijſſimus, ad cuius vitæ ſanctitatem manifeſtandam mirum mirandum referam. Aliquando vocatus Steno ad procurandam per ſacramenta ſalutem Capitaneo moribundo conferenda, tardius quam oportuerat aduenit, & vita iam functum inuenit. Cumque aliud ſalutis mortuo conferre non valeret, qui ſine ſacra exomologeſi è viuis abierat, compoſitum in feretro cadauer ad Eccleſiam ſui ordinis deferri voluit, in medio choro collocatum. Ibi tamdiù pro defuncti ſalute proſtratus præces ad Deum fudit, donec ille, quaſi è graui ſomno excitatus, ad vitam redierit mortalem; quidque à ſe vellet, Steno diſerta voce interrogauit, cui reſpondit Capitaneus, ſe pro ſalute æterna conſequenda media Sacramentali confeſſione peragenda eum vocaſſe. *Dicas modò confeſſionem tuam* ſubdidit ille; eaque audita & peracta, data abſolutione, iuſſit illi, vt iterum obdormiret in Domino. *Bzou. in Annal. num. 9.*

ANNO 1483. Catholici Reges, Ferdinandus, & Iſabella videntes vberrimum fructum, quem in fidei Catholicæ augmentum producebant Inquiſitores nouiter inſtituti in Hiſpania, efflagitarunt à Pont. Max. Sixto vt P. Thomam de Turrecremata proprium confeſſarium Generalem Inquiſitorem inſtituere dignaretur, etiam in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, atque alijs locis ſibi ſubditis, quod libenter præſtitit ille, datis Apoſtolicis literis ad eundem Thomam ſequentis tenoris.

SIXTVS PAPA IV.

Dilecto filio F. Thomæ à Turrecremata Ordinis Prædicatorum in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali.

Dilecte fili Sal. & Apoſt. benedictionem. Supplicari nobis fecerunt Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caſtellæ, & Leonis, & Aragoniæ Rex, & Regina; vt te, ſicut es in Caſtella, & Leonis, etiam in eorundem Aragonum, & Valentiæ Regnis, ac in Principatu Cataloniæ Inquiſitorem hæreticæ prauitatis deputare vellemus. Nos igitur, qui de circumſpectione, probitate, atque integritate tua plurimum confidimus, vt dictorum Principum deſiderio, ſimul & noſtro Paſtoralis officij debito ſatisfaciamus, te in dictis Aragonum, & Valentiæ regnis, ac principatu Cathaloniæ Inquiſitorem hæreticæ prauitatis tenore præſentium deputamus, conſtituimus, & ordinamus. Et quia te multis implicatum negotijs non ignoramus, tibi earundem tenore indulgemus, & concedimus, vt idem officium per idoneos, ſufficientes, probatos in ſacra Theologia magiſtros, quos ad id deputandos, & ſubſtituendos duxeris, gerere, & exercere poſſis, & valeas. Te autem

hortamur in Domino, ac diſtrictè præcipiendo mandamus, vt ſemper Deum præ oculis habens, id tam diligenter attentè, ac ſolicitè geras, vel geri facias, quantum ipſius officij dignitas, magnitudo, & importantia, videntur expedire, &c.

Conſtitutus igitur Apoſtolica auctoritate Generalis Inquiſitor P. Thomas de Turrecremata in Regnis Caſtellæ, & Legionis, Aragoniæ, & Valentiæ, necnon in Principatu Cataloniæ cum facultate ſubſtituendi alios Inquiſitores in ciuitatibus, & locis ſibi benè viſis, illoſque ſi neceſſe foret, amouendi, tribunali S. Inquiſitionis Valliſoletano præfecit P. Alphonſum de S. Cypriano S. Theologiæ Magiſtrum cum Præſentato P. Bartholomæo Feral: in Hiſpalenſi confirmauit P. Magiſtrum Michaelem Marillum, & Præſentatum P. Ioannem de S. Martino. Toletano præfecit P. Petrum ab Ocanna Regentem Toletanum, de quo anno antecedenti. Giennenſi P. Ioannem de Yarca Priorem Toletanum, quod tranſlatum eſt Granatam: & Abulenſi P. Fernandum de S. Dominico. Ex his ſacroſanctæ Inquiſitionis tribunalibus in Hiſpania conſtabilitis, verbis exprimi non poteſt quot fructus vberrimi Catholicæ Eccleſiæ prouenerint, hæreticis innumeris reſipiſcentibus, vel vbique locorum dignis ſupplicijs afflictis; ſex millibus, & vltra eorum dementientium, in ſe, vel in ſtatuis, per carnificis manus concrematis: & circiter centum millibus Eccleſiæ per ſalutares pœnitentias reconciliatis. *Paramus lib. 2. tit. 2. Bzouius in Annal. n. 16. & Spond. an. 1478. n. 17.*

Apud Toloſam verò præfectus eſt S. Inquiſitionis tribunali doctus, & pius vir P. Antonius Martini, qui maiorum veſtigia ſequtus, in effrontes hæreticos, publicatis contra eos, eorumque fautores, & receptores edictis ſeuerè proceſſit, taxatis à ſacris legibus pœnis eos caſtigando, etiam vltimi ſupplicij pœna. Fremebant igitur in eum, & ſtridebant dentibus ſuis, S. Inquiſitoris inconcuſſam conſtantiam demirati: timebant verò Regem, qui ſancto Inquiſitori patrocinabatur. Annos plures in perſequendis hæreticis ibidem conſumpſit Antonius, poſt quos laboribus fractus quietem perpetuam conſequturus, creatori ſuo ſpiritum reddidit. *Ex Monum. Arch. Toloſ.*

Pontifex Max. Sixtus controuerſiam grauiſſimam inter Prædicatores, ac Minores ſuos de S. Catharinæ Senen. ſtygmatibus compoſiturus, de qua ſupra an. 1478. non obſtante decreto in Capitulo Generali facto, Superioribus noſtris, vt probationes ſuas in medium afferent pro eiſdem comprobandis indixit. Dicebant Minoritæ peculiare donum hoc S. Franciſco collatum eſſe. Etiam D. Seraphicæ Catharinæ illud conceſſum fuiſſe aſſerebant Prædicatores. Auditis igitur hinc inde partibus præualuère Minoritæ, Sixto profeſſione Minorita in eadem ſententiam declinante. Qui primò Eccleſiaſticis grauiſſimis præpoſitis cenſuris (aliàs vrgentibus Minoritis) D. Catharinæ imagines ſacras cum ſtygmatibus imprimi, ſeu alio quocumque modo in publicum exponi vetuit, & prohibuit; atque inſuper cum eiſdem iam expoſitas abradi iuſſit. In tanti negotij vrgentia ſiluère Prædicatores, obedientiæ Summo Pontifici debitæ facti victima, tantum ipſi damnum ſuſtinère malentes, quàm inobedientiæ nota apud populos peruri. Orta eſt igitur perſequtio non modica apud ignaram plebem in noſtros Prædicatores cum fideliũ ſcandalo non vulgari, cui finem impoſiturus Sixtus, ſublato anathemate, atque de inſectatione acri increpatis Minoritis quieuit. Deo fauente, qui non permiſit veritatẽ hanc in tenebris deliteſcere diu; terminata enim fuit ſub Vrbano VIII. controuerſia in Prædicatorum fauorem, ſicuti ſuo loco referemus.

P. Bapti-

P. Baptiſta de Iudicibus à Sixto Pont. Amalphitano Sacerdotio decoratus eſt; vt oues illius Eccleſiæ per viam æternitatis ad Dominum dirigeret, tranſlatus ex Eccleſia Albintimilien. ex qua ſequenti anno ad Patracen. euectus eſt, vbi terminauit dies ſuos. *Vghell.*

Caput IX.

P. BARTHOLOMAEO DE COMATIIS Magiſtro Generali XXXIII.

ANNO 1484. Conuenerant in Vrbe pro noui Magiſtri Generalis electione PP. Capitulares, at nonnihil trepidi, quòd vererentur, ne ſibi optata eligendi libertas feruenti ſtudio Protectoris Oliuerij potenter coarctaretur. Capitulum ingreſſis Protector nomine Pontificio ac ſuo propoſuit eligendum vnicum P. Bartolomæum Texerium de Comatijs Bononienſem, quem Sixtus IV. poſt obitum Salui Caſſettæ iam præfecerat Ordini Vicarium generalem, vtpote in ſtricta regulari Obſeruantia educatum, in qua etiam diuerſos Conuentus rexerat, ſibique in Romana Curia famam adquiſierat. Verùm PP. Conſcripti maluiſſent ſuis quàm alienis ſuffragijs noui Capitis electionem deberi: ex alia verò parte nolebant videri minùs obſequentes Pontifici, alium eligendo. Itaque ne in alterutro impingerent, conſultò pro tunc omni electione abſtinuerunt, reſque dilata fuit in ſequentem menſem Octobrem, quo Sixtus iam eſſe in viuis deſierat. *Olmeda.*

Innocentio VIII. electo Capitulum pro Dominica ſecunda Octobris, quæ in diem decimam incidit, indictum eſt, in quo eodem Card. Protectore agente, vt regularem obſeruantiam in Ordine promouèret, Bartholomæus ab electoribus Magiſter Generalis electus, humiliter ſuſceptus eſt, ſuppletis deficientium vocalium votis, Pontificia auctoritate ſubſtitutis alijs, vir reuera tanto Magiſterio, maiorique munere dignus, qui reformationi Ordinis totaliter addictus, ſtatim prouinciarum viſitationem, terminato Capitulo ſuſcepit; & viſitatis primò Prouincijs Regni, per Prouinciam Romanam tranſiens, vt in Lombardiam proficiſceretur, apud Peruſium in vigilia S. Patris Dominici peſte ſublatus eſt, poſtquam infirmis propria manu Sacramenta miniſtraſſet, Generalatus menſe 10. in quo ita ſe geſſit, vt ad regularem vitam amorē magis in Fratribus accenderet, quā timorem excitaret: & moleſtè ferebat tantam Fratrum extraneorum ad inuicem commixtionem, eam non pietatem, ſed latam peſtem dicendo. A Pontifice Innocentio copioſas Indulgentias pro ijs, qui Roſarium B. Virginis recitarent: & vt feſtum S. Patris Dominici celebraretur à Clero, & obſeruaretur à populo, ſicut feſtum S. Franciſci ex decreto Sixti, impetrauit. *Olmeda.*

Eodem anno Generales Inquiſitores in Germania, P. Iacobus Sprengerius Prior Colonien. & P. Henricus Inſtitoris, cum P. Gerardo Eltem, acerrimè in Lamias, & ſtriges, quibus affluebant eorum ditiones, inſurrexerunt ex Innocentij decreto, innumerabili earum multitudine igne conſumpta, vt dicetur infra ad annum 1487. *Param. lib. 2.*

Litteræ autem Apoſtolicæ Innocentij datæ ſunt Romæ non. Decemb. ſequentis tenoris.

INNOCENTIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

S*Vmmis deſiderantes affectibus, prout paſtoralis ſollicitudinis cura requirit; vt fides Catholica noſtris potiſſimè temporibus, vbique augeatur, &c.* Quibus Pontifex præcipit P. Henrico Inſtitoris, in partibus Alemaniæ ſuperioris, & P. Iacobo Sprenger Priori Colonienſi per partes Rheni Generalibus Inquiſitoribus, vt contra eas virili pectore inſurgerent; necnon contra earumdem fautores, & protectores inquirerent, & procederent cum omni rigore; in Diœceſibus autem Metrop. Treueren. Salzburgen. Colonien. Bremen & Moguntinen. monens earundem Archiepiſcopos, necnon & Maximilianum Regem Romanorum, vt eiſdem Inquiſitoribus omne præſtarent brachiũ, & fauorem ad eas ſectas capiendas, incarcerandas, puniendas, igneque conſumendas. *Ex Malleo Maleficorum eiuſdem impreſſo apud Iuntam Lugduni an.* 1584. *in Biblioth. Conuentus Tiburtini exiſten. ex quo hæc exſcripſimus.*

Idem Sprengerius ſcripſit librum contra Lamias, ſeu Maleficas, quem vocauit *Malleum Maleficarum* in tres partes diuiſum, in quibus concurrentia ad maleficia, maleficiorum effectus (quos recenſet Innocentius in ſuis litteris Apoſt. datis ad eundem Iacobum Romæ hoc anno nonis Decemb.) remedia aduersùs maleficia, & modus procedendi contra maleficas, illaſque puniendi, abundè continentur, qui denique illuſtratus notis, à P. Raphaele Maffæo prodijt in publicam lucem, ſuprad. anno 1584. *Mirræus Biblioth. Eccleſ.*

In Regno Aragoniæ apud Cæſaraugustam hoc anno Generalis Inquiſitor in Hiſpania P. Thomas de Turrecremata Inquiſitorem inſtituit 4. Non. Maij P. Magiſtrum Gaſperem Inglarem cum D. Petro Arbuæ Cæſaraugustano Canonico, viros animam ſuam pro Dei gloria, hæreſum extirpatione, atque Catholicæ fidei exaltatione ponere paratos, de quibus anno ſequenti. *Param. lib. 2.*

Noua poma dantur cœlo hoc anno à Dominicana Religione quæ fuère, Soror Ignatia Palomera Virgo, ac Maria Franciſca de Vrſinis, exquibus prior in Monaſterio S. Mariæ Angelorum Barchinone virtutibus, & obſeruantia regulari clariſſima, in vigilia S. Patris Dominici euolauit in cœlum, Prioriſſa id ei præcipiente in meritum S. Obedientiæ: Poſterior verò nupta Duci Sueſſæ, & vidua relicta, anno ætatis 30. in Monaſterio S. Sebaſtiani apud Neapolim, ſuſcepto religioſo habitu, ſolemniter profeſſa eſt, mundumque calcans ſub pedibus manum miſit ad fortia, humilitatem, auſteritates Ordinis, ieiunia, exactamque regularem obſeruantiam amplexa: & meritis, ac virtutibus onuſta, Ianuario menſe perrexit ad Chriſtum. *Lopez p. 5. & Vallus de Prou. Regni.*

Alterum pomum ſuauiſſimum cœlo oblatum fuit B. Damianus de Finario, in quo celſa humilitas, ſpiritus paupertas, feruens charitas eluxit: regularem Obſeruantiam mirificè coluit, operibus miſericordiæ addictiſſimus, puritatis, & caſtimoniæ ſtudio ſingulariter floruit: contemplationis at ſolitudinis amans, & ab omni ſeculi commercio alienus, at ſimul vbi de animarum lucro agebatur officioſiſſimus erat, pro ſalute proximi, mortem contempſit in miniſtrandis

Sacra-

Sacramentis peſte infectis aſſiduus. Ieiunijs corpus macerabat, & oratione continua ſpiritum in Deũ dirigebat. Prædicator famoſus in Italia tota effectus, ſuis exhortationibus meretrices ad continẽtiam, peccatoreſq; innumeros ad pœnitentiam prouocauit. Miraculis clarus euolauit in cœlum, corpore poſt multos annos incorrupto reperto. *Plodius*.

P. Petrus Quare, Albecuriæ Abbas, Carnuten. diœceſis promouetur à Sixto IV. Pontifice ad Arauſicanam Eccleſiam die 19. Ianuarij; à Rege Galliæ ad Innocentium VIII. Pontificem electum Regius Orator miſſus: fuitque Ioanni Duci Borbonio antea à ſacris confeſſionibus. *Gall. Sacra.*

Cum P. Paulus de Monelia in Liguriam properaſſet iniuncti ſibi muneris Generalis Inquiſitoris poſſeſſionem inituros, in Romana Curia Promagiſtrum S. Palatij conſtituit P. Magiſtrum Marcum Maronum, ſeu Maroldum virum doctiſſimum, de quo Ioannes Burckardus Apoſtolicus ceremoniarũ Magiſter tunc temporis in ſuo Diario hæc habet. *Eadem die Martis 6. Aprilis 1484. coram præfato Reuerendiſs. Dom. Card. Senen. perſonaliter conſtitutus R. P. D. Robertus Ep. Licien. ad quam de Aquinaten. Eccleſia tranſlatus eſt, ratione Eccleſiæ ſuæ Licien. in manibus ſupradicti Reuerendiſs. Card. nomine, quo ſupra recipiens, corporale præſtitit iuramentum de verbo ad verbum, prout in forma, &c. Tactis, &c. Actum, &c. vt ſupra, præſentibus DD. F. Marco Marono Sacri Palatij Magiſtro, & D. Antonio Baliſtrario Preſbytero Senen. teſtibus ad præmiſſa.* Hoc teſtimonio nos conuicti, credidimus P. Marcum prædictum fuiſſe Sacri Palatij Magiſtrũ, quod in additione ad noſtrum Sacrum Theatrum Dominicanum in Apendice 2. ad 2. partem, & in hiſtoria Romanæ Prouinciæ Ordinis Prædicatorum apertè teſtati ſumus. At cum hcc anno, antecedentibus, & ſubſequentibus fuerit indubitatus Magiſter Sacri Palatij P. Paulus de Monelia, & nullus omnino ex ſcriptoribus Ord. neque etiam ex extraneis, aſſerat Marcum prędictum fuiſſe Sacri Palatij Magiſtrum, dicendum videtur ipſum fuiſſe Promagiſtrum, gerentemque vices Magiſtri Sacri Palatij tempore Pauli dè Monelia in negocio S. Inquiſitionis in Liguria occupati. Idemque multoties abſentibus à Curia Magiſtris ipſis contigit, vt videre eſt in Syliabo noſtro eorundem Magiſtrorum, in quo legitur P. Thomam Badiam fuiſſe Promagiſtrũm Sacri Palatij tempore Sylueſtri Prieratis; & noſtro tempore, abſentibus à Curia Maculano, & Mazarino Magiſtris, conſtitutus eſt ab Vrbano VIII. Pontifice Sacri Palatij Promagiſter. R. P. Reginaldus Lucarinus, vt vidimus. Idque indubitatum iudicamus, eo quod dictus Marcus ſub anno 1488. recenſetur in Neapolitano Regno, contra ſtrygum nequitias procedens.

ANNO 1485. P. Matthæus Ortiz in Hiſpania inquiſitor inſtitutus, Hæreticos, Iudæos, ac Mauros inſequtus eſt viriliter, ſcripſitque contra huius temporis hæreticos eruditum librum, in quo eorundem errores dilucidè confutat, detegit, impugnat, & ſophiſmata illorum eneruat. *Plodius*.

Cum P. Gaſpar Inglar à Generali Inquiſitore Hiſpaniæ P. Thoma de Turrecremata in Aragonia apud Cæſarauguſtam Inquiſitor ſuperiori anno inſtitutus cum Petro Arbueſo Canonico in fidei violatores ex officio procedcret, ac delinquentes ſeuerè caſtigaret, metuentes aliqui ex conſcientia mala pœnas, & damna ſibi inferẽda, Inquiſitores è medio tollere cogitauère; vt quia difficile erat Gaſparem perimere, vt pote in cœnobio cum multis Religioſis vitã degentem innocentiſſimã, cogitauerunt præmittere Petrum, in ſtrato ſuo nocturno tempore quieſcentem, iugulan-

iugulatum, at cum concepta ſpes eos feſelliſſet ſuadentes ſibi ingreſſum per feneſtram, ad nocturnas præces in Eccleſiam progreſſum vitalis Duranſus primo ictu in ceruice inflicto, ſocijſq; idem præſtantibus, trucidarũt. Corruit ergo illicò mortuus manibus impiorũ glorioſus Atleta Chriſti Petrus Idibus ſeptembris. De Vitali igitur, & conſceleſtibus ſocijs vltionem ſumpſit ex officio P. Gaſpar, omneſque intra annum; etiam qui fuga propriæ vitæ conſuluerant, miſerrimè periere. *Bouz. in Annal. num.* 10. & 11.

Eodem anno Generalis Inquiſitor P. Thomas de Turrecremata habita congregatione Inquiſitorum, Iuriſconſultorum, aliorumque virorum preſtantiorum ſanxerunt modum procedendi contra hæreticos, & Apoſtatas à fide, conſtituentes vnicuique tribunali proprios officiales, fiſci præſides, carceres, & vincula, promulgandò formam iuramenti ſecundum quam omnes, & ſinguli Regiarum procurationum Præfecti, & miniſtri, deputati, officiales Regni, Toparchæ, & Domini, ſacramentum coram Inquiſitore Generali dicerent, promitterentque ſe inuiolabiliter defenſuros ſanctam Catholicam fidem. *Bzou. num.* 13.

In Aragonia noſtri Inquiſitores hæreticos plurimos vaferrimos ſæculari brachio relaxantes, igne conſumpsère, cum quibuſdam alijs, qui in Inquiſitionis tribunal multa mala moliti fuerant. *Lopez. p.* 5.

B. Luchina miræ ſanctitatis fœmina, Agnum in vita ſequta cœleſtem, glorioſam palmam, in æternum cum Chriſto regnatura, conſequta eſt; quæ apud Soncinum nata, & inuita nupta, defuncto viro, Tertiarſarum habitu ſuſcepto, corpus ſpiritui ſeruire per pœnitentiam cogebat. Meditationi paſſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri aſſueta, extra ſenſus ita rapiebatur, vt aliquando mortua fuerit iudicata. Ieiunia perpetua, flagella aſſidua, quotidiana cilicia eam recreabant, & ad maiora inferenda corpori ſupplicia inflammabant. Miraculis in vita, & morte coruſcans, ſumpto Dominico corpore dixit: *Nunc viam vniuerſæ carnis ſecura ſalutis ingredior*, & expirauit. *Bzou. num.* 22.

Graſſabatur mirum in modum peſtis in Anglia hoc anno tam crudeli mortalium ſtrage, vt vix centeſimus quiſque ex omni ægrotantium numero mortem euaderet. Irruebat illa ex abrupto ſudore fœtido, mortiferoq; corpus tentante, ac ſimul dolore caput, ſtomachumque vehementi caloris ardore afficiendo, intra viginti quatuor horas languentes perimebat. In Sacramentis ægrotis ipſis adminiſtrandis, Religioſorum Ordinum charitas maxima eluxit, quorum filij mortem non pertimeſcebant, vt proximis vitam æternam per Eccleſiaſtica ſacramenta prorurarent. At tantus Religioſorum numerus, morbo percuſſorũ, interijt; vt non eſſet qui ſacramenta deinde miniſtraret: quod cũ Bartholomeo Generali Magiſtro nunciatum eſſet à Prouinciali Angliæ, ſcripſit ille Prouinciali Hyberniæ, & Vicario Scotiæ, vt Fratres operarios ad excolendam vineam Domini in Angliam mitterent, ſalutis animarum zelum habentes, qui mortem temporalem non pauerent, vitam æternam conſequturi, eiſque S. Patris Dominici, & ſuam benedictionem in Domino donabat. Multi igitur Patres charitate feruidi in Angliam properantes, & ſacramenta infirmis miniſtrantes, glorioſo fine; temporalem mortem amplexantes, æternam vitam promeruère. *Ex Regeſt. eiuſdem & Spondan. num.* 8.

Caput

Caput X.

P. BARNABA SAXONO Magiſtro Generali XXXIV.

ANNO 1486. Venetijs habita ſunt Comitia Ordinis pro Magiſtri illius electione; Defuncto enim Bartholomæo factus eſt Vicarius Ordinis P. Iacobus Stanbach Prouincialis Theutoniæ de conuentu Viennenſi, eximius Theologiæ doctor, hæreticorumq; hoſtis accerrimus, in quem iam antea in electione Bartholomæi multi ex electoribus conuenerant; verùm eo, ante Magiſtri electionem, vniuerſæ carnis viam ingreſſo, inſtitutus eſt à Pont. Max. Innocentio Vicarius P. Barnabas Saxonus de Neapoli tunc Ordinis Procurator, & S. Theologiæ laureatus inſignis, necnon & in regulari obſeruantia optimè excultus, qui ſūma pace, ac libertate præter multorum ſpem, vtpotè & ipſe ſicut prædeceſſor ex vita regulari, ſalutatus eſt Generalis Magiſter Ordinis, non tamen in vigilia Pentecoſtes ſecundum conſuetum morem Ord. ſed in vigilia SS. Apoſtolorū Petri, & Pauli Iunio menſe, ad quam Capitulum iuſtis de cauſis protractum eſt, mortuo pauloante Iacobo Vicario. Electus igitur Barnabas multa pro promotione regularis obſeruantiæ, in qua ipſe à pueritia in Congregatione Neapolitana enutritus fuerat, decreuit; & dum maiora in Ordinis commodum, & decorem moliretur, raptus eſt, eheu citò nomis, de terra viuentium, dolentibus cunctis filijs tanti Patris iacturā, à quo bona cuncta ſperabantur, cum vix per menſem Ordinem rexiſſet; nam electus eſt 4. Kal. Iulij, & deceſſit 4. Kalen. Auguſti, in Eccleſia SS. Ioannis, & Pauli ſumma funebri pompa ſepultus. Fuit autem Barnabas in ſtudio Bononien. Régens, à Leonardo de Manſuetis Procurator Ordinis inſtitutus, à Saluo Caſſeta deſtitutus, & à Bartholomæo Comatio reſtitutus, præfuitque Mediolani, Veronæ, & alibi, & multimodè Ordini prodeſſe non deſtitit. *Olmeda.*

P. Petrus Ranzanus Siculus Filij Regis vtriuſque Siciliæ Ferdinandi præceptor, deinde Lucerinus Paſtor, ab eodem Rege mittitur Legatus ad Matthiam Coruinum Pannoniæ, & Humgariæ Regem pro negotio ſumendi arma contra communem Catholicæ fidei hoſtem Turcam, ibidemq; manſit in ſua Legatione annos quatuor, vſque ad eiuſdem Matthiæ obitum, qui illi accidit anno 1490. in cuius funere apud Albam Regalem funebrem orationem habuit, cum priùs librum ibidem, de rebus Hungaricis compoſuiſſet, eidem Regi dicatum. *Ferrarius & Vghell.*

Inuigilabat in extirpatione hæreſum in Lombardia P. Antonius de Brixia à Magiſtro Ord. Inquiſitor inſtitutus, & hæreticos multos, miſericordiam Eccleſiæ per reconciliationem implorantes, ad propriorum errorum abiurationem ſalutaribus iniunctis pœnitentijs perduxit; multos verò obſtinatos, & impœnitentes brachio ſæculari comburendos relaxauit; Cum autem Magiſtratus Brixienſis mortis ſententiam in eos (erant enim plerique vtriuſque ſexus, vt in ſuis Apoſtolicis litteris aſſerit Innocentius Pontifex) exequi in graue ſacri tribunalis præiudicium, fidelium ſcandalum, & hæreticorum audaciam maximam, qui pecunijs, & muneribus iuſtitiam violabant, differret; nunciauit cuncta Pontifici Max. P. Antonius, de tali impedimento iuſtitiæ ſacro tribunali illato dolens. Eidem & Brixien. Epiſcopo reſcripſit Innocentius;

tius; vt ſtatim Pontificio nomine intimarent Magiſtratibus & Iudicibus quibuſcumque, ad quos mortis ſupplicium relaxatis à tribunali S. Inquiſitionis brachio ſæculari infligere ſpectabat, vt hoc ipſum illico exequerentur iuxta ſacrorum canonum decreta, abſque reuiſione proceſſus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ab eiſdem ipſo facto incurrenda. Datis Apoſtolicis litteris Romæ die 30. Septemb. pont. an. 3. atque hoc modo ſententia mortis in hæreticos prolata, inpoſterum exequtioni demandata fuit. *Ex direct. Inquiſit.*

Ad ethiophycas regiones noſtri Prædicatores peruenère hoc anno ex prouincia Portugalliæ digreſſi, vbi vexillum S. Crucis inter barbaros illos fixère, Euangelium Ieſu Chriſti annunciantes. Nam Congi Rex à Portugalliæ Rege petierat ſibi mitti Religioſos anunciaturos populis ſibi ſubditis Euangelicam legem. Ibi igitur à Rege benignè accepti, apoſtolicum ſuum miniſterium exercentes, non ſolum multos ex populo, ſed etiam ex nobilibus ſacro regenerationis lauacro Chriſto, & Eccleſiæ adiunxerunt. Inde aliqui ex ipſis ad Abyſſinorum Imperatorem pergentes, etiam ibidem & Cruces, & Eccleſias erexère tanto cum animarum fructu, vt nullus ex eiſdem Prædicatoribus, ærumnoſis licet laboribus fractus, aſſumptum Apoſtolicum miniſterium deſerere auſus ſit, ſed omnes glorioſè ibidē, vſque ad mortem inſudauerint in Gentilium illorum conuerſione. *Lopez. part. 5.*

Contra pullulantes iterum hæreſes in Alemania iuſurgens Mag. Ord. Barnabas Saxonus cum conſenſu, ac participatione Innocentij Pontificis, eas conpreſſurus P. Magiſtrum Thomam Hermeſchel de Conuentu Friſacenſi Generalem Inquiſitorem creauit in Alemania cum ampliſſima auctoritate; qui demandatum ſibi onus aſſumens, zelo catholicæ fidei, quo ſeruèbat in hæreticos, ſecundum ſacros Canones ſeuiendo, eos condignis ſupplicijs caſtigauit; obſtinatis igni adiudicatis, reſipiſcentibus verò ſalutaribus pænitentijs caſtigatis. *Ex Reg. eiuſdem Barnabæ & Paramo.*

Caput XI

P. IOACHINO TVRRIANO Magiſtro Generali XXXV.

ANNO 1487. Iterum congregatum eſt Venetijs Capitulum pro electione Generalis Magiſtri, cui præfuit P. Ioachinus Turrianus Venetus Prouincialis Lombardiæ, & Vicarius Ord. poſt mortem Barnabæ ab Innocentio Pontifice creatus, qui de communi Electorum conſenſu, & voto, Magiſter Ordinis ſalutatus eſt, in regulari ſtrictiſſima obſeruantia apud S. Dominicum Venetiarum à teneris annis enutritus; qui & ſi ætate nimis prouectus; tempore tamen non modico in pace, & charitate; nulli, niſi moleſtis, moleſtus; & bonis optimus, annis tredecim illum foliciter rexit; Pater proinde Fratrum dictus, & Vltramontanis præcipuè gratus, deſiderabiliſq; Capitula Generalia iuxta morem Ordinis celebrauit: Primum quidem ſuæ electionis apud Venetos 1487. ſecundum verò in Gallia apud Cenomenum 1491. quod percelebre fuit, confluentibus ad illud Fratribus circiter mille, ex quibus vix fuère de Ciſmontanis 20. Tertium apud Ferrariam 1494. & quartum apud Viterbium 1498. ab Alexandro VI. ex Pariſijs, vbi poſitum fuerat, euocatum. *Olmeda.*

In ijs

In ijs Capitulis multa ſunt decreta pro ſalute animarum procuranda; & pro diuino officio ordinario chori multa fuère addita; & inter cætera 4. Octauæ ſolemnes, nempe Aſcenſionis Ieſu Chriſti in Cœlum, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, Omnium Sanctorum, atque S. Patris noſtri Dominici; & quod in Romana Prouincia ſemel in ſeptimana, de S. Catharina Senenſi, & in Lombardia de S. Petro Mart. officium haberetur. In receptione Nouitiorum anteceſſoris ſui P. Bartholomæi de Comatio ſententiam ſequtus, indifferentem eorum receptionem prohibuit, maximè Apoſtoli ſententia vſus: *Probate an Spiritus ex Deo ſit*, & Euangelij parabola de Sagena miſſa in mare: Quoniam *Elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt*. Olmeda.

Inuigilauit ſupra modum Ioachinus, vt negotium Catholicæ fidei ab Inquiſitoribus conſtanti pectore, atque indefeſſo labore promoueretur; ea propter quoſdam ſegniores ab officio amouit, alioſque feruentiores eiſdem ſubſtituit. Et quidem P. Ioannem de Argentina toti Saxoniæ Generalem Inquiſitorem præfecit, & Mediolanenſi ciuitati P. Matthæum de Lulmo dedit, necnon & in Lauſanen. Diœceſi P. Franciſcum conſtituit, pluresque alios in diuerſis Orbis partibus Apoſtolica auctoritate Cenſores fidei creauit, maximo cum Catholicæ fidei incremento. *Ex Regeſtis eiuſdem*.

Cum ſtrygum iniquitates in dies magis augerentur in Germania, & non poſſent hæreticæ prauitatis Inquiſitores opportunum remedium inuenire ob earundem multitudinem, & protectionē, etiam nobilium; & monita hac de re Apoſtolica Sede ab eis, Innocentius Pontifex datis Apoſtolicis literis in fauorem Inquiſitorum, quas ſupra ad annum 1484. retulimus, mandaſſet Epiſcopis Colonien. Treueren. Saltzburgen. &c. necnon & Maximiliano Romanorum Regi, vt Inquiſitoribus opem ferrent pro earundem extirpatione; ijdem Inquiſitores Apoſtolicas literas publicari ad ſolemnitatē fecerunt Coloniæ per Arnoldū Kolink Clericum, & Notariū Colonien. die 19. Maij huius anni, iuſſitque Maximilianus eas executioni mandari, præſtito Inquiſitoribus brachij ſæcularis auxilio. Ex quo factum eſt, vt innumeræ ſtryges igne conſumptæ fuerint, earumdem iniquitate ex Germania eradicata, maxima cum Catholicæ fidei vtilitate. *Ex eodem Malleo Maleficorum ſupra anno* 1484. *relato*; in quo libello, *Formicario de Maleficis* Prænotato, cuncta ſupradicta recenſentur, prout legimus.

ANNO 1488. Mirum dictu, quot fructus Catholicæ Eccleſiæ reportauerint Prædicatores tribunali S. Inquiſitionis in diuerſis chriſtiani orbis partibus præfecti, hoc anno, & ſequentibus. P. Io: de Argentina in Saxonia Lamias & ſtriges multas igne conſumpſit, earumdemque aſſeclas publicè fuſtigauit. P. Thomas Hero Generalis Inquiſitor in Gallia plures hæreticos media abiuratione, atq; ſalutaribus pœnitentijs S. Matri Eccleſiæ reconciliauit. P. Mauritius Inquiſitor Metenſis, Tullenſis, & Verdunenſis Ioannem de Vienna cum aliquibus ſocijs Bohemorum erroribus implicatum condignis ſupplicijs affecit. P. Thomas de Turrecremata Apoſtatas à fide iudaizantes igne conſumpſit, cui poteſtatem conceſſit Ioachinus Magiſter Generalis Fratres quoſcumque ad Catholicorum Regum Curiam ſine eius licentia accedentes, puniendi, ac dimittendi. *Ex Regeſt. eiuſdem Mag. Ord. & Plod.*

P. Valentinus de Bruma ex conuentu Albæ Regalis in Hungaria Generalis Inquiſitor, ad compeſcendas Boemorum hæreſes à Magiſtro Generali inſtituitur. P. Franciſcus Lauſanenſi diœceſi Cenſor fidei præficitur, & P. Michaeli con-

li confeſſori Ducis Burgundiæ datur plenaria facultas in tota Burgundia procedendi contra Apoſtatas à fide, hæreticos & Lamias, & ſtriges. *Ex Regeſt. eiuſdem & Plodio*.

Viriliter decertabat in Neapolitano Regno pro fide Catholica illibata, & candida conſeruanda P. Marcus Maroldus de quo ſup. an. 1484. ſtrigum factus perſequutor indefeſſus, quarum multas publico igne in aliarum formidinem, ac terrorem conſumpſit; iudaizanteſq; aliquos media abiuratione, & carceribus, S. Eccleſiæ reconciliauit, atque in ſuorum laborum præmium ab Innocentio VIII. Rhegien. Archiep. in Calabria declaratus, commiſſas ſibi oues virtutibus cunctis imbuere non omiſit. *Vghell. Italia ſacra & Plodius*.

P. Antonius de Brixia in Lombardia Inquiſitor, de quo ſupra, Iudæum quendam Iacob nomine neophitos ſubuertentem, atque ad Iudaiſmum, vt redirent, exhortantem, necnon & pecunijs, vtpote diuitem, ad vomitum compellentem, apud Cremam captum, atque in vincula coniectum, per totam ciuitatem ſuper aſellum circumductum virgis cæſum, in cœterorum documentum, atque exemplum caſtigauit. *Taeg.*

Pari fidei zelo ſacro Tribunali præſidebat apud Veronam P. Matthæus Inquiſitor, qui ſtriges duas, innocentem infantulum dœmoni ſacrificantes, iugulatum, & aſſatum, canibus comedendum dederant, captas, atque tormentis ſubactas, poſt acceptam confeſſionem, publico rogo in platea maiori ciuitatis conſtructo ſuperpoſitas, atque accenſo coram populi multitudine maxima per ſæculare brachium, relaxatas, viuas cremari vidit. *Taeg.*

Filium ſuum inclytum cœlo dedit B. Bernardum Scamacham nobilem Catanenſem Dominicana Religio, qui in ſæculo ſæculi vanitatibus deditus, lethali morbo correptus, Dominicanam togam conualeſcens aſſumpſit, ſub qua mortificationi corporis, ac virtutibus addictus, mirabiles fecit in via Dei profectus, miraculis tam in vita, quàm in morte coruſcans; cuius corpus Siciliæ Prorex Io. Vega poſt annos ferè 50. incorruptum vidit, quod ſubucula ſua tetigit, illaq; poſtmodum indutus, à morbo lupæ liberatus fuit. Sicilia ſacra refert illius obitum ſub ann. 1486. *Plod. & Taeg.*

ANNO 1489: Pugnabant viriliter Prædicatores contra hæreticos, alioſque Catholicæ fidei impugnatores in regionibus ſibi demandatis, ſacrum Inquiſitionis Tribunal ſummo zelo regentes, nouis Inquiſitoribus inſtitutis apud Albam, Montem Regalem, Taurinum, & Ticinum à Magiſtro Generali, qui etiam in Siciliæ Regno Generales Inquiſitores in ſolidum conſtituit Magiſtros Iacobum Manſum, & Iacobum Rhedam; vt hæreticorum, & Apoſtatarum à fide Catholica audaciam frœnarent, & iuxtà Sacrorum Canonum ſanctioneſſeuerè caſtigarent. *Ex Regeſt. Ioachini Mag. Ord.*

Generaliſſimus quoque Inquiſitor in Regnis coronæ Hiſpaniæ ſubiectis P. Thomas de Turrecremata P. Magiſtrum Ioannem de Epila ex Valentina Inquiſitione ad Hiſpalen. tranſtulit, conſtitutis Valentinis Inquiſitoribus P. Mag. Michaele de Monteruuio, & P. Mag. Didacus de Magdaleno Priore Taurenſe, & Vicario Congregationis de obſeruantia in Hiſpania, viro celeberrimo, præfecturis pluribus in Ordine aucto, à quo regularis obſeruantia, ipſo Prouinciali, in Hiſpania tota ſtabilita fuit, ſicuti Regeſta Magg. Generalium horum temporum plenam faciunt fidem. *Param.*

Cum cooperante, atq; Euangelij miniſtrorum linguam dirigente Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, atque

ad

ad veritatis agnitionem venire, in Aethiopiæ regionibus Patres noſtri ann. 1486. recenſiti copioſam meſſem in Eccleſiæ horrea congregarent, dolentes quod meſſis quidem multa, operarij autem pauci, inſtitère ipſi apud Prouincialem Portugalliæ, vt coadiutores euangelicos ſibi dare non differret, fructum vberrimum, quem in remotiſſimis regionibus illis catholica colligebat Eccleſia, in quibus & idola multa proſtrata, (eorumdem euerſis aris, & Altaria Ieſu Chriſto vero Deo erecta iam fuerant in neophitorum ſolamen) nunciantes. Non diſtulit fidei promouendæ negotium Prouincialis, ſed cunctis Ioanni Portugalliæ Regi nunciatis, ſex Euangelij præcones inclytos, atque inter eos proprium Confeſſariū in Aethiopiam ſequenti anno ſtatim delegauit, vt dicetur. *Lopez*.

Non dormitabant, neque dormiebant, qui Chriſti gregem, ne inter oues electas ſerperet hæreſis virus, cuſtodiebant apud Dalmatas Inquiſitores noſtri; nam cum Boemos multos hæreſis labe infectos ex Alemania in Dalmatiam deſcendiſſe à P. Ioanne de Argentina in Saxonia Inquiſitore moniti fuiſſent, plures ex illis captos varijs pœnitentijs caſtigauère, pertinacibus alijs vltimo ſupplicio afflictis, ac peremptis. Horum autem Inquiſitorum nomina non referuntur à ſcriptorib. noſtris. *Ferrarius*.

In ſtryges quoque manus iniecère Inquiſitores ibidem: nam multas capientes, qui infantulos vexabant, & terræ fructus varijs modis inficiebant, vna die apud Iadram ſeptem igne in cœterarum documentum conſumpsère. *Ferrarius*.

ANNO 1490. Magiſter Generalis Ioachimus ſuas partes non omiſit in perſequtione hæreticorum, nouos Inquiſitores iuſtituendo, & inſtitutos minus aptos, atq; ſuo in munere dormitantes repertos, amouendo. Vnde P. Dominicum de Grignano Inquiſitorem Bononien. & P. Matthæum Inquiſitorem Veronen. ab officio Inquiſitoris amouit: Inſtituit autem P. Ioannem de Rapellis Inquiſitorem Ferrarienſem. P. Ioannem, Parmen. P. Petrum, Placentinum, & P. Guilemum, in Regno Maioricæ, qui ex corde puritatem fidei conſeruare procurantes, hæreticos ex ſibi creditis ditionibus effugauère. *Ex Regeſt. eiuſd. Gen.*

In Hiſpania quoque, Gallia, Germania, Italiaque tota, vrgente ſuis literis Ioachino præfato, inſurgentes virili pectore Inquiſitores in Hæreticos, & Lamias, multa millia eorumdem corporaliter, vel in ſtatuis per ſæculare brachium, & manus carnificum combuſsère, innumerabiloſque ad Catholicam fidem per proprio rum errorum abiurationem, ſalutaribus impoſitis pœnitentijs, perduxère. *Lopez. p. 5. cap. 28.*

Virginitatis lilium nobiliſſimum cœlitibus datur hoc anno Beata Ioanna Alphonſi V. Portugalliæ Regis filia, vitæ ſanctitate mirabilis, quæ temporalibus regijs nuptijs contemptis, cæleſti ſponſo per mortificationem corporis, aſſidua ieiunia, cilicia, atque perpetuam mentis in Deum eleuationem iuncta eſt. Charitate maxima in pauperes flagrabat, quibus neceſſaria ſubminiſtrabat, mulieribuſque pauperibus pedes lauabat, tergebat, & oſculabatur. In Monaſterio apud Aueirum incluſa, & paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti meditationi aſſueta, meruit cœleſtibus viſionibus recreari. In cœlum euolauit miraculis, quæ refert Bzouius, coruſcans in Monaſterio Aueirenſi 12. Maij. *Bzou. in Annal. num. 7. & ſeqq.*

Eandem ad gloriam ſequuti ſunt Patres Dominicus Catalanus nobilis cœnobij S. Mariæ Gratiarum Mediolani conditor, & Stanislaus Kolkoka Polonus, ſalutis animarum ſitientiſſimi, qui vitæ ſanctitate venerabiles, linguæ, manus ſtudio,

li conſeſſori Ducis Burgundiæ datur plenaria facultas in tota Burgundia procedendi contra Apoſtatas à fide, hæreticos & Lamias, & ſtriges. *Ex Regeſt. eiuſdem & Plodio.*

Viriliter decertabat in Neapolitano Regno pro fide Catholica illibata, & candida conſeruanda P. Marcus Maroldus de quo ſup. an. 1484. ſtrigum factus perſequutor indefeſſus, quarum multas publico igne in aliarum formidinem, ac terrorem conſumpſit; iudaizanteſq; aliquos media abiuratione, & carceribus, S. Eccleſiæ reconciliauit, atque in ſuorum laborum præmium ab Innocentio VIII. Rhegien. Archiep. in Calabria declaratus, commiſſas ſibi oues virtutibus cunctis imbuere non omiſit. *Vghell. Italia ſacra & Plodius.*

P. Antonius de Brixia in Lombardia Inquiſitor, de quo ſupra, Iudæum quendam Iacob nomine neophitos ſubuertentem, atque ad Iudaiſmum, vt redirent, exhortantem, necnon & pecunijs, vtpote diuitem, ad vomitum compellentem, apud Cremam captum, atque in vincula coniectum, per totam ciuitatem ſuper aſellum circumductum virgis cæſum, in cœterorum documentum, atque exemplum caſtigauit. *Taeg.*

Pari fidei zelo ſacro Tribunali præſidebat apud Veronam P. Matthæus Inquiſitor, qui ſtriges duas, innocentem infantulum dœmoni ſacrificantes, iugulatum, & aſſatum, canibus comedendum dederant, captas, atque tormentis ſubactas, poſt acceptam confeſſionem, publico rogo in platea maiori ciuitatis conſtructo ſuperpoſitas, atque accenſo coram populi multitudine maxima per ſæculare brachium, relaxatas, viuas cremari vidit. *Taeg.*

Filium ſuum inclytum cœlo dedit B. Bernardum Scamacham nobilem Catanenſem Dominicana Religio, qui in ſæculo ſæculi vanitatibus deditus, lethali morbo correptus, Dominicanam togam conualeſcens aſſumpſit, ſub qua mortificationi corporis, ac virtutibus addictus, mirabiles fecit in via Dei profectus, miraculis tam in vita, quàm in morte coruſcans; cuius corpus Siciliæ Prorex Io. Vega poſt annos ferè 50. incorruptum vidit, quod ſubucula ſua tetigit, illaq; poſtmodum indutus, à morbo lupæ liberatus fuit. Sicilia ſacra refert illius obitum ſub ann. 1486. *Plod. & Taeg.*

ANNO 1489: Pugnabant viriliter Prædicatores contra hæreticos, aliosque Catholicæ fidei impugnatores in regionibus ſibi demandatis, ſacrum Inquiſitionis Tribunal ſummo zelo regentes, nouis Inquiſitoribus inſtitutis apud Albam, Montem Regalem, Taurinum, & Ticinum à Magiſtro Generali, qui etiam in Siciliæ Regno Generales Inquiſitores in ſolidum conſtituit Magiſtros Iacobum Manſum, & Iacobum Rhedam; vt hæreticorum, & Apoſtatarum à fide Catholica audaciam frœnarent, & iuxtà Sacrorum Canonum ſanctiones ſeuerè caſtigarent. *Ex Regeſt. Ioachini Mag. Ord.*

Generaliſſimus quoque Inquiſitor in Regnis coronæ Hiſpaniæ ſubiectis P. Thomas de Turrecremata P. Magiſtrum Ioannem de Epila ex Valentina Inquiſitione ad Hiſpalen. tranſtulit, conſtitutis Valentinis Inquiſitoribus P. Mag. Michaele de Monteruuio, & P. Mag. Didacus de Magdaleno Priore Taurenſe, & Vicario Congregationis de obſeruantia in Hiſpania, viro celeberrimo, præfecturis pluribus in Ordine aucto, à quo regularis obſeruantia, ipſo Prouinciali, in Hiſpania tota ſtabilita fuit, ſicuti Regeſta Magg. Generalium horum temporum plenam faciunt fidem. *Param.*

Cum cooperante, atq; Euangelij miniſtrorum linguam dirigente Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, atque

ad

ad veritatis agnitionem venire, in Aethiopiæ regionibus Patres noſtri ann. 1486. recenſiti copioſam meſſem in Eccleſiæ horrea congregarent, dolentes quod meſſis quidem multa, operarij autem pauci, inſtitère ipſi apud Prouincialem Portugalliæ, vt coadiutores euangelicos ſibi dare non differret, fructum vberrimum, quem in remotiſſimis regionibus illis catholica colligebat Eccleſia, in quibus & idola multa proſtrata, (eorumdem euerſis aris, & Altaria Ieſu Chriſto vero Deo erecta iam fuerant in neophitorum ſolamen) nunciantes. Non diſtulit fidei promouendæ negotium Prouincialis, ſed cunctis Ioanni Portugalliæ Regi nunciatis, ſex Euangelij præcones inclytos, atque inter eos proprium Confeſſariũ in Aethiopiam ſequenti anno ſtatim delegauit, vt dicetur. *Lopez.*

Non dormitabant, neque dormiebant, qui Chriſti gregem, ne inter oues electas ſerperet hæreſis virus, cuſtodiebant apud Dalmatas Inquiſitores noſtri; nam cum Boemos multos hæreſis labe infectos ex Alemania in Dalmatiam deſcendiſſe à P. Ioanne de Argentina in Saxonia Inquiſitore moniti fuiſſent, plures ex illis captos varijs pœnitentijs caſtigauère, pertinacibus alijs vltimo ſupplicio afflictis, ac peremptis. Horum autem Inquiſitorum nomina non referuntur à ſcriptorib. noſtris. *Ferrarius.*

In ſtryges quoque manus iniecère Inquiſitores ibidem: nam multas capientes, qui infantulos vexabant, & terræ fructus varijs modis inficiebant, vna die apud Iadram ſeptem igne in cœterarum documentum conſumpsère. *Ferrarius.*

ANNO 1490. Magiſter Generalis Ioachimus ſuas partes non omiſit in perſequtione hæreticorum, nouos Inquiſitores iuſtituendo, & inſtitutos minus aptos, atq; ſuo in munere dormitantes repertos, amouendo. Vnde P. Dominicum de Grignano Inquiſitorem Bononien. & P. Matthæum Inquiſitorem Veronen. ab officio Inquiſitoris amouit: Inſtituit autem P. Ioannem de Rapellis Inquiſitorem Ferrarienſem. P. Ioannem, Parmen. P. Petrum, Placentinum, & P. Gulielmum, in Regno Maioricæ, qui ex corde puritatem fidei conſeruare procurantes, hæreticos ex ſibi creditis ditionibus effugauère. *Ex Regeſt. eiuſd. Gen.*

In Hiſpania quoque, Gallia, Germania, Italiaque tota, vrgente ſuis literis Ioachino præfato, inſurgentes virili pectore Inquiſitores in Hæreticos, & Lamias, multa millia eorumdem corporaliter, vel in ſtatuis per ſæculare brachium, & manus carnificum combuſsère, innumerabiloſque ad Catholicam fidem per proprioꝛum errorum abiurationem, ſalutaribus impoſitis pœnitentijs, perduxère. *Lopez. p. 5. cap. 28.*

Virginitatis lilium nobiliſſimum cœlitibus datur hoc anno Beata Ioanna Alphonſi V. Portugalliæ Regis filia, vitæ ſanctitate mirabilis, quæ temporalibus regijs nuptijs contemptis, cæleſti ſponſo per mortificationem corporis, aſſidua ieiunia, cilicia, atque perpetuam mentis in Deum eleuationem iuncta eſt. Charitate maxima in pauperes flagrabat, quibus neceſſaria ſubminiſtrabat, mulieribuſque pauperibus pedes lauabat, tergebat, & oſculabatur. In Monaſterio apud Aueirum incluſa, & paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti meditationi aſſueta, meruit cœleſtibus viſionibus recreari. In cœlum euolauit miraculis, quæ refert Bzouius, coruſcans in Monaſterio Aueirenſi 12. Maij. *Bzou. in Annal. num. 7. & ſeqq.*

Eandem ad gloriam ſequuti ſunt Patres Dominicus Catalanus nobilis cœnobij S. Mariæ Gratiarum Mediolani conditor, & Stanislaus Kolkoka Polonus, ſalutis animarum ſitientiſſimi, qui vitæ ſanctitate venerabiles, linguæ, manus ſtudio, ſca-

ſcalam ad cœlos ſibi erexère. *Bzouius ibidem.*

P. Antonius Gislandius Lombardus Taurinen. Inquiſitor, vir doctiſſimus, atque hæreticorum malleus, licet muneri ſibi demandato totus incumberet (nam multos hæreticos ex vallibus Sabaudiæ, ſponte comparentes ab Eccleſiaſticis cenſuris abſolutos S. Matri Eccleſiæ reconciliauit, alijs iuxta culparum exigentiam ſeuerè punitis) quod ſibi ſupererat tempus ſacris ſtudijs dicabat. Quapropter ſcripſit volumen quæſtionum octomilliũ ſuper Euangelia totius anni, quod poſtumum in lucem prodijt Venetijs an. 1524 & iterum ibidem 1598. *Mirræus.*

P. Petrus Quare Gallus, Abbas Albæcuriæ inſtitutus, & Iano Borbonio Duci à ſacris confeſſionibus, à Carolo VIII. Galliæ Rege ad Pontificem Max. pro grauioribus negotijs miſſus, illa ad optatum finem perduxit, factus poſtmodum Arauxicani populi Paſtor. *Gallia Chriſt. tom. 2.*

ANNO 1491. P. Ferdinandus de S. Dominico Inquiſitor Abulenſis rigoroſum proceſſum formauit contra Iudæos, qui apud oppidum Guardiæ innocentem puerum in odium Chriſtianorum ſacrificauerant crucifixum; & tanti ſceleris auctores, Abulæ Sedens pro tribunali, in actu fidei ſolemniſſimo, adſtante ſupremo Inquiſitore coram copioſa populi vtriuſque ſexus multitudine in publico foro, ſæculari brachio viuos comburendos tradidit. Quo facto, de expellendis è Regnis Hiſpaniæ Iudæis tractatum eſt à P. Thoma de Turrecremata ſupremo Inquiſitore cum Catholico Rege, & Regina, & concluſum. *Fernand. in Concertat. ad an.* 1483.

Cum Segobien. & Calaguritanus Epiſcopi, eorumque parentes, ac conſanguinei, & perſonæ Eccleſiaſticis dignitatibus illuſtres criminis hæreſeos apud Aragoniæ Inquiſitorem Generalem accuſati, per viam interpoſitæ ad Pontificem Max. appellationis, voluiſſent illius ordinarium forum declinare, & in Romana Curia cauſam diſcuti, reſtitit pro officio P. Thomas de Turrecremata ſupremus Inquiſitor, animaduertens eam prouocationem ſuffugiendæ iuſtitiæ interpoſitam eſſe, maximiq; ſcandali occaſionem præbere. Quapropter de hoc negotio ipſe, & Rex cum Regina Innocentium Pontificem certiorem fecèrunt: & ne ordinariam Inquiſitorum S. Officij iuriſdictionem per inania effugia in vilipendium aliqui adducere auderent, flagitarunt. Pontifex cauſam commiſit cognoſcendã Apoſtolico apud eoſdem Reges Nuncio cum P. Thoma præfato; ea tamen lege, vt fabricatum proceſſum iudiciarium contra Epiſcopos Apoſtolicæ Sedi integrum tranſmitteret, ab eadem Sede decretum, & ſententiam expectaturi. De alijs verò non Epiſcopis, Inquiſitor ex officio decerneret, prout factum eſt. *Bzou. num. 3.*

Mittuntur à Ioanne II. Luſitaniæ Rege præter recenſitos an. 1486. P. Aluarus eidem à confeſſionibus, & quinque alij ex Præd. probatæ vitæ, & virtutis viri de Prouincia Portugalliæ ad Regna Gongi, qui Catholicam fidem prædicantes, Reges Gongi ad eandem, medijs ſacris ablutionibus, amplexandam, cooperante Deo induxerunt cum magna Procerum Regni multitudine, copioſiſſimaque populi frequentia; Regem quidem, Ioannem; Reginam verò, Eleonoram, & primogenitum illorum, Alphonſum, nuncupantes, in memoriam Regum Luſitaniæ viuentium. Innumera Idola igne conſumpsère, atque Eccleſiam grandem ſub inuocatione S. Crucis ibidem 5. Nonas Maij, iactis fundamentis, conſtruxère, quę Epiſcopalis Sedes effecta eſt. Ibique noſtri Prædicatores per annos quinquaginta conſiſtentes, maximos Chriſti Eccleſiæ fructus

fructus dedère. *Fernandez in Hiſt. Eccleſiaſt. & Bzou. num. 5. Spondan. n. 7.*

Ioachinus Magiſter Generalis, zelo Catholicæ fidei promouendæ, Inquiſitores in ſuo exequendo munere tepidos, à tribunali Inquiſitionis depoſuit; inter quos recenſentur P. Io. Anemori ab Inquiſitione Prouinciæ; & Pater Nicolaus Gallus à Carcaſſonenſi, amoti; inſtitutis Inquiſitoribus P. Io. Botzin apud Brandeburgum,& P.Thoma Heron apud Germaniam, & P. Ioanne Gallo apud Carcaſſonam. *Ex Regeſt. eiuſd.*

B. Iacobus de Vlma Germanus cognomento Alanus. Conuerſus Bononiæ cœlo datus eſt religione, virtutibus, vitæque ſanctitate mirabilis, qui corpus domans quotidianis ieiunijs, & diſciplinis ad ſanguinem, ſpiritui ſeruire coegit vſq; ad mortem. Claruit multis miraculis in vita, & poſt mortem, relatis à Bzou. ſub anno num. 9.

Ferdinandus Hiſpaniæ Rex de Conſilio P. Thomæ de Turrecremata ſupremi in Hiſpania Inquiſitoris, proprijque Confeſſarij, ac Reginæ Iſabellæ, Granatam, Maurorum metropolim, inuadit, obſidet & poſt octo menſium obſidionem duram expugnat, atque deditione accipit: & ſic Maurorum in Hiſpania dominium poſt 740. ferè annos ab illius, per eos, inuaſione finem habet: illic nihilominus multis, ſed abſque proprio Rege, remanentibus. *Lefebure in Manuali Hiſtorico.*

Ex latebris latitantes hæretici nouiter erumpentes in Septentrionalibus Regionibus, Catholicam fidem plurimùm inficiebant. Quare Ioachinus Turrianus Magiſter Ordin. annuente Innocentio VIII. eorum audaciam compreſſurus, Generalem Inquiſitorem in diœceſibus Brandeburgen. Lubucen. Harel. Gergen. & Caminen. creauit P. Magiſtrum Ioannem Botzyn, in Capitulo Generali, hoc anno celebrato, Diffinitorem, cum voto totius Capituli; qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, ad exequendam præfecturam ſibi commiſſam gradu feſtino properauit, tanto cum Catholicæ fidei incremento, vt multis hæreticis condignis ſupplicijs affectis, alijs perterrefactis, nullus eſſet, qui ſe hæreſi inquinatum dicere auderet. *Ex Regeſt. eiuſd. Mag. Ord. & Plod.*

ANNO 1492. Ianuarij 2. Granatam Maurorum metropolim deditione cum Arce acceptam ſolemni pompa ingreditur Ferdinandus Hiſpaniæ Rex inclytus (Boabdile eorum Rege abeunte) cum Iſabella Regina, Principibus, Magnatibus, nec non & P. Thoma de Turrecremata proprio confeſſario, atque Hiſpaniæ ſupremo Inquiſitore, & cum Religioſis pluribus diuerſarum Religionũ ad Maurorum conuerſionem ibi relictis. *Spondan. & Bzouius.* 1.

Gratulante Romano Pontifice Innocentio cum tota Chriſtiano orbe de tam inſigni victoria contra Mauros reportata,cogitauerunt glorioſiſſimi Reges prædicti Ferdinandus, & Iſabella, ſuadente pluries noſtro Turrecremata confeſſario de eijciendis etiam ex Regnis Hiſpaniæ, ob crucifixionem innocentis pueri ſuperiori anno factam, impijs hebræis. Quare Regio edicto promulgato menſe Martio, ex vniuerſa Hiſpania pelluntur quibus aurum, aut gemmas Regno exportare vetitum eſt; bonorum ſuorum dumtaxat commutatione mercium permiſſa: quod edictum noua P. Thomæ de Turrecremata Inquiſitoris ſanctione menſe Aprili promulgata apud Toletum arctius tenuit quo Chriſtianis omnibus, vetuit cum ea gente commercium; graueque ſupplicium comminatus, ſi quis decurſo nouem dierum tempore, victu, aut re aliqua eos iuuaret. Abière igitur ex Hiſpania in Africam; variaſque Orbis partes hebræorum familiæ ſupra centum ſeptuaginta millia. *Spondan. num.* 3.

Interim

Interim ob hæc egregia facta Innocentius VIII. Pont. Max. Ferdinando, atque Iſabellæ Regibus *Regum Catholicorum* titulum, tanquam proprium eorum Coronæ tradidit, quem Alexander VI. Innocentij ſucceſſor eiſdem, & ſucceſſoribus Hiſpaniarum Regibus confirmauit, *Spondan. num.*

Chriſtophorus Columbus Ligur interuentu P. Didaci Dezæ primarij profeſſoris ſacræ Theologiæ in Salmantina Academia Regis auſpicijs menſe Auguſto ad nouum orbem detegendum,ſacroq;Euangelio imbuendum nauigationem ſuſcepit. *Lefeburè in manual. hiſtor. Spondan. n. 7. an. ſuprad.*

Magiſter Generalis Ioachinus, puritatis catholicæ fidei zelator feruidus plures Inquiſitores inſtituit, alijs à ſuo officio amotis, tanquam minùs aptis. Et quidem P. Petrus Tullen. Inquiſitor, cum omnibus officialibus Inquiſitionis in Regno Siciliæ ſuis muneribus priuatus fuit, inſtitutis P. Gaſpare Grunendualdt Friburgen. Inquiſitore apud Argentinam: P. Alexio, apud Viennam; & P. Stephano, in Aſten. diœceſi,qui tanquam canes Domini peruigiles, Chriſti gregem à rapacibus lupis hæreticis defenſarent. *Ex Regeſtis eiuſdem Mag. Ord.*

P. Thomas Donatus in vita regulari apud S. Dominicum de Venetijs enutritus, Venetijs nobili ex Senatoria familia natus, promouètur à Pontifice Alexandro VI. nouiter electo, ad Patriarchatum Venetiarum die 14. Nouemb. vir verè pius, verè doctus; qui prudentia, ac dexteritate mirabili annos duodecim ſibi datam Eccleſiam cum fideli populo illius rexit. P. Alphonſus de S. Cypriano autem factus eſt Libarien.Paſtor in partibus infidelium cum prouiſione Abbatiæ nuncupatæ S. Frontonis extra muros Zamorren. cum facultate exercendi pontificalia (de conſenſu tamen Epiſcopi) in Zamorren. diœceſi. *Ex Actis. Conſiſt. eiuſdem Alexand. VI.*

P.Mag. Gaſpar Grunenuald eodē anno ex Argentina pro nutante, labenteq; Catholica fide apud Heluetios, in populis illis confirmanda,mittitur à Magiſtro Ordinis Turriano, annuente Pontifice cum literis patentibus Generalis Inquiſitoris in Heluetiam,datis Romæ 17.Iunij, qui in Heluetiam profectus Baſileæ reſedit, multoſque hæreticos igne conſumpſit; at tandem inualeſcente ſupra modum hæreſi, poſt plurima tolerata mala inde abire fuit coactus cum cœteris Fratribus Ordinis ibidem commorantibus. *Ex Regeſtris Mag. Ord.*

ANNO 1493. Hæreticorum audaciam compreſſurus Magiſter Generalis Turrianus,fideiq;integritati conſulturus in vltromontanis partibus, P. Nicolaum mirabilem, virum doctiſſimum, ac verè mirabilem, Generalem Inquiſitorem Hungariæ: P. Eliam Guiberti, Aquitaniæ: & P. Ioannem Coſart Galliæ, Generales Inquiſitores inſtituit, & P. Bernardum Granellum Ianuenſem nominauit. *Ex Regeſtris eiuſdem Mag. Generalis.*

P. Io: Coſart præfatus Galliæ Generalis Inquiſitor, quendam hæreticum ex Vualdenſibus Sacerdotem, Ioannem Angleſium dictum, qui poſtridie feſtiuitatis Corporis Chriſti celebranti Sacerdoti Pariſijs in Eccleſia Cathedrali B. Virginis Mariæ, Sacratam Hoſtiam abſtulerat, & deiectam in terram ſacrilegis pedibus conculcauerat, proceſſu inſtructo ſæculari brachio pertinacem relaxauit, atque in foro porcario, igne conſumptum vidit. *Spondan. num. 5. anni anteced.*

Ex ſacris Ordinibus, Benedictini, Auguſtiniani, Franciſcani, atque Prædicatorum multi ſeliguntur, viri inclyti, qui Apoſtolica, atque Regia auctoritate mittuntur ad Indos pro populi illis conuertendis

tendis ad Catholicam fidem, Eccleſijſque ædificandis. *Bzou. in Annal. num.* 22.

Sanctorum Confeſſorum cœtui ſociauit hoc anno Dominicana Religio tres glorioſos Sacerdotes, Ioannem de Piſtorio. Iacobum de Sexto, & Auguſtinum de Bugella, quorum prior ex ſubulco apud Vrbeuetanos Religionem profeſſus, & Lutetiam ſtudiorum cauſa miſſus ita in illis profecit; vt zelo prædicandi verbi Dei Vniuerſam fere Italiam ad audiendum aſtraxerit tantæ demiſſionis vir vt oblatum ab Innocentio VIII. Aquilanum Epiſcopatum conſtanti pectore recuſauerit & ſingulas Orationis feruore ita apud Deum valuit, vt Dalmatia, indictis triduanis ſupplicationibus, à peſte liberauit. Prædicta ſui obitus die, apud Lucam in verbis illis. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, perrexit ad Chriſtum. *Bzou. num.* 32.

P. Iacobus verò de Seſto in ſæculo profeſſione medicus, defuncta vxore ante ſolemnitates matrimonij peractas, vale dicens mundo, Papiæ Dominicanam togam induit ſub rigoroſa obſeruantia viuens, cunctis amabilis, ſibi ſoli auſterus Infirmis nocte dieque manibus ſuis miniſtrabat, Angonizantibus vſque ad emiſſionem ſpiritus aſſiſtendo, orationeſque efficaces pro eis fundendo, Luciam Galeatis Ducis Mediolanenſis amica, nulla ratione, etiam minitante illi mortem Duce abſolutione Sacramentali donari permiſit; tandemque ſeptuagenario maior miraculis clarus cœlos adijt. *Bzou. ibidem*.

Tertius autem Auguſtinus de Bugella innocentia, vigilijs orationibus, abſtinentijs, ieiunijs, cœteriſque virtutibus ornatus, & ipſe cœlos hoc anno conſcendit, cui familiare fuit oranti, à terra in altum ſubleuari, lacrymarum dono abundare, Dœmonum tentamenta eludere, ſola oratione obſeſſos liberare. Apud Soncinum puerum, defunctum ſine ſacro baptiſmate, ad vitam reuocauit. Apud Vigleuanum Dœmonia ex obſeſſo corpore fugauit, & tandem Venetijs mortalitatem exuit, in æterna immortali vita cum Chriſto fœliciter regnaturus. *Bzou. ibidem*.

Ad compeſcendus hæreſes, quæ in Auſtria pullulabant, atque in dies incrementa ſumebant, P. Ioachinus Surrianus Mag. Generalis ex Pontificis Max. decreto Generalem Inquiſitorem in Auſtriam delegauit, P. Michaelem Franciſci S. Theol. Magiſtrum famoſum de Conuentu Inſulenſi aſſumptum, qui lorica charitatis amictus, atque ſalutis populi illius ſitientiſſimus hæreticos, lingua, calamo, ferro, & igne, inſectatus ex ſibi credita ditione fugauit. *Ex Reg. Mag. Ord.*

ANNO 1494. Inſtituti ſunt noui Inquiſitores contra hæreticā prauitatem à Ioachino Mag. Generali; & quidem P. Io: Fabri factus eſt Tullenſis in Gallia P. Michael de Medijs Aſtenſis, in defuncti Stephani locum, ſuperiori anno prompti. *Ex Regeſt. eiuſdem Ioachini*.

Eodem anno Alexander Pontifex datis literis Romæ apud S. Petrum, ad P. Angelum de Verona Lombardiæ Inquiſitorem eidem præcepit, & alijs Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, vt ipſi ſoli procederent contra maleficos magos incantatores, vanarumque ſuperſtitionum obſeruatores, eoſdemque iuxta canonicas leges ſeuerè punirent. *Ex directorio Inquiſ.*

P. Cyprianus Benetus de Prouincia Aragoniæ vir doctiſſimus, contra quoſdam Apoſtolicæ auctoritatis contemptores ſcripſit librum eruditiſſimum *De prima Orbis ſede. De Concilio, & de Eccleſiaſtica Poteſtate*, In quibus ſummi Pontificis auctoritatem tuetur. *Fernandez inter ſcript. Hiſp.*

Apud Pragam, Rege Vuladiſlao à multis

multis annis in Hungaria abſente, quidam Titularis Epiſcopus catholicus ad hæreſim Boemorum deficiens Huſſitarum hæreticorum Concionatores, ſeu Prædicantes audiebat; deductus autem ad vltimos vitæ halitus ſenex auarus, & delirus, efflans animam dixit. *Si non poſſum ſalutem aſſequi vt malus Chriſtianus; ſaltem ſaluari queam, vt bonus Marranus*. Quare à P. Nicolao Mirabili Generali Inquiſitore in Hungaria exhumatum corpus eius publico igni traditum eſt comburendum. *Spondan. n.* 11. *& Lucarin. in Chron.*

Picus Mirādulanus preſtantiſſimus ſui ſæculi vir, dum vale dicere mundo, & pompis eius ſe præparat, Dominicanam togam ſumpturus apud S. Marcum de Florentia manibus P. Hieronymi Sauonarolæ, viri Religioſiſſimi, atque tunc in magna æſtimatione apud principaliores Florentinæ Rempublicæ habiti, properante morte, in eodem Religioſo habitu populo exponi, & ſepeliri voluit in cœmeterio S. Marci cum alijs religioſis illius cœnobij anno ætatis ſuæ 34. *Bzou. n.* 23.

In maximas ſuo valido exercitu anguſtias redegerat Carolus Galliæ Rex Florentinos, obſidione vallata vrbe, ambiens totius Florentinæ Reipub. dominium abſolutum; militibuſque iam ad prædam omnia vrbana conceſſa fuerant; & nequis conſilijs ſuis intercederet, eo die, quo ferale edictum miles exequturus erat, aditum ad ſe omnibus præcluſerat. Tunc Sauonarola Florentinorum miſertus calamitates, vt ab eis, in vrbis vaſtatitone, ſtupra, rapinas, flammas, incendia, ſacrilegia, malaque omnia immientia auerteret, ieiunio, & orationibus Fratrum ſuorum armatus, populoque iam vehementi timore conſternato, ad diuinam flagitandam miſericordiam feruentiſſimis exhortationibus excitato ad caſtra proceſſit, & per excubiarum ſtationes ad papilionem Regis penetrauit. Ibi Crucifixi paruam imaginem ante illius oculos obiecit, & Carolo ne Florentiam opprimeret, neque contra illius libertatem aliquid moliretur apoſtolicâ libertate edixit. Intuebatur Rex vultum loquentis, tanquam vultum Angeli ſtantis apud ſe, & timore conſtratus, ſoluta obſidione, paucos poſt dies Florentia diſceſſit, reſtituta ad ſuaſionem P. Hieronymi Sauonarolæ Florentinis libertate. *Bzou. num.* 30.

Datur cuſtos, director, & Paſtor Eccleſiæ Armenæ, populique illius P. Baptiſta Armenus poſt Benedictum, qui commiſſum ſibi populum in pia affectione erga S. Matrem Eccleſiam fouit, & rexit vſque ad annum 1510. quo laborum ſuorum mercedem percepit. *Galanus*.

ANNO 1495. Cum eiecti ex Hiſpania Iudæi ad varias orbis partes declinaſſent, quidam ex eis in Hungariam ſecedentes, apud Tirnauiam pedem fixerunt, vbi cum per aliquod tempus manſiſſent, duodecim viri cum duabus mulieribus, erga catholicos ob expulſionem propriam ex Hiſpania peſſimè affecti apprehenſum innocentem puerulum, obſtructis faucibus miſerrimè ſtrangularunt, & apertis venis, eius ſanguinem, dum animam ſenſim efflabat partim abſorbuerunt, partim alijs abſorbendum aſſeruauerunt, corpore membratim diſſecto, humique defoſſo. Cum autem diu à patre quæſitus puer non inueniretur, denunciauit ei quidam, antecedenti die per Iudæorum vicum ambulaſſe illum: quare contra eos perquiſitione facta, ex recenti ſanguine in terram effuſo compertum eſt immane delictum. Re ad P. Nicolaum Mirabilem Inquiſitorem Generalem in Hungaria delata, cauſam, tanquam ſibi propriam recognouit, ac tormentis veritate facti ex malefactorum linguis exorta, brachio ſæculari viuos cunctos quatuor decim comburendos tradidit.

didit. *Bzou. num. 36. ann. anteced. & Ferrar. de Hungar. Prou.*

Feruenti ſpiritus ardore prædicabat Florentiæ P. Hieronymus Sauonarola, vt Florentini ab omni via mala prohiberent pedes ſuos, prædicens iratum Deum ſuper ipſos, & ciuitatem euaginaturum ſuæ iræ, ac vindictæ gladium; at cum ipſi grauati corde prædicanti aures non porrigerent beneuolas, prænunciata damna experiri coacti ſunt, amiſſa libertate, extraneoq; milite Italiam, & Vrbem propriam inuadente, ac deuaſtante. *Ex eius vita, & Bzou. in Annal.*

P. Gaſpar Fagol Ilerdenſis Iudæorum, ac Mahumetanorum audaciam frænaturus, doctrina, atq; eruditione conſpicuus, de Prælatorum ſuorum conſilio euulgauit librum contra Iudæos, eorumque ſomnia, & contra Mahumetanorum ſectam, & illorum impios ritus: alterumque de articulis Catholicæ fidei, ac Sacramentis S. Matris Eccleſiæ. *Diag. & Plod.*

Offertur cœlo hoc anno fructus ſuauiſſimus à Dominicana Religione, Sanctorum genitrice fœcunda B. Sebaſtianus de Brixia, qui in regulari exacta obſeruantia enutritus, plura cœnobia in Lombardiæ Prouincia in priſtinum religioſæ vitæ nitorem reuocauit. Linguæ obſeruantiſſimus cuſtos, nonniſi de Deo, proximorum ſalute, aut cum Deo loquebatur. Verbi Dei prædicatione, atque ſacramentalis confeſſionis audientia plures in via Dei adoptauit ſibi filios, ex quibus multos ante ſe permiſit ad gloriam, reliquis amiſſionem tanti patris inconſolabiliter deflentibus. Vixit in maxima vitæ auſteritate, ſeuerè corpus domitans, vſq; ad ſuum felicem ad cœlum tranſitum, qui illi contigit Genuę apud Caſtellum, in vita, & morte miraculis corruſcando. *Plod.*

Fructus afferebāt multiplices in patiētia apud Indos noſtri Patres Miſſionarij ſupra recenſiti; nam eorum linguam edocti, Chriſtum Crucifixum publicè prædicabant, & Spiritu Sancto cooperante, multi relictis Idolis, vero Deo per aſſumptionem ſacri Baptiſmatis adhærebant; Patribus per ſacram prædicationem eos vocantibus, Religioſiſque Conuerſis eorum ſocijs in Apoſtolico miniſterio datis, in fidei articulis inſtruentibus, atq; Chriſtiana cathecheſi eos erudientibus: vnde breui annorum decurſu confractis Idolis, eorundemque aris euerſis, ſacroſanctum Crucis vexillum plantatum eſt inter eos, templis conſtructis, altaribus erectis, necnon & Religioſorum cœnobijs in eorum ſpirituale ſolatium fabricatis. *Ex relat. ad Mag. Ord. datis.*

ANNO 1496. P. Hieronymus Sauonarola prædicto Maximiliani Imperatoris receſſu ab inuaſione ſtatus Florentini, publicam ſupplicationem indixit in gratiarum actionem: & ad implorandam diuinam miſericordiam, excitandamque Florentinorum pietatem, maximo cum animarum fructu, facta eſt hæc in die Palmarum tali modo. Summo mane innumerabilis vtriuſque ſexus multitudo in S. Marci Eccleſia Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum, & oliuæ palmam è manu Sauonarolæ accepit; poſtmodum proceſsère cuncti ad Cathedralem Eccleſiam ad audiendam concionem, vbi tanta puerorum multitudo confluxit, vt omnes gradus circum circa parietes in modum amphiteatri occupauerint. E templo B. Virg. Annuntiatæ pueri maſculi ad octo millia albis induti ad S. Marcum proceſſerūt, vbi paruula cruce rubicunda accepta ad S. Io: via maiori bini, & bini inceſſerunt tanto ordine, modeſtiaq; vt Angeli viderentur. Interſerebatur ſub vmbella Imago Chriſti, aſello inſidentis, cui plurimi ſuſternebant veſtimenta in via; alij verò ramos oliuarum cædebant, pueri verò præibant & ſequebantur cantantes; *Oſanna*

na Filio Dauid. Benedictus,qui venit in nomine Domini. Deferebatur poſtea imago Beatiſs. Virginis Genitricis Dei Mariæ, cuius capiti diadema impoſitum Angeli ſuſtentabant: ſubſequebantur alij pueri Angelicos ſpiritus repreſentantes,& diuinas laudes concinentes. Succedebant cœnobiorum Regulares,& Clerus,quem infinita populi multitudo ſequebatur deferentis crucem rubeam,ramumque oliuæ: Deinde Virgines innumeræ albis indutæ, ſertum geſtantes in capite. Poſtmodum nobiles matronæ, & poſt ipſas, mulierum multitudo magna, cum ſilentio maximo, ita vt,nec verbum quidem audiretur præter vocem puerorum clamantium *Viuat Ieſus Chriſtus Rex noſter*. Fluebant vberrimæ compunctionis lacrymæ ex oculis cunctorum, omneſque ſpirituali gaudio perfuſi,exiſtimabant ſe choris Angelorum intereſſe. Procedentes igitur per nobiliores vias, & plateas,ad Cathedralem Baſilicam venerunt, vbi ſinguli corda ſua, ſeque Deo vouerunt, ſalutem propriæ Reipublicæ Deo commendantes. Pueri verò eleemoſynas à populo petentes, tantam auri quantitatem, torques,annulos,monilia, gemmas, veſtes, & argentum collegerunt, vt ex eis quatuor montes, dicti Pietatis,pro pauperum neceſſitatibus erecti ſint;(& hanc occaſionem nactus Sauonarola cum Vrbis Magiſtratu, vt Florentia Iudæi fœneratores pellerentur, egit.) Inde ad S. Marcum reuertentes, à noſtris Prædicatoribus humaniſſimè fuerè recepti, & ſic proceſſio terminata. *Bzouius num.* 10.

Eodem anno in Luſitania nouus Rex Emmanuel, cum primò Iudæis ex Hiſpania egreſſis, quos Io. eius deceſſor certis conditionibus, & ad certum tempus receperat,eo quod hoc præterijſſent, in ſeruitutem redegerat, omnibus libertatem reſtituiſſet; poſtea tamen ad finem huius anni in gratiam Catholicorum Regū Hiſpaniæ Fernandi,& Iſabellæ necnon & impellente P.Georgio Bogato cōfeſſario eiuſdem Emmanuelis, nouum edictum in Mauros,& Iudæos promulgauit; vt quotquot ex eis Luſitaniæ in Regno eſsēt, toto Regno abſcederent, ſeruitutis pœna impoſita tranſgreſſoribus, infra ſtatutū tempus edictum violantibus: & Mauri quidem in Africam continuò tranſmigrarunt; Iudæi verò cum idipſum præſtare decernerent,ne tanta animarum multitudo in æternum periret, nouo decreto ſanxit Rex Emmanuel, pueros, qui nondum quintumdecimum ætatis annum exceſſiſſent, à parentibus auelli, & in Chriſtianæ Religionis diſciplinam tradi. Quod tantam moleſtiam eorundem parentibus attulit, vt aliqui proprios filios in puteos proiecerint ſuffucandos, multique ſuis manibus ſibi mortem intulerint. Multa igitur Catholicæ fidei bona prouenère ab hac Iudæorum eiectione ex Luſitania, à Fratribus Prædicatoribus Thoma Turrecremata Regum Hiſpaniæ, & Gregorio Bogato Regis Luſitaniæ,Confeſſarijs procurata. *Spondanus num.* 4. *Lefeburè*, & *Fernand.*

Alexander VI. Pontifex P. Thomæ Donato Patriarchæ Venetiarum per Apoſtolica ſcripta mandauit reformationem Monaſterij Monialium S.Maphæi de Maiorbo Ordinis Ciſtercienſium cū auctoritate corrigendi, cæteraq; præſtandi, quæ ad earundem Monialium reformationem neceſſaria ſibi viderentur, datis litteris Apoſtolicis apud S.Petrum 22. Maij. *Vghell. Ital. Sac. tom.* 5. *inter Patriarch. Venetos*.

Generalis Inquiſitor in Germania P. Henricus Inſtitoris, Theologiæ Doctor inſignis, de quo ſupra ad annum 1484. præter librum prænotatum *Malleus maleficarum* contra Lamias. Scripſit contra hæreticos, & illos, qui aſſerunt ſacram Euchariſtiam adorandam eſſe ſub conditione, & contra negantes illam eſſe Sacramentum.

mentum. Scripſit quoque *De poteſtate Papæ* contra librum Antonij Roſelli. *Miræus Biblioth. Eccl.*

Peſtis ſæuiſſima vltimis huius anni menſibus apud Florentiam, populo illo duræ ceruicis P. Hieronymi Sauanarolæ monitionibus aures non præbente exorta, tantùm ibidem, atque adiacentibus in ciuitatibus,caſtriſq; inualuit, vt multa hominum millia, hoc & ſequenti anno ex omni genere ſibi ſubdita interire viderent Florentini: qui tamen non propter hoc ab inteſtinis, ciuilibuſque odijs ſe elongantes, Deo adhærebant. Prædicabat Sauanarola flagellum illud eſſe irati Domini vltionem maximam, ad emollienda illorum corda, vt à laqueis diaboli, à quo captiui tenebantur, pedes ſuos auerterent; at cum nihil proficeret, prædicta, ac nunciata publicæ libertatis amiſſione, necnon exteri militis ſuper eos irruptione, ſe cum ſocijs ſuis ad animarum ſalutem procurandam totum applicuit, cum Congregationis S. Marci regimen obtineret. Diuiſos igitur in partes plures Patres ſuos ex eodem conuentu, ac Feſulano euulſos, per ciuitates, & Caſtella circumadiacentia binos, & binos, tabo languentes populos Eccleſiaſticis Sacramentis refecturos miſit, qui ab eiſdem tanquã Angeli de cœlo in animæ, corporumque ſubſidium, ac ſalutem miſſi, ſuſcepti, ſpiritus conſolatione maxima percepta, à peccatorum laqueis ſoluti, cœleſtique pane confortati, in fortitudine cibi illius ad montem Dei properabant. Quæ autem charitatis ſummæ officia præbebant filij exteris, adimplebat Hieronymus ipſe in ciuitate, Florentinum populum Sacramentorum miniſterio in viam ſalutis dirigendo; etiam ex eis plures, quos ſibi offenſiſſimos agnoſcebat; quibus proprijs manibus cibos, & medicamina, ac precibus, ſanitatem dabat. At tantum bonum fidelibus collatum non fuit ſine damno, (ſi damnum dicere fas eſt) Ordinis, nam multi ex eiſdem Patribus, imò & principaliores in charitatis illo miniſterio deficientes, atque ad cœleſtes manſiones properantes, conueſitus præfatos deſolatos penè reliquère, ipſo Sauanarola à Deo ad maiora ſubeunda certamina ſuperſtite reſeruato. *Picus Mirandulan. in eius vita.*

ANNO 1497. Maximæ conſpirationes factæ ſunt, (Deo, cuius iudicia inſcrutabilia, ita permittente) in F. Hieronymum Sauanorolam, quam in hunc modum refert in Annalibus Eccleſiaſticis Spondanus, vt Bzouium, profeſſiones Dominicanum, omittamus. *Erat Ludouicus Mediolani Dux hoſtis acerrimus Reipub. Florentinæ, quæ ad popularem ſtatum hortationibus Sauanarolæ redacta, eiecto Petro Medicæo, in pace quieſcebat, & à Sauanarolæ ore pendère videbatur; oderat propterea illum Ludouicus.* Pauciſque interiectis idem Spond. hiſtoriam ſic proſequitur. *Propterea que egit cum Alexandro Pontifice per fratrem ſuum Cardinalem Aſcanium, vt Sauanarolam, tanquàm eidem Alexandro non benè affectum, & contra deprauatos Eccleſiaſticorum mores prædicantem, Romam euocaret, atque morti traderet. Miſit quendam Florentiam Alexander, qui Sauanarolæ conciones, & inſtituta exagitaret: At ille ſolis operibus charitatis, & peccatorum conuerſioni deditus videbatur, inter quos Marſilium Ficinum Canonicum Florentinum, Platonicum magis, quàm Catholicum, & Nicolaum Scombergum nobilem Sueuum, iuri tunc operam dantem, quem ad Chriſtum per pænitentiam attraxit, & hunc Dominicano habitu induit, ad ſacram purpuram poſtmodum euectum. Videns autem quia nihil proficeret, in Vrbem reuerſus, cum Card. Aſcanio egit, vt Alexander Pontifex Romam Sauanarolam euocaret, & prædicantem contra Eccleſiaſticorum deprauatos mores caſtigaret, in quibus plerum ſanitas non*

tas non erat.) Præcepit igitur illi Pontifex per Ioachimum Magiſtrum Generalem, vt in vrbem ſe conferret; qui pertimeſcens inſidias Petri Medicei, atque Alexandri Sfortiæ Card. in Curia Romana exiſtentium, propriæ vitæ conſulturus, venire renuit; metum mortis in itinere ſibi infligendæ ab aduerſarijs pro cauſa adducta. Iratus Pontifex præcepit Florentinis, vt Sauanarolam ſibi vinctum traderent; quod cum ab illis conſequi non poſſet, ipſum excommunicatum declarauit, & munere concionandi priuauit, quia Romam venire contempſiſſet, peruerſam doctrinam prædicaſſet, atque vnioni quorundam conuentuum cum Congregatione Lombardiæ aſſentiri noluiſſet: Obediuit Alexandri mandatis Sauanarola, & à menſe Maio, quo hæc geſta ſunt, vſque ad feſtum Epiphaniæ ſequentis anni à munere prædicandi abſtinuit. Spondan. in Annal. num. 4. 5. & 6.

Reclamante Veneta Republica apud Alexandrum pro compeſcendis Clericorum deprauatis moribus, Pontifex per Apoſtolicas literas mandauit P. Thomæ Donato Patriarchæ Veneto, vt in Clericos criminoſos, etiam læſæ Maieſtatis reos, intra Venetum Dominium ſeuerè procederet, expeditis litteris apud S. Petrum Ianuarij 25. die. *Vghell. tom. 5.*

Eodem anno P. Thomas de Turrecremata propriæ quietis cupidiſſimus, præfecturam Generalem S. Inquiſitionis in Regnis coronæ Hiſpaniarum dimiſit, & plures Eccleſias, etiam maiores in Hiſpaniæ partibus ſuſcipere renuit, cui in eodē ampliſſimo munere ſuffectus eſt P. Didacus Deza Taurenſis, tunc Ghiennenſis Epiſcopus, qui in prouinciarum tribunalibus nonnullos Prædicatores inſtituit: & quidem Valliſoleti P. Petrum de Mendoza; Cantabriæ P. Antonium Amaya; & Cæſarauguſtæ P. Paſchalem Iordanum. *Paramus.*

Euehitur hoc anno P. Paſchaſius de Fontepudico ad Archiepiſcopalem Sedem Burgen. Vir religioſiſſimus, qui ſibi creditas oues raro ſanctitatis exemplo per viā ſalutis dirigere nunquam deſtitit; cumque pedeſter ad Lateranenſe Concilium perrexiſſet, in Vrbe deceſſit, relicto in Romana curia apud pauperes ſui deſiderio. *Plod.*

P. Raynaldus de Montauro Netinus Siculus nobili loco natus, atque ſcientia clariſſimus ab Alexandro Papa VI. Generalis Commiſſarius S. Cruciatę creatus eſt, tam in Sicilia, quàm in coadiacentibus Inſulis; necnon & Collector decimarum ex redditibus Eccleſiaſticis pro Ferdinando Rege in Auxilium Africani belli: factus quoque Abbas S. Mariæ de Arcu; vt Monaſterium illud in antiquum nitorem reſtitueret. *Pyrrus Sicil. Sac.*

ANNO 1498. Agitur cauſa Sauanarolæ per Pont. Alexandrum, qui omnimodè illū in ſua poteſtate vinctum volebat, morte afficiendum, & Florentini, ad reliqua imperterriti quanquā hactenus ſtetiſſent pro Sauanarola velut auitæ libertatis vindice, nihilominus *Ob cauſam Piſanæ reſtitutionis, quæ agebatur, Pontificem ſibi beneuolum habere volentes ceſſerunt: ſic demum Sauanarola & cauſa cecidit, & vita.* Inquit Spond. Laborabat tunc Florentina Reſpublica diſſidijs ac tumultibus inteſtinis, & quanquam pars maxima concionibus ac præſagijs Sauanarolæ adhęreret, non tamen deerant qui culpam tantorum motuum in ipſum conijcerent, & palam ceu falſum Prophetam traducerent. His acceſſerat grauis & implacabilis Alexandri Pontificis indignatio, quòd putaretur Sauanarola, irreuerenter eius perſona & acta pro concione perſtrinxiſſe. Ex aduerſo contendebant alij feruorem ac Spiritum Heliæ reuixiſſe in Sauanarola, clamare pro ipſo inconcuſſam totius anteactæ vitæ innocentiam, reformationis ſtudium indefeſſum, conſiliorum pro ſalute publica inflexi-

inflexibilem rectitudinem omni humano reſpectu vacuam; cui proinde graues æmuli deeſſe nequeant. Suſpenſus igitur fuit patibulo cum duobus ſocijs F. Hieronymus Sauanarola in vigilia Aſcenſionis Domini, quæ in 23. diem Maij incidit ex Magiſtratuum Sententia in eum prolata, cadaueribus ignè conſumptis, cineribuſque in Arnum proiectis. *Quod mortis genus à Sauanarola fortiter perpeſſum, nulla tum alia vel delicti, vel innocentiæ ſignificatione data, iudiciorum varietatem in hominibus generauit, alijs fallacem illum, alijs verum, & pium iudicantibus, qui confeſſionem editam aut commentitiam, aut in eius conſtitutione corporis admodum delicata, plus tormentorum vim, quam veritatem potuiſſe excuſabant. Ita rem enarrat Guicciardinus ibidem Florentiæ tunc agens; cuius ſi vera fuerit relatio de Sauanarolæ confeſſione, quid in ea demum continetur, quod tam atrox ſupplicium meruerit? obſtupuère ad hac plurimi*. Hæc in Eccleſiaſticis Annalibus ſcriptor extraneus Spondanus num. 7. & 8. Superſtites autem cineres ex proiectis in Arnum ab aliquibus Sauanarolę diſcipulis clam raptos, miracula plura operatos fuiſſe, referunt ſcriptores geſtorum eiuſdem.

Proſequitur Spondanus. *Totam porrò Sauanarolæ Hiſtoriam ex diuerſis auctoribus, tam typis excuſſis, quàm manuſcriptis & Apologijs pro eodem confectis à Ioanne Franciſco Pico Mirandulano, Marſilio Ficino, & alijs, diligentiſſimè tractauit eruditus eiuſdem Ordinis ſodalis Abrahamus Bzouius in ſuis annalibus, miracula etiam à viuente edita referens, lucubrationes recenſens, detrectationem experimenti ignis, non Dominicanis ſed alijs impingens, criminationum ei illatarum, pondus quæſtionum, ac tormentorum atrocitatem, & ſententiæ in eum latæ æquitatem expendens, conſtantem, piamque mortem deſcribens. Apud quem* (Scil. Bzouium) *inſuper diuinas in hoſtes Sauanarolæ vindictas, multiplicíaque ad eius memoriam patrata miracula ſanctimoniam eius teſtantia legere licebit*. Hæc ſubdit Spondanus in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis num. 8.

Bzouius verò de Sauanarola hæc profert: *Rem adſcribam ex tabulario, ſeu proceſſu canonizationis S. Philippi Nerij Florentini Congregationis Oratorij Romæ Conditoris. Hic* (*vt refert Franciſcus Zazara eiuſdem Oratorij Presbyter*) *fuit Sauanarolæ deuotus, eiuſque imaginem, caput radiatum habentem in cubiculi ſui ſacrariolo retinebat, & venerabatur*. Hæc ille num. 19. ex proceſſu canonizat. eiuſdem pag. 94. & 95.

Cum aliqui Romæ iudaizarent, atque cum Iudæis in cæremonijs,& ritibus participarent, re ad Pontificem Max. delata, Apoſtolicos Commiſſarios inſtituit ad formandum contra illos proceſſum P. Paulum de Monelia Sacri Palatij Magiſtrum cum Vrbis Gubernatore, & quid in hoc negotio præſtiterint illi, in hunc modum ex Act. Conſiſtorialibus eiuſdem Alexandri referimus. *F. Paulus de Monelia Magiſter Sacri Palatij cum Vrbis Gubernatore fuit inſtitutus Inquiſitor contra multos, qui cum Iudæis in ceremonijs, & ritibus participabant, tam mulieres, quàm viri, & fuère circa ducentum, quos omnes iniunctis ſalutaribus pœnitentijs, S. R. E. reconciliauit. De quibus omnibus verbum habitum eſt in Conſiſtorio coram Sanctiſſimo die Veneris 22. Iulij habito*. Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Bzou. num. 32.

Ob multiplices fructus à Dominicana Religione,vinea Domini electa,cœlo datos, exultant cœli ciues applaudentes. Soror enim Catharina de Senis, *ſecunda* dicta, reſpectu ad S. Catharinam Virginem, & ipſa virginitatis flore, ac miraculis coruſcans, hoc anno agnum ſequuta eſt ad gloriam, & accepit palmã, corpore eius ſub ara, S. Catharinæ Seraphicæ Virgini

gini dicata, conſtituto. Beata quoque Agnes de Senis, pretioſum virginitatis ſuæ lilium, ſoluta nexu corporis, ſponſo ſuo Ieſu Chriſto obtulit, cum quo viuit in æternum, miraculis in vita, & morte refulgens. Has ſequutus eſt ad gloriam F. Nicolaus de Hollandia in Conuentu Harlemen. qui in habitu Conuerſorum vitam duxit Angelicam, & tantæ ſimplicitis, & obedientiæ vir fuit, vt cum, aduentantibus ad conuentum aliquibus hoſpitibus Religioſis Ord. Prior loci piſces pro illis præparandos ad cœnandum non haberet, Nicolao, vt ex piſcina in horto exiſtẽte piſces (qui nunquam in ea fuerant) extraheret ad coquendum præcepit; Perrexit ille ad piſcinam, ex qua piſcem grandẽ extractum Priori detulit, quo ſaturati Religioſi hoſpites, & alij conuentus gratias bonorum omnium largitori dedere. *Bzou. nu. 36. & Plodius.*

Moritur hoc anno P. Thomas de Turrecremata Catholicis Regibus à ſacris confeſſionibus, vir ſanctus, ac pius de Catholica Eccleſia, atque Apoſtolica Sede optimè meritus, qui & Magiſterium in Sacra Theologia, cum doctiſſimus, & Archiepiſcopatum Hiſpalenſem, cum pauperrimus eſſet, conſtanti pectore recuſauit. Malens in paupercula cella Deo ſeruire, quàm in Eccleſiaſtica infula ouibus Chriſti imperare. Scripſit, poſt Iudæos ſua opera ex Hiſpania eiectos, quoddam Directorium Inquiſitorũ, miniſtris, ſacro Tribunali Inquiſitionis inſeruientibus, in Hiſpania vtiliſſimum; atque ſanctiones, & decreta, quibus ſacrum tribunal modò gubernatur, condidit, ac ſtabiliuit. Supra ſex millia hæreticorum igne conſumpſit, & circa centum millia per ſalutares pœnitentias S. Matri Eccleſiæ reconciliauit. Tantorum igitur meritorum præmia ſibi debita percepturus, in cœlum conſcendit Abulæ 18. Kal. Octob. huius anni, è cuius humili ſepultura, poſt tempus patefacta, mirandus odor emanauit. *Fernandez inter Scriptores Ord.*

ANNO 1499. In Gongi Regno Patres noſtri anno 1586. recenſiti meſſem copioſam, Pater luminum Idololatrarum illorum corda, & corpora dirigente, in S. Matris Eccleſiæ horrea inferebant hoc anno & tempore; nam præter populi illius multitudinem, fidei Catholicæ lacte enutritam, nobiles multos ſacro regenerationis lauacro imbuentes, Eccleſiæ filios dedère: & Idolorum templis dirutis, Eccleſiæ in veri Dei honorem erectæ ſunt cum Religioſorum habitationibus; populo illo ad fidem conuerſo inſeruientium. De quibus infra. *Ex Relat. ad Mag. Ord. in Arch.*

Apud Piſaurum Cœlo datur, vt in æternum viuat cum Chriſto, B. Marcus de Mutina, qui ſanctitate, meritis, miraculiſque Catholicam Eccleſiam plurimùm illuſtrauit, & nobili matronæ defunctum vnicum filium, viuum reddidit, ſed peſte poſt annos multos moriturum prophetauit. Iacet eius ſacrum corpus ſub altari SS. Roſarij, & in ſua translatione odorem ſuauiſſimum efflauit. *Bzou. num. Vlt.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina Prædicatores multi à Pontifice Alexandro, vt oues ſibi creditas per viam ſalutis æternæ dirigerent. Et quidem P. Macarius Ludia de veteri Rolech, inſignis Theologiæ Doctor promotus eſt ad Eccleſiam Laodicenſem, cum facultate Pontificalia exercendi in Cracouien. Diœceſi: & Petrus confeſſor Regis Neapolitani ad Eccleſiam Montis Viridis in Neapolitano Regno. Creauit inſuper doctiſſimum virum P. Paulum de Monelia Sacri Palatij Magiſtrum Chienſem Paſtorem Alexander Pontifex, quem eodem anno Apoſtolicum Nuncium in Hungariam pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negotijs delegauit, & dum Budæ commiſſa ſibi cum Rege ſingulari dexteritate tractaret, repen-

ret, repentino morbo quaſſatus interijt, apud noſtros inibi ſepultus, cum ſacrorum Bibliorum libros commentarijs illuſtraret. *Ferrar. de Prou. Hung. p. 3. ex Actis Conſiſt. eiuſdem Pont.*

In Moneliæ locũ Alexander Papa VI. Sacri Palatij Magiſtrum P. Io. Nannium Viterbienſem de conuentu S. Mariæ ad Gradus nominauit virum doctiſſimum, ſententiarum Lectorem in ſacro Palatio, qui in hiſtorijs, ac ſacris litteris verſatiſſimus, plura volumina in ſtudioſorum publicum commodum euulgauit. *Lucarin. & Luſitan.*

In Hollandia; vel Batauia, hoc tempore hæreticus quidam, ſeu potius hæreſiarcha peſſimus; Hermannus Biſſuich dictus, in multos errores olim lapſus, palinodia decantata, hoc anno ad perpetuos carceres damnatus eſt ab Inquiſitoribus noſtris, in quibus cum annos plures permanſiſſet; ſimulata pœnitentia, inde elapſus, atque in Priorem dementiam relapſus, tandem viuus combuſtus eſt. *Spondan. ad an. 1512. num. 37.*

ANNO 1500. Celebrandum erat Generaliſſimum Ordinis Capitulum Romæ ex Alexandri Pont. decreto, quod in fœliciora tempora dilatum eſt vigentibus in Italia, Gallia, ac alibi bellis. Petierant illud Prouinciales pro ſuarum prouinciarum quiete, vt conuentus, in quibus ſecundùm exactam Conſtitutionum normam viuerent Patres, qui dicebãtur de vita regulari, determinarentur, ex quibus erectæ iam fuerant in cunctis prouincijs peculiares Congregationes, & ex ijs aſſumpti fuerant Ordinis Magiſtri Bartholomęus de Comatijs, Barnabas Saxonus, necnon & Ioachinus Turrianus; idemque in ſequentibus obſeruatum eſt, vt ſublata clauſtralitate, (nã Fratres clauſtrales dicebantur alij) commodiùs, atque efficaciùs paulatim priſtinus obſeruãtiæ nitor, ac decor in prouincijs, ac conuentibus cunctis reſtitueretur, prout temporis beneficio concluſum eſt *Olmeda.*

Iubileum ſacrum celebratum eſt hoc anno in Vrbe maxima populi frequentia, quo Ioachinus, cum carnis onere depoſito Ordinis Magiſterio, ſumpto Iubileo, perrexit ad Chriſtum Kalendis Auguſti Romæ 13. ſui regiminis anno in Mineruа conditus ætatis ſuæ 84. robuſto tamen corpore, integriſque ſenſibus, & intellectu. *Olmeda.*

Sunt qui ſcribant Ioachinum ab obitu Sauanarolæ nunquam riſiſſe, neque lætum fuiſſe, ſed iugiter gemuiſſe, interfuerat enim ille, ex Pontificis præcepto cauſæ, ac proceſſui, Florentiæ de mandato eiuſdem fabricato contrà Sauanarolam, quem vnicè diligebat, & tanquam Angelum de Cœlo in peccatorum vnicum ſolatium datum venerabatur ob fructum maximum, quem ſuis feruidis prædicationibus in populis producebat. Voluit Alexander Ioachinum cum alijs à ſe miſſis ex Curia, eidem cauſæ præeſſe, ne Proceſſus debita careret forma iuridica. Paruit Ioachinus, nec præcepto nec menti Pontificis auſus reluctari, fortaſſe metuens Ordini ſuo damna grauiora. Claruere autem etiam alij viri inclyti ſub Ioachino, inter quos recenſentur P. P. Sebaſtianus de Otta in Academia Salmantina Doctor celebris, regulariſque obſeruantiæ ſectator egregius, & Io: de S. Dominico verbi Dei per Hiſpaniam prædicator gratioſus, qui ſuis prædicationibus, & exemplis (erat enim & iſte de Regulari vita) multos peccatores ad Chriſtum media pœnitentia attraxit. *Olmeda Bzou. Annal.*

Floruit quoque ſub ipſo in Hiſpania P. Alphonſus de Burgo, vir doctiſſimus, ingenio clarus, ſermone facundus, opereque ſtrenuus, qui tanquam de Regno, & Eccleſia optimè meritus Cordubẽ.

Epiſco-

Epiſcopus primò: Conchen poſtmodùm, ac tandem Palentinus creatus, Collegium Valliſoletanum fundauit, & dotauit. *Olmeda.*

In Italia verò floruère P. Thomas Caietanus, inter cæteros doctor eximius, de quo infra. P. Vincentius Bandellus Bononiæ Regens, Prior, & Hæreticæ prauitatis Inquiſitor, & ipſe magni nominis Theologus Pater Vincentius Merlinus Venetus in Patauina Vniuerſitate tantæ doctrinæ, ac facundiæ vir, vt vnicus & ſingularis ſit ſuo tempore habitus: & P. Antonius Brixienſis, qui virtute conſpicuus, fuit ſacræ prædicationis tuba ſonora, & indeficiens; quippe qui per Italiam totam gratioſè inſonuit à iuuentute ſua vſque in ſenectam, & ſenium, & hæreſes impugnando, Romanæ Eccleſiæ; atque Ordini inſeruiuit vtiliter. *Olmeda.*

Antequam à rebus humanis eximeretur Mag. Generalis Ioachinus, catholicæ fidei zelo, quo feruebat, Inquiſitores multos in varijs Orbis prouincijs inſtituit. Et primò quidem P. Ioanni Coſſat Generali Inquiſitori Galliæ annorum pondere grauato Generalem Vicarium, & Coadiutorem P. Homutium Iacobin cum futura ſucceſſione in eodem munere dedit poſt illius obitum & hoc ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi. In Regno autem Siciliæ P. Iacobus Rheda factus eſt Inquiſitor Vallis Mazariæ P. Io. de Falco Vallis Neti, & P. Antonius Maida, Vallis Demonum, ſeu Nemorum; Generalis autem Inquiſitor in tota Sicilia, tanquam ſupremus, datus eſt P. Ioan. Gactus Meſſanenſis, alterius P. Ioannis Gacti Ep. Cephaleditani, & Catanenſis affinis, de quo ſup. ad ann. 1477. *Ex Regeſtris eiuſdem Ioachini Mag. Ord.*

Spectatæ nobilitatis viri, Sathana ab renunciato, & pompis eius Dominicanam togam ſuſcipiunt. Ioannis III. Portugaliæ Regis germanus frater, dictus P. Dominicus de S. Roſario, Vlyſſipone; & P. Franciſcus de Bruce primogenitus Ducis de Beiar in conuentu Hiſpalenſi. Anna verò filia Ducis de Eſtrade, Toleti. Auguſtina de Medicis Ducis Florentiæ filia Florentiæ: & Eluria Comitis de Mendoza filia in conuentu Grandimontenſi, Dominicanum inſtitutum ſolemni ritu, magnoque animo amplectuntur. *Leſcéure.*

P. Thomas Iacobellus Tolonen. Epiſcopus in Prouincia acerrimus hæreticorum hoſtis, Catholiceque fidei propugnator egregius, ſcripſit librum *Contra hereticorum errores*, in quo *De auctoritate Summi Pontificis ſuper eos*, tractat. & *de condignis ſupplicijs eis infligendis.* Plodius.

Ad compeſcendos effrontes hæreticos in Britannia vires maiores in dies ſumentes, Mag. Generalis Ioachinus cum Pontificis Max. beneplacito Inquiſitorem Generalem, etiam ibidem, inſtituit P. Mag. Ioannem Coſſat ſupradictum cum eodem coadiutore Homucio litteris patentibus Romæ 23. Iunij præſentis anni expeditis. *Ex Regeſt. eiuſdem Ioachini.*

In Italia tota vrgente Pont. non dormitabant, neque dormiebant Inquiſitores hoc anno, ne ſibi creditæ oues hæreticali veneno infectæ in æternum interitum declinarent; moniti enim fuerant à noſtris PP. Inquiſitoribus ex ſeptentrionalibus regionibus, hæreticos multos occaſione publicati Iubilei in Italiam deſcendiſſe ad vrbem acceſſuros curioſitatis gratia, & Romanæ Curiæ, atque Aulæ mores obſeruaturos. Capti ſunt igitur plures, & carceribus addicti Mediolani, Venetijs, Cremonæ, Bononiæ, & ſecundùm Sacrorum Canonum documenta, ac propria demerita caſtigati, multi per ciuitates fuſtigati ſunt, vt cæteris fierent in documentum. *Plod.*

Caput

Caput XII
P. VINCENTIO BANDELLO Magiſtro Generali XXXVI.

ANNO 1501. Collectum eſt in Vrbe Capitulum Ordinis pro Generalis Magiſtri electione, Oliuerio Cardin. Carafa Protectore, & Card. S. Crucis in eo præſidentibus, cum P. Vincentio Bandello Vicario Generali, à Pontifice Alexandro inſtituto, qui vnanimi vocalium conſenſu ſalutatus eſt Magiſter Ordinis in vigilia Pentecoſtes, gratulante Pontifice Maximo cum tota Rom. Curia, quæ Vincentium; tanquam doctiſſimum, & integerrimum virum, tanto Magiſterio dignum venerabatur. *Olmeda*.

Fuit Vincentius de Lōbardiæ Prouincia, in exacta regulari Conſtitutionum noſtrarum obſeruantia enutritus, eamque ſui regiminis tempore, in toto Ordine propagare non deſtitit: vir Deo, & hominibus dilectus, cordatorum, doctorumque Religioſorum promotor feruidus, qui Thomam Caietanum Procuratorem Generalem Ordinis inſtituit, non obſtantibus Oratoris Galliæ apud Pont. Max. pro Gallo eligendo Procuratore inſtantijs. Suſcepto Generalatu, & terminato Capitulo ex Vrbe diſceſſit Ordinem viſitaturus, luſtratiſque Germaniæ, Flandriæ, & Galliæ, Prouincijs, in quibus hæreſum diuerſarum virus graſſabatur, in Hiſpaniam properauit, vbi honorificentiſſimè exceptus à Catholicis Regibus Ferdinando, & Eliſabeta, Ordinem Prædicatorum vnicè diligentibus, ſe regularis obſeruantiæ promotorem ſtrenuum oſtendit. Incedebat Bandellus modeſto ſociorum comitatu pedeſter Religionem viſitaturus; & præter ætatem, quæ veneranda canitie conſpergebatur, vitæ regularis, & totius honeſtatis erat exemplar, ſingulari apud omnes grauitate refulgens. Peragens capitula in conuentibus, ad quos declinabat, pro themate ſumebat. *Pax vobis. Nolite timere; pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos.* Poſt ſuæ electionis celebratum capitulū, aliud quoque apud Mediolanum congregauit an. 1505. multaque priuilegia ab Apoſtolica Sede pro Ordine impetrauit. *Olmeda*.

In ſuis viſitationibus Bandellus ſupra modum vrgebat, vt hæreticæ prauitatis Inquiſitores, pro conſeruanda illibata fidei puritate, eſſent peruigiles; & quos ſegniores, ac tepidos agnoſcebat, à ſuis officijs in prætermiſsè, alijs ſubſtitutis, deponebat. Ea propter cum P. Petrum Vaiſonenſem, Inquiſitorem Lugdunen. in exequendo ſuo munere minùs idoneum repertum amouère decreuiſſet, & propter Regis inſtantiam id exequi non valèret, Coinquiſitorem dedit illi P. Villelmum Toloſanum, ſine cuius conſilio, & conſenſu tribunalis cauſas non expediret. *Ex eiuſdem Regeſtris*.

Hoc anno P. Bernardus de Lucemburgo hæreticorum oppugnator inuictus, euulgauit librum *De Purgatorio*, contra illud impugnantes; necnon *Cathologum Hæreticorum, & de eorum ſupplicijs*. opus laudatum ſatis, probatumque ab omnibus. *Plodius*.

Inſurrexerunt in Germania nebulones quidam, aſſerentes in Eccleſiaſticis cenſuris poſſe aliquem citra ſuſpicionem hæreſis inſordeſcere; & ſupremum Romani Pontificis iudicium ſubterfugere videbantur, in quos tanquam potentes, manus inijcere non valens Germaniæ Generalis Inquiſitor P. Io. Tetzelius, Pontificem

Alexandrum ea de re monitum eſſe voluit,qui eos per Fiſcalem Apoſtolicum ad comparendum in Vrbe coram ſe, dicendamque cauſam citauit: ijs autem venire renuentibus,cauſam commiſit Alexander Apoſtolico Cardinali Legato in Germania cognoſcendam, & decidendam. *Bzouius in Annal. & Plodius.*

Hæretici *Foſſarij* dicti,eòqu òd in foſſis, & ſpeluncis nocte morabantur cum mulieribus, & poſt perſolutas publicas orationes, inhoneſta quæque perpetrabant, inſurrexerunt in Boemia hoc anno,& Dei Eccleſiam, illiuſq; miniſtros contemnentes, Sacramenta negantes, erroreſque infinitos diſſeminantes, carnis ſpurcitijs habenas laxabant. Contra hos P. Valentinus de Bruna ibidē Inquiſitor inſurrexit; & licet à multis nobilibus protectos, igne publico, quotquot in vincula habuit pertinaces conſumpſit, Pontificemque Max. ea de re monuit, & auxilium apud Cæſarem pro illis deſtruendis implorauit, hæreſi hoc modo fręno impoſito. *Bzouius in Annal. & Lucarinus.*

Lilium prætioſiſſimum, virginitatis odore flagrantiſſimum cœlitibus dedit hoc anno Dominicana Religio, Beatam Columbam de Reate,miræ ſanctitatis fœminam, quæ Tertiaria effecta, virtutibus, ac miraculis fulgens, coram Alexandro Pontifice, de eius vitæ ratione pleniùs in formando,Peruſij conſtituta,ſtatim in extaſim rapta eſt cum tanta à ſenſibus alienatione, vt etiam genuflexa, mortua crederetur. Cumque diù ſic rapta manèret; Miratus Pontifex dixiſſe fertur. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*, & abijt. Cœcos illuminauit Collumba, mutis loquelam dedit,panes multiplicauit,Dœmones ab obſeſſis eiecit, innumeraque miracula diuina ope patrauit. De cuius canonizatione in Sacra Rituum Congregatione agitur, re ad bonam orbitam redacta.Euolauit in cœlum nocte Aſcenſionis Domini. *Plod.*

P. Simon Vinſot inſignis theologus, facunduſque diuini verbi præco, Carolo VIII.Regi Galliæ à ſacris confeſſionibus, conſilijs,& concionibus, Hæreticæ prauitatis in Francia Inquiſitor, hæreticorumque hoſtis acerrimus moritur; vir longiori profectò vita dignus, qui proprij tribunalis, Regiſque auctoritate illos ferro, & igne inſectatus eſt,multis ex eis ad Catholicā fidem perductis. Ex mortalium oculis receſſit in conuentu Carnuten. xj. Octobris. *Lefeburè.*

Cum in Lombardia quidam incantationibus diuerſis addicti, ſuperſtitionibus diabolicis multa mala hominibus, & iumentis inferrent, varioſque errores inter plebem diſſeminarent, Alexander Pontifex P.Angelum de Verona Inquiſitorem, vt in eos audacter inſurgeret ex officio admonuit, qui plures Commiſſarios per Lombardiam dirigens, vbicumque inuenère huius viæ viros, ac mulieres, vinctos in carcerem detruſère. Multis igitur ex ipſis varijs modis correptis, & peremptis, ceſſauit eorum impietas in Eccleſia. *Spondan. num.* 14.

P. Petrus Belloradus Hiſpanus cum Fidei Quæſitor eſſet in Hiſpania,& Abbas S. Petri de Cardena, Meſſanen. Archiep. creatus eſt ab Alexandro VI. Vir in pauperes miſericors, paterna erga eos geſtans viſcera,qui ſibi commiſſas oues ſuo exemplo prouocabat ad rerum harum contemptum, & deſiderium conſequendæ cœleſtis vitæ. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1502. In Hiſpaniarum Regnis, inſtante Generali Inquiſitore P. Didaco Dezza, Catholici Reges edictum promulgarunt, vt Agarenus quilibet in Caſtilliæ, Legionis,Beticæq; Prouincijs ſub ſeruitutis perpetuæ pœna intra menſes tres, nempe Martij, Aprilis, & Maij, vel Hiſpania excederet, vel Catholicam fidem amplecteretur. Porrò pro eorum conuerſione miſſi fuère plures ex

Prædica-

Prædicatoribus ad prædicandum illis Euangelium, quo factum eſt, vt copioſa eorum multitudo, medio regenerationis ſacro lauacro, abiuratis proprijs erroribus, fidelibus ouibus Chriſti adiuncti ſint. *Paramus lib. 2.*

P. Michael Franciſci Inſulanus Colonienſis Doctor, & per Flandriam, & Auſtriam hæreticæ prauitatis ſtrenuus Inquiſitor, de quo an. 1493. hæreticos multos varijs ſupplicijs caſtigauit, cum ipſis diſputans aſſiduè. Is Philippo Primo Auſtriaco, Burgũdiæ, & Brabantiæ Duci cum eſſet à ſacris confeſſionibus, eleemoſynis, ac cõſilijs; pauperes fouit, viduas protexit, atque orphanos copioſis eleemoſynis enutriuit, & hoc anno ingreſſus eſt vniuerſæ carnis viam 2. Iunij apud Inſulas, electus Epiſcopus Salubrien. & Atrebaten. ſuffraganeus. Fuit autem, Philippo Pulchro Arciduci Auſtriæ poſtea, Hiſpaniæ Regi, à ſacris confeſſionibus. *Mirræus de ſcript. Eccleſ.*

Cœlo ciues conſpicuos dedit Prædicatorum Ordo hoc anno, Portugallenſem vnum B. Conſaluum, ſeu Gondiſaluum, alterum Vicentinum, Paulum dictum, qui per viam mandatorum Dei currentes, virtutibus, ac meritis onuſti, peruenerunt ad patriam claritatis æternæ, miraculis in vita, & poſt mortem coruſcantes. *Plodius.*

Defecit in Curia hoc anno Magiſter Sacri Palatij P. Ioannes Nannius de Viterbio, linguarum Caldaicæ, Armenæ, Hæbraicæ, necnon & Græcæ peritiſſimus, dolente Alexandro Pont. de eius morte, qui Sacri Palatij Magiſterio præfecit P. Ioannem de Ferraria, virum pietate, doctrina, regularique obſeruantia commendatiſſimum, qui ſacræ Inquiſitionis tribunal in Lombardia zelo ſummo, necnon Catholicæ fidei eximio incremento annis multis rexerat: & de eo Olmeda ſic fatur *Fuit Io. Eccleſiæ Romanæ gratus, verboque & ſcripto famoſus, hiſtorias maiorum temporum, etiam ethnicas in promptu habens, &c.* Per decem annos fidele Apoſtolicæ Sedi præbuit miniſterium, & appoſitus eſt etiam ipſe cum ſuis prædeceſſoribus ad patres in Minerua ſepultus. *Lucarin. & Olmeda.*

ANNO 1503. Prima Generalis Apoſtolica miſſio ad orientales Indos facta eſt, cum P. Io. Borgenſis Prouincialis Portugalliæ apoſtolica Alexandri VI. & Regia auctoritate, ad excolendam vineam Domini orientalibus in Indijs apoſtolicos miſſionarios delegauit, qui fuère Patres, Dominicus de Soyſa Vicarius Generalis, Thomas à Martino, Io. de Oſſias, Franciſcus Martinez, Auguſtinus de Zuniga, Ludouicus de Ladrada, Martinus de Trugillo, Petrus de Villoa, Gaſpardus de Caruaial, Bartholomæus de Oieda, Blaſius de Caſtella, & Iacobus de S. Thoma. Hi negotio dilatandæ fidei ſuſcepto, tanto animi ardore Indis orientalibus Euangelium Chriſti annunciauère, vt Deo aſſtante, innumeros ad Catholicam fidem per ſacrum Baptiſmatis lauacrum attraxerint, fundatis apud eos conuentibus, & Eccleſijs, in quibus ſacramenta publicè illis adminiſtrarentur. *Lefeburè Manual. Hiſtor.*

Porrò, vt apud Orientales Indos eſſet Epiſcopus, qui & Pontificalia exerceret, & Sacramentalia miniſtraret, dignos ad ſacros ordines promouendo, Alexandri VI. Pontificis Max. auctoritate; petente Luſitaniæ Rege, miſſus eſt illuc P. Eduardus Nunius Epiſcopus Laodicenus, eximius verbi Dei præco, qui cum ſodalibus ſuis, Prædicatoribus meſſem multam in horrea, Eccleſiæ congregauit: & in regno Coulam maximè, alijſque adiacentibus locis, gentiles plures ad agnitionem veritatis per lumen S. fidei venère. *Fernand.*

Ad glóriam præmiſit Dominicana Religio P. Paulum Cuſanum Mediolanen.

 virum

virum natalium ſplendore, virtutum præſtantia, atque charitatis dono inſignem qui pauper in peculio, diues vita pura, tãto amoris affectu ferebatur in proximos; vt propriam vitam in illorum ſalutem profundere non dubitaret. Quare cum apud Piſaurũ Prioris munere fungeretur, graſſante lue infirmis propria manu Sacramenta miniſtrauit; quod cum per multos menſes præſtitiſſet, tandem & ipſe crudeli morbo afflictus euolauit in cœlum hoc anno. *Plodius.*

Graſſante in Italia ſæua peſte, atque in Liguſticis oris maximè, P. Vincentius Bandellus Mag. Ord. data paſtorali circulari epiſtola per Lombardiam, Ianuenſes Patres, adiacentiumq; conuentuũ Religioſos hortatus eſt, vt profeſſionis propriæ non immemores, in infirmorum ſpiritualem ſalutem, & conſolationem, ad Sacramentorum adminiſtrationem exirent, & temporali contempta morte, ad æternam vitam anhelarent. Non defuère multi, qui Patris monitionibus præbitis auribus, ex conuentibus erumpentes in infirmorum auxilium, poſt exhibita illis Eccleſiaſtica ſacramenta, eorum quoque corpora proprijs manibus, fœtore neglecto, ſepellire non dedignabantur. Quare breui tempore conſumptis pluribus, clauſiſque Eccleſijs, ac conuentibus, non ita de facili, qui horas canonicas in eiſdem perſoluerẽt inueniebantur. *Ex Regeſt. eiuſd. Mag. Ord.*

ANNO 1504. P. Iacobus Gaudanus Batauus, vir ſacra eruditione clariſſimus, Louanienſis Doctor celebris, Correctorem ſacrorum Bibliorum in multis ab hæreticis deprauatorum, euulgauit, opus vtiliſſimum, impreſſum Coloniæ. *Biblioth. Belgica.*

Vigentem Foſſariorum Boemorum hæreſim compreſſurus P. Valentinus de Bruna, in Hungaria, & Boemia Inquiſitor, Regis Hungariæ auxilio, Bartholomæum Boldac eorundem inſignem fautorem, ac protectorem in vincula coniecit, & recipiſcentem, abiuratione præmiſſa, pœnitentiæ habitu veſtiuit; quo facto eſt, vt mœrore conſumptus poſt paucos dies interierit; erat enim vir nobilis & potens in valore & factione. In mortis autem articulo conſtitutus, proteſtatus eſt, ſe in Boemorum fide, & erroribus velle mori: quo audito, Inquiſitor eius cadauer ſtatim exhumatum publico igne, maxima hæreticorũ confuſione, per carnificis manus comburendũ tradidit. *Lucarin.*

P. Didacus Dezza Generalis in Hiſpania Inquiſitor Tribunali S. Inquiſitionis inuigilans, promouetur ex Palentina Eccleſia ad Archiepiſcopalem Hiſpalenſem à Iulio II. vir zelo Catholicæ fidei, pietate, ac virtutibus conſpicuus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Ioannes Baptiſta Cataneus nobilis Ianuenſis hoc anno Ordini datus, & ſtatim raptus, conſumptus breui compleuit tempora multa: nam contra nobilium parentum voluntatem apud S. Mariam de Caſtello die 22. Maij religioſo habitu indutus, ita virtutibus profecit; vt Iulij 2. prophetico ſpiritu multis prædictis, peſte ſauciatus ad Chriſtum perrexerit, nunciata propria gloria P. Matthæo Mandello, qui eius vitam ſcripſit. *Plodius.*

Cum mulierculæ quædam, haud turpes adoleſcentulæ ex Foſſariorum hæreſi in Poloniam; Boemia relicta, dilatandæ ſuæ impiæ ſectæ cauſa eſſent progreſſæ, & explendæ libidinis gratia multos iuuenes in ſuam ſententiam, & ſequelam traherent, re ad Mag. Albertum Plocenſem Inquiſitorem delata, diſſimulauit ille facti notitiam per aliquot dies, donec tempus adueniret opportunum, quo de omnibus condignam ſumeret vltionem. Cum autem quodam die feſto multi ſimul conueniſſent pro ſuis orationibus habendis, atque laſciuijs explendis, irruit ſuper eos Albertus armata militum, atque officia-

lium

lium ſuorum manu, & captos ex eis ſupra viginti, in vincula conicoit; inter quos erant aliqui nobiles, quos vltrò abiurantes, ſtatim dimiſit, reliquis in vinculis cauſam dicentibus, & poſtmodum etiam abiurantibus: mulierculę autem traditæ ſunt brachio ſæculari, quæ per ciuitatẽ in ludibrium ſuperiori parte corporis denudatæ fuſtigatæ, & ad locum ſupplicij perductæ, viuæ crematæ, ſuorum ſcelerum pœnas pertulerunt, ſicque Foſſariorum peſtis ex Polonia fugata eſt. *Bzouius & Ferrarius.*

Demandatur cura Dominici gregis in Archiepiſcopalibus Eccleſijs Naxien. & Parieu. in Romania P. Roberto de Noia Apulo, viro pijſſimo, & doctiſſimo, ex Acerrana Sede tranſlato, qui ſibi creditas oues frequentibus exhortationibus, monitionibus, atque probatæ vitæ ſuæ exemplo per viam ſalutis dirigere non omiſit. *Vghell.*

ANNO 1505. Iulio II. Pontifice regnante, in Italiam reuerſus Magiſter Generalis Bandellus poſt viſitatas prouincias Hiſpaniæ, aliaſq; ſuprarelatas, apud Mediolanum in conuentu S. Euſtorgij pedem fixit, ibique Generale Capitulum celebrauit cum omnium Prouinciarum Diffinitoribus, atque exactiſſima legum noſtrarum obſeruantia in cũctis adimpleta; pro qua in toto Ordine, ac ſingulis conuentibus ſtabilienda, multa decreta condita ſunt; vtriuſque Siciliæ Regna, ac prouincias deinde viſitauit in Vrbem reuerſurus. Quantum igitur, honoris, & decoris ex hac eius peregrinatione Ordini accreuerit; quantùm vita regularis incrementum ſumpſerit; quantus denique feruor obſeruantiæ in Fratribus excitatus fuerit, vix verbis exprmi poteſt inquit Olmeda. Tandem optimus Pater, & Magiſter maximo ſui relicto apud filios deſiderio, ſequenti anno in conuentu Montis Alti prouinciæ Calabriæ obdormiuit in pace, communibus lacrymis parentatus. *Olmeda.*

P. Albertus Placenſis Inquiſitor vt catholica fides in ſuo candore perſeuerarct apud creditas ditiones ſibi, præter Foſſarios, hæreticos alios multos ad S. Matris Eccleſię vnitatem amplexandam adduxit, pluribus eorum condignis ſupplicijs affectis. *Bzou. cap. 9.*

Roſæ binæ charitatis, liliorum odore flagrantes dantur cœlo, ſacrarum virginum choro adiungendæ hoc anno, B. Oſanna de Mantua, & B. Beatrix de Ferraria; ambæ pœnitentijs, diſciplinis, & ieiunijs addictæ; ambæ ſpiritu prophetico, atque in Deum amore ardenti, & proximum feruentes; ambæque virtutibus, & miraculis fulgentes, quæ Agnum virginum ſponſum ſequutæ in hac vita, in morte æternitatis palmam obtinuère: prima quidem 18. Iunij, qua die anniuerſaria ex Apoſtolica cõceſſione apud Mantuam à Clero, & noſtris eius feſtum colitur: altera verò 26. Nouembris. Has eodem anno ſequutus eſt ad claram Dei viſionem B. Hieronymus de Verona, erga pauperes Chriſti charitatis viſceribus affluens, ad quorum inopiam ſubleuãdam, & Mutinæ, & Regij montem farinæ erexit, & fundauit, & B. Stephanam de Soncino per viam ſalutis, media Sacramentali confeſſione multo tempore direxit; quæ Hieronymi animam ea hora, qua vale dixit mundo, aſcendentem in cœlum videre promeruit. Prophetiæ dono claruit; propriam mortem prædixit, & multis miraculis corruſcauit. *Plodius.*

Circuibant per Ciuitates, & Caſtella euangelizantes vbique duo præſtantiſſimi viri zelo zelati pro Domino Deo exercituum, proximorumq; ſalute conſequenda, PP. Io. Aquilanus *Vitiorum lima* dictus, & Daniel de Vicenzia, qui tanto cùm ſpiritus ardóre de mundi contemptu, ac illius vanitatibus ad veram ſalutem non pertinen-

pertinentibus, prædicabant, vt copioſus peccatorum numerus illos, quocumque pergerent, ſequeretur ſemper. Quare multi ex ſæculi vanitatibus ad Deum conuerſi, varijs Religionibus nomen dabant; alij ſacris Xenodochijs inſeruiendis ſe dicabant; alij per publicas ciuitates denudatis humeris incedentes ſe diſciplinis lacerabant, ac cruentabant, nullusque erat eorundem ſeruorum Dei apoſtolicis ſermonibus præbens auditum, qui & in lacrymas non prorumperet. Per Italiam totam pergentes igitur illi, oues multas errabundas de ore leonis iniqui eruentes, per ſanctam pœnitentiam cœlitibus aſſociauère. Eorum Sermones ignitis Spiritus Sancti eloquijs affluentes legimus impreſſos an. 1522. Venetijs. *Targius.*

ANNO 1506. P. Andres Leopolienſis Inquiſitor vigilantiſſimus, hæreſumque extirpartor egregius, cum nouam Boemorum hæreticorum Foſſariorum hæreſim ſerpere in ſeptentrionalibus partibus vidèret, omnem adhibuit operam, vt à ſibi creditis populis illam auerteret. Quare cum tres viri hac peſte infecti Leopolim aduentaſſent, monitus ipſe, vinctos in carcerem detrudi iuſſit, eoſdemque abiurare renuentes, viuos in publico maiori ciuitatis foro combuſſit; quod factum tantum timorē alijs incuſſit, vt nemo ad Leopolien. diœceſim accedere deinceps præſumpſerit. *Bzou. de Prou. Polon.*

Eodem anno, & ſequentibus Apoſtolici miſſionarij ad Orientales Indos à Luſitaniæ Rege, auctoritate Alexandri Pont. an. 1503. miſſi, corum linguam ſufficienter callentes, Euangelium Chriſti in diuerſis eiuſdem noui orbis partibus diſtributi, prædicantes, conſtructis Eccleſijs, fabricatis conuentibus, ſacriſque altaribus erectis, gentilium innumerabilem multitudinem Deo vero, bonorum omnium largitori per ſacrum baptiſma ſubdiderunt, multoſque inter eos Principes ad comburenda propria Idola, Chriſtumque amplexandum, media Euangelij prędicatione, atque inculpatæ vitæ exemplo attraxère. De quibus omnibus monitum fecerunt Magiſtrum Ordinis, vt & alios agricolas ad excolandam nouam vineam Domini mitteret Prædicatores, zelo promouendæ fidei Catholicæ feruidos: *Nam meſſis quidem multa* (*Reuerendiſſime Pater*, aiebat P. Dominicus de Soyſſa Vicarius ibidē) *operarij autem pauci.* Quibus omnibus à Ioanne Clarère Generali Magiſtro ſequenti anno electo, Iulio II. Pontifici Max. nunciatis, gauiſus eſt ſupra modum Pont. de vberibus fructibus à Prædicatoribus in noua vinea Domini productis, illique mandauit, vt alios Fratres apoſtolicos Miſſionarios ad orientales partes mitteret. *Lopez. p. 5.*

Defuncto hoc anno Vincentio Bandello Generali Magiſtro menſe Auguſto in vigilia D. Auguſtini, conſtitutus eſt Generalis Ordinis Vicarius ad Ludouici Galliæ Regis inſtantiam, à Iulio Potifice P. Ioannes Clarèe Normannus de Prouincia Franciæ, eidem Regi Chriſtianiſſimo à ſacris confeſſionibus, hæreticorum hoſtis acerrimus, vitæque regularis obſeruantiſſimus, in qua à teneris vnguibus enutritus erat; & tantæ erat æſtimationis apud Pontificem, Regem, atque Oliuerium Carafam Card. Protectorem; vt ad continuandam poſt Bandelli deceſſum Ordinis reformationem, atque introductam regularem obſeruantiam firmandam, vnicus athleta Domini ſit iudicatus. *Olmeda.*

Caput

Digitized by Google

Caput XIII.

P. IOANNE CLAREE Magiſtro Generali XXXVII.

ANNO 1507. Celebrantur Ordinis Generalia comitia à Patribus Prouincialibus apud Papiam, in quibus ſalutatus eſt Magiſter Generalis Ordinis P. Io.Clarèe Normandus, Vicarius Apoſtolicus Ordinis: & electione huius Fratribus abſentibus nunciata, factus eſt timor non modicus in illis; vtpotè quod is crederetur homo auſterus, & rigidus; & inflexibilis regularis obſeruantiæ promouendæ zelotes. Terminato Capitulo ad Iulij Pont. pedes acceſſit, à quo benigniſſimè, & humaniſſimè acceptus, multa priuilegia pro officio Diuino Ordinis obtinuit: cumque ad Regem apud Ligures commorantem reuerteretur, per Parmam tranſiens, conuentum illum Congregationi reformatæ Lombardiæ ſubiecit; & cum inde Papiam fuiſſet reuerſus, ibidem defecit intempeſtiuè, cum diu ſuperſtes ſperaretur, grandi reuera bonorum omnium mœſtitia. Erat enim vir prudens, & eloquens, ſermone facundus, & opere potens. Verbi Dei prædicatione famoſus, plures annos Pariſijs pro concione ſacram ſcripturam interpretatus fuerat, mirantibus cunctis viri præſtantiam, ingenium, atque doctrinam. Rexit Ordinem diebus lxv. à die 5. Iunij vſque ad decimam Augusti. *Olmeda*.

Eodem anno P.Io.Enguera Regis Catholici confeſſarius, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Nauarræ, atque in Catalonia Generalis Inquiſitor, necnon Ilerden, & poſtmodum Dertuſen. Epiſcopus, prædicta regna ab hæreſibus cunctis vindicauit, in exequendo ſuo munere ita ſeuerus, vt delinquentibus terrorem vbique incuteret. Perſtitit in Inquiſitoris munere vſque ad annum 1512. quo nexu ſolutus luteo perrexit ad Chriſtum. *Diag. lib. 1.*

Bina præclariſſima Virginitatis lilia, virtutibus omnibus ſuauè ante conſpectum Dei olentia, ſociantur hoc anno cœleſtibus ſpiritibus, BB. Antonia de Brixia, & Dorotea de Ferraria. Illa mundanis delicijs ſpretis, Agnum ſequuta fuit in ſacris clauſtris ſub Dominicana toga in nobili Monaſterio Sanctæ Catharinæ Mart. Brixiæ; vbi regulari obſeruantiæ, ieiunijs, orationibus, diſciplinis, & cilicijs addicta cœleſtem ſponſum ſequuta per crucem, in vita miraculis coruſcans, ad gloriam in morte cum ipſo regnatura euolauit. *Plodius*.

Alterum fuit B. Dorotea de Ferraria, quæ defuncto viro cum duabus filiabus Senenſium monaſterium ingreſſa, tantis abundauit virtutibus; vt cœleſtibus delitijs, diuiniſque viſionibus non ſemel recreari promeruerit. Meditationi paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti aſſueta, dolorum ipſius particeps fieri corporis afflictione maxima, ſed ſpiritus exultatione, digna fuit. Denique prædicto mortis ſuæ die, & hora, euolauit in cœlum 16. Decemb. eius cadauere poſt multos annos incorrupto, & ſuauè olente, reperto. *Plodius*.

P. Barnabas Capograſſus Magiſter inſignis, in omnibus ſcientijs verſatus, hæreticæq; iniquitatis Gener. Inquiſitor vigilantiſſimus in Neapolitano Regno, apud Salernum tamen ſuo tribunali erecto, ex commiſſione Ferrantis Catholici Regis in Regia Cancellaria Neapolitana exiſtente, proceſſit hoc anno contra Striges, & Lamias, quarũ copioſa multitudo inundauerat Regnũ Neapolitanum, cum maximo,

ximo, infantium præcipuè, damno, neque nobilioribus parcentium. Multas igitur ex eis captas hoc anno, & ſequentibus viuas combuſſit, atque hoc pacto illas extirpauit. *Vallus in hiſt. Prou. Regni.*

Caput XIV.

P. THOMA DE VIO CAIETANO

Magiſtro Generali XXXVIII.

ANNO 1508. Sublato de terra viuentium Ioanne, conſtitutus eſt Apoſt. Iulij II. auctoritate Vicarius Ord. P. Thomas de Vio Caietanus, in Romana Curia tunc Procuratoris Gen. officium exercens, ex prouincia Regni; qui non excedens quadrageſimum ætatis annum, in Generali Capitulo Romæ anno 1508. congregato Magiſter Ordinis ſalutatus eſt à vocalibus cunctis, tanto honore dignus iudicatus; quamquam à paucis ob defectum maturæ ætatis, reprobatus. P. autem Nicolaus de Alemania, Sciomberg dictus, & ipſe ætate minùs prouectus, facundia tamen, ingenijque, ac generis claritate, necnon & morum elegantia multis præſtans, conſtitutus eſt Procurator Ordinis. Gratulabatur Apoſtolica Curia cum Card. Oliuerio Protectore, qui electioni interfuerat, eò quod Prædicatorum Ord. præfectus eſſet Thomas, qui pro eodem ordine toties, in literario certamine maximè, poſitus fuerat murus, & antemurale: præcipuum autem memoratur illud, habitum Romę ſub Vincentio Bandello, præſentibus S.R.E. Cardinalibus, ſapientibuſque Vrbis, & Curiæ omnibus, vbi cum celebri viro illo Pico Mirandulano, æquis concurrerat lanceis, ſtrenueque congreſſus, ſibi doctiſſimi viri nomen, ne dum in Curia, ſed in Italia tota vindicauit *Olmeda.*

Aſſumptus ad Ordinis regimen Thomas Caietanus ſtatim animum applicuit ad fidei Catholicæ, & ſtudiorum promotionem; & cum pro his ordinationes optimas edidiſſet pro conſeruatione puritatis fidei catholicæ in Chriſtiano Orbè, & Germania maximè, multos hæreticæ prauitatis Inquiſitores inſtituit: & quidem in Gallia P. Guillelmum Petit, Inquiſitorem Generalem: Burdegalæ P. Ioannem de Fraxinis. Apud Tornacum. P. Danielem Alarts. Parmæ P. Antonium de Caſali: Brixiæ P. Silueſtrum de Brierio. Bergomi P. Io. Baptiſtam de Cremona. Nouariæ P. Dominicum de Mediolano. Et pro conuerſione Gentilium in Indijs plures Fratres miſit ad inſulam Hiſpaniolæ. *Ex Regeſtis eiuſd. Caiet.*

Eodem anno in Regno Poloniæ ab Inquiſitore Cracouienſe P. Nicolao Znenenſi publico igni adiudicatus eſt Iudæus quidam, ſocijs ſuſpendio necatis, qui ſacratiſſimam hoſtiam ex pyxide in B. Virginis æde exiſtente extraxerat, ludibrijs, & iniurijs affecerat, necnon pedibus conculcauerat. In Doctorum igitur Eccleſiaſticorum, & populi frequenti multitudine, conſtitutus eſt Iudæus ſuper ſcalam altam, vt in omnium conſpectu appareret, ibique ab inquiſitore increpatus, & de ſcelere conuictus, traditus eſt brachio ſeculari comburendus viuus, timore maximo cæteris Iudæis incuſſo. *Bzou. cap. 8.*

In Regno autē Neapolitano P. Barnabas Capograſſus (de quo an. antecedenti.) Inquiſitor, in Salernitano conuentu S. Mariæ de Porta ſuum tribunal conſtituens nobiles aliquos in fide deficientes, auxilio à Ferrante Catholico Rege obtēto, cōdignis ſupplicijs vexauit, pluribus

alijs

alijs pertinacibus, ſeu relapſis igne conſumptis. Quare tantum cœteris timorem incuſſit, vt nullus hæreticos fouère, ſeu recipere auderet, ne Barnabæ rigorem experiretur. *Grauina pro Sac. Depoſ.*

Noua Chriſti ſponſa datur cœlo etiam hoc anno B. Euſtachia de Ferraria, Virgo Sanctiſſima ex Senen. Monaſterio, quæ Virginitatem ſuam Deo adhuc in tenera ætate conſecrarat, terrenum ſponſum euitatura. Miros fecerat in virtutibus progreſsùs; & licet infirmitatibus corporis depreſſa, in meditatione tamen paſſionis Chriſti Domini mente eleuata, promeruerat varijs apparitionibus cœleſtibus recreari, & lactentis pueri Ieſu dulcibus amplexibus honorari. Euolauit in cœlum die 24. Ianuarij. *Plodius.*

Magdalius Iacobus Gandauus ſcripſit CorrectoriumBibliorum, necnon & compendium eorundem, quod Coloniæ hoc anno in lucem prodijt, cum eſſet Author in Græcis, Hebraicisque literis verſatiſſimus. *Mirreus.*

ANNO 1509. cum Bentiuolorum familia tyrranicum dominiumCiuitatis Bononienſis, eiuſque ditionis, ſibi in damnum Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedis, (ad quam eius directum dominium ſpectabat) vſurpaſſet, Iulius Pontifex Bentiuolos ſolemni ritu anathemate percuſſit, donec Apoſtolicæ Sedi, quod ſuum erat, reſtituerent, atq; Eccleſiaſtico interdicto ciuitatem, fautoreſque Bentiuolorum ſubiecit. Omnem conatum adhibuère illi, vt diras, à Pontifice Max. illatas contemnerent Bononienſes, atque Eccleſiaſtici maximè, quibus tamē nullo pacto Fratres Prædicatores acquieſcere voluere; nam clauſis foribus Eccleſiæ, diuina celebrabant, & cum excommunicatis ſocietatem habere recuſabant. Doluit de hoc ciuitatis tyrannus: & cum nec minis, nec blanditijs eos in ſuam ſententiam trahere poſſet, Priorem conuentus cum principalioribus Patribus è ciuitate eiecit: Egreſſi ſunt igitur illi Bononia cantantes. *Te Deum laudamus, &c.* Et laudantes Deum quòd pro Eccleſia Sancta, & fidelitate erga Apoſtolicam Sedem exilium ſubire cogerentur. *Luſitan. in Chronico.*

Expugnata apud Afros ab Hiſpanis hoc anno ciuitate de Oran, Fratres Prædicatores auctoritate Regia, illicò in eadem conuentum, amplamque Eccleſiam conſtruxère maximo cum fidei Catholicæ augmento; nam ſacris prædicationibus addicti, innumeros infideles abiecta ſuperſtitione, ſacro regenerationis lauacro Chriſti gregi ſociauere, qui ad eandem Eccleſiam in ſuis neceſſitatibus, & ſingulari ad B. Virginem de Roſario fiducia confugiebant. *Lopez. p. 5.*

Thomas autem Caietanus Generalis Magiſter, puritatis Catholicę fidei promouendæ ſtudioſiſſimus, hæreticæ prauitatis Inquiſitores, viros prudentes, ac Sagaces inſtituit: & quidem P. Gulielmum AEgidium apud Diuionem in Gallia, & P. Matthæum Figuli apud Metas: P. Iacobum Tetzel in Polonia, & P. Ioannem Solez in Saxonia, qui viriliter Chriſti gregem cuſtodientes, eum à zizanijs hæreticorum vindicarunt. *Ex Regeſtis eiuſdem.*

Virginum cœleſti choro ſociata eſt hoc anno 18. Auguſti Soror Paula de Ferraria ex conuentu S. Catharinæ Mart. quæ in regulari obſeruantia enutrita, vigilijs, orationibus, ac cilicijs corpus domans, ſpiritui ſeruire cogebat. Erga Domini paſſionem, & crucem maximo deuotionis affectu ducebatur, illamq; frequentibus meditationibus venerabatur; incredibili autem mortis metu exagitabatur, ad quā, vt ſe præpararet, diuinitus monita, ſtatim eiuſdem timore depoſito, feruentioribus orationibus, ac pœnitentijs munita illi occurrit poſt acerbiſſimorum dolorum dies tres, in cœlum euolans, nobili virginitatis corona redimita. *Plodius.*

ANNO 1510. Petente Rege à Pontifice Iulio Magiſter Ordinis Thomas Caietanus præcepit Prouinciali Hiſpaniæ, vt Inſulam Hiſpaniolam, ſeu S. Dominici dirigeret Fratres zelum Dei habentes, Apoſtolicos commiſſarios, qui plures ſelectos illuc deſtinauit, inter quos recenſetur Generalis Vicarius R. P. Petrus de Corduba, & cum eo P. Dominicus Mendozza; P. Thomas da Auila, P. Bernardus de S. Dominico, & P. Thomas Barlanga; qui ad Indos profecti, & Euangelium Dei Gentilibus illis annunciantes, Eccleſias, conuentùs, parochiaſque in Indorum ſalutem erexère, ex quibus copioſam multitudinē ſacro lauacro Deo regenerantes, per viam ſalutis ad æternam vitam direxère. Inter eos autem P. Petrus de Corduba primus Fidei Inquiſitor, & Thomas Barlanga primus Prior, ibidem effulsère: *Ex Regeſt. eiuſd. Caiet. & Lefeburè in Manual. Hiſtor.*

Caietanus verò Mag. Generalis pro conſeruanda fidei puritate Inquiſitores inſtiuit, apud Caſalem Montis Ferrati P. Sabaſtianum de Alexandria, apud Salutium P. Auguſtinum de Papia, apud Coloniam P. Iacobum Blonſter, & apud Tridentum P. Sebaſtianum de Padoua. *Ex Regeſt. eiuſd.*

In Aragoniæ Prouincia P. Balthſar Sorius ſcripſit contra errores, & blaſpemias ab hæreticis in eo Regno diſſeminatas. Erexit inſuper Collegium Dertuſenſe in Cathalonia ad educandos in fide Catholica, atque literis, tam humanis, quàm diuinis Neophitorum filios imbuendos & hoc modo in Catholica fide perſeuerarent, alioſque in eadem continerent: Ex quo magnos progreſsùs in Chriſtiana Religione ijdem Neophiti, Mahumetana ſectæ naturaliter addicti, eàdem reprobata perceperunt. *Diag. lib.* 1.

P. Io. Enguera Catholici Regis Confeſſarius, & Generalis Inquiſitor in Regnis Nauarræ, Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ, de quo ſupra an. 1507. tribunal illud cum ſingulari nitoris Catholicæ fidei conſeruatione regens, contra impios blaphemos ſpecialiter, & cum omni rigore, necnon, & nobiles aliquos iudaizantes proceſſit, atque abiuratione facta ſolemni iuxta canonicarum Sanctionum decreta ſeuerè caſtigauit. *Diag. lib.* 4.

Apud Toloſam ſacrum Inquiſitionis tribunal regebat P. Galliardus de Petra ſuffectus Antonio, de quo an. 1483. Hic anteceſſorum ſuorum viſtigia ſequutus, contra hæreticos inſæuire non ceſſauit, verbo, calamo, ſcriptis, gladio ſpiritùs, pœnis, vinculis, igne, ac ferro, vt Catholicos in fide conſtabiliret, hæreticoſq; exterminaret. Quare per caſtra, & Ciuitates ſuo tribunali ſubiectas incedens, quotquot ex illis ibidem latitantes inuenit, condignis ſupplicijs caſtigauit, eorum habitaculis igne conſumptis. Hic in tranſlatione corporum SS. Simonis, & Iudæ, ſequenti anno facta, doctum ſermonem coram populi multitudine innumera habuit; & tandem an. 1514. annorum pondere onuſtus defecit. *Ex Relat. Arch. Toloſanui.*

ANNO 1511. Die 16. Maij conuenientes in vnum tres S. R. E. Cardinales Mediolani exiſtentes, nempe Bernardinus tit. S. Crucis, Guillelmus Card. Narbonen. atque Franciſcus Card. Cuſentinus, auditiſque inſtantijs à Procuratoribus Maximiliani Cæſaris factis; necnon. Ludouici Regis Chriſtianiſſimi, de concilij celebratione ex Synodi Conſtantienſis decreto, cuius indictionem Iulius Papa II. vltra condictum terminum ob varia impedimenta pluribus inuiſa diſtulerat, tam ſuo nomine, quàm ſex aliorum Cardd. quorum ſe ſpeciale mandatum habere profitebantur, nempe Philippi Epiſcopi Tuſculani, Hadriani

driani tit. S. Chriſogoni, Renati tit. S. Sabinæ, Caroli tit. S. Viti Presb. nec non Friderici tit. S. Angeli, & Hippolyti tit. S. Luciæ in Silice Diaconorum Cardd. cæterorumque aliorum eis adhærentium indixerè Generale Eccleſiæ Concilium, Piſis Kal. Septebris eiuſdem anni inchoandum, rogaueruntque Pontificem Iulium, vt per ſe, vel Procuratores ſuos eidem intereſſe vellet. At Pontifex damnum maximum, quòd ex tali conciliabulo Catholicæ Eccleſiæ prouenire poterat, animaduertens, Generale Concilium Romæ in Lateranenſi Baſilica celebrandum die 16. Aprilis ſequentis anni 1512: indixit in orbe Chriſtiano cum conſuetis ſolemnitatibus. His tamen non acquieuère Cardinales præfati, Iulio Pontifici malè affecti; nam Concilij conuocatione in valuis Eccleſiarum Mutinenſis, Reghien, & Parmen. affigi mandauère, qua cunctos Chriſtiani orbis Paſtores ad Concilij Piſani celebrationem vocabant. Diſplicuit ſupra modum Pontifici Max. facta conuocatio, quam de conſenſu aliorum Cardinalium, qui ſibi adhærebant, ac de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, irritam, nullam, ac inanem declarauit, atque anathematis, & maledictionis æternæ pœnam in eos, qui eidem Conciliabulo intereſſent, adhærèrent, ſeu fauèrent promulgauit. *Spondan. in Annal. an. 1511. num. 11.*

Nunciata præfatis Cardinalibus damnatione Piſani conciliabuli, apologiam promulgarunt in Burgo S. Domnini tres primi Cardinales, qui ex Mediolano illuc conuenerant, die 27. Setembr. ad conſiliorum ſuorum, & indictionis Concilij ſui, & criminum ſibi impoſitorum purgationem à Iulio Pont. in edicto Synodi Lateranen. Nec his contenti, conſilium Philippi Decij Iuris conſulti celeberrimi Mediolanenſis itidem promulgarunt, quo conuocatum Concilium Piſanum, legitimum, & iuridicum fore, etiam Pontifice contradicente, aſſeuerabat. Aduerſus tamen huiuſmodi ſegregum ſcripta calamum acuit Reuerendiſs. noſter Generalis Magiſter, ac ſapientiſſimus doctor F. Thomas de Vio Caietanus, quod illis maximam incuſſit formidinem. *Spondan. vbi ſupra num. 20. & an. 1512. num. 15.*

Neque his contentus Thomas, delegit tres ex Ordine ſibi ſubditos, viros doctiſſimos ampla ſua auctoritate munitos ſuper Fratres noſtri Piſani conuentus, quos & Piſas direxit, inchoato Concilio ſe oppoſituros; animaduertens in hoc facturum ſe rem gratam Deo, Iulioque Pontifici Max. gratiſſimam. Delegauit ergò illuc PP. FF. Auguſtinum Nallium Raguſinum Studij Generalis Bononienſis Regentem; virum doctiſſimum, poſtmodum Mercanen. Epiſcopum, Matthæum de Lulmo Prouincialem Lombardiæ, deinde Loadicenum Paſtorem, necnon Bartholomæum Rondaninum Fauentinum, viros tam in cathedris, quàm in ſuggeſtu præſtantiſſimos, ac facundiſſimos, vt noſtros, atque aliorum Ordinum Religioſos, Clerum, ac populum in fidelitate erga Romanum Pontificem Iulium conſtabilirent. Perrexère illi, & concionibus aſſiduis; nec non frequentibus diſputationibus, probauère Piſanum, non Concilium, ſed conciliabulum eſſe, dira à Iulio Papa contra illi adhærentes, ac fauentes, emanata annunciantes. Et hi ita Religioſos cunctos in ſuam traxère ſententiam, vt inuitati à ſeditioſis ad interueniendum conciliabulo, profiterentur ſinguli, ſe ad illud acceſſuros, ſi Fratres Prædicatores id quoque præſtarent. At hi non ſolum ei non adheſère, verùm contrarium cunctis ſuaſère; quinimo, cum proceſſione de more Conciliorum inſtructa, cuncti refractarij per ciuitatem incedentes, principalioreſque Eccleſias viſitantes ad noſtrum S. Catarinæ martyris

templum acceſſiſent, reſtitère in faciem conciliabuli Prædicatores, & occluſis Eccleſiæ, ac conuentus foribus, noluerunt illius fautores, tanquam excommunicatos, ac iure merito execratos, in ſua recipere; quod factum tantam attulit refractarijs confuſionem, vt inſtructam proceſſionem diſſoluentes, in rabiem acti, igne, atque ferro, & cœnobium noſtrum cum Eccleſia flammis, & Fratres armis perdere attentauerint. At Fratres in Domino, cuius cauſa agebatur, confiſi, ſupra Eccleſiæ tecta aſcendentes, tegulis, ac ſaxis hinc inde proiectis, refractarios in fugam coniecère. Interim nobilibus quibuſdam cum affecto nobis populo accurrentibus, meditata mala non compleuerunt illi, factaque eſt propter hoc tanta inter Piſanos diſcordia, ac popularis tumultus, ut refractarij Piſas deſerere, Mediolanumque petere coacti ſint. Quo facto maximam, Iulij Pontificis, Romanæ Curiæ, cœterorumque fidelium, obtinuère Fratres noſtri beneuolentiam. In tanti igitur facti perpetuum poſterorum documentum, fores Eccleſiæ in fautores Conciliabuli clauſas, ex proprio loco euulſas in anteriori facie eiuſdē ſuſpenderunt noſtri, ex Reipublicæ Florentinæ beneplacito, cui ſubdebantur Piſani, permansère autem in eodem loco ſupra centum annos vſque ad noſtra tempora, vt nos ipſi vidimus an. 1640. tamdemque temporis iniuria marcidæ, ab incauto Priore præteritis annis fuerunt igne conſumptæ. *Ex monumentis Conuentus Piſani, & Grauina in Præſcriptionibus tom. 4. part. 2. quæſt. 1. art. 10. Fernandez in Concertat. Præd. an. 1512. & Plodius part. 2. lib. 3. in vita Caietani.*

Eruditiſſimus autem vis Reginaldus Lucarinus Ciuitatis Plebis Epiſc. ex Ordine noſtro aſſumptus, qui die 10. Octob. 1671. nos præceſſit cum ſigno fidei, & dormit in ſomno pacis, de hoc conciliabolo loquens ita ait.

La coſtanza, che monſtrarono li noſtri frati nell' eſſecrare il Conciliabolo di Piſa, e deſcritta dal Grauina nelle ſue Preſcrizzioni tom. 4. p. 2. nella queſt. prima nell' Art. 10. al titolo de Conciliabolo Piſano, che è nel mio volume ſtampato in Napoli nel 1636. a carte 88. La deſtruzzione di queſto Conciliabolo fù l'opuſculo del Card. de Vio Caetano de Poteſtate Papæ, qua le il Conciliabolo mandò à Parigi alli Dottori di quell' Vniuerſità con vna lettera, ſtampata con l'iſteſſo Conciliabolo à Parigi nel 1512. in 4. ma quelli Dottori non hauendo poſſuto dirni in cantrario, il Conciliabolo ſi riſolſe in fumo.

Sed audiamus doctiſſimum virum Grauinam facundiori calamo rem omni memoria dignam æternitati conſacrantē. *Placuit*, inquit ipſe, ad *Eandem fortitudinem Prædicatorum oſtendendam, demonſtrare, quæ ſcripſit P. Thomas Nerius Florentinus Ord. Præd. in defenſione 4. ſuæ Apolog. cui concordant alij ſcriptores, & Chronicon Conuentus S. Marci de Florentia compoſitum à P. F. Zenobio Accraiolo, qui fuit ſub Leone X. Bibliothecarius Vaticanæ Bibliotheca, doctiſſimo Theologo linguarum Græcæ præſertim peritiſſimo; Thomæ verba hæc ſunt videlicet.* Patres Conciliabuli Piſani videntes Ordinum aliorum Religioſos id facturos eſſe, quòd P. P. Prædicatores in hac re præſtitiſſent, conuentum eorundem adeunt, S. Catherinæ dicatum ſub Congregatione S. Marci prouinciæ Romanæ recenſitum; P. F. Bartolemæum Rondeninum Fauentinū eximium Theologum, & canonicæ facultatis peritiſſimum, qui multis annis Canonum cathedram Bononiæ rexerat, & Sauonarolæ manibus ſacrum Religionis habitum ſumpſerat, adierunt, & ab illo extorquere conabantur, vnde cœterorum aſſenſus pendebat, celebrandi conciliabuli. Eidem promittebant ſchiſmatici, ſi cum Fratribus ſuis aſſentiri volebat eorum petitioni, in Collegium Cardinalium futurum

rum

rum Pontificem ipſum cooptaturum; In fauorem quoq; Dominicanorum ſententiam Conceptionis Deiparæ determinaturum, & ipſius Magiſtrum. (*Scilicet P. Hieronymum Sauonarolam*), & Patrem in Sanctorum albo repoſiturum. Quid ille cum Fratribus ſuis? Se eſſe filios Eccleſiæ profeſſi aiunt, quam etiam proprio cruore defenderent, & defendere parati erant. Qua reſponſione ſunt adeo pudefacti Schiſmatici, vt confuſi diſcederent; & diſſoluta eſt illa ſynagoga Sathanæ. *Hac ille in proprijs terminis, ſubdens: Oh inuictam* (Prædicatorum) *animi fortitudinem Præcurſoris imitatricem, cui cum Principatus offerretur Meſſiæ à Principibus Sacerdotum, renuit, confitendo, quod non eſſet Chriſtus*. Hæc P. Dominicus Grauina Cathol. Præſcript. tom. 4. part. 2. §. De Concilio Piſano.

Cum Canonicus quidam Regularis Mantuana in vrbe concionando aſſeruiſſet, Chriſtum Dominum iuxta B. Virginis cor extribus guttis ſanguinis fuiſſe conceptum; non verò in vtero, prout alij infantes, inſurrexit contra illum Inquiſitor Mantuanus P. Hieronymus de Fauentia, & captum coniecit in vincula. Appellante autem Canonico ad Pontificem Iulium, diſcuſſa eſt cauſa, & damnata errantis ſententia, quam valido calamo impugnauit Hieronymus, ſcriptis ſuis ad Pontificem miſſis. *Leand. Alb. & Param.*

Erant hoc tempore, & anno in Chriſtiano orbe Fratres Prædicatores, qui in turbinibus Eccleſiæ Chriſtianos Principes in debita obedientia erga S. Apoſtolicam Sedem, & Iulium Pontif. continère conabantur, exquibus numerantur P. Io. Pariſotti confeſſor Ducis Lotharingiæ, P. Io. confeſſarius Regis Poloniæ, P. Anſelmus confeſſor curiæ Regis Franciæ; necnon, & P. Guilelmus Regens ſtudij Pariſienſis, & confeſſarius ipſius Regis Franciæ, qui licet à Iulio Pontifice multiplicibus aſperitatibus laceſſitus fuiſſet, tamen diſtulit inſurgere armis validis, prout poterat, contra S. Matrem Eccleſiam, cuius caput ſibi infenſiſſimum agnoſcebat. *Ex Regeſt. Mag. Ord. & Lucarin.*

Thomas autē Caietanus de Eccleſia, fideq; Catholica ſollicitus, præter ea, quæ contra Piſanum conciliabulum parauerat, contra hæreſes murum ſe oppoſuit, plures Inquiſitores ad varias Chriſtiani orbis partes dirigendo. Et quidem P. Silueſtrum de Prierio pedemontanum, Mediolanenſem Inquiſitorem: P. Gregorium de Caſali, Brixienſem: P. Arnaldum, in Lotharingia, & P. Benedictum de Berna apud diœceſes Conſtantienſem, & Baſileenſem inſtituit. *Ex Regeſt. eiuſdem.*

P. Marcus Marcheſanus de Tipherno, eximius Sacræ Theologiæ Doctor, Commiſſarius Apoſtolicus à Iulio Pont. in toto Neapolitano Regno cum ampliſſima facultate conſtitutus, ad viſitandos, & reformandos omnes conuentus Fratrum Auguſtinianorum, regularis obſeruantiæ nitorem eiſdem reſtituit. *Lefeburi.*

Defuncto an. 1510. P. Benedicto Armeno, Armenæ Eccleſiæ, atque Chriſtianitatis Archiepiſcopo, populus de altero Paſtore conſequendo ſollicitus, P. Gregorium Armenum ſibi Archiepiſcopum elegit, Romamq; pro confirmatione conſequenda miſit. Venit in Vrbem electus, & non inuento Pontifice Max. Bononiam petijt, vbi à Iulio benigniſſimè acceptus, per interpretem ſtatum ſuæ Eccleſiæ eidem patefecit, & multis ſacris donarijs, ac veſtibus de manu Pontificis acceptis, in Vrbe conſecratus, in Armeniam reuerſus eſt, vbi ſibi creditum gregem ſanctiſſimè rexit vſque ad annum 1537. quo appoſitus eſt ad patres ſuos. *Galanus. Leander. Spondan. num. 35. an. ſeq.*

Dantur cœlo laudes à ſacris Virginibus, liliorum ſertis redimitis, Agnum ſponſum Virginum ad gloriam hoc anno ſequen-

ſequentibus, B. Veronica de Ferraria, & B. Ioanna ibidem de Ferraria, ex quibus prima, in monaſterio Martyrum, ſecunda verò in cœnobio Senenſium, in pietate vitaque regulari enutritæ; in paſſione Domini iugi meditatione feruentes ambæ, varijs cœleſtibus viſionibus, & apparitionibus fuère recreatæ, infantulo Ieſu cum B. Matre Sanctis, cœleſtibuſque ſpiritibus eiſdem ſe manifeſtantibus. Cilicijs, diſciplinis, ieiunijs, atque pœnitentijs indeficientibus exhauſtæ, in cœlum miraculis coruſcantes; prima quidem 6. Iulij, ſecunda verò 12. Apr. euolarunt *Plod.*

Cum conciliares in Piſano conciliabulo, multa in contemptum Iulij Pontificis, atque Apoſtolicæ Sedis damnum molierentur, idem Pontifex, vrgente Magiſtro Generali Caietano, pro dicto conciliabulo execrãdo indixit Generale Concilium Lateranenſe, quod Romæ die Lunæ x. Maij hoc anno inchoatum eſt, deluſis conciliaribus cum conciliabulo, ſathanæque miniſtris. *Spondan. in Annal.*

ANNO 1512. Cum conciliares, qui conciliabulum Piſanum inchoauerant Piſis, ex eadem ciuitate exire compulſi, poſt celebratam pſeudoſeſſionem 3. quartam apud Mediolanum celebrandam indixiſſent, (quam Vrbem in feſto S. Ambroſij, ſolemni pompa ſunt ingreſſi) ad diem 4. Ianuarij; ſtatim noſtri Prædicatores ad eorum aduentum cum alijs Religioſis conuenientes, occluſis foribus eccleſiarum, à ſacris celebrandis abſtinuère. P. Siluestro de Prierio Inquiſitore ſuadente: atque cooperante, propter quod ira maxima in conciliares exardecens populus Mediolanenſis, & tumultu facto in plebe, euanuit ſtatim conciliabulum, ſingulari cum exultatione Iulij Pontificis, qui noſtros Prædicatores conciliabuli impugnatores à Caietano Piſas miſſos, tanquam de Apoſtolica Sede benemeritos condignis præmijs, remunerationibuſq; affecit. Et quidem P. Matthæum de Lulmo Prouincialem Lombardiæ Laodicenum Epiſcopum creauit: P. Auguſtinum Nallium Mercanen. Paſtorem inſtituit, & P. Silueſtrum de Prierio Sacri Palatij Magiſtrum creauit: ipſo P. Bartholomæo Rondanino, non ſemel infulas recuſante. *Spondan. in Annal. num. 23. & 24. & Luſit. in Chron.*

Erat Matthæus Lulmus ex Diœceſi Nouocomen. Ludouico Mediolanen. Duci in paucis charus, qui ab eo rogatus, vt concilabulo Piſano intereſſet contra Pontificem, Piſas quidem adijt, conciliabulo tamen non interfuit, ſed illud & verbo, & ſcripto, & in publicis prædicationibus, ac priuatis colloquijs, cõgreſſum Sathanæ vocauit, ſtrenuè impugnauit, confutauitque: quare à Mediolanenſi ſtatu indignati Ludouici iuſſu exulare coactus, infra annum mortuus eſt, laborum ſuorum præmia ab æterno iudice percepturus; corpore ad Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum apud Mediolanum tranſlato. *Luſitanus in Chron.*

P. Io. Pereda, & Thomas Rami, viri morum candore, regulari obſeruantia, atque doctrina ſpectabiles, Apoſtolica, & Regia auctoritate Ciſtercienſis Ordinis Monaſteria cuncta in Regno Caſtellæ viſitantes, illa ad religioſam viuendi normam reduxère iuxta propria inſtituta. *Lefeburè in Man. Chron.*

P. autem Bonifacius Ferrier viſitauit omnes Prioratus, & Commendas Religionis S. Ioannis Hieroſolymit. in Regnis Caſtellæ, & Legionis, Apoſtolica, & Philiberti Principis auctoritate. *Lefeburè ibidem.*

Diriguntur noui Miſſionarij Apoſtolici ad Indos ex Magiſtri Ordin. Caietani decreto Prædicatores multi pro conuerſione Gentilium, inter quos recenſentur; PP. Antonius Montelin, Franciſcus de Cardona, & Io. Garcez, qui in Inſulam gemma-

gemmarum properantes, ibidem conſtabilitis Eccleſia, & conuentu ſub nomine S. Fidei, afflante Deo innumeros gentiles, execrato idolorũ cultu ſacro lauacro Chriſto Domino regenerarunt. *Leſeburè ibid.*

Præterea pro maiori euangelij dilatatione, fideique Chriſtianæ ſeruanda puritate idem Caietanus noſtrum Prouincialem Græciæ Generalem Vicarium ſuum in Terraſancta nominauit, mandans illi in ſanctæ meritum obedientiæ, vt quotquot aptos haberet, Fratres in terram Sanctam quantocyus mitteret pro infidelium conuerſione, atque fidelium in fidei catholicæ veritate confirmandorum; & ne Græciæ prouincia, etiam ipſa inter infideles maiori ex parte conſtituta, neceſſarijs euangelij miniſtris priuaretur, multos Fratres ad illam deſtinauit. *Ex Regeſtis eiuſdem.*

P. Cyprianus Benetus Aragonen. inſignis Pariſinus Doctor calamum in Conciliabulum Piſanum eiuſque aſſeclas acuit euulgando librum cum 4. tractatibus. *De Concilio, de Eccleſiaſtica poteſtate, de prima orbis Sede, & de Papæ Dominio,* quem Iulio II. Pontifici, impreſſum hoc anno Romæ dicauit, Patribuſque Concilij obtulit: opus verè egregium, opportuno tempore euulgatum Pontifici Max. & Patribus gratiſſimum. *Mirræus de ſcript. Eccl.*

Dum hæc agerentur in orbe, proſequebatur Generale Lateranenſe Concilium in Vrbe, à Iulio Pontifice indictum, cui multi ex Prædicatoribus interfuère, & inter eos numerantur, ipſe Magiſter Ordinis Caietanus, cum P. Nicolao Sciomberg Procuratore Generali; necnon & infulati Patres, Thomas de Albizis Epiſcop. Cellien. Thomas Siculus Ep. Minoren. Bendictus Paganottus Ep. Vaſionen. Auguſtinus Nallius Ep. Mercanen. Paſchaſius Hiſpanus Ep. Burgen. & Ludouicus Viterbien. Ep. Signinus, alij quidem ſub Iulio, alij verò ſub Leone Pont. alij ſub vtroq; (exquibus duo poſtremi in eodem Cõcilio hoc anno defecère, eorũ cadaueribus ad Mineruã delatis), & P. Barthol. à Senicia Ep. Iuſtinop. *Ex Vgh. & ſcript. Ord.*

In eodem Concilio ſeſſ. 17. Kalendis Iunij hoc anno habita, Reuerendiſs. noſter Generalis Magiſter Ord. doctiſſimam orationem coram Pontifice Max. & Patribus de pace, atque vnitate Eccleſiæ dixit, quam idem Pontifex, inſtantibus Concilij Patribus imprimi, & Actis eiuſdem Concilij apponi madauit; vt P. Nicolaus Sciomberg noſter Proc. Ord. in ſua Epiſtola dedicatoria (quam vidimus) refert, facta ad Card. Strigonien. quam, & ſi hoc loco digniſſimam, non recenſemus. *Lucarinus & Caranza.*

Idem Mag. Caietanus eulgauit in Concilio opuſculum de poteſtate Papæ, & Concilij, quod Refractarijs Conciliabuli multum timorem incuſſit: nam hi poſt primam ſeſſionem habitam, cum eiuſdem opuſculi exemplar ad eorum manus peruenisset, mittendum voluere ad Pariſien. Vniuerſitatem, quæ illis tunc temporis fauebat, per Gaufredum Bouſſardum eius Cancellarium, quod opuſculum vocabant. *Libellum ſuſpectum & plenum iniurijs contra Concilium Conſtantienſe, & Baſileenſe, ac iſtud Piſanum, & contra Io: Gerſonem, optimum Eccleſiæ defenſorem, compoſitum per quendam Fratrem Gaietanum, hominem audacem, & periculoſum.* Quo ab eadem Vniuerſitate examinato, diſcuſſoque, factam reſolutionem ad ſe mitti præcati ſunt. Fructum autem Eccleſiæ S. Dei qualem attulerit opuſculum illud, retulimus ſupra ex Lucarino, & Spondan. num. 15.

Promulgato Caietani Libello de poteſtate Papæ, & Concilij in Gallia, & Anglia, Ludouicus XII. Galliæ Rex Iulio Pontifici infeſiſſimus, per Petrum Cordier Oratorem ſuum Epiſtolam menſe Decemb. huius anni ſcripſit Regibus

Scotiæ Daniæ, & Noruegiæ, vt eos ab obedientia Iulij auuerteret, atque ad fouendum conciliarios Piſanos induceret. Cumque in Scotiam perueniſset, Iacobus Rex conuocatis Eccleſiaſticis, Archiepp. & Epiſcopis, necnon Clero, & Doctoribus, petitiones Ludouici eiſdem propoſuit, vt quid hoc in negotio præſtandum eſset, decernerent. At in publico eorum conſeſsu cum lectum fuiſset Caietani opuſculum de auctoritate Papæ, & Concilij, eiuſdemque doctrinam, atque rationes comprobaſſent, decreuerũt ſtandum eſſe in obedientia Iulij Pontificis, neque in hoc audiendos eſſe conciliares Piſanos cum Ludouico Galliæ Rege. Hæc ſtatuit Scotiæ Eccleſia, licet poſtmodum Iacobus Rex, ne amicitiam perderet Ludouici, conciliarijs adhæſerit. *Spondanus num.* 17.

Virginitatis lilium fragrantiſſimũ cœlitibus dedit hoc anno 4. Februarij inclytum Monaſterium Martyrum Ferrariæ, B. Agnetem Seraphinam, ſpectatæ virtutis, & obedientiæ Virginem, quæ humanarum rerum pertæſa, Ieſu Chriſto Sponſo ſuo per iugem meditationem iuncta ſemper erat. Ieiunijs, cilicijs, & orationibus aſſueta, omnia præter Chriſtum arbitrabatur vt ſtercora, cuius apud eum erat aſſidua precatio. *Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine*. Multiplicibus reuelationibus diuinis cõſolata, prædicto mortis die, euolauit in cœlum plurimis miraculis refulgens. *Plodius*.

Hermanus Riſſuich in Hollãdia, ſeu Batauia, Hagæ hoc an. per Inquiſitorẽ noſtrũ captus, & ſæculari brachio traditus, viuus in publico foro coram numeroſa populi multitudine combuſtus eſt, cuius hæreſes, ac deliramenta refert Spondanus ſub hoc anno num. 37. *Ex eodem Spondan.*

ANNO 1513. Mortuo P. Ioanne Enguera Generali Inquiſitore in Regno Aragoniæ, Valentiæ, Nauarræ, atque Principatu Cataloniæ, in eius locum conſtitutus eſt Inquiſitor P. Io: Pau, qui tantum munus vigilantiſſimè in hæreticorum perniciem, atque interitum, & Catholicæ fidei incrementum maximum exercuit pluribus annis. *Paramus lib.* 2.

A Magiſtro quoque Ordinis Caiet. P. Baptiſta Gallus factus eſt Lauſanenſis Inquiſitor, & P. Iacobus Atrebatenſis in Arteſia. *Ex Regeſt. eiuſd.*

Apud Indos meſſem multam congregabant in horrea Eccleſiæ Prædicatores, ibidem Apoſtolici Miſſionarij, Idololatras ad Catholicam fidem per ſacrum Baptiſmi lauacrum attrahentes, inter quos tanquam ſol inter ſtellas emicabat P. Thomas Ortiz Hiſpanus vnus ex noſtris, qui Indorum corda prædicationis, & Euangelij vomere ſulcarunt, fuitque Mexicani conuentus, vel primus, vel principalis fundator, vir verè Apoſtolicus. *Luſitan. in Chron.*

P. Petrus de Corduba Hiſpanus, vir vitæ exemplo, pietate, ac charitate inſignis ad Inſulas maris Oceani ſub Zona torrida, Apoſtolicus etiam pro dilatatione Euangelij, & conuerſione Gentilium, Idola adorantium, Miſſionarius deſtinatus, diligentiſſimè, & magno cum fructu, in vinea Domini laborauit, ita vt multa millia eorumdem, & ad Catholicam fidem attraxerit, & propria manu baptizauerit, conuentus, & Eccleſias Ordinis ſub regulari obſeruantia fundauerit, atq; Chriſtianam fidem inter barbaros illos ſtabilierit, vir verè potens in opere, & ſermone. *Ex eod. Luſitan. in Chron.*

Aſſumuntur multi ad paſtorale onus varijs in Eccleſijs pro ſalute ouium Chriſti ſuſtinendum, ſpectatæ virtutis, & charitatis viri, inter quos mirabiliter effulſit P. Yuo Mayeuc Gallus ex Leonen. diœceſi apud Montemrelaxum ad ordinem

receptus factus Epiſcopus Redonen. in Gallia, qui Annæ Reginæ Ducisſæ Britanniæ Carolo VIII. & Ludouico XII. à ſacris confeſſionibus fuit, & tot virtutibus, ac miraculis claruit, vt Beati titulo in Gallia eius effigies impreſſa, & euulgata ſit, de quo infra ad annũ 1541. P. Augnſtinus Iuſtinianus factus Ep. Herbinen. à Leone X. &. P. Dominicus Albienſis promotus eſt Ep. Ennen. à Iulio II. qui in Actis Capituli Genaralis apud Genuam hoc anno celebrati reperitur receptus ad gratias, & beneficia Ord. *Ex Act. Conſiſt. Leon. X. & Capit. Gen.*

Petrus de Mendozza Ducis dell' Infantado filius ſpretis viriliter ſeculo, & pompis eius Dominicanam togã induit, ſub qua mirabiles fecit progreſſus in Eccleſia S. Dei. *Lefeburè Manual. Hiſt.*

Roſa Caſtigatis fragrantiſſima, Soror Margharita Fontana de Mutina cœlo offertur à Dominicana Religione, fœcunda ſanctorum matre hoc anno; quæ Tertiariarum habitu induta, atque in paterna nobili domo orationibus, vigilijs, diſciplinis, atque mortificationibus, & ſingulariter charitatis operibus addicta, dum, vrgente cabritate apud Lombardiam, & Mutinam maximè, panem pauperibus miniſtraret, idque à fratre vetitum eidem fuiſſet; & vna inter alias vice id præſtitura, ad ianuam domus per ſcalas deſcenderet, in fratrem incidit, qui aperto per vim gremio, roſis plenum illud inuenit, ipſoque abeunte, roſæ in panem reuerſæ ſunt, quem pauperibus diſtribuit, alijſque miraculis corruſcans euolauit in cœlum, pluribus votiuis tabellis eius ſepulchro à fidelibus appenſis. *Plodius.*

Hoc anno Leo Papa X. conquiſitis ex omnibus orbis partibus viris doctiſſimis nouam Sundauit in Vrbe Sapientiam, in qua prima Theologiæ cathedra Prædicatorum Ordini perpetuis futuris temporibus data eſt, vt ſana, & ſancta D. Thomæ doctrina enodaretur, dimiſſis ſcholis ex ſacro Palatio, fuitque primus in ea lector Pater Nicolaus Sciumberg Procurator Ord. eamque regunt noſtri Procuratores Generales pro tempore. *Spondan. num. 20. & Lucarin.*

ANNO 1514. P. Antonius de Caſali Comenſis Inquiſitor, accerrimus hæreticorum impugnator contra quoſdam deliteſcentes hæreticos, nouam hæreſim ſapientes, viriliter inſurrexit, multos carceribus addixit, plures pœnitentiæ habitu induit, & ſupra triginta pertinaces ſeculari brachio relaxauit, qui omnes in nobiliori ciuitatis foro apud cathedralem Eccleſiam patibulo ſuſpenſi, temeritatis propriæ luère pœnam, conſumptis igne corporibus, quo facto multos alios hæreticos in fugam dedit, ne & ipſi tali ſupplicio plecterentur. *Leander Albertus lib. 4.*

P. Vincentius Theodorici Harlemius Bataus S. Theologiæ doctor famoſus Louaniẽſiſq; Theolg. ſtudiorum Regens, puritatis fidei zelator feruidus, etiam ipſe, contra impia deliramenta Deſiderij Eraſmi Reterodani inſurrexit, libellumque titulo *Taxandri* euulgauit, eiuſdem Eraſmi iudicio, indoctum, inſulſum, & mendacem iudicatum, eò quod ſibi infenſiſſimum illum agnoſceret. *Bibliot. Belg.*

Hoc anno, & tempore Patres noſtri, qui ſuperioribus annis Apoſtolici Miſſionarij ad Occidentales Indos, dilatandæ Catholicæ fidei cauſa, apud Inſulam Hiſpaniolam, S. Dominici dictam, profecti, multos ibidem fructus inter Idololatras produxerant, apud Prouincias Cubagua, Maracapana, & Chirbehi gentiles multos, & inter eos nobiles plures Chriſto lucrifecère. *F. Io: à Cruce in Hiſt. Prædicat.*

Erant hoc quoque anno, & tempore in Orbe diuini verbi præcones præſtantiſſimi, qui ſuis ſacris prædicationibus catholicos in fide conſtabiliebant, hereticos

ad illam vocabant, peccatores ad pœnitentiam, meretrices ad lacrymas, atq; perditos homines ad abdicanda ſcelera inducebant, Spiritu Sancto eorum linguas dirigente. Et quidē in Gallijs P.P. Guillelmus Pipinus Ebroicenſis, & Guillelmus Parui, qui à Rege Galliæ ſuorū filiorum ſuæ iuuentuti moderandæ præfectus, eam per ſemitam mandatorum Dei direxit. In Hiſpania P. P. Paulus de Legione, & Garzias Vaion. In Saxonia Ioannes Lichevez, & Ioannes de Numberg. In Polonia Paulus Bucha atq; Ioannes Cracouienſis, Martinus, & Ioannes Magis Lmiza. In Italia Philippus Moſotus, Matthias de Pontecuruo, & Calimerius ex Monte Claro, omnes viri doctrina, & pietate feruidi, qui impijs Lutheri latratibus, ac blaſphemijs ſe opponentes, illius, & ſequacium deliramenta, veſanias, ac vafritiem in populis è ſugeſtu propalantes, catholicos in vera fide conſolidabant. Deoque cooperante; multas etiam peccatorum animas cœlo per pœnitentiæ amplexum dabant. *Luſitan. in Chron.*

Pontificia auctoritate Leonis X. à Thoma Caietano Mag. Generali mittuntur plures Apoſtolici Miſſionarij pro gentium conuerſione in diuerſa Indiarum Regna ſub directione, & gubernio P. Ludouici Cancelli, ſeu Canceri; qui cum ad Indos declinaſſent, aliquibus in circum adiacentia Regna properantibus cum ipſo P. Ludouico, efferatis illis gentibus, ac barbaris, araneis, formicis, lacertis, ſerpentibuſque victitare conſuetis Euangelium Ieſu Chriſti conſtanti pectore prædicauerunt, paucis tamen eiſdem adherētibus. Suſtinuère ibi pauperes Religioſi anguſtias multas in fame, & ſiti, non habentes quid manducarent; abhorrebant enim ab illorum cibis, alijſq; conſimilibus animalibus; vnde herbarum radicibus, & aquis quandoque lutuoſis nutriebantur, & piſcibus. At breui annorum decurſu ferè omnes Miſſionarij inter tot anguſtias perière, ad Dominum properantes, P. Ludouico cum paucis ſuperſtite, qui per triginta annos in regionibus illis prædicans ipſis efferatis gentibus, multas mulieres, paucis viris, ſacro lauacro regenerauit Eccleſiæ. De quo infra an. 1545. *Spondan. ad an.* 1412: *num.* 36.

ANNO 1515. Congregatum fuit Generale Capitulum apud Neapolim, in quo plurima ordinata ſunt pro conſtabilienda in Ordine regulari obſeruantia, propagandaq; in orbe, apud Indos maximè, tam occidentales, quam orientales catholica fide, in quo Capitulo Pontifex Max. Leo X. diſpenſauit cum Fratribus ſuper eſum carnium. *Vallus in Hiſt. Prouin. Regni.*

Leo Pontifex P. Ioannem Mariam Canigianum Florentinum, virum in regulari obſeruantia ſub P. Hieronymo Sauonarola apud S. Marcum Florentiæ ab adoleſcentia enutritum, Abbatem Generalem Ordinis Vallis vmbroſæ creauit; vt Monachos illos ad priſtinum regularis obſeruantiæ rigorem reuocaret; qui in hunc modum fuit receptus ad gratias, & beneficia Ordinis in eodem Generali Capitulo. *Item acceptamus ad beneficia, & ſuffragia Ordinis Reuerendiſſ. P. F. Ioannem Mariam Canigianum ex noſtro Ordine per ſanctiſſimum Dom. noſtrum in Abbatem Generalem Ordinis Vallisumbroſæ aſſumptum.* Ex Act. Eiuſd. Capit.

Celebris fuit apud Hiſpanos hoc anno, & tempore Soror Maria, de S. Dominico dicta, Sanctitatis eximiæ Virgo, in maxima veneratione apud omnes, & nobiles maximè, habita, quæ breui tempore in ſolitudine propè oppidum Petræ fixæ inops muliercula monaſterium permagnificum erexit, & in illud vltra tercentum Virgines, eaſque nobiles, & ſanguinis ſplendore claras adduxit; quæ omnes ſuſcepto Dominicanæ Religionis habitu,

& inſti-

& inſtituto, ſub tanta regularis obſeruantiæ, ac ſpiritûs feruore, auſteritate vitæ in victu, atque veſtitu; necnon & cœteris alijs ad Religionem ſpectantibus Deo inſeruiebant; vt ipſa Ordinis primordia referre viderentur; ipſam verò Mariam ſingularibus à Chriſto fauoribus ornatam fuiſſe proditur. *Luſitan. in Chron.*

Dantur cœlo Virgines ſapientiſſimæ, quæ oleum in lampadibus ſuis recondentes, veniente ſponſo, intrauerunt, cum eo ad nuptias, Sorores Charitas de Brixia & Vincentia Ferreria Hiſpana, quæ contemptis ſeculi vanitatibus, per cilicia, flagella, ieiunia, charitatiſque opera incedentes, Agnum ſequutæ ſunt, acceperuntque palmam; prima quidem die 16. Iunij huius anni miraculis illuſtris: poſterior verò cœleſtibus viſionibus ſæpius recreata. *Plodius.*

Nobiliorem tamen palmam fœlici conſummato agone conſequuti ſunt hoc anno glorioſi Chriſti athletæ Franciſcus de Corduba, & Io. Garzes, quorum prior natalium claritate conſpicuus, ſed vitæ ſanctitate, ac zelo promouendæ catholicę fidei venerabilior, ad occidentales Indos cum ſocio F. Ioanne nauigans, ſacra euangelij prædicatione plures populos ad amplexandum, medio baptiſmate, Ieſum Chriſtum adduxit. Verùm concitata ab Idolorum Sacerdotibus in ſeruos Chriſti plebe, per glorioſam ſanguinis profuſionem cælos conſcendere promeruere. *Plodius ex Io. à Cruce.*

Decima Concilij Lateranen. ſeſſio celebrata fuit die Veneris 4. Non. Maij, ſub Leone X. in qua inter alia decretum eſt de libris imprimendis, quòd nullus liber, ſiue magnus, ſiue paruus imprimi poſſit niſi priùs per Ordinarios, & Inquiſitores examinentur omnes & approbentur, id procurante noſtro Caietano in fauorem PP. Inquiſitorum ac Magiſtri Sacri Palatij in Vrbe. *Lucarin. & Spondan. num. 3.*

In huius ſeculi termino, ac complemento recenſemus P. Bernardum Lucemburgium, virum pietate, Religione, zeloque fidei promouendæ nemini ſecundum, qui in Colonien. conuentu aliquando Prior, ſtudiorumque Regens meritiſſimus, annis pluribus docuit, atque in poſterorum ſolatium ſcripſit *De Purgatorio*, inſuper & *Catalogum omnium hæreticorum* libris quinque digeſtum, in quibus hæreſes cunctas refert, confutat, reuellit, eumque anno 1440. floruiſſe affirmat Altamura noſter in ſua copioſa Bibliotheca Ord. Prædicat. quam hoc anno in commune commodum imprimit. Luſitanus verò in Chron. ſub decade 1510. hoc eſt ab anno 1510. vſque ad 1520. opera ſua ſcripſiſſet recenſet, & conſequenter contra impium Lutherum illa euulgaſſe videtur. Certum eſt autem in fauorem Eccleſiæ ſcripſiſſe, vt illam à perfidorum hæreticorum impijs deliramentis vindicaret.

Hæc ſunt obſequia, quæ tertio ſæculo hoc Dominicana Religio per filios ſuos chariſsimos inuincibili Charitate, quæ non quærit quæ ſua ſunt, feruidos, S. Matri Eccleſiæ, eiuſdemque pro tempore viſibili capiti venerabunda obtulit.

Benedictus Deus

PARS IV.

DE OBSEQVIIS PRAESTITIS

Seculo IV.

PRO Eccleſia Sancta Dei (quæ *Habet in pace lilia, in bello Roſas,*) inquit S. Gregorius homil. 35. decertauère viriliter ſupra modũ hoc ſæculo IV. Dominicana Religio, eiuſq; inclyti filij, amicti auro primo charitatis in proximorum ſalutem, inſurgentibus contra Catholicam Eccleſiam perfidis Hæreſiarchis, Luthero, Caluino, Zuuinglio, Beza, cum alijs hæreticis, eorumque ſequacibus ſectarijs, diaboli filijs, nauiculã Petri impiorum dogmatum vorticibus, atque alluuie perdere contendentibus. Contra quos pectore inconcuſſo vrgẽtes Prædicatores noſtri, propriæ profeſsionis non immemores, in Concilijs in eos habitis, & extra, ſudoribus, lingua, calamo, atramento, ac profuſione ſanguinis maxima Sanctam Matrem Eccleſiam, Apoſtolicamque ſedem ab illorum oblatrationibus, deliramentis, impietatibus, ac ſpurcitijs glorioſè defenſarunt, innumeriq; ex Fratribus per ſacram ſanguinis profuſionem cœlitibus feliciter aſſociati fuerunt: quorum glorioſos agones, indefeſſos labores, ac ſanctam conuerſationem ſuo loco, & tempore recenſebimus.

ANNO 1516. Et ſequentibus Leone X. Pontifice Max. militantem Dei Eccleſiam feliciter gubernante, ac Magiſtro Generali Ordinis ſapientiſsimo viro Thoma Caietano, Sacra Dominicana Religio in filijs ſuis ſanguinem lætabunda profudit, in triumphantem illos tranſmiſſura:

miſſura: Nam P. Iacobus de S. Petro ex Prouincia Aragoniæ pro dilatatione Euãgelij Ieſu Chriſti cum alijs ſocijs, à Magiſtro Generali Caietano Miſſionarius Apoſtolicus Iulij II. auctoritate deſtinatus in Africam, cum ibi multos Agarenos, & Idololatras ſacro baptiſmatis lauacro abluiſſet, æternitatis palmam in laborum ſuorum præmium conſequturus, ab eiſdem trucidatus eſt. *Diagus. Plodius.*

Magnos reportabant de Idololatris triumphos hoc anno, & tempore Apoſtolici noſtri Miſſionarij, ad Orientales Indos ſub Alexandro VI, profecti, qui eorum linguam callentes, ſuperſtitiones, ac vana ſacrificia reprobantes, edoctos in fide, innumeros filios per ſacrum Baptiſma Eccleſiæ, fidelium matri, dedère, fundatis inter eos doctrinis, Aris, templis, Conuentibus, ac Vicarijs, in quibus exerceretur publicus Chriſtianæ Religionis cultus; publicè adoraretur Ieſus Chriſtus mundi Redemptor, & palam B. Virginis Roſarium recitaretur, maxima cum miniſtrorum Sathanæ cõfuſione *Lopez. p. 5.*

P. Gaſpar Stephaneſcus autem, & ipſe eruditiſſimus Doctor in ſacra Theologia, euulgauit librum pro Eccleſiaſtica libertate, atque immunitate contra illius detractores, & iniquos impugnatores prænotatum. *Defenſorium Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis*, opus his temporibus perneceſſarium, *Poſſeuinus.*

P. Iſidorus de Inſolanis Mediolanenſis Theologus præclariſſimus ſcripſit eruditum librum, *De Imperio Militantis Eccleſiæ* & alterum quæſtionum variarum contra hæreſes huius temporis & *De Indulgentijs* impreſſum apud Mediolanum hoc anno. *Plodius.*

P. Auguſtinus Iuſtinianus Genuenſis, à Leone Papa X. Nebienſis Epiſcopus creatus, Lateranenſi Concilio interfuit, & in S. Matris Eccleſiæ obſequium grandi conatu ſacram ſcripturam quinque præcipuis linguis Hæbræa, Chaldea, Latina, Græca, & Arabica, quarum peritiſſimus erat, in vnum corpus redigendam ſuſcepit *Octapla*. inſcriptum, quòd quinque ijs linguis latinã verſionem reſpondentem de verbo ad verbum Hæbraicè, & Caldaicè; & Scholia quædam addiderit: cuius operis Pſalterium impreſſum Leoni Pontifici Max. dicatum eſt. *Spondan. num. 18. an. Superior.*

Dum fideles S. Matri Eccleſiæ dabat Dominicana Religio apud Indos, glorioſos confeſſores cœlitibus ſociabat in Italia, B. Franciſcum Ceſenatem de quo an. 1514. Chriſtophorum Alzanum, & Angelum Bergomen. quorum primus Bergomen. Prior, hæreticæque iniquitatis Inquiſitor, zelo zelatus pro Domino Deo aſſiduis prædicationibus, ac diſputationibus hæreticos, vel caſtigauit, vel ad veritatis Euangelicæ amplexum attraxit, & miraculis coruſcans in cœlum euolauit; poſterior conuerſioni animarum, ac virtutibus addictus, etiam ipſe miraculis effulgère promeruit; Tertius verò in Religione Conuerſus, charitatis officijs totus addictus, die, nocteque orationibus indefeſsè vacans, ita callum genibus obduxerat; vt camelorum duritiem traxiſſe viderentur. *Plodius.*

Leo Pontifex, vt conſeruatorium mulierum Conuertitarum, ſeu pœnitentium Vrbis reformaret, mulieresque ibidem exiſtentes ad amplexandam ex corde pœnitentiam compelleret, ſex Sorores noſtri Ord. ex Monaſterio obſeruantiſſimo S. Pauli de Vrbeueteri eductas, in Vrbem vocauit, quæ fuère, Margarita de Vrbeueteri, Angelica, & Conſtantia de Riſalitis, Maria dè Torregianis, Alexandraque de Caccinis cum Sorore Conuerſa. Hæ conſeruatorium ingreſſæ, ſuis monitionibus, virtutibus, & exemplis ita cor mulierum illarum allexère, vt ſingulæ religioſo habitu veſtiri petierint. Quapropter data

eis de Pontificis licentia tunica alba cum ſcapulari nigro, (quo habitu vtuntur Cõuerſæ Moniales noſtræ) cum Regula S. Auguſtini, ſub qua viuerent, moniales effecere, & in Regulari obſeruantia edoctas, poſt tres annos dimiſerè, in ſuum antiquum monaſterium de Vrbeueteri reuerſæ an. 1520. *Ex Monumen. eiuſdem Monaſterij S. Pauli.*

ANNO 1517. Erupit ex latebris iniquitatis impij Lutheri virus nequiſſimum, quod ſeptentrionales populos ita infecit, vt catholicam fidem inter illos extinxiſſe videatur. Fuit Martinus Lutherus natione Saxo, patria Islebienſis (vtinam & ipſum ignorare licuiſſet) ingenio acri, & admodum peruicaci, profeſſioneque Eremitanus, qui apud Vuittembergam in Academia nouiter erecta a Friderico Saxoniæ Duce publicè docens, eiuſdem Ducis gratiam, & protectionem obtinuit. Promulgauerat Leo X. Pontifex ampliſſimas Indulgentias pro bello Turcis inferendo, & Vaticano templo D. Petri conſtruendo; vt quicumque aliquid in eos ſacros vſus erogaret, pœccatorũ ſuorum ampliſſimam veniam conſequeretur. Cui negotio in Germania Albertum Mogutinum Archiep. præfecerat, qui ad prædicandum illas Indulgentias P. Ioannem Tezelium Pirnenſem Miſnium hæreticæ prauitatis Inquiſitorem, Dominicani inſtituti profeſſorem ſelegit, & hic paulo ante ſimili modo magnam pecuniæ vim pro militibus Theutonicis aduersùs Moſcouitas, alioſque hoſtes Eccleſiæ acquiſierat. Id ægrè ferentibus Eremitanis quibuſdam, qui alijs temporibus id muneris obierant, & Ioanne Staupitio Generali Vicario in Germania, Martinoq; Luthero maximè, occaſione ſumpta aliquorum abuſuum, qui in ijs Indulgentijs promulgandis, & colligendis pecunnijs per imprudentiam, & auaritiam dicebantur committi, in huiusmodi abuſus inuehi incipientes, pro concione populum admonebant, ne ſe quæſtuantium verbis deludi finererent, protegente, hortanteque eos Saxoniæ Duce. Quare negotium Staupitio in Lutherum ambitione tumidum, refundente, is præter aſſiduas conciones ad populum habitas, quibus, eum à largitione eleemoynarum auertere nitebatur, calamo manum admonit, & vltima Octobris die Albertum Achiep. monuit, vt Tezelium a prædicatione Indulgentiarum, & collectione eleemoſynarum cohiberet. *Spondanus num.* 10. & *ſequent.*

Neque his ſatisfactus Lutherus, theſes ſiue propoſitiones nonaginta quinque ad eundem Archiep. miſit, ſimul & illas valuis Eccleſiæ Vuittembergen. affigens, quibus non iam de collectorum, atque prædicatorum abuſibus conquerebatur; ſed Indulgentiarum vſum in Eccleſia impiè carpebat, & impugnabat, atque Pontificis Maximi in ijs concedendis auctoritatem in dubium vertebat; necnon, quę ad pœnitentiæ ſacramentum, ac purgatorium ſpectabant, vellicabat. Dedit Albertus Archiep. theſes noſtro Inquiſitori Ioanni Tetzelio, eiſdem reſponſuro, qui Francofordiæ ad Oderam exiſtens, centum & ſex propoſitiones Lutheranis oppoſitas edidit, quibus Catholicam doctrinam explicauit, & propugnauit, & Lutheranas, tanquam hæreticas in publico foro per carnificis manus cremandas tradidit. Atque ita ex his ſcintillis eruperunt incendia multa, quibus magna orbis pars, ſeptentrionalis maximè, conflagrauit. *Spondan ibid.*

Eodem anno vltima ſeſſio Generalis Concilij Lateranenſis celebrata eſt 27. Kal. April, quæ duodecima fuit, cui interfuere Leo Pontifex cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Oratoribus Principum, & Generalibus Ordinum, Prædicatorum, Minorum, & Car-

& Carmelitarum, cum pluribus alijs ex noſtris, & ſic Concilium terminatum eſt, ipſo Caietano cum Pontifice Leone de principalioribus concilij negotijs agente, ipſumque in multis dirigente, & priuilegiorum Regularium confirmationem in concilio obtinente. *Spondanus, & Lucarinus.*

Terminato Lateranen. Concilio, & ſtrangulato in carceribus Alphonſo Petrucio Card. Senenſe ob conſpirationem in Pontificem, veneno perimendum, factam, alteroque Cardinale Bandinello Saulio criminis conſcio exautorato perpetuoque carceri addicto: cum cœteros Cardinales ob id animo à ſe vehementer alienatos animaduerteret Leo, de nouis creandis Cardinalibus, quibus ſe, negotiaque Apoſtolicæ ſedis fideret, cogitauit. Ea propter 5. Kal. Iuuij triginta & vnum (quòd nec contigerat, nec contigit poſtmodũ in tanto numero) creauit ex diuerſis nationibus, vt eorumdẽ ſibi beneuolẽtiã captaret (agnoſcebat enim Leo ſe in multorũ odium incidiſſe) Card. inter quos fuerunt viri doctrina, & ſcriptis illuſtres, Adrianus Belga Caroli V. quondam prçceptor, & eius in Pontificatu ſucceſſor, Dominicus Iacobatius, Laurentius Campegius, Ferdinandus Ponzettus, noſter Thomas de Vio Mag. Generalis, AEgidius de Canapina Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, atque Auguſtinus Triuultius. Creauit & alios ſanguinis præſtantia inſignes, Ludouicum de Borbonio Regio Galliæ ſtemmate, & Alphõſum Infantem Portugalliæ Emmanuelis Regis filium, vix octauum ætatis annum egreſſum. *Spondan. num. 5.*

Virginibus cœlitibus ſociata eſt hoc anno B. Columba Trocazani de Mediolano, inſtitutum Dominicanum in cœnobio S. Lazari profeſſa, quæ cilicio, & flagris ferreis corpus domabat, vigilijs, ieiunijs, orationi, & contemplationi paſſionis Ieſu Chriſti intenta. Orantem ante Crucifixi imaginem, quinque radij ex quinque ſtigmatibus erumpentes ferierunt, & altera vice ex eodem Crucifixo radius emergens, in illius os penetrauit. Cupiens paſſionis Redemptoris noſtri particeps fieri, dolores acerbiſſimos per multos menſes perſenſit in locis quinque cicatricum, aureo diademate à Chriſto coronata. Moritura genibus flexis in terram proſtata, & miſſam audiuit, & ſacra myſteria recipere voluit, poſtmodum in cœlum erectis luminibus, ridens expirauit, miraculis in vita, & morte coruſcando. *Bzou. num. 26.*

P. Ioannes Epiſcopus Briten. Regi Catholico à confeſſionibus, & conſilijs tranſfertur à Leone X. ad Eccleſiam Archiep. Arboren. in Sardinia, vir pijſſimus, & zelo catholicæ fidei flagrantiſſimus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

In fine huius anni P. Io. TetzeliuS Inquiſitor ſupra recenſitus ſcripſit, & euulgauit Francofutti contra Lutherum poſitiones pro Indulgentijs; & omnium primus articulos 106. aduerſus eiuſdem Hæreſiarchę antidogmata edidit, quę opera cum ad manus hæreſiarchę deueniſſent rabie corroſus, atque ira excandeſcens, ſui certaminis hoſtes perpetuos publicauit coram ſequacibus PP. Dominicanos Chriſti milites inuictos, quibus, & perpetuum bellum indixit, eorum ruinam meditatus: quod fœliciter illi euenit permittente Deo, cuius iudicia inſcrutabilia: nam vbi pedem fixit ille, ſtatim eiecti ſunt Prædicatores, ammiſſis tribus Prouincijs & ſupra 200. cõuentibus. *Lucar. Mirræus.*

P. Raymundus Goſſin poſt Gaillardum anno 1510. recenſitum Sacrum Inquiſitioſiis tribunal apud Toloſam longo annorum decurſu, varia tamen fortuna, vſque ad annum 1530. conſtanti pectore rexit. Nam cum inualeſcentibus nimis hæreticis ipſis Lutheranis, Calui-

ni-

niſtis, Zuinglianis, & alijs ſectarijs, redactus eſt in anguſtias Raymundus, ab executione proprij muneris præpeditus à nobilibus, à potētibus; attamen ne ſibi deeſſe videretur, catholicos, vt in aſſumpta fide inconcuſſi permanerent, hortabatur, aſſiduis prædicationibus, monitionibus, atque coloquijs, labores innumeros ſuſtinendo. *Ex Relat. Arch. Tol.*

Caput I.

P. GARSIA DE LOAYSA Magiſtro Generali XXXIX.

ANNO 1518. Ordinem rexit Card. Caietanus à ſua promotione ad purpuram vſque ad electionem Garſiæ de Loayſa factam die x. Maij poſtquam nouas in Ordine ad Caroli V. inſtantiam à Leone Pontifice fundatas Prouincias Bathicæ, & Germaniæ Inferioris conſtabiliſſet: & licet promotione ſequuta à regimine Ordinis ſtatim ſe abſolutum eſſe profiteretur: Leo tamen Pontifex eum in eodem, datis Apoſtolicis litteris, quas refert Olmeda pag. 97. confirmatum voluit. *Olmeda.*

Congregatis igitur ad Pontificis nutum Generalibus Comitijs in Vrbe apud Mineruam, ſalutatus fuit Magiſter Ord. P. Garſias de Loayſa Prouincialis Hiſpaniæ, ab omnibus capituli vocalibus præter communem ſpem electus: Erant enim tunc in Curia viri præſtantiſſimi tanto Magiſterio digni, P. Silueſter de Prierio Sacri Palatij Magiſter. P. Euſtachius de Bononia Ordinis Generalis Procurator. P. Io: de Fenario Toloſanus Diffinitor, qui Pariſijs præcipuum in doctrina obtinuit locum, & intra Ordinem vix parem habere vulgò ferebatur (qui & Magiſterium Ordinis poſtmodum fuit conſequutus) & P. Ioannes Adæ Prouincialis Scotiæ, doctrina, rigoroſa obſeruantia, atque virtutibus conſpicuus, qui ex Scotia in vrbem pedeſter venerat, & abſtinentiam Ordinis in victu adamuſſim ſeruauerat, à Card. Thoma vnicè dilectus; qui tamen ab vrbe tunc aberat, Legatione Apoſtolica in Germaniam diſtentus, relicto Vicario Ord. eodem P. Garſia de Loayſa. *Olmeda.*

Terminato Capitulo, exoſculato [illegible] Pontificis Max. ſacris pedibus, ad viſitandum Ordinem properauit Garſias, & primò quidem, ad Prouinciam Regni [illegible] gratiam Card. Caietani acceſſit, vbi viſitatis conuentibus, atque in Regulari obſeruantia firmitatis, in Siciliam ſe contulit, cuius reformationem procurauit: & in Vrbem reuerſus, cum inſtaret [illegible] tertius celebrandi capituli apud Valentiam, inſtituto Vicario P. Hieronymo de Rupefideli Hiſpano, cum dilecto comite P. Vincentio de S. Geminiano ex Rom. prouincia, latinæ linguæ peritiſſimo, ex Vrbe diſcendens poſt acceptam à Leone Pont. benedictionem Italiam, Galliamque pertranſiens viſitando, apud Valentiam Capitulum celebrauit, quo terminato in Hiſpaniam properauit, atque apud Valliſoletum pedem fixit. Poſtmodum per Hiſpaniam digreſſus, conuentus illius, necnon & Bethicæ, & Aragoniæ viſitauit, atque regularem viuendi ritum in conuentibus ſtabiliuit. Ex Tarracon. portu feſtino itinere deinde diſcedens, Valliſoletum redijt, & Carolum Regem è Flandria regreſſum, ſalutauit, à quo poſt non multos dies in Confeſſarium, & prppriæ conſcientiæ directorem aſſumptus, inuenit gratiam in oculis ipſius, ante quem pro Ordine fuit murus, & antemurale. *Olmeda.*

Eodem

Eodem anno die Lunæ 8. Febr. Card. Caietanus creatus eſt à Leone Pontifice, cui acceptiſſimus erat, Panormitanus Archiep.: & die Mercurij 3. Martij in publico Conſiſtorio indixit publicas ſupplicationes, & Rogationes in Vrbe tribus continuis diebus habendas, incipiendaſque die Dominico ſequenti, quæ fuit 14. eiuſdem menſis, ab Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, quibus ipſe cum Cardd. toto Clero, cunctiſque Religioſis, ac innumero populo interfuit: hæ autem Rogationes habitæ ſunt contra Turcas, & commotiones Lutheri, quas in peſſimum ſtatum declinaturas agnoſcebat Pontifex *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

In eodem Conſiſtorio Leo Pontifex creauit quatuor Legatos de Latere ad Chriſtianos Reges pro ineundo fœdere contra Turcas, videlicet Card. Campegium ad Regem Angliæ, Card. Ægidium ad Regem Hiſpaniæ, Farneſium ad Imperatorem Maximilianum, & de Bibiena ad Regem Galliæ. At die 26. Aprilis idem Pont. loco Card. Farneſij ad Maximilianum Imperatorem electum & ad Regem Daciæ, creauit Legatum de Latere Card. P. Thomam Caietanum, voluitq; quòd enſem benedictum eidem Imperatori deferret: qui die 5. Maij in publico Conſiſtorio fuit à Pontifice Max. benedictus, atque Cardinalium ſolemni equeſtri pompa ad portam populi deductus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Summus Pontifex die 8. Ianuarij in publico Conſiſtorio commiſit cauſam canonizationis S. Antonini Archiepiſcopi Florentini Reuerendiſſimis Cardinalibus Bernardo Carauiali Ep. Sabinen. Cardinali S. Crucis dicto. Leonardo Tit. S. Petri ad Vincula Card. Agennen. & Bernardo Tit. S. Mariæ in Porticu Diaconi Card. de Bibiena, qui diligenter examinarent proceſſus, & inquiſitiones factas de eius virtutibus, & miraculis, & in Conſiſtorio poſtea referrent. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Aſſumpſit præterea Leo Pont. ad Epiſcopales Infulas aliquos ex Prædicatoribus, viros tantæ dignitati non impares, qui Eccleſiæ Sanctæ in regimine ouium Chriſti inſeruientes, illas per ſemitam mandatorum Dei in æternam vitam dirigerent; videlicet P. Nicolaum Melchioris, factum Cyrenen. Epiſcopum, cui conceſſit auctoritatem exercēdi pontificalia in ciuitate, & Diœceſi S. Pontij Thomeriarum de conſenſu Card. Farneſij eiuſdem Eccleſiæ Adminiſtratoris. P. Albertum de Natis Epiſcopum Nicopolitanum, cui conceſſit pontificalia in diœceſi, & ciuitate Melphienſe de conſenſu Ep. P. Ioannem Lamberti Ep. Vorien. cui conceſſit pontificalia in ciuitate, & diœceſi Andegauen. & P. Gundiſaluum Amonin. Ep. Hierapolitanum, cui conceſſit pontificalia in ciuitate, & diœc. Bracaren. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Euolauit in cœlum P. Matthias Hiſpanus Conuerſus, multæ patientiæ, atque humilitatis vir, de quo fertur id memorandum, quòd ſingulis diebus horas canonicas, & B. Virginis, quemadmodum Clerici ſolent, necnon mortuorum, officium recitare conſueuerit, cum aliàs legendi, & litterarum, ignarus eſset, quem ſequutus eſt P. Ægidius de Aubineau concionator egregius, atque hæreticorum perſequutor indefeſsus, Ludouico XII. & Franciſco I. Chriſtianiſſimis Regibus à concionibus, & conſilijs, vir potens in opere, & ſermone. *Bzou. num. vlt. & Lefebure.*

Dum hæc agerentur Imp. Maximilianus Pontificem Max. Leonem monuit de periculo, quod Germaniæ ex Lutheri machinationibus, & ſcriptis imminère videbatur, qui Hieronymo de Gennutijs Epiſcopo Aſculano, Cameræ Apoſt. Auditori, & P. Sylueſtro Prierati Magiſtro

Sacri Palatij mandauit, vt Lutherum Romam citarent ad cauſam dicendam; quod præſtiterunt illi, conſtituto ſexaginta dierum termino ad comparendum; litteris citationis datis Romæ 7. Auguſti, & non multò poſt apud Vuittembergam publicatis. Tunc non nihil Lutherus trepidare cœpit, à quorundam illius ſequacium ferocia deflexit, & ceſſarunt ad tempus impreſſiones libellorum ipſius, illorumque diſtractiones; & Lutherus quidem hærebat dubius in quam ſe partem verteret. *Bzou. num. 20.*

Interim celebrata ſunt Auguſtana comitia à Maximiliano Imperatore, quibus interfuit Legatus Apoſtolicus Card. Caietanus, cui Leo Pontifex in gratiam Friderici Saxoniæ Electoris mandauit, vt Lutherum Auguſtam euocatum audiret, eumq; ſi ſanabilis eſſet, extra iudicij ſtrepitum in viam ſalutis reduceret, abſque eo quod in Vrbem veniret. Venit igitur Auguſtam Lutherus ſub initio Octobris vna cum Fr. Vuenceſlao Link eiuſdem profeſſionis, atque iniquitatis ſocio, & data ſecuritate à Cæſare, ad Legatum acceſſit, qui monuit eum de erroribus contra Eccleſiam, Sacramenta, atque Pontificem Max. prolatis; necnon per impreſſionem euulgatis, & de eorundem reuocatione in publicum facienda, oſtendendo illi falſitatem ſuorum dogmatum prouenientem ex ignorantia ſacrorum Canonum, & ſcipturę. Promiſit hæreticus ſe promptè id præſtiturum acceptis trium dierum inducijs, quibus in Saxoniam aufugit Caietani ſapientia, eruditione, doctrinaque perterrefactus, datis epiſtolis ad Leonem Pontificem, querimonijs multis contra Legatum Apoſtolicum redundantibus, accuſando eum de tyrannide, ſuperbia, infidelitate, & ignorantia; atque proprię iniquitatis virus in Pontificiam auctoritatem, quo effrenatè feruebat, manifeſtando. *Bzou. num. 21. & ſequentibus.*

Eodem tempore, quo Lutherus Apoſtolicam auctoritatem impugnabat in Saxonia, ſocium habuit in Heluetia hoc idem etiã præſtantẽ, Vlricum Zuinglium canonicum Tigurinum, qui tunc prædicatoris munus exercebat Tiguri. Hic cum ſacrarũ Indulgentiarũ prædicatorem inſtitutum fuiſſe apud Heluetios Fr. Samſonem Mediolanenſem Minoritam audiſſet, atque in ſacri belli contra Turcas ſubſidium ad centum viginti millia aureorum collegiſſe ipſum, eodem quo Lutherus, inuidiæ, atque cupidinis exagitatus morbo, & Indulgentias, & Pontificiam auctoritatem impugnauit, contra quem, ſicut & Lutherum inſurrexerunt viriliter noſtri Prædicatores, vt ſequenti anno dicetur *Bzou. num. 25.*

P. Zenobius Acciaiolus Florentinus hæbraicæ, atque Græcæ linguæ peritiſſimus, à Leone X. cui propter ſuas virtutes acceptiſſimus erat vtpote in regulari obſeruantia apud S. Marcum de Florentia educatus, Apoſtolicæ Vaticanæ Bibliothecę preficitur Bibliothecarius: cumque Bibliothecam illam in optimum ordinem redegiſſet, recuſatis eccleſiaſticis infulis, ac dignitatibus, ſub eodem Pontifice apud Vaticanum deceſſit, corpore in Mineruam illato. *Ex monumen. Conuent. S. Marci de Floren. & Mirreus de ſcript. Eccleſ.*

P. Iacobus Hocſtratanus Brabantinus Colonien. Inquiſitor, Lutheri, aliorumque hæreticorũ hoſtis accerrimus, ſcripſit hoc anno *Deſtructionem Cabalæ*. Siue Cabaliſtæ perfidiæ lib. 4. contra Ioannem Reuclinum, Leoni Pontifici dicatam; necnon & *Apologias aliquot contra eundem Reuclinum*, Et acta iudiciorum inter eum & Reuclinum, impreſſa Haganoe hoc eodem anno. *Mirreus.*

ANNO 1519. Impius Lutherus omni diuino, & humano timore poſtpoſito, debaccari effrænus incepit, de-

blate-

blateratis publicè contra Catholicam fidem, atque pontificiam auctoritatem pluribus impijs deliramentis, & dogmatibus, cui adiuncti ſocij Fr. Vuenceſlaus Link, & Vlricus Zuinglius in Sacroſanctam Matrem Eccleſiam, eiuſque veneranda dogmata, acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs habentes ad perdendam indoctam plebem, & fideles Germanicæ Eccleſiæ. Contra quos ex omni Chriſtiani Orbis parte inſurrexère noſtri Prædicatores, tanquam fidi Domini canes, doctis calamis eos, eorumque praua dogmata retundentes, atque fideles ab illis auertentes. *Bzouius.*

Inter hos mirabiliter effulſit P. Iacobus Hochſtratanus Brabantinus, de quo an. antecedēti S. Theologiæ Doctor inſignis, in Colonienſi Vniuerſitate Regens, nec non & in diœceſibus Colonoienſi, Moguntina, & Treuerenſi, Apoſtolica auctoritate Inquiſitor contra hæreticam prauitatem, quiſuo muneri ſatisfacturus, cum in Hæreſiarcham Lutherum, eiuſque vaferrimos ſequaces manus inijcere nequiret, calamum in eius iniquam doctrinam, veſaniaſq; ſtrinxit: ex quo factum eſt, vt ab eiſdem, & ſequacibus publicis ſcriptis, & contumelijs fuerit laceſſitus; & inter alios à Ioanne Reuchlino, & Hermano Comite Nuenario, qui in comitijs Francofurtenſibus hoc anno habitis, Carolo Auſtriaco Romanorum Regi electo, nomine ſtudiorum Germaniæ gratulatus, in hæc verba efrænus prorupit contra noſtrum Iacobum Inquiſitorem. *Fraterculos quoſdam magnis titulis inſanientes, iube ſuorum cœnobiorum curam gerere. Iube Domi Fratribus ſuis regendis operam impendere: ſacris faciendis inuigilare. & c. Vnica crede mihi peſtis eſt in Germaia Iacobus Hochſtratus. Homo præter ingentem ſuam audaciā inſigniter imprudens, atque temerarius. Omnes interroga, ſi libet, per Germaniam doctos viros; omnes læſit, omnibus æquè infeſtus eſt.* Eraſmus autem Roterodanus lib. 19 Epiſtol. 13. ad Io: à Laſco Gneſnenſem Præpoſitum, dum hoſtium ſuorum aliquos perijſſe congaudet, eiſdem P. Iacobum Hochſtratanum connumerat, *huius tragædiæ coryphæum.* dicens: tam erat exoſus perfidis illis hæreticis huius, aliorumque Inquiſitorum nomen. *Biblior. Belgica.*

Scripſit Iacobus plura volumina contra veſanientem Lutherum, eiuſque hæreſes, quæ ſuis locis referemus. Scripſit præterea alia Chriſtianæ pietatis monumenta Coloniæ euulgata, ſcilicet *Margaritam Theologiæ moralis*: Alterum de cauſa Reuchlini falsò inſcriptum Gregorio Benigno Archiepiſc. Nazareno. *Apologiam contra eundem: Et aduerſus petentes auxilium à maleficis*, & plura alia infra recenſenda. *Bibl. Belg.*

Cum autem virus perfidi Lutheri quoſdam indoctos cœpiſſet in Saxonia inficere, inſurrexerunt ibidem Prædicatores zelo zelati pro Eccleſia Sancta Dei, Lutheri iniqua dogmata, hæreſeſque propalantes; inter quos ſpeciali diuinæ gratiæ dono effulsère Patres Marcus Vveidas, Io: Lichcuez, & Io: à Numburg in tota Saxonia Magiſtri celeberrimi, & prædicatores famoſi, qui plebem indoctam, multoſque aliquatenus in fide nutantes cōnſtabiliuère. *Luſitan. in Chron.*

Neque ſibi defuit Magiſter Generalis Ordinis P. Garſias à Loayſa, qui Prouincialibus Saxoniæ, Germaniæ, & Bohemiæ in meritum S. obedientiæ iniunxit, vt Patres ſibi ſubditos viros doctos, & zelum Dei habentes per ciuitates, & caſtella euangelicos prædicatores emitterent, ad auertendos populos ab impijs Lutheri, ſequaciumque deliramentis, eoſque in fide fiermandos, & conſolidandos, quibus tanquam filijs cariſſimis S. Patris Dominici, ſuāq; ſanctam paternam benedictionem impertiebatur. Exierunt ergò Præ-

gò Prædicatores ex cœnobijs,velut leones imperterriti contra Lutherum, & ſequaces, fidelem populũ in fide confirmabant. in quo Apoſtolico miniſterio tribulationes multas, & malas pro gloria Domini, & Eccleſia ſancta eius pertulerunt: quibus Luthero nunciatis, dentibus ſuis in eos fremebat, & tabeſcebat, eo quod Prædicatores cunctos, ſibi vbique infenſiſſimos eradere non poſſet de terra viuentium. *Ex Regeſt. eiuſd. & Lucar.*

In Regnis verò Poloniæ ſumma vigilantia cauebat P. Fœlix Inquiſitor Cracouienſis ne peſtifera Lutheri doctrina, & hæreſis populos illos inuaderet, delinquentes in fide iuxta ſacrorum canonum ſanctiones ſeuerè puniendo. *Bzon. cap.* 8.

Dum hæc agerentur,migrat è vita maximo catholicæ Eccleſiæ, fideique detrimento Maximilianus Imperator ſemper Auguſtus, verè pius, verè catholicus, cuius virtutes præclaras noſter P. Io: Faber Auguſtanus funebri oratione ſolemni coram Matthæo Card. S. Angeli, Epiſcopo Tergeſtino, alijſque Principibus, & Prælatis plurimùm commendauit. *Bzou. num.* 1.

Nunciato in Vrbe Maximiliani obitu conturbatus eſt ſupra modum Leo Pontifex ob ventura mala, quæ catholicæ fidei ex illo imminère animaduertebat, ſcripſitque Apoſtolico Legato Caietano: vt omnem conatum, & operam adhìberet pro electione Caroli Hiſpaniæ Regis in Imperatorem, quamcitius facienda. Receptis Apoſtolicis litteris omnem adhibuit conatum Caietanus, vt ab Electoribus Princibus Carolus Hiſpaniarum Rex ætatis tunc annorum 19. eligeretur Imperator, quod feliciter contigit 28. Iunij eiuſdem anni maxima cum Pontificis, ac Romanæ Curiæ exultatione. Quapropter Carolus datis literis (quas in noſtro Sacro Teatro retulimus) ad eundem Legatum, gratias plurimas illi egit de impenſis operibus in ſui fauorem pro aſſequutione Imperij, in hunc modum. *Quanta autem deuotione afficiamur erga Sanctiſſ. Dom. Noſtrum, ac Apoſtolicam ſedem, & quàm gratũ nobis extiterit Reuerẽdiſs. P. veſtræ officium vtriuſque nomine nobis pro Imperatoriæ dignitatis aſſequutione præſtitum, omni obſeruantia, & magnitudine monſtrare curabimus, & Reuerndiſs. P. V. felicẽ viuere cupimus. Dat. in Ciuit. noſtra Barchinone* 29. *Iulijan. Dom.* 1519. *To el Rei.* Bzou. num. 13.

Conuentus Ordinis Hieronymianorum in ciuitate de Linares in Betica, ad remouenda ſcandala, datus eſt Pontificia Leonis X. atque Regia Caroli Hiſpaniarum Regis auctoritate Ordini Prædicatorum;vt ſuo exẽplo PP. populum ædificarent,& in ſalutis viã dirigerẽt. *Lefebure.*

Electione Imperatoris facta reuertitur in Vrbem Caietanus Apoſtolicus Legatus, à Põtifice Max.benigniſsimè in publico Conſiſtorio receptus die Lunæ 5. Septembris. *Ex Act. Conſiſt.*

Aſſumpti ſunt multi Prædicatores ad regendas Chriſti oues in varijs Eccleſijs; vt illas & doſtrinæ pabulo enutrirent, & inculpatæ vitæ exemplo per ſalutis viam dirigerent. Et quidem Card. Caietanus, renunciata Panormitana Eccleſia ad Pontificis pedes die 19. Decembris obtiuuit Caietanam in patria ſua. P. Io: Latexerot factus eſt Ep. Citren. cum facultate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Cenomanen. P. Ludouicus de Viualdis, Epiſcopus Arben. cum obligatione accedendi ad ſuam Eccleſiam, quæ erat apud infideles, atque permanendi in illa. P. Io: Pariſiottus Ep. Hierapolitanus cum facullate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Lugdunenſi P. Guillelmus Parui Chriſtianiſſimo Regi Franciſco à ſacris confeſſionibus Ep. Trecen. & P. Iulianus Garges primus Ep. Carolen. in Indijs Occidentalibus. *Ex Act Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Relatio-

Relatione facta in Conſiſtorio coram Leone Pontifice, & Cardinalibus à Card. Legato Caietano de obſtinatione, proteruia, pertinaciaque impij Hæreſiarchæ Lutheri, de peſtifera eius doctrina, qua Germaniã totã inficere intentabat, & conabatur, decreuit Leo Pontifex formato proceſſu, illum, vt par erat, condemnare, & peractis peragendis, formata eſt Bulla Apoſtolica condemnationis illius publicanda priùs in ſecreto Cõſiſtorio, in Vrbe, & orbe poſtmodum, cui voluit Leo, vt intereſſet Card. Caietanus, etiam ſi non perfecta vteretur valetudine: ſic enim habẽt Conſiſtorialia acta. *Die Lunæ* 21. *Maij in Conſiſtorio fuit lecta Bulla contra Martinum Lutherum*. Et ſubditur. *Die Mercurij* 23. *Maij Cardinalis Caietanus ad Conſiſtorium acceſſit, licet valetudinarius, ob grauitatem materiæ, quæ tractanda erat, ob res Lutheranas, in quo introducti fuerunt Generalis Ord. Minor. D. Antonius Marcellus Patracen. Archiep. electus; Generalis S. Auguſtini; Generalis Carmelitarum; Magiſter Sacri Palatij, Procurator Ord. Prædicatorum; de Petra Sancta Caudatarius Card. Tranen. & Io: Echius; & lectis ſingulis articulis impij Lutheri, ſuper vnoquoque fuerunt ſingillatim data vota, an eſſent ponendi in Bulla tanquam heretici, ſeu ſcandaloſi, aut pias aures offendentes. In dicto autem Conſiſtorio de hoc nihil fuit concluſum ad melius deliberandum*. Ex Actis ſuprad.

Extra Conſiſtorium igitur actum eſt cum Card. Caietano de forma, & tenore expeditionis Bullæ, cuius voto illa fuit in ſequenti Conſiſtorio ſtabilita; ſubditur enim in eiſdem Conſiſt. Actis. *Die veneris verò* 25. *Maij factum eſt verbum in Conſiſtorio ſuper expeditionem Bullæ contra Martinum Lutherum, & fuit concluſum, præſente Card. Caietano, & petente, quòd ponerentur articuli ſub verbis proprijs, quibus illos poſuerat Martinus Lutherus, ne relinqueretur ei locus ſubterfugij dicendo, non dixi eo modo. Bulla verò contra eundem non fuit ex pedita niſi in ſequenti Conſiſtorio habito die Veneris* 1. *Iunij*. Ex Actis Conſiſt. Eiuſdem Leonis Pont.

Expedita igitur eſt Bulla contra effutientem Lutherum, eiuſque hæreticalia dogmata die 1. Iunij, & per Magiſtrum Sacri Palatij P. Sylueſtrum de Prierio, ac Hieronymum de Genutijs Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, Iudices delegatos, prius citatus, damnatus eſt; eius ſtatua ſeculari brachio relaxata, atque in agonali foro, adſtante innumera populi multitudine, publico igni per carnificis manus addicta, lecto priùs proceſſu, ac promulgata ſententia per P. noſtrum Cyprianum in Romana ſapientia publicum Theologiæ Lectorem: & hoc modo terminata fuit cauſa impij Hæreſiarchæ Lutheri, qui nõ minores perdidit incautos mortales in Occidentali Eccleſia, quàm perfidus Arrius in Orientali. *Lucarinus*.

Inſurrexerunt igitur illicò Prædicatores in impium, & perfidum Hæreſiarcham velut Eccleſiæ Canes peruigiles, & contra eius peſtifera dogmata ablatrantes, in Prouincijs maximè, Germaniæ, Saxoniæ, Flandriæ, & Bohemiæ, populos ab illius ſequela auertere conati ſunt, non ſine vitæ periculo, inſidias non modicas ipſis parante Luthero cum ſequacibus, qui à Dominicano nomine tanquam à peſte adhorrebant. Calamum quoque acuentes, falſitatem, ac prauitatem doctrinæ illius fidelibus propalare non deſtiterunt; inter quos in Vrbe primus effulſit P. Sylueſter Prieras Pedemontanus, Sac. Palatij Magiſter ſuprad. qui in Theologicis diſciplinis, atque ſacrorum canonum, Sanctorumque Patrum doctrina verſatiſſimus, doctiſſimum, & eruditiſſimum librum euulgauit, prænotatum: *Errata, & argumenta Lutheri detecta, & repulſa*. Romæ hoc anno impreſſum, & Leoni Pontifici Max. dicatum. *Sixt. Senen.*

uen. Thritem. in Addit. & Lucarin.

Nunciata Luthero damnationis ſuæ Bulla, infræmuit illicò contra Pontificem Max. Leonem, à quo ad futurum Concilium appellauit, veluti abnegatore(aiebat ipſe) ſacrarum ſcripturarum;& P. Silueſtrum Prieratem inſectatus eſt maledictis, & conuitjis; imò ad arma publicè proclamauit, propterea quòd in ſe librum ſupra relatum euulgaſſet. Carolus V. autem Imperator ſemper Auguſtus Martini Lutheri libellos omnes, atque ſcripta per manus carnificum in Brabantiæ vrbibus, atque Imperij ciuitatibus Moguntina, & Colonienſi comburi voluit. *Cochleus in hiſt. ſub hoc anno.*

Nec his contentus Lutherus, effrons, amens, & furens, ſacros canones, Sanctorum Patrum decreta, totumque Ius pontificium, ſimul cum papalibus Bullis, Indulgentiarumqne literis, publicè fecit comburi: contra quod impium facinus inſurrexit noſter P. Ambroſius Catherinus, vir doctiſſimus pro iure canonico, ſequēti an. vt dicetur. *Cochlæus vbi ſup.*

Beatrix, Maria, & Philippa Ioannis II. Portugalliæ Regis neptes, fragilem ſexum virili pectore vincētes, Prędicatorum Ordinem ingreſſæ ſunt, in quo vixère cum obſeruantia multa toto vitę tempore, vigilijs, & pœnitentijs deditæ. *Leſeburè.*

Leo Pontifex aliquos ex Prædicatoribus hoc anno ad regendas Eccleſias, oueſque illis commiſſas, aſſumit; & quidem P. Guillemum Noua ad Aruen. inter infideles, conceſſa eidem facultate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Cantuarien. P. Guillelmum Agieton ad Danen. in partibus, conceſſa facultate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Vintonen. & P. Vincentium Scalonam ad Polacen. in Epyro. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno die 17. Decemb. Cardd. in Conſiſtorio votum ſuum dederunt ſuper canonizationem B. Antonini Archiep. Florentini, & eiuſdem expeditione, non ſine maximis laudibus eiuſdem Beati, & encomijs ab eiſdem Cardinalibus prolatis. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1521. De mandato Pontificis Max. in conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam Generales Ordinum mendicantium conuenère pluries inter ſe deliberaturi de modo obuiandi impijs Lutheri, & ſequacium hæreſibus; concluſumque eſt, mittendos fore à ſingulis Ordinibus viros doctiores, & moribus magis conſpicuos in Germaniam, adiacenteſque prouincias, vt Lutherum mordicantes, ſequacium audaciam publicis congreſſibus, diſputationibus, & prædicationibus comprimerent, prout factum fuit. *Lucarinus.*

Leo Pontifex ſuadente Card. Caietano, vt Fridericum Saxoniæ Ducem alioſque nobiles à protectione effrænati Lutheri auerteret, & deterrèret plebem ab illius ſequela 3. Nonas Ianuarij in eum Apoſtolicam Conſtitutionem publicauit, qua recitatis ijs, quæ in priori Bulla decreta fuerant, non ſolum ipſum hæreticum eſſe declarauit, verùm & cunctos, cuiuſcumque auctoritatis, & dignitatis, vel præeminentiæ, qui eidem patrocinati fuiſſent, aut fauorem, conſilium, auxiliumque præbuiſſent, veluti etiam ipſos hæreticos in pœnas, & cenſuras à ſacris canonibus in hæreticos conſtitutas, & alias quaſcumque in præcedenti decreto, ſeu Bulla contentas, incidiſſe ſubiunxit; quos pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, & interdictis denunciari vbique voluit, honoreque omni, ac dignitate, necnon & bonis omnibus priuauit, atque ab omnibus vitari mandauit. *Spondan. num. 1. & Lucarinus in Chron. Ordin.*

Publicata in Germania. ac Saxonia noua Apoſtolica Conſtitutione contra Luthæ-

Lutherum, magis infremuit ipſe contra Eccleſiam, & Pontificem; & à Saxoniæ Duce cuſtoditus in Vvatbergo loco tuto, ne aliquid contra eum à Cæſare Carolo V. ſtatueretur, ibi nequioribus ſpiritibus agitatus; inter cœtera, quæ ibi diabolico calamo ſcripſit peſſima, liber fuit *De abroganda miſſa priuata*, ſcriptus in odium ſacrificij incruenti quod non magis Diabolo quàm eius ſymmyſtis horrori eſt. Vnde prædictum librum ex colloquio cum dœmone habito, quo edoctus eſt argumenta contra Miſſam, natum eſſe plerique exiſtimant, pluribuſque probant argumentis. Scripſit ibidem & alterum librum prænotatum: *Protocollum Colloquij cum Dæmone*. Et in tantam prolapſus eſt dementiam, vt ſe, ac ſequaces diaboli diſcipulos profiteretur, & gloriaretur. Vnde mirum non eſt ſi tot, ac tantas eius impia ſcripta contineant falſitates, calumnias, ſpurcitias, & blaſphemias, in Deum, Eccleſiam, Sanctos illius Doctores, Sacram Scripturam, Sacramenta, ſacros canones, Pontifices, totumque Eccleſiaſticum ordinem. *Spondan. num.* 3.

Inſurrexerunt ergo multi contra Beſtiam hanc magnam, quæ vorare Eccleſiam præſumebat, calamiſque eruditis eam confixère. Et licet plures ex Prædicatoribus, alijſque Sacris Ordinibus in defenſionem S. Fidei Catholicæ id præſtiterint, vt dicemus; tamen inter illos effulſit Pariſien. nobilis Vniuerſitas, nec non & inclytus Henricus Rex Angliæ, qui eruditum librum contra eum, eiuſque peſſima, ac diabolica dogmata compoſuit: necnon & duas prolixas litteras in defenſionem Catholicæ Eccleſiæ euulgauit, ob quod ipſe *Diſenſoris Fidei* Nobilem titulum à Leone Pontifice Max. fuit promeritus. *Spondanus vbi ſupra*.

Aſſumuntur à Leone Pontifice ad Eccleſiarum regimina aliqui ex Prædicatoribus, vt ſibi creditas oues pietatis documentis, doctrinaque ſana confouèrent: Et quidem P. Bernardinus de Luca ex familia de Nobilibus conuentùs Lucen. Rom. Prou. (quem de Buccaurata familia dicit Vghellus) promotus eſt ad Eccleſiam Accien. in Corſica, qui Concilio Tridentino interfuit. P. Iacobus Calatayud ad Sanctarien. in inſula eiuſdem nominis. Et P. Petrus de Corduba ad Rheonen. *Ex Act. Conſiſt.*

B. Calimerus de Monte Claro directus eſt in cœlum hoc anno à Dominicana Religione, laborum ſuorum condignum præmium percepturus, poſtquam in peccatorum conuerſioue annis pluribus, imò & toto tempore vitæ ſuæ, vſque ad decrepitam ætatem, inſudaſſet. Deceſſit octuagenarius in Conuentu Laudenſi. *Plodius*.

Vt autem Leo Pontifex Principes Catholicos in veneratione, & obedientia erga S. Matrem Eccleſiam, Sedemque Apoſtolicam continèret, Apoſtolicum Nuncium in diuerſas Chriſtiani Orbis partes miſit P. Silueſtrum Prieratem, Sacri Palatij Magiſtrum, virum doctiſſimum; qui eis peſſimam impij Lutheri hæreſiarchæ doctrinam diſſuadèret, & manifeſtaret, ipſoſque contra eum commouèret. Et in Vrbe Leo Pont. in eius locum ſubſtituit Promagiſtrum Sacri Palatij P. Thomam Badiam. *Ex Syllabo. Magg. Sac. Palatij*.

P. Ambroſius Catherinus Politius adhuc nouitius in conuentu S. Marci de Florentia hoc anno ſcripſit libros quinque in Lutherum nouum hæreſiarcam, Carolo V. dicatos. Euulgauit inſuper librum prænotatum, *Speculum hæreticorum*: necnon & tractatum quo iure, & qua pœna plectendi ſint hæretici; pluraque alia. *Luſitan. in Bibliot.*

P. Mag. Ordin. Garſias de Loayſa non ſatis

ſatis iudicans quòd multos Theologos præſtantiſſimos ad comprimendum Lutheri virus in Germaniam miſiſſet, hortatus eſt filios ſuos, datis per omnes Prouincias litteris,vt ſe murum validum ore, calamo, ſcriptis, & congreſſibus opponerent eidem pro tuenda Eccleſia Sancta Dei ab impijs illius dogmatibus, immaculataque ſeruanda eiuſdem catholica fide. Tunc in omnibus Ordinis prouincijs inſurrexerunt viri docti, lingua, calamo, diſputationibus, prædicationibus, ac ſcriptis, laboranti Matri Eccleſiæ fulcimentum præbituri, qui etiam in terris, ſathanica hæreſis Lutheranæ pice infectis inconcuſſi, deliramenta impij hæreſiarchæ, & ſequacium in publicis concionibus impugnantes, afflicti, lapidati, fuſtigati, cæſi, varioque mortis genere perempti ſunt, vt ſpiritus in confeſſione fidei ſaluus fieret, temporalem corporis mortem contemnentes. Interim è terra tollitur Leo Pont. *Mirræus*, *Lucarin.*

ANNO 1522. Eligitur Pont. Card. Caietani induſtria Adrianus VI. cuius auctoritate, atque Ioannis III. Regis Portugalliæ miſſi ſunt Apoſtolici Miſſionarij P. Io: de Aro, & P. Ludouicus de Victoria cum pluribus alijs Prædicatoribus ad Orientales Indos pro illorum conuerſione ad Chriſtum, qui fructum vberrimum ſuis ſacris prædicationibus S. Matri Eccleſiæ præbentes, innumeros Idololatras per baptiſmatis Sacramentum ad Dei venerationem adduxère. *Lefeburè*.

Celebratum eſt Capitulum Valliſoleti, in quo mandatum eſt Prædicatoribus, vt in ſuis concionibus damnatas impij Lutheri hæreſes publicarent, eius hæreticalia dogmata impugnarent, & detegerent, ſententias Pontificias contra illum, eiuſque fautores propalarent; necnon & illum, vt hæreticum, atque Hæreſiarcham euitandum prædicarent. Inſuper Magiſter Ordinis ſcripſit Prouincialibus Saxoniæ, Germaniæ, & Bohemiæ; vt idem per ſuos Patres fieri in ſuis prouincijs inuiolabiliter facerent; propter quod multas calamitates in partibus Luthero adhærentibus ſuſtinuerunt; ita vt in aliquibus locis, nec panem ex quæſtu ad manducandum habèrent. *Ex Regeſt. & Lucar.*

Calamo quoq; in Lutherum inſurrexerunt Prædicatores, eius infernalia dogmata impugnantes; P. Sylueſter Prieras enim ſcripſit eruditiſſimam Apologiam *De conuenientia inſtitutorum Romanæ Eccleſiæ cum libertate Euangelica contra Lutherana dogmata*. Et P. Thomas Radinus edidit Lipſiæ Orationem contra Lutherum, & alteram Romæ hoc anno contra Melancthonem. P. Iſidorus autem Inſulanus hoc quoque anno euulgauit contra Lutherum *Diſputationes Catholicas*, *De Inferno, Purgatorio, Indulgentijs, & Fidei catholicæ Articulis*. Impreſſas apud Papiã.

Cœnobium Canonicorum Regularium, minùs regulariter viuentium in Regno Legionenſi, ſub titulo B. Virginis Mariæ apud caſtrùm de Cea, Apoſtolica, & Regia auctoritate conceſſum eſt Ordini Prædicatorum, vt ipſius profeſſores populum illum ſuis prædicationibus, ac ſalutis documentis per ſemitam mandatorum Dei dirigerent. *Lefeburè*.

P. Guillelmus Parui Normannus celebris Pariſien. Doctor, atq; in Regno Frãciæ Gener. Inquiſitor vigilantiſſimus; necnon & Chriſtianiſſimis Regibus Ludouico XII. & Franciſco I. à confeſſionibus promouetur, cum pullulantem in Gallia hæreſim carperet, ne populos illos ad mortem inficeret, vireſque in dies ſumeret maiores, ipſos hæreticos igni adiudicaret, hoc anno ad Archiepiſcopalẽ Eccl. Bituricenſem, nominante Franciſco Rege: at cum à Capitulo electus fuiſſet Franciſcus de Bueil frater germanus Ludouici Franciæ magni pincernæ; vt diſſenſiones amouèret, Trecenſem Eccleſiam regendã

dam ſuſcepit. *Gallia Chriſt.*

Vt autem Adrianus VI. ſerpentes paulatim, etiam in Gallia, hæreſes abolèret, creauit Inquiſitorem Toloſanum P. Raymundum de Toloſa, hæreticorum hoſtem accerrimum, qui conſtanti pectore cauſa fidei ſuſcepta, ita in illos inſurrexit, vt exulare ex ſibi credita ditione coactus ſit fœlici exilio, quod illi iter ad gloriam aperuit. *Caſtelfrancus in Chron.*

Card. Caietanus in Hungariam Apoſtolicus de Latere Legatus hoc anno mittitur, datis quinquaginta aureorum millibus, erogandis in ſubſidium Ludouici Regis, opem contra Turcarum tyrannum Solymanum ab Apoſtolica ſede enixè poſtulantis. Qui in Hungariam profectus, & cum Summa Principum, & Regis lætitia receptus, ita illorum animos auctoritate, conſilio, & operibus confirmauit; vt non ſolum de ratione, qua Turcis reſiſteretur, ſed de bello vltrò ipſis inferendo cogitauerint. *Bzou. num.* 34.

Reuerſus in Vrbem Prieras Sacri Palatij Mag. atque Apoſtolicus ad Italiæ Principes Nuntius, à Pontifice Max. Hadriano humaniſſimè receptus eſt, Eccleſiaſticis beneficijs quoque auctus. At cum graſſantem nimis in Vrbe eo tẽpore luem vidèret, multoſq; ſine Sacramentorum receptione deficere cognoſceret, petita à Pont. licentia, ſe in Aulicorũ ſpirituale ſolamen expoſuit, at non diu. *Olmeda.*

P. Iacobus Hoocſtratanus Colonien. Inquiſitor ſcripſit contra Lutherũ tractatus 4. *De Chriſtiana libertate, & de Purgatorio.* Antuerpiæ hoc anno euulgatos *Mirræus.*

ANNO 1523. P. Magiſter Fœlix Cracouienſis Inquiſitor, vir & doctus, & pius, timens ne Lutheri virus, quod circum circa ſerpebat, in Poloniam diffunderetur, cum Sygiſmundo I. Poloniæ Rege egit, vt euulgaret conſtitutionem, atque edictum contra Lutherum, eiuſque ſequaces, ac quoſcumque alios hæreticos, prohibendo ne quis libros, vel ſcripta eorundem legeret, vel apud ſe retineret; vel multò magis eiſdẽ adhæreret, ſub capitali pœna, ac bonorum omnium confiſcatione; quod edictum publicatum fuit per Epiſcopum Cracouienſem, atque Regni Inquiſitores, fuitque frœnum maximum ad continendos Polonos in puritate catholicæ fidei, & ad compeſcendos hęreticos, ne ad loca Polonorum vllo modo declirarent. *Bzou. num.* 8. *& de Prou. Pol.*

Hadriani Pontificis opera in comitijs Leodij habitis, tam Leonis X. Pontificis Max. quàm Caroli Cæſaris edicta contra Lutherum, & Lutheranos publicata fuerunt, non ſolum per ciuitatem, ſed & alia Belgij loca: atque, vt executioni darentur, mandatum eſt. Quare cum in P. Iacobi Hoocſtratani Inquiſitoris manus incidiſsẽt duo Auguſtiniani, Henricus, & Io: Lutheri ſequaces, Kalendis Iulij ſeculari brachio traditi, flammis exuſti fuerunt primi omnium apud Bruxellam, quos Lutherus, tanquam Martyres, à ſuis coli voluit, ac iuſſit. *Spondanus num.* 14.

Exorta eſt in tantis Eccleſiæ perturbationibus noua ſecta, & hæreſis in partibus Lombardiæ propè Comum, quæ fidem in Baptiſmo ſuſceptam abnegabat, Sanctam Crucem pedibus conculcabat, Sacramentis Eccleſiæ abutebatur, ac pręcipuè ſacra hoſtia, Diabolum ſuum dominum, & patronum dicendo; & incantationibus, ſortilegijs, magijſque pecudes, iumenta, fructuſque terræ, lædebat. Mandauit igitur Hadrianus Pontifex, datis Apoſtolicis litteris 20. Iulij huius anni P. Inquiſitori Comenſi, vt procederet ex ſacrorũ canonũ rigore contra huiſmodi hæreticos, erat tunc ibi Inqiſitor P. Georgius de Caſali, à Iulio II. an. 1510. creatus, qui Pontificis votis ſatiſfacturus, contra illos aſſurgens ex officio, multos ex eis

captos, vel ſalutaribus iniunctis pœnitentijs, ſi abiuraſſent, Eccleſiæ reconciliauit; vel obſtinatos ſeculari brachio relaxatos igne conſumpſit. *Spondan. num. 26. Directorium Inquiſ.*

Scripſit impius Hæreſiarcha Lutherus Theutonica lingua librum contra ſtatum Sacrarum Virginum *Epithalamium* præſcriptum, pluribus hæreſibus, & impudicitijs ſcatentem, atque laſciuum maximè, quem ad verbum in latinam linguam tranſlatum P. Corradus Koellin in noſtro Colonien. cœnobio ſtudiorum Regens, ita copioſè confutauit, & deiecit; vt ad ſingula capita diſtinctè, & copioſè reſponderit: Summatim verò dicit, à Luthero per Epithalamium ſuum laſciuum, verum Paulini textus ſenſum deprauatum fuiſſe: patrias Germaniæ leges abrogatas: Religionum famam denigratam: continentiæ apud Deum, & fructum, & aureolam ſublatam: Cleri cœlibatum fœdis, & vetitis nuptijs, ac ſpurcitijs conſpurcatum. *Coclæus.*

Eodem quoque anno P. Io: Dietembergius de conuentu Fracfordienſi, linguarum latinæ, hæbraicæque exacta cognitione clariſſimus, Theologuſque doctus, diſputationum congreſſus pluries cum Luthero habuit, ac in eumdem ſcripſit, *Librum Confutationum aduerſùs Lutherana ſcripta*, & vtrumque Teſtamentum vertit in Theutonicam linguam, palam faciens ineruditæ plebi mendacia, & falſitates, quas in alia tranſlatione impius Lutherus mundo obſtruſerat. *Luſitanus in Chron. & Cocleus. Mirræus.*

B. Antoninus Archiep. Florentinus ab Hadriano inter Sanctos recenſetur, cuius Canonizationis bullam non dedit, morte præuentus; illam tamen poſtea promulgauit eius ſucceſſor Clemens Papa VII.. *Spondan. num. 20.*

Carolus V. Imperator glorioſiſſimus, de mente etiam Hadriani Papæ nominauit P. Didacum Dezam Archiep. Toletanum, de quo Olmeda hæc ait. *Qui tamen, cum ſenio iam grauaretur minùs Pont. non acquieſcens; & ſi Cæſare, ac Pontifice adhuc inſtãtibus, interim ex hac luce ſubtrahitur acclamante etiam vniuerſo Clero, & populo: Quia ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis corroborauit templum.* Alij ſcribunt ipſum ad ſuam Eccleſiam accedentem in itinere defeciſſe. P. autem Nicolaus Scionibergus factus eſt Archiepiſcopus Capuanus ab Hadriano VI. qui pallium à Card. Cornelio accepit. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Io: Clericus Meldenſis, qui vocauerat Papam Antichriſtum, ab Hereticæ prauitatis Inquiſitore noſtro per vicos, & plateas fuſtigatus (in aliorum exemplum) cum libertati reſtitutus Metim ſe receपiſſet, ibique in ſacello Sacras imagines deturpaſſet, pedibuſque conculcaſſet, iterum captus, & tormentis addictus, ſcelus confeſſus, ſæculari brachio relaxatus eſt flammis abſumendus: & hunc tertium hoc anno noſtri Prædicatores Lutherano pſeudo-Martyrologio obtulerunt. Nam Beza Geneuẽſium Caluiniſtarum poſtea Calipha in ſuis iconibus Ioannem hunc primum inſtauratorem, atque martyrem Eccleſiarum Meten. & Melden. prædicauit. *Spondan. num. 15. Lucarin.*

Celebratum eſt Capitulum in Hiſpania apud Valliſoletum, vbi Imperator Carolus V. erat, qui Capitulum eleemoſynis liberaliter adiuuit. Et in eo præter multa, in obſequium S. Matris Eccleſię ordinata, fuit iniunctum Patribus cunctis ad id idoneis, vt aduerſus noua, & peſtifera dogmata Martini Lutheri Hæreſiarchæ, Germaniam potiſſimè deuaſtantis, arma militiæ noſtrę ſumerent, & gladium ſpiritus oris ſui in eum vibrarent, calamos acuerent; atque è ſuggeſtu, cathedris, & in omnibus publicis congreſſibus eius hæreſes reprobarent, confirmando popu-

populos in Apoſtolicæ Sedis veneratione, atque Sanctorum cultu: quod illi fideliter præſtiterunt maximo cum catholicæ fidei bono. *Olmeda in vita Garſia, Mag. Ord.*

P. Garſias de Loayſa cum Ordinem annis ſex, & vltra in pace, & æquitate rexiſſet, atque regularem obſeruantiam in toto Ordine promouiſſet; maiores illi honores collaturus, Magiſterio, & regimine eiuſdem depoſito, conſecratus eſt apud Toletum ab Archiep. Toletano Epiſcopus Oxomenſis coram Caroli Cæſaris tota curia, eiuſdem Imperatoris animæ cuſtos per ſacramentalem confeſſionē effectus, poſt feſtum S. Michaelis. *Olmeda*.

Rapitur è mortalibus doctiſſimus vir Sacri Palatij Mag. P. Siluester de Prierio dira peſte percuſſus, dum in miniſtrandis Sacramentis ægrotantibus Aulicis pontificiæ Curiæ eſſet intentus, poſt completã, *De conuenientia inſtitutorum Rom. Eccleſiæ cum Euangelica libertate*, contra Lutherũ Apologiam. Plurima alia opera ſcripſit ſapientiſſimus, ac pijſſimus vir, quæ ad noſtrum intentum non ſpectant. Scripſit inſuper *Contra Striges*, nec non & *Meditationes de Paſſione Ieſu Chriſti* ad emollienda peccatorum corda ad pœnitentiam. *Scalam Sancti Amoris*: ediditque inſuper pro erudiendis peccatoribus, de modo quo propria peccata debeant confeſſario manifeſtare, *Confeſſionale Magnum, & paruum*. Sepultus eſt in Minerua, de quo Olmeda noſter ſic fatur. *Demum Syluester Prieras Sac. Pal. Mag. dira peſte, quaſi non eſſet unctus oleo ſcientiæ, & virtutis præ alijs, ſublatus, in Minerua conditus eſt*. Suceſſorem autem habuit in Sacri Palatij Magiſterio P. Thomam Badiam, de quo infra. *Lucarin.*

ANNO 1524. Cum in Boemia Lutheranis progreſſum facientibus, ortæ fuiſſent contentiones grauiſſimæ de fide, ac religione, Ludouicus Rex, hortante noſtro Inquiſitore, ex Hungaria edicta in Boemiam direxit, vt Lutherani, & Pikardi omnes ex eodem Regno eijcerentur: idque factum eſt, eò quòd multi blaſphemias in Deum, & Sanctos proferrent, ex quibus multi ſeuera cenſura, & pœna puniti ſunt. *Spond. in Annal. & Ferrar. de Prou. Hung.*

Et hoc anno Lutherus ſuo perditorumq; ſequacium pſeudomartyrologio plures diſcipulos, flammis à Prædicatoribus adiudicatos, aſcribere potuit. Nam Henricus Zutphanienſis, Prior Conuentus Auguſtinianorum apud Antuerpiam, qui Lutheranam hæreſim profeſſus, eam abiurauerat; cum eſſet relapſus, à noſtro Inquiſitore captus, in vincula coniectus eſt; quibus confractis, Bremam aufugit, hæreſimque ibi prædicauit; vbi ab officialibus S. Inquiſitionis detentus, apoſtaſiæ pœnas igne viuus luit. De cuius ſupplicio lamentabilem ad Bremenſes ſcripſit epiſtolam Lutherus, quos Henricus ex Catholicis Lutheranos fecerat: & hi poſtmodum ex Lutheranis Caluiniſtæ effecti ſunt. *Spondan. num.* 12.

Viennæ quoque Gaſpar Tauberus illius Vrbis ciuis, cum per Inquiſitores noſtros coactus fuiſſet abiurare Lutheri hæreſim, niſi ignis vellet ſuſtinere pœnam, iterum relapſus, viuus combuſtus eſt, fremente de hoc impio Hæreſiarcha, qui diſcipulos ſuos, & ſequaces à Prædicatoribus in publicis plateis vbique concremari audiebat. *Spondan. vbi ſup.*

Idem ignis ſupplicium pertulit in Lotharingia Ioannes Caſtellanus, Sac. Theologiæ Doctor; qui relapſus in Lutheri, & Caluini hæreſim, viuus, in aliorum terrorem, fremente ſupra modum Caluino, combuſtus eſt, Lutheri pſeudomartyrologio impinguato. *Spondan. vbi ſupra*.

Inſuper P. Iacobus Hoochſtratanus Prior noſtri Conuentus Colonienſis hoc anno, euulgauit tractatum, *de Fide, &*

operibus; alium *de veneratione Sanctorum, eorumq; inuocatione*; item alterum, *Contra octo Lutheranorum blaſphemias*; nec non & *Colloquium cum D. Auguſtino* libris ſex contra eundem Lutherum, quæ omnia hoc anno in lucem data ſunt, fremente, atque ira excandeſcente ſupra modum in eum impio Hæreſiarcha. *Bibliotech. Belgica*.

P. Euſtachius quoque Sichenius, cognomento Riuius, doctiſſimus vir, in Collegio Buslidiano hebraicę linguę profeſſor, & Louanienſis Doctor, primus, vel ſaltim ex primis fuit inter Belgas, qui calamum in Lutherum, corde iam obduratum, acuit; contraque eum publicauit eruditiſſimum librum *De ſeptem Sacramentis Eccleſiæ*, hoc anno Antuerpiæ impreſſum. *Bibliot. Belg.*

Maria Cognata Philippi II. Hiſpaniæ Regis in Monaſterio Hiſpalenſi, reiectis mundi pompis, ac illecebris, Dominicanum inſtitutum lætabunda profitetur. *Lefeburé*.

Aſſumpti ſunt à Pont. Max. Clemente ad regimen ouium Chriſti in diuerſis Eccleſijs Prædicatores, tanto munere non indigni; & quidem P. Hieronymus Quirinus ad Eccleſiam Patriarchalem Venetam. P. Io: Iolui ad Epiſcopalem Ebronen. cum facultate exercendi Pontificalia in Eccleſia, & diœceſi Maurianen. P. Antonius Ferrarienſis ad Scutaren. in Sclauonia; & P. Io: Quin Hibernus ad Limiricen. in Hibernia, vt oues ſibi creditas à venientibus diabolicis lupis Luthero, Zuinglio, Caluino, alijſq; eorum ſequacibus, tanquam fidi Eccleſiæ Sanctæ Dei Paſtores auerterent, atque in catholica fide conſeruarent illæſas. *Ex Act. Conſiſt. Clement. VII. Pont.*

Caput II.

P. FRANCISCO SILVESTRIO Magiſtro Generali XL.

ANNO 1525. Congregata ſunt Ordinis comitia in Vrbe pro noui Magiſtri Generalis electione, in quibus P. Franciſcus Silueſtrius Ferrarienſis Vicarius Ordinis, Magiſter eiuſdem ſalutatus eſt, adſiſtente Laurentio Puccio Card. Protectore; necnon & noſtro Card. Caietano, lecto priùs Apoſtolico Breui, in quo Clemens VII. Pont. Max. præcepit Electoribus, in meritum S. Obedientiæ vt illum eligerent, quem in tantis Eccleſiæ turbinibus profuturum, cognoſcerent, illi, & Ordini. In eo capitulo confirmatæ ſunt ordinationes in præcedenti factæ de Impugnando viriliter, & vbique impio Luthero Hæreſiarcha cum ſuis ſequacibus. In magna exiſtimatione, & gratia apud Pontificem fuit Silueſter, grandique ab eo poteſtate accepta, ad viſitandum Ordinem, & præcipuè Germaniam properauit, vt Fratres ibidem contra Lutherum, eiuſque ſequaces ore, & calamo militantes, corroboraret in reuerentia erga S. Apoſtolicam Sedem, & fidelitate erga S. Matrem Eccleſiam, pro qua decertabant. *Olmeda*.

Fuit Franciſcus, vltra proceram, egregiamque exterioris hominis formam, præclaris etiam naturæ dotibus interiùs

riùs donatus à Domino, ſcientia, & doctrina; famoſus; doctrinæ D. Thomæ ſectator egregius, cuius Summam contra Gentiles nouis Commentarijs illuſtrauit. Ordinem in pace, & æquitate rexit, non parùm laudandus quòd quamuis moleſta obeſi corporis grauedine laboraret, memor tamen Officij difficillima itinera pro obeunda Prouinciarum viſitatione minimè detrectarit, vt pro viribus vbique regularem Ordinis diſciplinam inſtauraret, quam à teneris annis in Congregatione Lombardiæ imbiberat. Demum quarto ſui Generalatus anno curarum, ac faſtidiorum ſatur in Rhedonenſi Conuentu lethaliter decumbens; adſtantibus noſtris Iuone Rhedonenſi Epiſcopo ex ordine aſſumpto, Nicolao Pagano Prouinciali Franciæ, Leandro Alberto Prouinciali Terræ Sanctæ & alijs pientiſſimè in Domino obdormiuit.

Cum noſtri Prædicatores ordinationem Generalis Capituli de impugnando ore, & calamo Luthero, & ſequacibus, inconcuſſi exequerentur, in prouincijs, ſeptentrionalibus maximè, Francofordię ad Mœnum plebs, quam duo, ſutor vnus, ſartor alter, excitauerant ad ſeditionem in Sanctis ferijs hebdomadæ Maioris ante Paſcha, dum Religioſi diuerſorum Ordinum myſteria humanæ Redemptionis, apertis Eccleſiæ ianuis celebrarent, impetu in noſtros facto, propter odium quo ferebantur hæretici in Prædicatores, ſibi in omnibus aduerſantes, & contradicentes, conuentum depopulata eſt, armorum vi ex choro, & Eccleſia eiectis, ac peſſimè tractatis Fratribus cunctis, qui ſequenti die imperterriti ſacra myſteria reaſſumentes, conſueta Eccleſiaſtica miniſteria compleuère, ac perfecère. *Cocleus ad annum* 1525.

Celebratur annus Iubilæi, ad finem antecedentis inchoati, ſed longè minori populorum concurſu, ac frequentia, quàm in alijs conſuetum fuerat; eò quòd Italia, vniuerſaque penè Europa, bellicis motibus, & Germania tota hæreticorum preſſuris quateretur, quibus videbatur agi magis de multiplicandis peccatis, quàm minuendis. *Spondan. num.* 1.

In Papienſi pugna inter Gallos, & Hiſpanos, Franciſcus Rex Galliæ fortiter pugnans ab hoſtibus captus, in Hiſpaniam ad Carolum Cæſarem captiuus ductus eſt. Cumque Conſilium congregaſſet Regium, in quo propoſuit, quid de Franciſco agendum eſſet, Reſpondit inter eos primus P. Garzias de Loayſa Epiſcop. Oxomen, atque Carolo Regi à ſacris confeſſionibus tali voto, hoc loco digno. *Pacem à Rege Carolo in primis quærendam inter Chriſtianos eſſe, qua & Turcæ reprimi, & hæretici in Germania inualeſcentes comprimi poſſent maximo cum Romani Imperij bono, & honore. Si Regem Franciſcum in perpetuam cuſtodiam traderet, id non ſine inſigni crudelitatis nota fieri poſſe. Si duris conditionibus libertati reſtitueret, odia inde maiora, atque cruentiora bella euentura, nomenque immanis ambitionis reportaturum Cæſarem. Si digna Chriſtiano Principe humanitate Regem, vel affinitate iunctum, vel beneficio deuinctum, vel vtroque illigatum dimitteret, illum ſibi perpetuum amicum abſque Chriſtiani ſanguinis effuſione, paraturum, ſeque alieni, non appetentem, declaraturum.* Conſilium verè pium, verè ſanctum, verè optimum: at Carolus aliorum Conſiliariorum voto allectus ſancti Confeſſoris conſilium neglexit, inde tamen non parum damni reportauit. *Spondan. num.* 5.

In Thuringia Thomas Muntzerus Presbyter, & prædicator, Lutheri diſcipulus, habens ſocium Pfeifferum monachum

chum apoſtatam Præmonſtratenſem virum proteruum, & ad quamlibet audaciam præcipitem, Ruſticos cohortatus eſt ad ſumenda arma contra Lantgrauium; & inter alia ſe bombardarum hoſtilium globos omnes, manica ſua excepturum, ne eis nocerent dixit; ſed ruſticis grandi cæde proſtratis, aufugit Thomas, eorum in ſe furorem euitaturus ac mortem; at Franckenhuſij cum ſocio captus, ab Inquiſitore noſtro vterque ſeculari brachio relaxatus eſt pro capitis obtruncatione: cum priùs Thomas abiurata hæreſi, ac præmiſſa ſacramentali confeſſione, Euchariſtiam ſub vna ſpecie, catholico ritu ſumpſiſſet, Pfeiffero in obſtinatione permanente igne conſumpto. *Spondan.*

Cum ſceleſtiſſimus Lutherus hoc anno ad vltimum laſciuiæ Venereæ perductus, doceret impoſſibile eſſe hominem continenter viuere; & hac de cauſa neceſſarium omnibus Veneris vſum magis quàm cibum, & potum, atque adeo teneri Monachos omnes, ac Moniales, ſtimulum carnis ſentiētes, poſthabitis emiſſis ſolemnibus de caſtitate votis, eidem operam dare, ac ſatisfacere, ipſe Catharinam à Bora nobilem, ac pulchram virginem Sanctimonialem de Nimicenſi Monaſterio, inceſtis vtrimque nuptijs ſibi, maximo etiam ſuorum ſcandalo, copulauit. Contra quem calamum ſtrinxit glorioſiſſimè noſter P. Coſmas Nurinberga, Doctor Celebris, oſtendens validiſſimis rationibus, ex Sanctis Patribus, ſacriſque canonibus deſumptis, ac Concilijs Virginitatem Deo placere, ipſaſque Virgines ad nuptias cum Chriſto ſponſo ſuo intrare, S. Ioannem Euangeliſtam propter virginitatis prærogatiuam à Chriſto Domino præ cœteris Apoſtolis fuiſſe dilectum: ipſumque voluiſſe de Matre Virgine naſci, &c, atque in morte Matrem Virginem, Virgini Ioanni commendaſſe. Votum Solemne caſtitatis non poſſe irritari, vt potè Deo factum, & ſacras Virgines per Religioſam profeſſionem Chriſto dicatas, eius ſponſas eſſe; *Lucarin. in Chron. Spondan. num. 19.*

P. Chryſoſtomus quoque Caſalenſis ſcripſit doctiſſimum volumen pro Auguſtino Nipho contra Petrum Pomponatium de immortalitate animæ, quod hoc anno editum eſt in lucem Venetijs. *Mireus Bibl. Eccl.*

Io; de Petrazza Dux dell'Infantado, & Franciſcus de Corduba Marchio de Priego cum Iſabella de Mendozza filia Ducis de Arcos, ſpreto viriliter futilis ſeculi luxu, manū miſerunt ad fortia, Chriſtum per Dominicanam profeſſionem, ac paupertatem ſequentes. Idemque præſtitit D. Maria ex ſumma nobilitate Inſularum Canariarum, quæ vt eamdem togam indueret, ſexcentas leucas confecit; & vnà cum dicta Iſabella Hiſpalenſe Ordinis noſtri Monaſterium ingreſſa, ibidem glorioſo curſu conſummato, per religioſam paupertatem, repoſitam Virginibus coronam promeruere. *Lefeburè.*

Paſtor Maximus Clemens pro regendis Eccleſijs ſibi creditis euexit ad infulas P. Petrum Ferdinandi de Iaen pro Eccleſia Diuaſten. in Epyro, cum obligatione ad illam accedendi, eò quòd haberet populum Chriſtianum, & prouentus, atque P. Philippum de Strozzis pro Eccleſia Surrentina, quæ Archiepiſcopali dignitate inſignitur. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Erphordienſe noſtrum cœnobium à furenti, & effrænata plebe hæreſi Lutherana coinquinata, diripitur, deſtruitur, comburitur, & Fratres Prædicatores illius, eò quòd Luthero infenſiſſimi eſſent, & contra eius hæreſes prædicarent, pluribus verberibus, iniurijs, & contumelijs affecti, inde abire coacti ſunt. *Bzou. num. 33.*

Apud Tornacum per Inquiſitores noſtros extremo ſupplicio punitus eſt Quirinus

tinus Piccardus hæreticus, qui vltra Lutheranorum inſanias nouas hæreſes cum ſocio Coppino Inſulano euulgabat, & primò quidem in Picardia apud Gallos; at metuens Inquiſitorum noſtrorum ſanctam ſeueritatem, in Brabantiam, & Hollandiam aufugit, vbi hæreſi abiurata Eccleſiæ reconciliatus, relapſus, ſuſpenſus patibulo, combuſtus fuit, vt Pſeudomartyrologio Lutherano daretur nouus hoſpes: *Bzou. num. 69*.

ANNO 1526. Dum catholica Religio, & fides ex ſeptentrionalibus Eccleſijs, ac populis eijciebatur, in noui Orbis partibus apud Indos piè recipiebatur, & colebatur. Nam in latiſſima regna nouæ Hiſpaniæ illam aduexit Dominicana Religio per filios ſuos inclytos Patres, Dominicum Betanzos, virum ſanctiſſimum, miraculiſque clarum, qui Epiſcopatum Guatimalenſem ſuſcipere conſtanti pectore recuſauit, Thomam Ortizium, Epiſcopum deinde S. Marthæ, Vincentium à S. Anna, Didacum à Sotomaiori, Petrum à S. Maria, Iuſtum à S. Dominico, Petrum Zambranum, Gundiſaluum Lucèrum, ſanctitate, miraculiſque venerabilem, Didacum Ramires, Alphonſum de Virginibus, Vincentium Caſaus, & F. Bartholomæum Calzadillam Conuerſum, omnes numero duodecim. Hi tanquam duodecim Apoſtoli innumeros Gentiles ad Chriſti fidem adduxerunt, fundatis in prouincijs Mexicana, Oaxacenſi, & Guatemalenſi circiter centum domibus, ac Conuentibus Religioſorum, qui eiſdem populis in ſacris miniſterijs inſeruirent, & inſeruiunt. *Bzou. in Annal. num. 52.*

Reportata per Solymanum Turcarum tyrannum inſigni victoria de Ludouico Rege Hungariæ, Budaprimaria Regni ſede capta, ac depopulata, conuentus noſtri cum Eccleſijs miſerrimè ſpoliati ſunt omnibus bonis, Religioſis ipſis in odium catholicæ fidei, vel necatis, vel captiuis ductis, vel exilio mulctatis, ita permittente Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt. *Spondanus num. 11. & Ferrarius de Rebus Hungaricæ Prouin.*

Thomas Radinus Placentinus natalium claritate ſpectabilis ſcripſit contra Lutherum, eiuſque libellum *de Abrogandi miſſi*, Item Diſcurſum ad Principes Germaniæ contra eundem Lutherum, alterumque contra Melanchonem, quibus horum hæreticorum peruerſa dogmata, ac deliramenta detexit, atque ſacris ſcripturis, Sanctorumque Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum auctoritatibus impugnauit. *Spondan. ad an. 1525. nu. 17. Leander Albert.*

P. Iacobus Hoochſtratanus iterum cõtra effrontem, ac dementientem Lutherum, eiuſq; ſequaces inſurrexit euulgando doctiſſimum librum, *de Chriſtiana Libertate* in quinque tractatus diſtinctum, impreſſum hoc anno apud Antuerpiam, qui fuit eiſdem infenſiſſimus: vnde obbrobrijs, & contumelijs multis fuit laceſſitus, & inter alios à Ioanne Reuchlino ludicris epiſtolis irriſus, quas, *Obſcuriorum Virorum* titulo euulgauit. *Bibl. Belg.*

Magiſter Generalis quoque Ordinis noſtri ſuorum filiorum exempla ſequtus, etiam ipſe, cum eſſet doctiſſimus, calamum in Lutherum acuit ſcribens, *de Euangelica libertate*. Mirræus.

Aſſumitur à Clemente Pontifice P. Iacobus de Mantua ad regendas oues Chriſti in Litteren. Eccleſia in Neapolitano Regno apud terram laboris. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Circa hæc tempora in Regnum de Cochim P. Ambroſius noſter euangelicus prædicator per deſertum incedens, protegente Domino, cuius cauſa agebatur, ſaluus, & incolumis per Indiam penetrauit, vir verè ſanctus, verè Apoſtolicus, qui Chriſtianitatem, S. Thomæ Apoſtoli dictam,

dictam, varijs erroribus inuolutam catholicas leges, ritus, & præcepta edocuit, atque ad catholicæ fidei nitorem reuocauit: quibus omnibus Apoſtolicæ Sedi nunciatis, ab eadem inibi Archiepiſcopus creatus, populum illum charitate ſumma, virtutum omnium factus eidem exemplar, annis pluribus vſque in ſenectam & ſenium rexit, plurium aliorum Patrum noſtrorum in excolenda vinea illa electa opera vſus, qui defũcto Archiep. ibidem permanentes vſque ad mortem, fructum maximum Eccleſiæ S. Dei dedère, nouis fundatis Eccleſijs, erectiſque æterno Deo viuo, & vero Aris, quæ vſque in hodiernum diem apparent. *Ex relat. ad ſac. Congreg. de Prop. fide.*

ANNO 1527. Tribulationes multas, & malas experti ſunt Romani; nam Carolus Barbonius, Caroli V. Imperatoris copijs, die 5. Maij Romana mœnia aggreſſus eſt: & licet tormenti bellici ictu necatus ſit; nihilominus poſtridiè Vrbs capta, direpta fuit, in ſummum Chriſtianę Religionis dedecus: & Patriarchales Eccleſiæ depopulatæ, ſacra vaſa ſublata, templa violata, ſacræ ædes ſpoliatæ ſunt, ita vt nec ſacris Virginibus eſſet effugij locus. Sacræ Sanctorum Reliquiæ extractæ, & igne combuſtæ, ſacratiſſima Euchareſtia conculcata, Pontificium ſacellum in ſtabulum conuerſum, atque cuncta in rapinam, & libidinem verſa, vt impiorum hæreticorum Luteranorum rabiem, & ferocitatem in Sanctam Sedem Apoſtolicam manifeſtabant. Duodecim S. R. E. Cardinales, inter quos noſter Caietanus, in aduerſariorum poteſtatem venientes, varijs contumelijs ſunt affecti; & inter cœteros idem Caietanus ſuper aſellum per Vrbem à militibus hæreticis Lutheranis in odium illius, atque catholicæ fidei, ductus, quinque millium ſcutorum prætio propriam, & quorundam aulicorum ſuorum libertatem redimere coactus fuit. Sed & Pontifex Max. Clemens in Mole Hadriana cum tredecim alijs Cardinalibus recluſus latuit, vt impiorum hæreticorum manus effugeret: qui tandem omni ſpe deſtitutus, die 6. Iunij deditionem facere coactus eſt, quadraginta aureorum millibus inter cœtera perſolutis. Ita fortaſsè permittente Deo ob deprauatos nonnullorum Eccleſiaſticorum mores. Attamen omnes, qui direptioni Vrbis interfuerunt, iuſto etiam Dei iudicio infeliciter periere. *Spondan. num. 2. & ſequent.*

In libertatem redditus Clemens Pont. de ſalute Caietani Cardinalis, quem Lutheranis militibus ſummè exoſum ſciebat, ſollicitus, conuerſus ad ſuos dixit: *Saluum ne eſt lumen Eccleſiæ?* Quod cum ſaluum eſſe audiſſet, gauiſus eſt ſummoperè; timebat enim ne ab inimicis Lutheranis fuiſſet pereptus Caietanus. *Oldouin.*

Dum in Epithalamium iniquum ſceleſtiſſimi Lutheri calamo inueheretur glorioſus, & laudibus longè maior Inquiſitor P. Iacobus Hoochſtratanus hæreticorum terror, eripitur heu nimis citò, in ætate adhuc virenti ex mortalium oculis hoc anno, in æternum regnaturus cum Chriſto, pro cuius Eccleſia tot pertulit labores in mortali vita. Mortuum deplorauerunt Catholici, irriſerunt hæretici, & inter illos Eraſmus Reterodamus, qui Epiſtola 23. ad Ioannem à Laſco, dum hoſtium ſuorum aliquos perijſſe congaudet, eiſdem noſtrum Inquiſitorem Iacobum primo loco enumerat. *Huius tragediæ coryphæum* illum vocando. Ita erat exoſum huius optimi Inquiſitoris nomen perfidis illis hæreticis Sathanæ filijs, qui nec mortuo parcentes, ſepulcro eiuſdem papyraceam inſcriptionem clam appoſuere, hæc referentem.

Hic iacet Hoochſtratus, viuentem, ferre, patique, quem potuere mali non potuere boni.

At lacerata à Catholicis papyracea inſcrip-

ſcriptione, talem ſepulcro appoſuère tanto viro dignam.

Hic iacet Hoochſtratus, viuentem ferre, patique, Quem potuere Boni, non potuere Mali. Bibl. Belg.

In eundem quoque Lutherum & hoc anno inſurrexit P. Io: Manſiagus in Prouincia Saxoniæ Prior Prouincialis, qui calamitates non modicas à Duce Saxoniæ Friderico Luthèri cauſa perpeſſus, eo defuncto, euulgauit librum contra tractatum, ſeu opuſculum eiuſdem Hæreſiarchæ: *De Abroganda miſſa*; opus eruditiſſimum, impreſſum Coloniæ. *Mirreus, & Plod.*

P. Corradus Koellin. natione Theutonicus patria Vlmenſis, de Colonien. conuentu, ibidem Prior, & Regens ſtudiorum, S. Theologiæ profeſſor eximius, atque hæreticæ prauitatis Inquiſitor vigilantiſſimus, etiam ipſe contra Epithalamium Lutheri librum doctum euulgauit, inſcriptum: *Euerſio Lutherani Epitalamij*, impreſſum hoc anno, & dicatum Arnoldo de Tungaris, & multa alia relata à Fernandez de quo ſup. *Luſitanus in Bib. Mir.*

P. Thomas Ortiz Vicarius Generalis Miſſionariorum Apoſtolicorum in latiſſimis Regnis nouæ Hiſpaniæ, comperta multa meſſe in Eccleſiæ horrea congreganda, & operariorum paucitate, in Hiſpaniam reuerſus, ibique Rege de Idololatrarum conuerſione ad Catholicam fidem informato, alijs aſsumptis quadraginta ſocijs ex Prædicatoribus, ad Apoſtolicum munus exequendum aptioribus, in Indiam reuerſus eſt hoc anno. *Leſeburè.*

Catholicam Eccleſiam, & Ordinem Prædicatorum illuſtrabant in Gallia hoc tempore, & anno doctiſſimi Pariſienſes laureati PP. Matthæus Orij Dinanen. Nicolaus Moinet, Dominicus Dauidet, & Io: Heron Carnuten. cum Stephano Pariſio Aurelianen. qui ſacris prædicationibus, ſacramentorum adminiſtratione, atque calami vſu, populorum ſpiritualem ſalutem procurantes, ab omni hæreticali labe auertere conati ſunt. *Leſeburè.*

P. Dominicus Malocouius Polonorum Regis Eccleſiaſtes, nobilis genere, virtutibuſq; nobilior poſt exantlatos pro Eccleſia Dei contra hæreticos innummeros labores, à Clemente Pont. Laodicenus Epiſcopus creatus eſt, data eidem facultate exercendi Pontificalia in Ciuitate, diœceſiq; Cracouien. Deceſſit an. 1544. in noſtra Cracouien. Eccleſia ſepulrura electa. *Ex Act. Cnncilſ. & Bzouio de Prouin. Polon.*

P. Coſmus de Tornabonis Florentinus genere nobilis; at virtutibus nobilior, in regulari obſeruantia apud S. Marcum ſub P. Sauonarola enutritus, à Clemente Pontifice adamatus, atque ab eodem nobiliſſimo Archioſpitali Romano S. Spiritus in Saxia Præceptor præfectus, cum graſſante in Vrbe lue infirmis Xenodochij, & ſacramenaa, & alimenta ſua manu miniſtraret, eodem morbo correptus, depoſito carnis onere perrexit ad Chriſtum, ab eo perpetuam percepturus retributionem, qui dixit: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ex Monum. Conu. ſuprad.

Hoc quoque anno, & tempore apud Indos P. Petrus Cordubenſis ſalutis animarum cupidiſſimus, tanquam Angelus de cœlo miſsus venerabatur, qui tot, ac tantis miraculis claruit ibidem, vt venti, ac mare eidem obedirent. In Inſulam Hiſpaniolam ab obedientia miſſus, multis Indorum ad Chriſti adorationem attractis, Satanam à quodam antro, vbi oracula, ſe venerantibus reddebat, effugauit, populoſque ei ſacrificantes ad Catholicam fidem conuertit. Aliquando naui, omni apparatu, nautiſque deſtituta, Chriſto Domino, ac S. P. Dominico viſibiliter, altero in prora, altero in puppi apparente, animas cœlo lucraturus, du-

centas leucas vigintiquatuor horarum ſpatio confecit. De quo anno ſequenti. *Spondan. in Annal. ad hunc annum.*

ANNO 1528. Clemens Pontifex, cum audiſſet quòd Communitas, & Præfecti ciuitatis Brixienſis publico decreto conſtituerant initio Lutheranæ hæreſis tres ciues, quorum cuſtodia auerterentur à ciuitate, & confinibus hæretici, ne vltra procederent, laudauit zelum Brixienſium, præcepitque Epiſcopo, ac Inquiſitori noſtro ibidem, vt etiam ipſi ſuper hoc ſedulo inuigilarent; & omni appellatione remota, contra hæreticos, iuxta ſacrorum canonum ſanctiones procederent: datis Apoſtolicis litteris Viterbij die 13. Iulij. *Ex Directorio Inquiſit. & Lopez. p. 5.*

Apud Tornacum quidam hæreticus ab Inquiſitore noſtro captus, & conuictus relaxatus eſt brachio ſeculari tanquam obſtinatus, comburendus ſequenti die, prout factum eſt. In ſequenti autem nocte apparuit ille ſocijs ſuis in carceribus detentis, flammis vndique circundatus, monens illos, propter hæreſim ſe æternis flammis damnatum eſſe, quas conſequuturos eſſe etiam illos, ſi ab errore non reſipiſcerēt, qui abiuratis erroribus, per ſalutares pœnitentias S. Matri Eccleſiæ fuère reconciliati, ac dimiſſi. *Spondanus num.* 3

Petente Carolo V. Imperatore, Clemens Pontifex dedit pro Apoſtolicis Miſſionarijs ad Indos dirigendis, etiam viginti alios Prædicatores, dilatationis Catholicæ fidei zelo feruentes, ad illos mittendos hoc anno, conſtituto eiſdem P. Vincentio de S. Maria Generali Vicario, *Lefeburè.*

Celebratum eſt hoc anno Concilium, ſeu Synodus Senonen. in Gallia pro extirpandis nouis hæreſibus, Galliam totam inuadentibus, cui inter cœteros interfuit P. Guillelmus Parui Trecenſis Epiſcopus, qui murum validum ſe oppoſuit vafritijs hæreticorum; & pro eiſdem extirpandis, oportunum fore Regium edictū cenſuit, de ijs condignis ſupplicijs plectendis, idque pro vt petijt concluſum eſt, maximo cum hæreticorum damno. *Gallia Chriſt.*

Aſſumpti ſunt ad Eccleſiarum regimina hoc anno à Pontifice Max. P. Franciſcus de Puteo, & P. Vincentius Ceuola; primus quidem ad Tribunen. & Mercanen. in Dalmatia; ſecundus verò ad Hyerapolitanam, cum facultate exercendi pōtificalia in ciuitate, & diœceſi Mutinen. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Beatorum Choro ſociantur hoc anno Prædicatores apud cœlites, B. Petrus de Corduba, & B. Ioannes Hurtado, Hiſpanus vterque; quorum prior ad Occidentales Indos pro eorum conuerſione Apoſtolicus Miſſionarius directus, apud Inſulam Hiſpaniolæ pedem fixit, ibique Prouinciam S. Crucis fundauit, conuentus, & doctrinas cū templis Ord. erexit, eoſq; ſacro regenerationis lauacro aſſūpto, Eccl. ſociauit, & miraculis coruſcans, ab Indis tanquam Apoſtolus honoratur. *Plodius, & Spondanus vbi ſup.*

Io: Hurtadus alter eſt, qui poſt Granatenſe contra Mauros bellum, cui interfuit, chriſtianæ militiæ ſub Dominicana toga nomen dedit, ſub qua in pietate cęteriſque virtutibus profecit mirabiliter. Pedeſter ad Romanū Capitulum ſolo baculo vſus, & ſecundæ ſecundæ D. Thomæ volumine contentus acceſſit, oſtiatim, vbi Ordinis cœnobia non erant, panem emendicans; ſolis leguminibus, aut cum pane vaſcebatur, ſitim herbis aqua extinguendo. A Carolo Cæſare Matritum vocatus, ad Mauros pro eorum conuerſione mittendus, ibidem infirmatus, miraculiſque refulgens, euolauit in cœlum. *Plodius.*

Hos ſequuta eſt ad cœlum Soror Maria de Reggio in Lombardia, quæ à P. Sancte

Sanctæ Pagnino in Monaſterio S. Vincentij de Prato ſacro Religionis habitu induta, mortificationi corporis aſſueta, illud ſpiritui toto tempore, quo vixit in Ordine, ſeruire cilicijs, & diſciplinis coegit. Cōſcendit ad ſuperos die 18. Aprilis poſt quam annos viginti Deo in Dominicano habitu inſeruiſſet. *Plodius*.

Anno eodem B. Petrus de Auerio Conuerſus cœlitibus ſociatus eſt, in conuentu Eborenſi apud prouinciam Portugalliæ decedens: vir tantæ in pauperes charitatis, vt meritò ab ipſis, Pauperum pater dictus ſit. In conuentu de Auerio primò, in Eborenſi poſtmodum portarij munus exercens, cuncta, quæ Fratribus in refectorio, ac coquina ſupererant, exactiſſimè colligebat, & in pauperes erogabat. Ieiunijs, vigilijs, & cilicio macerabat corpus, in ſeruitutem illud redacturus. In eius obitu innumera pauperum multido ad conuentum confluxit, qui eiulatibus, & lacrymis adſtantes ad fletus prouocabāt, in defuncti corpore cilicio inuento, quod ita carni adhæſerat; vt vix potuerit per vim ab illa diuelli; ſeruaturque modò apud Sorores noſtras Eborenſes cum veneratione. *Luſitanus in Chron. & Plodius*.

Deceſſit ante S. Michaelis feſtum Silueſter Ferrarienſis Magiſter Generalis; verumtamen Capitulum electionis ſucceſsoris, procurante P. Paulo Butigella Vicario Ord. Apoſtolica auctoritate inſtituto, dilatum eſt (muſſitantibus Prouinciarum Fratribus) vſque ad ſubſequentem annum 1530. *Olmeda*.

ANNO 1529. In Peruanum Regnum miſſi ſunt apud Occidentales Indos Apoſtolica, atque Caroli Quinti Imperiali auctoritate Apoſtolici Miſſionarij pro conuerſione Gentilium, ad agnitionem veri Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hi verò fuere PP. Bartolomæus Caſaus, ſeu de las Caſas. Bernardinus de Minaya, Reginaldus de Peraza, Thomas de S. Martino, Ioſ. de Hoſſias, Franciſcus Martinez, Auguſtinus de Zunniga, Rodrigerez Ladrada, Martinus de Trugillo, Petrus de Villoa, Gaſpardus de Caruaial, Bartholomæus de Oieda, Blaſius de Caſtella, & Iacobus de S. Thoma: qui ignito Dei eloquio innumeros Gentiles ad Catholicam fidem, combuſtis Idolis, attraxère, ex quibus multi varijs Eccleſijs ibidem ab Apoſtolica Sede fuère præfecti. *Lefeburè*. *Bzou. num.* 52.

P. Io: Dietembergius Francofordienſis cœnobij alumnus, hæreticæ prauitatis Inquiſitor apud Rheni, & Moſellæ confluentiam, contra hæreſim Lutheranam inuigilans, plures ex eius ſequacibus errores abiurare compulit, multoſque obſtinatos igni tradidit, per ſeculare brachiū comburendos. Hebraicæ linguæ cognitione excellens, atque in Sanctorum Patrum lectione verſatus, vtrumque ſacrum teſtamentum in Theutonicam linguam vertit, & impreſſit; ne quis in laqueos hæreticarum verſionum, nouiter factarum impingeret. Falſas hæreticorum opiniones, & mores propalauit; nec ſemel, aut bis, ſed multos congreſſus cum Luthero habuit de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento: de Sacrificio Miſſæ, & de cœlibatu. Librum euulgauit contra Sectarios Lutheranos, quem *Frenum Lutheranorum*, inſcripſit. Præterea in Euangelia totius anni Germanicam poſtillam, ſatis vberem, contra extortos ſenſus Lutheri compoſuit; nec non & *Opuſculum de votorum emiſſione, atque obligatione*, alterumque *De Apoſtaſia*; quæ fuère Luthero, & ſequacibus infenſiſſima. *Gozeus*.

Clemens Pontifex euexit ad Infulam Cononien. in Albania P. Gaſparem Dalmatam, virum pijſſimum, cui manandauit, vt in ſua Eccleſia habente populum

Chriſtianum reſideret, oueſque ſibi creditas in catholica fide contra Turcarum ſpurcitias conſolidaret. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Hoc anno, & tempore dirigebat Pontificem Max. Clementem VII. per ſacramentalem confeſſionem in viam ſalutis P. Thomas Maurus de Auerſa, vir Religioſiſſimus, atque pijſſimus, qui in direptione Vrbis à Borbone facta nobiliores, & formoſiores Sacras Virgines occultauit ne damna in virginitate ab hæreticis militibus paterentur, quibus & neceſſaria ad victum in ſæculari habitu ſubminiſtrabat toto tempore, quo milites improbi in Vrbe permanſerunt. *Vallus de Prou. Regni, & Lucarin.*

Ex hac lacrymarum valle diſceſſit hoc anno P. Gulielmus Pipinus facundiſſimus lingua Gallica concionator, hæreticorum perſecutor indefeſſus, vitæ munditia, atque corporis afflictione mirabilis, apud ſæculares in maxima veneratione habitus, qui innumerabiles peccatores à via mandatorum Dei deuios per callem pœnitentiæ reuocauit ad Chriſtum. Multa ingenij ſui monumenta reliquit, inter quæ *Deſtructionem Niniues*, hoc eſt, omnis generis vitiorum, Pariſijs, Venetijs, Duaci, & alibi impreſſam. *Mirræus*.

Fato ceſſit hoc anno P. Bartholomæus à Senicia Iuſtinopolit. Epiſcopus, qui Bergomi natus, atque inter Prædicatores aſcriptus, cum ſcientia, ac virtutibus pollèret ab Alex. VI. ad infulam euectus anno 1503. Lateranen. Concilio ſub Leone X. interfuit, in quo ſeſſionibus 6.7.8.& 10. ſubſcripſit. Cum verò Impij Lutheri virus ex Germania in Italiam ſe diffundere cœpiſſet, miſſus eſt Bartholomæus ab eodem Pont. Max. anno 1520. quo in Romana Curia Apoſtolici Referendarij munus obibat, Generalis Inquiſitor cum pleniſſima auctoritate Brixiam, atque ad adiacentes ciuitates, vt ſua dignitate, atque auctoritate Lutheranæ hæreſi ſe murum validum opponeret, catholicamque fidem ab impijs hæreticis vindicaret. De quo in Regeſt. eiuſdem S. Inquiſitionis Brixien. ſic legitur. *Anno 1520. Reuerendiſs. Pater Bartholomæus à Senicia Ord. Præd. Epiſcop. Iuſtinopolit. Sanctiſs. D. N. Referendarius, & Inquiſitor Generalis Brixiæ &c.* At vnico tantummodo anno præfecturam illam geſſit, è mortalibus ibidem ſublatus menſe Aprili huius anni 1529. *Vghell. tom. 5. & ex Regeſt. eiuſdem ſac. Inquiſit.*

Caput III.

P. PAVLO BVTIGELLA Magiſtro Generali XLI.

ANNO 1530. Antequam congregarentur Ordinis Generalia Comitia Romæ, Clemens Pontifex mandauit P. Paulo Butigellæ Ord. Prædicat Vicario Generali, atque in Ferrarien. & Mutinen. ciuitatibus hæreticæ prauitatis Inquiſitori, vt ipſe, cunctique alij Inquiſitores, eorumque Vicarij procederent contra quoſcumque Religioſos de hæreſi diffamatos, aut ſuſpectos, atque erroneas propoſitiones prædicantes, non obſtantibus priuilegijs quibuſcumque: & quòd poſſent inſtituere Vicarios annorum triginta, atque occultos hæreticos abſoluere, ſuper irregularitate ex hæreſi, vel apoſtaſia contracta diſpenſare, &c. Datis Apoſtolicis litteris Bononiæ die 15. Ianuarij incipien. *Cum ſicut ex relatione pro parte tua nobis facta, &c.* Ex Directorio Inquſit.

Celebratum eſt Generale Capitulum Romæ

Romæ pro noua electione Magiſtri Generalis Ordinis facienda, in quo electus fuit P. Paulus Butigella ex nobilibus parentibus Papiæ natus, de Prouincia Lombardiæ, Procurator tunc, & Vicarius Ord. necnon & Inquiſitor Ferrarien., & Mutinen. aſſiſtentibus tribus S. R. E. Cardd. Protectore Laurentio Puccio, Caietano noſtro, atque Garſya olim Magiſtris Generalibus. *Olmeda*.

In eodem Capitulo mandatum eſt Fratribus, vt Lutheri, ſociorumque hæreſes viriliter, prout cœperant, impugnare non deſiſterent, Apoſtolicamque Sedem ab eorumdem calumnijs vindicarent. *Ex Act. eiuſdem Capit.*

Erecta eſt, inſtante Carolo Cæſare in Indijs noua Prouincia, S. Crucis dicta, pro Gentilium conuerſione, & conuerſis ad Catholicam fidem, in illa confirmandis, quam viri religioſiſſimi incolebant, zelo Chriſtianæ diſciplinæ feruidi, & pro ea dilatanda multas calamitates ſuſtinere parati, memores verbi Chriſti Domini: *Qui non baiulat Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Erecta quoque eſt Prouincia Calabriæ in eodem Capitulo. *Olmeda*.

Terminato Capitulo Mag. Ord. ad viſitandam prouinciam Regni Neapolim properauit, voluntati Caietani Card. ſatiſfacturus, vbi ſequenti anno die 9. Octobris podagræ, & chiragræ morbo diu vexatus deceſſit. *Olmeda*.

Eodem anno in Pyruanis regionibus, Regni Quitenſis, Fratrum Prædicatorum miniſterio ad Chriſtum cōuerſi ſunt multi ex populis Burgenſibus, Popaianēſibus, & Chimbenſibus, in quibus locis decem & octo conuentus conſtructi ſunt, & domus trigintaquinque ædificatæ: & in eis permanebant Religioſiſſimi Patres, animarum ſaluti, & Gentilium conuerſioni ex corde addicti. *Luſitan. in Chron. Bzou. num.* 134.

In regionem de Vera-pax diriguntur multi Prædicatores, populos illius ab Idolorum cultu auerſuri, ex quibus recenſentur PP. Dominicus de Betanzos, Petrus de Angulo, & Bernardus de Pace, qui ibidem primus poſtea Epiſcopus conſtitutus eſt, *Lefeburé*.

P. Laurentius de Laurentijs erat hoc anno, & tempore apud Traiectum hæreticæ prauitatis Inquiſitor peruigil contra ſerpentes errores Lutheri, & ſequacium, ex quibus multos eiuſdem Lutheri diſcipulos viuos combuſſit, alioſque per pœnitentias ſalutares, abiuratis erroribus, S. Matri Eccleſiæ reconciliauit. *Ex Actis Capit. Gen. in declarat. & Lucanin.*

Præfecti ſunt Eccleſijs Prædicatores, vt oues Chriſti per ſemitam mandatorū dirigentes ad æternitatis paſcua perducerent. Et quidem Archiepiſcopali Rhodienſi P. Marcus Cataneus Ianuenſis datus Suffraganeus metropolitanæ Ianuenſis, & P. Deſiderius Gallus Chryſopolitanæ Epiſcopali, factus Suffraganeus Tullenſis: iſtæ autem promotiones factæ ſunt Bononiæ, vbi reſidebat Clemens Pont. cum Imperatore Carolo V. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd.*

P. Garſias de Loayſa Oxomen. Epiſcopus, aliquando Generalis Ordinis Mag. inſtante Carolo Cæſare Imperat., inter S. R. E. Cardinales ſub Tit. S. Suſannæ cooptatus fuit à Clemente Papa VII. magni conſilij, & prudentiæ vir, qui Eccleſias Seguntinā, & Hiſpalenſem promeruit: à Conſilijs eiuſdem Cæſaris, Præſes Regij Conſilij Indiarum, Commiſſarius Bullæ Cruciatę, Generalis Inquiſitor in Regnis Hiſpaniæ; nec non & Viceimperator in Italia poſtmodum effectus. *Pludius inter Cardd. Ord.*

Offeruntur Regi gloriæ Virgines præſtantiſsimæ à Dominicana Religione, quæ in hac mortali vita Agnum ſequutæ, acceperunt in morte palmam; Hæ autem fuère

fuère B. Stephano de Soncino; Catharina Amata de Barchinona, & Priſca de Soncino, quæ orationibus inſtantes, ieiunijs adhærentes, vigilias ſacras amantes infirmos viſitantes, pauperes recreantes, atque in tribulatione gaudentes Deo gratias agebant. *Plodius*.

Cum Baſileæ hæretici nimis inualeſcerent, ita vt ibidem actum videretur de catholica Religione, inſurgentes pro viribus in eos noſtri Prædicatores, inter concionandum nouitates religionis Lutheranæ carpebant, & publicè damnabant. Quare facta hæreticorum commotione, templa omnia inuaſa ſunt, imagineſque ſacræ deturpatæ, ac publicè combuſtæ Miſſa abolita, atque cunctæ reliquiæ Catholiciſmi extirpatæ, fuſtigatis, & vulneratis pluribus Patribus noſtris, qui Baſileę cœnobium præſtantiſſimum incolebant: ac tandem non poſt multum temporis, eiecti ſunt omnes, nobiliſſima atque ampliſſima noſtra Eccleſia in hæreticorum ſtabulum conuerſa. *Spondan*.

Lutetiæ Pariſiorum Ludouicus Berquinus Atrebatenſis ob prædicationem hæreſis publicè ibidem factam, procurante P. Guillelmo Parui Epiſcopo Siluanecten. Nec non & P. Matthæo Ori Gen. Inquiſitore Galliæ apud Regem Franciſcum I. cui erat à ſacris confeſſionibus, in publico foro viuus ad aliorum exemplum combuſtus eſt. *Spondan. num.* 14. *anteceda anni, & Lopez p.* 5.

P. Conradus Koelinus, de quo ſupra 1527. ſcripſit inſuper hoc anno *Contr. Lutheri Nuptias*, libros 4. Tubingæ impreſſos, atq; alia opera. *Mirreus*.

Dum hæc agerentur in Germania contra catholicam fidem, & ſacrarum imaginum cultum ab impijs Lutheranis, Caluiniſtis, & alijs hæreticis, thaumaturga illa S. Patris Dominici Imago, miraculis innumeris ad ſtuporem, coruſcans; non tam Ordini, quam vniuerſæ Eccleſiæ de cœlo donata eſt à Beatiſſima Dei Genitrice Maria, ſociata à S.S. Catharina Virg. & Mart. atque Apoſtolorum Apoſtola Maria Magdalena, in Calabria apud Sorianum; vt qui viuens Orthodoxam fidem verbo, & opere contra Albigenſes propugnauerat, & mortuus ſua imagine contra Lutheranos, & Caluiniſtas tueretur; vtilior, vt moriens flentibus filijs promiſerat, factus mortuus, quàm viuus. confluentibus illuc ex multiplicibus Orbis regionibus deuotionis cauſa fidelibus pro gratijs, quibus ſacra illa imago abundat, conſequendis. Alexander autem Papa VII. ad augendam ibi fidelium deuotionem ſupplicante Magiſtro Generali Marino piè indulſit, vt in ea Eccleſia ſit vnus Apoſtol. Pœnitentiarius pro abſoluendis peregrinus à peccatis reſeruatis. *Ex ſacra legenda ipſius S. Patris*.

ANNO 1531. P. Matthæus Ori Generalis Inquiſitor in tota Gallia inualeſcebat, & confundebat hæreticos, ne hæreſes Galliam inficerent; ea propter ſeueritate maxima in illos procedebat, ex quibus multi obſtinati, vel relapſi ſæculari brachio comburendi traditi ſunt; alijs errores abiurantibus, perſalutares pœnitentias S. Matri Eccleſiæ reconciliatis. Cum verò aliqui iniquitatis filij eidẽ S.P. Ignatium Loiolam Societatis Ieſu Fundatorem denunciaſſent, tanquã ſui tribunalis reum, cognita cauſa, liber, & innocens dimiſſus eſt. *Ribadenera in vita S. Ignatij. Luſit. in Chron.*

In Regno quoque Poloniæ apud Vratiſlauiam Inquiſitionis ſacrum tribunal regebat P. Io: Polonus, qui omnem præſtabat operam in arcendis ab illo Regno Lutheranis hæreticis cũ ſuis ſequacibus, & quotquot in eius manus ex eis inciderũt, vel igne publicè conſumpti ſunt, vel palinodiam de hæreſibus decantare fuère coacti. *Luſit. ibid. Plodius de Prouin. Poloniæ, &c.*

Defun-

Defuncto Raymundo Goſſin anno 1517. recenſito, factus eſt Toloſanus Inquiſitor P. Arnaldus de Badeto, vir verè Apoſtolicus, & pro temporis opportunitate ad tantum onus ſubeundum aptiſſimus; qui muneris ſui partibus ſatiſfacturus tempore illo, quo hęreſis quęcumq; in Gallia graſſabatur ſupra modum, maximo cum catholicæ fidei damno, à perſequendis palam hæreticis prudentia ſingulari abſtinuit, catholicos in ſancta, quam profitetur Romana Eccleſia, fide ſacris colloquijs, atq; gladio ſpiritus confouendo. Attamen perſequutiones multas, & non leues ſuſtinuit, etiam ad mortem quæſitus ab impijs, ſed, protegente Deo ſeruatus incolumis. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

P. Cornelius de Snekis Friſius, Sacræ Theologiæ profeſſor apud Roſtokium, & Prouincialis Saxoniæ, Congregationiſq; Hollandiæ Generalis Vicarius, vir pijſſimus, & obſeruantiſſimus, cum Lutheri miniſtris, imò & cũ Luthero ipſo pluries diſputauit, & cum Sebaſtiano Pol maximè, quos cõfudit, ſed non conuertit, ſcripſitq; contra eundem Lutherum. *Defenſorium Eccleſiaſticorum*, opus ſingulari eruditione, ac doctrina refertum. *Bibliot. Belg.*

Conuentus Ordinis Ciſtercienſis ſub nomine S. Aciſcleij in ciuitate Cordubenſi iuxta diploma Clementis VII. datum, hoc anno Ordinis Prædicatorum inſtitutum amplectitur. *Leſeburé, & Lopez part. 5.*

Clemens Pontifex ad inſtantiam Caroli Imperatoris erexit in ciuitatem Caſtrum de Truillos, poſitum in Prouincia de Cabo de Honduras in Indijs Occidentalibus cui primum præfecit Epiſcopum P. Alphonſum de Taualera Sacræ Teologiæ Magiſtrum cum facultate conſtituendi ibi Cathedralem Eccleſiam, & erigendi dignitates, & Canonicatus, & fundandi Capellanias: Imperatori verò dedit facultatem terminandi diœceſim eiuſdẽ, illamque annuis redditibus locupletandi. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Promoti ſunt quoq; hoc anno ad aliarum Eccleſiarum regimina Prædicatores, tantam dignitatem promeriti: nempe P. Io: à Saruia ad Canarien. in Inſulis eiuſdem nominis, & P. Adrianus Szahaouuſtki Theologus præſtantiſſimus, Sigiſmundo I. Regi Poloniæ à ſacris confeſſionibus, ad Ennenſem Eccl. & Suffragancatum Poſnanien. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Sub Magiſtro Ord. Butigella claruerunt viri ſacra prædicatione verbi Dei, & in Hiſpania præcipuè, peccatores à via ſua praua auertentes, & per ſemitas iuſtitiæ ducentes ad ſalutem ęternam. P. Paulus Legionenſis Magiſter celebris, declamationibus ad populum, tum arguendo, tum obſecrando, tum increpando quaſi alter doctor Gentium celeberrimus, in peccatorum conuerſione infatigabilis fuit; diu enim per latam Hiſpaniam tuba prædicationis mirabiliter inſonuit, & cœnobium Ouetenſe fundauit pro illius populi ſalute; dœmonum autem expugnator glorioſus, etiam Eccleſiarum Chriſti in diuino cultu reparator fuit, multaque pro iuſtitia, & veritate paſſus eſt. *Olmeda.*

Floruit quoque ſacra prædicatione P. Garſias Vaion, in promulgatione Euangelij nemini ſecundus, *Animarum piſcator* dictus, factus Epiſcopus Laodicenus, & prædicator Regius, qui opulentam Abbatiam de Trianos Apoſtolica, atque Regia auctoritate Ordini donauit, vbi nobiliſſimum Collegium pro ſtudentibus fundatum eſt. *Olmeda.*

Moritur Magiſter Ord. P. Paulus Butigella ſequenti ſui regiminis anno, ſub quo vnicum ſuæ electionis Capitulum Generale fuit celebratum. Omnem conatum adhibuit ille, effrontem Lutherum compreſſurus; propterea que Prouincialibus

bus ſeptentrionalium prouinciarum omnibus,necnon & Vicario Congregationis Hollandiæ præcepit, vt Fratres ſibi ſubditos ad id muneris aptos per pręcepta compellerent ad manifeſtandas populis Lutheri, ſequaciumque damnatas hæreſes, prauas doctrinas, ac deliria, ex ſuggeſtu, in ſcholis, publicisque congreſſibus,ore, calamo, & ſpiritu oris ſui, catholicos in fide conſtabilituri, hæreticoſque vera Ecclesiaſtica dogmata edocturi. *Ex Regeſt. eiuſd.*

Caput IV.

P. IOANNE DE FENARIO

Magiſtro Generali XLII.

ANNO 1532. Congregatur Ordinis Capitulum pro Magiſtri Generalis electione facienda Romæ in feſto Pentecoſtes,in quo ſalutatus eſt Magiſter P.Io:de Fenario natione Gallicus de Prouincia Toloſana, & Conuentu Morlanen. inſignis Pariſinus Doctor, ex Procuratore, & Vicario Ord. talia non quærens nec deſiderans:adſiſtentibus Capitulo duobus Cardinalibus Ordinis Caietano, & Loayſa: & expenſas Capituli faciente permagnicè F.Nicolao Sciombergo Archiep. Capuano tunc nondum ad purpuram euecto, quorum præſentia, & pręſtantia Capitulum,& Ordo maximum decorē reportarunt.Clemens quoq;Pontifex,qui Ioanni beneuolus erat, eius electioni congaudens, manus etiam adiutrices appoſuit,eleemoſynis datis .*Olmeda.*

Inter præſtantiores Patres, qui Capitulo interfuerunt, refertur P. Didacus de S. Petro Prouincialis Hiſpaniæ, natione Cantaber, ex conuentu tamen Salmantino in Confeſſorem à Carolo Imperatore aſſumptus, in quo tantùm ſibi cōplacuit; vt terra, marique ſecum illum deduxerit, propter quem etiam multa bona Ordini contulit; qui tamen non niſi ex præcepto Magiſtri Ordinis curam animæ Cæſaris eiuſdem aſſumpſit, tantæ erat humilitatis vir, ab omnibus dignitatibus alieniſſimus. *Olmeda, & Regeſt. Mag. Ord.*

Annos ſex Ordinem rexit Io: nulli ſeuerus, aut immitis; Fratres tamen curioſos, maximè increpabat, aſſerens in viro Religioſo curioſitatem, & otium eſſe fomitem omnium vitiorum, & malorum. Præſidentes, cum imperio omnia agentes, carpebat, & iram à ſe relegans, cuncta cum dilectione hominum, & odio vitiorum perficiebat;magnam Ordinis partem viſitauit, adiuncto ſibi ſocio P.FranciſcoCaſtilioneo ex conuentu S.Marci de Florentia,Prouinciali Terræ Sanctæ.Erat enim Io: indole ſuauis, difficilis nemini, negabat raró, egens proinde comite ſeuero. Italiam biennio perluſtrando,in Galliam perrexit, vbi Regem ſuum veneratus,& viſitatis prouincijs, ad citeriorem Hiſpaniam,nempe Aragoniam peruenit, illaque viſitata, Matritum adijt, vbi reſidebat Carolus V. Cæſar, à quo, præſente Card.Garſia prædeceſſore Magiſtro,benigniſſimè receptus, apud eundem in Aduentu prædicauit tanta cum doctrina, & gratia;vt Cæſar dixerit;*Eſto in Regnis iſtis quaſi vnus ex Magnatibus noſtris.*Nec adeo nouum eſt, quod Catholici Reges eiuſmodi honorem indulſerint noſtri Ordinis Magiſtris Generalibus. Cum ergò inde Toletum adijſſet, in Bethicam iter direxit, & in Portugalliam deſcendit. *Olmeda.*

Sub eodem Magiſtro Congregationes Regularis obſeruantiæ in Prouincijs Lom-

Lombardiæ, & Romanæ erectæ ſunt in Prouincias; illa quidem Lombardiæ, hæc verò in Prouinciam Romanam; & ex conuentibus alijs Regularem obſeruantiam non amplexantibus conflatæ ſunt duæ Vicariæ, vna Lombardiæ, altera verò Vicaria Romana dicta, idque factum eſt Apoſtolica auctoritate Clementis VII. Mirum eſt autem quot fructus protulerint in animarum ſalutem, & peccatorum conuerſionem Patres Regularis obſeruantiæ, vt videbimus infra. *Ex Regeſt. eiſd. Mag. Gen.*

In Germania P. Michael Vehus, quem ob mirabilem eruditionem, vitæque probitatem Card. Archiep. Moguntinus in Præpoſitum Hallenſis Eccleſiæ in Saxonia, ſibique in Cõſiliarium delegit; ſcripſit Theutonicè aduerſus Ioannem Bugenhagium Pomeranum hæreticum, quem Vuittembergenſes Epiſcopum ſuum vocant; & hic librum, mandacijs, maledictis, odioſiſque calumnijs ſcatentẽ contra Catholicos ediderat, præſcriptum: *Aduerſus fures Calicis*. In quo reprobat vſum Eccleſiæ communionis laicorum ſub vna ſpecie, & ſacrificium Miſſæ, quod pro viuis, & defunctis offertur. *Cochleus, Spondanus num.* 10.

Neque calamo acuendo in hæreticos, pepercit P. Io: Manſiagus in Saxonia aliquando Prior Prouincialis (de quo ſupra an. 1527.) qui iterum Lutherum, eiuſq; ſequaces impugnauit, euulgando hoc anno libros duos apud Coloniam, quibus titulus: *De Eccleſiæ Chriſti Sacerdotio*, contra impium Lutheri libellum de abrogatione Miſſæ. *Mirreus Bibl.*

P. Conradus Nicroſius, & ipſe in Theutonia pro catholicæ fidei conſeruatione inter populos illos plurimũ inſudauit; non calamum, ſed linguam in Lutherum, & ſequaces dirigendo; erat enim prædicator famoſus in Germania, diſcurrebatque per ciuitates, & caſtella prædicans catholicam fidem, & dogmata [illegible]ſtiana; Lutheranas hæres, ritus & m[illegible] carpendo, non ſine euidenti vitæ peri[illegible]lo. *Luſitanus*.

Henricus VIII. Angliæ Rex, dimiſſa legitima vxore Catharina, Annam filiam Thomæ de Bulleine Vicecomitis de Rupeforte, puellam formoſam ſibi deſponſauit; hincque Lutheraniſmo ianuam in Regno Angliæ aperuit. Contra ſponſalia hæc inſurrexère noſtri Prædicatores calamum perſtringentes, & inter cœteros P. Laurentius Rinkſtet in Oxonienſi Vniuerſitate primæ Theologiæ cathedræ moderator inſignis, qui euulgato libello in ſecundas Regias nuptias, probauit Annam, non vxorem, ſed concubinam Regiam fore dicendam. Qua propter ex Anglicano Regno exulare coactus eſt iubente Rege. Extat quoq; tract. quidam Caietani ad Henricum Regẽ Angliæ. *De coniugio cum relicta Fratris &c.* Lucarin. in Chron. & Spondanus an. ſequen. ſub num. 3.

Eccleſiarum regimen demandauit hoc anno Clemens VII. aliquibus ex Prædicatoribus, tanta præfectura dignis. Et quidem P. Fœlix Polonus Sac. Theologiæ Doctor celebris factus eſt Epiſcopus Caphæn. ſeu Theodoſiæ, datuſque Suffraganeus Eccleſiæ Vilnen. & P. Thomas de Raguſio Epiſcop. Tribunen. & Mercanen. in Sclauonia. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1533. Clemens Pontifex vectus nauigio, cum Cardinalibus Maſſiliam applicuit, vbi cum Franciſco I. Galliæ Rege conuènit de multis, inter cœtera tractatum, ac ſtabilitum fuit de hæreſi comprimenda, atque hæreticis ſeuerè puniendis, cauſam promouente P. Guillelmo Parui eidem Regi à ſacris confeſſionibus, Trecen. Epiſcopo, atq; Generali Inquiſitore in Regno Galliæ, qui innumeros hęreticos condignis ſupplicijs affecit. *Lopez, & Lefeburè.*

In Scotiæ publicis Comitijs, ad Fratrum Minorum, noſtrorumq; repetitas inſtantias, ſeueriſſimæ leges contra hæreticos quoſcumque ſancitæ ſunt, Edimburgi Senatu ad hoc inſtituto, quem Clemens Pontifex Apoſtolica auctoritate cõfirmauit: non enim erant Inquiſitores in eo Regno, ſicut nec in alijs totius inſulæ Anglicanæ, in qua nullum Inquiſitorem, neque ex noſtris, neque exalijs ſacris Ordinibus fuiſſe aliquando, legimus. Vnde quid mirum, quòd in perditionem Regna illa abierint, quæ ſanctæ Inquiſitionis fræno ſubijci ſemper recuſarunt? *Lopez. Leſcburé.*

PP. Prædicatores conuentus de Pallas in Montanis Pyrenœorum, caſtrum de Pallas ſua prædicatione in fide firmauère: & ſuperſtitiones, maleficia, atque errores aliquot circa fidem exortos inter populum illum, charitatiuè compreſsère. *Diagus lib. 2.*

Dominicus de Montemaior ex Comitibus de Alcande nuntium ſæculo remittens, Prædicatoriam togam aſſumpſit, ſub eaque regularem obſeruantiam, & paupertatem profectus eſt, poſtmodum factus diuini verbi præco famoſus. *Leſcburé.*

Clemens VII. euexit ad Inſulas, vt Chriſtianum populum per viam mandatorum Dei dirigerent, aliquos ex Prædicatoribus: P. Bernardum Beigam ad Archiepiſcopalem Roſſanen. ad inſtantiã Caroli V. Imperatoris, & P. Hieronymum Fornarium ad Bellicaſtren. *Ex Act. Conſiſt. eiſd. Pont.*

Incipiunt Religioſorum, & maximè Prædicatorum, perſequtiones, afflictiones, ac mala omnia in Anglia, ab iniquo Henrico Rege illis collata; nam cum hoc anno, poſt Ioannæ coniugis obitum, quartam duxiſſet vxorem Cleuen. Ducis ſororem, ea mox repudiata, ac lege de ſoluendis matrimonijs, contra legem Chriſti Domini dicentis, *Non licet homini dimittere vxorem ſuam*, lata, quintam ſuper induxit Catharinam ex Anglico Sanguine, eaque etiam repudiata; imò & capite plexa, ſextam aſſumpſit Catharinam viduam, in Pontificis, Apoſtolicæ Sedis, atque Eccleſiæ ſanctæ contemptum. Quare ore, calamo, lingua, & ſcripto in Henricũ inſurgentes noſtri, eiuſque impietatẽ execrantes, calamitates ac damna multa experti ſunt, anguſtiati, afflicti, carceribus mancipati, ex Regno eiecti, cœteriſq; malis, quibus iniqui Regis ira corroſi impietas exſaturari poſſet, vexati. *Lucarin. & Spondan. in Auctar. ſub hoc an.*

Inſudabant labore indeſſo in excolenda vinea Domini apud Occidentales Indos, meſſem multam in Eccleſiæ horrea cõgregantes Patres noſtri Apoſtolici Miſſionarij, anno 1529. recenſiti, & Spiritu Sancto corda, & linguas eorum dirigente, augebatur ita in dies credentium numerus, qui relictis Idolis ſoli Deo viuo, & verò debitum cultum exhibebant, vt confractis Idolis, euerſis eorumdem Aris ſacras Eccleſias æterno Deo in conſolationem nouorum fidelium per ſacrum baptiſma fidei aggregatorum, cũ pijs Altaribus erigentes, etiam cœnobia Ordinis pro Fratrum habitaculo fundauerint, atque S. Crucis vexillum inter barbaros illos erexerint, firmauerint, & conſtabilierint, gaudente ſupra modum Paulo Pontifice, qui nouos filios datos S. Matri Eccleſiæ, pro qua & ſanguinem, & vitam profundere parati erant, paternis affectibus amplectebatur, ac benedicebat; idemque præſtabant alij noſtri Patres ad Orientales Indos miſſi ſupra recenſiti, cathechizzantes, baptizzantes, & in fide confouentes nouos fideles, in illis partibus ad veri Dei cultum perductos, de quibus infra. *Ex Arch. Mag. Ord.*

ANNO 1534. Henricus Angliæ Rex à Catholica fide deficiens, ſe Eccleſiæ Anglicanæ Pontificem, ac ſupre-

premum caput nominauit, & vt tale à ſibi ſubditis populis agnoſci, ac reuereri voluit, Lutheri impia dogmata primo amplexus, poſtmodum Caluini; qui in ſuis commentarijs in 1. cap. Oſeæ acriter in eum inuectus, vſurpatũ primatũ eius Eccleſiaſticũ impugauit. Oppugnauère etiam illum Religioſi plures ſacrorum Ordinum, acuentes calamum & linguam in ſchiſmaticum, & hæreticum Regem, & inter illos P. Villelmus de Hordouia in Oxonien. vniuerſitate S. Theologiæ Doctor inſignis. Quare cum alijs ex noſtris fuit diris carceribus addictus; alijs multis exilio mulctatis. *Spondan. num. 6. & Lucarin. de ſcrip. Ord.*

Annus hic, & Eccleſiæ, & Ordini funeſtus fuit nimis tũ ob caſũ Henrici Regis, tum ob mortem Thomæ de Vio Card. S. Sixti: *Lumen Eccleſiæ*, à Clemente VII. nuncupati, qui paupertatis nobile condidit teſtamentum (quod in noſtro Sacro Theatro retulimus) die Dominica, nona menſis Auguſti, in palatio DD. de Capranicis, propè Eccleſiam S. Mariæ in Aquiro, vbi deceſſit, corpore ad Mineruam delato, & extra fores Eccleſiæ, prout elegerat, condito, poſtquam vixiſſet annos 65. dies 28. *Spondan. in An. nu. 22. & Ciaccon.*

P. Adrianus Polonus Sigiſmundo I. Poloniæ Regi à ſacris confeſſionibus Ennen. Epiſcop. Suffraganeuſque Poſnanien. de quo an. 1531. cum alijs Patribus Ordinis, viris doctis, & cordatis, aſſiduis ſcriptis, atque diſputationibus, & feruentiſſimis concionibus, indefeſſo labore in Regno Poloniæ fidei Catholicæ veritatem à labe Lutherana, & Caluiniſtica vindicauit, Regemque ipſum ad ſæuua edicta contra ipſos promulganda induxit. *Bzouius cap. 6.*

Hoc anno obijt P. Gualterius Grauius cognomento Ruyſius Prior Nouiomagen. qui ſcripſit Apologiam aduerſus librum perfidi Eraſmi Roterodami, *De Confeſſione.* Item librum contra eiuſdem hæretici opuſculum, *De eſu carnium*, Item alium cõtra eundẽ, *De Ritibus Baptiſmi.* Mirreus.

Laborabat infaticabili ſtudio in Peruano Regno cum ſocijs Prædicatoribus pro Gentilium conuerſione, catholicam fidem illos edocturus, P. Thomas de Barlenga, ex quibus multos tandẽ, cooperante Spiritu Sancto, ſacro regenerationis lauacro abluit Idola confregit, eorũ Aras deſtruxit, & Sacroſanctũ Crucis Dominicæ vexilliũ inter barbaras gentes illas erexit, fundatis Eccleſijs, erectis Altaribus, atq; cõuentibus pro Religioſorũ habitaculo fabricatis, in exiſtimatione maxima à populis illis ob vitæ ſanctitatem, morumq; candorem, nec non & victus auſteritatẽ habitus: à Cæſare Inſula de Panama, à Deo autem nobiliori aureola tandem redimitus ob exantlatos labores in gentium conuerſione. *Lopez p. 5. Lefeburè.*

Helena vidua Alexandri II. Imperatoris Aethiopiæ Dominicanam togam aſſumens in Aethiopia in Monaſterio de Blurimanos, in manibus P. Prioris noſtri Conuentus ſacra profeſſione emiſſa, admiranda pietate, & doctrina cœteris Sororibus præluxit; nam cum multæ eruditionis fœmina eſſet, plures compoſuit libros pro conuerſione Gentilium illorum ad Catholicam fidem, inter quos recenſetur vnus, de Chriſtianæ fidei excellentia, cui titulus *Chelabay Chaay* ideſt: *Radius Solis*, & alter de Sacroſanctæ Trinitatis myſterio, inſcriptus: *Enzera Chibae*, hoc eſt: *Laudate Deum in organis.* Lefeburè.

Andreas quoque de Mendozza filius Marchionis de Cannette, ſpreto mundo cum pompis eius, Ordinem Prædicatorum ingreditur, in quo mirabiliter in conuerſione peccatorum ad Chriſtum per pœnitentiam poſtmodũ effulſit. *Lefeburè.*

Eodem anno Pontifex Max. Clemens VII. ad Caroli V. ſupplicationem erexit in ciuitatem locum Caſtellæ Aureæ in In-

dijs ibique Cathedralem Eccleſiam conſtituit, cui Epiſcopum præfecit P. Thomam de Barlanga Prouincialem Indiarum, cum facultate conſtruendi ibidem Cathedralem Eccleſiam, & erigendi dignitates, ac canonicatus, præbendas, & beneficia in conuerſorum ad Catholicam fidē Indorū commodum, atque animarum ſalutem. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Cœlum conſcendère hoc anno BB. Amator Eſpi, & Dominicus de Corduba qui ab Apoſtatis à fide perempti, glorioſo agone pro Chriſto conſummato, acceperunt palmam. Hos ſequta eſt ad gloriam venerabilis Virgo Soror Iulia de Creſcimbenis ex Monaſterio S. Petri Mart. Bononiæ, multæ ſanctitatis, & abſtinentiæ fœmina, in cuius tranſitu, in columbæ candidiſſimæ ſpecie eius anima, ex ore egreſſa, mirantibus adſtantibus monialibus, ad ſuperos euolauit. *Plodius.*

Patres Balthaſar Vuerlinus Colmarienſis Theuto, Martinus, & Andreas de Fabris Poloni viriliter ſacris concionibus, & ſcriptis dimicabant contra hæreſes Lutheranas, & Zuinglianas; confirmantes populos in Catholica fide, atque Apoſtolicæ Sedis veneratione. *Luſitan. in Chron.*

Multa patiebantur incommoda noſtri Miſſionarij Apoſtolici, de quibus ſupra an. 1526. ad Occidentales Indos pro illorum æterna ſalute directi, in fame, ſiti, laboribus, & anguſtijs multis afflicti, ſolis crudis hærbis labentia corpora ſuſtentantes; & ſi quandoque nigro pane emendicato reficiebantur, atque aqua ſitim extinguebant, id erat illis nobile, ac inſolitum conuiuium; quare multi infirmabantur ſæpe ſæpius ad mortem ob ærumnoſos labores, aſſuetamque inediam; at Deo, qui dat eſcam omni carni, corda barbarorum illorum dirigente, nō ſinebat illos fame perire, ſed per deuotas mulieres quandoque edulijs recreabat; ita vt reaſſumptis viribus ad priſtinum miniſterium læti redirent, ſperantes in eo qui dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex Relation. ad Sac. Congreg. & Mag. Ord. dat.

Franciſcus de Victoria Nauarreus ſui ſæculi Theologorum facile princeps, hæreticorum ore, & calamo feruidus impugnator ſcripſit contra Lutherum. *De Poteſtate Papæ*, inſuper *De Poteſtate Concilij.* Altamura in Bibliot. Præd.

ANNO 1535. Paulus III. Pont. Max. ad culmen Apoſtolicum euectus, ſui Pontificatus anno 1. extinctam in Ordine Purpuram ex morte, antecedenti anno ſubſequta, Card. Caietani, (licet & alium in Hiſpania Cardinalem Loayſa haberet) P. Nicolao Sciomberg Sueuo Capuano Archiep. reſtituit, & titulum S. Sixti per obitum Caietani vacantem eidem conceſſit 12. Kal. Iulij, qui Cardinalis de Capua ſibi nomen aſſumpſit, & Capuanam Eccleſiam ſequenti anno dimiſit. *Ex Act. Conſiſt. Pauli III.*

Fructus vberrimos producebant in vinea Domini electa apud Indos Occidentales noſtri Prædicatores, Gentilium ex corde conuerſioni addicti, & in Prouincijs Mexicana, Miſteca, Zapoteca, Chochona, atque alijs adiacentibus, in quibus propriam linguam earundem regionum edocti, innumerabiles Gentiles ad agnitionem Domini noſtri Ieſu Chriſti aduxère, ſacroque batiſmate abluère: erant enim tunc ibi Apoſtolici operarij Patres ex Hiſpania illuc in ſuperioribus recenſitis miſſionibus aducti, ſitibundo corde illorum æternam ſalutem exoptantes. *Auguſt. Dauila in hiſt. Prou. Mexic.*

P. Io: Placentius de conuentu Traiectenſi eruditus Louanienſis Doctor ſcripſit opuſculum, *De Porcorum pugna*, contra diſſidentes inter ſe hæreticos, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, Melanchonem, & cœteros, dictionibus ſingulis à litera P. incipientibus, idque mirabiliſſimum eſt,

eſt, cuius hoc extat initium. *Plaudite porcelli porcorum pigra propago &c.* in quo opere porcorum nomine ſui temporis hęreticos impios ſupradictos,eorumq; ſequaces inter ſe diſſidentes, ac diuiſos in ſuis deliramentis intelligi voluit. *Bibliot. Belg.*

P. Michael Fortinus Belga promouetur à Pontifice Max. Paulo III. ad regimen Eccleſiæ Lancianen. ob catholicam fidem contra hæreticos defenſatam, cui annos quatuor ſacrum ius incorruptum dixit; & mortuus eſt. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Henricus Angliæ Rex menſe Octobri omnia monaſteria, tam virorum, quàm ſanctimonialium, peſſimo quorundã nebulonum conſilio, viſitari iuſſit, titulo reformationis; & omnes, tam viros quàm mulieres viginti quatuor annis minores ex monaſterijs exire, & ad ſeculum redire voluit, data maioribus facultate exeundi, ſi vellent, inſtituta eam ob cauſam viſitatione, vt Rex ſingulorum monaſteriorum prouentus ſciret, & occaſione accepta, illa euertere poſſet. Itaque pridiè Nonas Februarij ſequentis anni Religioſorum criminibus, partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis Regni comitijs (Ridiculum profectò facinus; nam qui Pontifici Max. & Eccleſiæ nolebat ſubdi in rebus diuinis,& Eccleſiaſticis;in eiſdem ſubdebat ſe ſubditis ſuis laicis; ſic enim obcæcat ſuos Diabolus aſſeclas) vt minora quæq; Monaſteria, quorum annui cenſus nonniſi ad ſeptingentos aureos æſtimabantur, libidini ſuæ darentur dilapitanda; tanquam in eis propter exiguum Religioſorum numerum diſciplina ipſa regularis minùs commodè obſeruari poſſet: inde ſcilicet aperiendo ſibi viam ad maiora tranſeundi diabolica facinora. Eiecti ſunt igitur ex conuentibus pluribus ſupra centum Fratres noſtri, malentes mori, quàm fœdari, nullusque ex iuuenibus fuit, qui retrò reſpexerit, ad ſæculum diuertens; ſed in numeroſiores conuentus ſe recipientes, ſeù in Hiberniam, & Scotiam declinantes, ibi manſerunt, donec conſuleretur ea de re Magiſter Ordinis. *Lucarin. & Spondan. num. 16.*

Cum Lutheranæ hæreſis virus in dies magis ſerpens,maiora ſumeret incrementa; videns Paulus Pontifex, non niſi Generalis Concilij congregatione poſſe tantum ignem extingui, de illius intimatione conſilium inijt. Verùm cum id ſine Imperatoris Caroli V. ceterorumq; Catholicorum Regum, ac Principum adiutorio fieri non poſſet, P. Petrum Bertanum Mutinenſem Theologum, ac concionatorem præſtantiſſimum, linguarum peritia clarum, inque tractandis negotijs habiliſſimi ingenij virum ad Cæſarem Carolum V. tanquam ad celſiorem Principem, apud quem ſumma negocij pendebat, Apoſtolicum Nuntium miſit, qui tanta cum Cæſare dexteritate egit; vt tandem ſaluberrimum Concilium Tridentinum, vnde totius infectæ Germaniæ medicina ſperari videbatur, concluſerit, quo in negotio Chriſtianorum Principum, Pauliq; Pontificis gratiam maximam conſequutus eſt. *Vghell. Ital. Sac. tom. 1. inter Fanen. Epp.*

Cum in Gallia hæreſis Caluiniana hoc tempore nimis graſſaretur, factus Toloſanus Inquiſitor P. Vitalis de Beccanis debaccantes hæreticos mordicabat aſſiduis diſputationibus, congreſſibus publicis, ignitiſque oris ſui eloquijs, etiam nobilium minas non pertimeſcens: quare factus illis ſummopere odibilis, ludibria, irriſiones, vexationeſque multas ſuſtinere fuit coactus. Videns autem quia ſermonibus ſuis nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, eorum inclementia aucta, catholicos exhortationibus aſſiduis, hæreticorum deliramenta detegendo, in Sancta fide confirmabat, & conſtabiliebat; in quibus pietatis operibus perſeuerauit

vſque

vſque ad annum 1540. quo annorum pondere grauatus,ludificatis hæreticis, ad vitam æternam properauit vt piè creditur, laborum præmium percepturus à Chriſto. *Ex Arch. Inq. Tol.*

Inſurrexerunt & hoc anno contra Lutherum,& alios hæreticos Apoſtolicæ Sedis fideles Prædicatores,inter quos refulſit P. Arnoldus Badetus Gallus apud Toloſanos, qui ſcripſit librum prænotatum, *Margarita ſacræ ſcripturæ*, deſtructiuum hæreticæ prauitatis, in quo refert, impugnatque deliramenta Lutheri, & aliorum eiuſdem temporis nebulonum ſacræ ſcripturæ documentas ſubuertere intentantium,Lugduni hoc anno impreſſum. *Mirræus de ſcript. Eccleſ.*

P. Corradus Koellinus Vlmenſis,depoſito carnis onere cœlum introiuit; poſt quam contra Lutherum, & ſequaces bonum certamen certaſſet: & præter recenſitos libros an. 1530.& 1527. cõtra Lutherum Tubingæ impreſſos, euulgauit etiam. *Quodlibeta* 27. impreſſa Coloniæ. *Mirræus vbi ſup.*

Moritur quoque hoc anno P. Guillelmus Parui Trecenſis Epiſcopus, primò Siluanecten. poſtmodum Ludouico, & Franciſco Galliæ Regibus à ſacris confeſſionibus, quos de perſequendis hæreticis ſæpe monebat, dato contra illos libello, eorum falſitates, ſacræ ſcripturæ euerſiones, impiaque commenta recenſente,effectus illorum hoſtis acerrimus, & perſequutor indefeſus; de cuius obitu ſupra modum gauiſi ſunt hæretici. *Gall. Chriſt. & Lefeb.*

Cœlo obtulit fragrantiſſimum virginitatis lilium monaſterium noſtrorum S. Agnetis Bononiæ hoc anno Dimitillam Plateſiam, paſſionis Domini noſtri meditationi aſſuetam, orationibus ſemper addictam, charitate in Sorores, ac proximum feruentem; quæ multiplicibus cœleſtibus apparitionibus meruit conſolari; Natalis Domini die in fantulum Ieſum amplexando, atque paſſionis tempore, Chriſtum Dominum, Crucem ad Caluarium portantem conſpiciendo: & cantantibus Angelis animam creatori ſuo reddidit 20. Iunij. *Plodius.*

Recipiuntur hoc anno in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam de Vrbe Patres Teatini, primæui eiuſdem inſtituti ſectatores, vbi & ſuæ naſcentis Religionis Comitia celebrarunt, fraterna charitate à noſtris ſuſcepti, & adiuti. *Ex eorum Annal. an.* 13.

P. Bartholomeus Spina Piſanus magni nominis Theologus, poſtmodum ſacri Palatij Magiſter ſcripſit contra Petrum Pomponatium. *Tutelam veritatis, De Animæ Immortalitate*, & *Flagellum Aſtrologiæ*, pluraque alia tanto authore digna. *Lucarinus.*

Non dormitabant Apoſtolici noſtri Miſſionarij ad occidentales Indos, vt ſuo ignito eloquio ad Catholicam fidem,reiectis Idolis, allicerent illos, miſſi; nam Regnis de Tungen, & Muſcen plurimos, afflante Deo, per ſacrum baptiſma Eccleſiæ ſanctæ filios dedère, ædificatis Eccleſijs, & cœnobiolis pro Miſſionariorum inhabitatione, nouorumque chriſtianorum ſpiritali conſolatione. Cum autem vnus ex illis Io: nomine vxorem cuiuſdam perdiuitis ad fidei catholicæ amplexum perduxiſſet, ipſamque cum infantula filia ſacro lauacro Chriſto Domino regeneraſſet, idque totum illa marito, eius animam cœlo lucrifactura, nunciaſſet: hic in rabiem actus celeri pedè ad habitationis ipſius domum currens, ſeruum Dei fuſte in capite ita barbarè percuſſit, vt in terrã copioſo effuſo sãguine ſemimortuus corruerit. At poſt multos dies conualeſcens,Apoſtolico miniſterio reaſſumpto, alios plures baptizauit. *Ex Relat. ad S. Cong. & Mag. Ord. datis.*

ANNO

ANNO 1537. Decima copioſa Miſſio Apoſtolica facta ad Indos recenſetur à P. Lefeburè, dum in Regnum de Tuzuluthan multi mittuntur ex Prædicatoribus, vt Gentiles illos ad amplectendam catholicam fidem, atque venerationem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti allicerent, qui edocti linguam incolarum, multos Idololatras ad execrationem Idolorum, & baiulandam Domini ſacram Crucem, non ſine vitæ periculo adduxère. *Lopez. & Lefeburè.*

Neque hoc anno defuère ex Prædicatoribus, qui viriliter in Lutherum, aliosq; ſymmiſtas, eius deliramenta ſequentes, inſurgerent. Nam P. Vincentius Giaccari euulgauit libros, *De Neceſſitate Confeſſionis*; *De libero arbitrio*; *De Gratia, & Prædeſtinatione, & de Purgatorio*, in quibus cuncta hæreſiarchæ deliramenta viriliter impugnat, confutat, atq; illudit; Sacræ ſcripturæ, Sanctorumque Patrum doctrinis, ac teſtimonijs innixus. *Miræus.*

P. Ioannes Huldarici Baſileenſis, optimi ingenij adoleſcens, in Hebraicis, ac Græcis ſcripturis verſatiſſimus, detexit hæreticorum errores, quos immiſcuerant in tranſlatione Theophylacti, ab hæretico latinè redditi, quos corrigendos iuxta authoris propriam doctrinam publicauit hoc anno. *Luſitan. in Bibliot.*

Paulus Pontifex ad ſupplicationem Caroli V. oppidum del Cuzco apud Indos in Prouincia de Perù in Cathedralem Eccleſiam erexit, cui ad nominationem eiuſdem Cæſaris præfecit primum Paſtorem, & Epiſcopum P. Vincentium de Valleuiridi, qui in Indorum conuerſione multùm inſudauerat, cum facultate erigendi canonicatus, præbendas, & cappellanias in Indorum nouiter ad fidem conuerſorum commodum: Fanenſi verò de P. Petro Bertrando. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Idem Pontifex prouidit Eccleſiæ Motilen. de perſona P. Angeli Paſchalis, & Burgen. de P. Ioanne de Toledò, necnon & Calamonen. de P. Alberto Ord. Præd. *Ex Act. Conſiſtorial.*

Orta eſt non modica controuerſia inter Hiſpanos Theologos, vtrùm Indi Occidentales, & meridionales eſſent homines rationales, & capaces ſacri Baptiſmatis: & partem affirmatiuam tanquam veram ſuſtinentes noſtri Prædicatores, decreuère hac de re agendũ eſſe cum Apoſtolica Sede. Ea propter P. Iulianus Tlaxcalen. Epiſcopus vir Sanctiſſimus, & P. Dominicus Betanzos Prouincialis eiuſdẽ Prouinciæ ſimul vniti ſcripſerunt ea de re opuſculum, in quo eorum mores, loquelam, & cultum recenſentes, per Patrem Bernardinum Minayam ad Summum Pontificem Paulum III. miſerunt, ab eodem meliùs in voce informandum. Qui auditis rationibus Epiſcopi, & Prouincialis, nec non & delegati Bernardini, Apoſtolico decreto, dato 4. non. Iunij, ſanxit Indos Occidentales, & Meridionales veros homines eſſe, Chriſtianæ fidei, atq; omnium Sacramentorum Eccleſiæ capaces: ac propterea ſua libertate, rerumq; ſuarum dominio priuari non poſſe, alijs contrarium ſuadère nitentibus. *Dauila.*

In Regno Poloniæ P. Valerianus Inquiſitor, qui fuit poſtea Epiſcop. Margariten. Suffraganeuſque Vratislauienſis, vt dicetur an. 1543. oratorum ſui ſeculi facilè princeps, validiſſimè ſe oppoſuit cum alijs noſtris Prędicatoribus contra Lutherum, eiuſque inualeſcentem hæreſim, potiſſimè coadiuuãte P. Martino Spora Poloniæ Prouinciali, atque Inquiſitore Vratislauien. qui plurimùm inſudauit, vt illapſa peſtifera Lutherana hæreſis, poſtliminiò pelleretur, multis hæreticis varijs ſupplicijs perditis. *Bzouius cap. 6.*

P. Pe-

P. Petrus Bertanus Apoſtolica Legatione ad Carolum V. pro congregando Concilio Tridentino, imò & ſacra purpura conſpicuus, fit à Paulo Pont. Paſtor Fanen. hoc anno vt ſibi creditum gregem in catholica veritate conſolidaret. *Vghell. tom. 1.*

ANNO 1538. Ex mortalibus ſubtrahitur P. Io: de Fenario Mag. Ord. poſt celebrata Capitula Generalia, primum ſuæ electionis anno 1532. Romæ: aliud verò apud Lugdunum congregauit ann. 1536. in viſitatione Ordinis conſtitutus. Hic dum voluntati Pontificis in promouenda Ordinis reformatione conſtanter obſequitur, à laica poteſtate grauia, & indigna paſſus eſt, animo tamen ob innocentiæ ſuæ fiduciam ſemper infracto. Nempè crebriùs ruminabat inter anguſtias effatum Apoſtoli: *Si hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem.* Tot inter calamitates nihilominùs compleuit in laborioſiſſima Præfectura ſexennium, ac Toloſæ diem clauſit extremum pridie Nonas Iulij 1538. *Olmeda.*

Hoc anno defecit P. Euſtachius Brabantinus doctor, & Prior Louanienſis, qui cum eſſet Louanij Regens, primus omnium in Belgio contra naſcentes hæreſes Lutheri ſcripſit, euulgauitque confutationem earundem hæreſum Antuerpiæ impreſſam ann. 1521. Item tractatum de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ contra eundem, typis datum etiam Antuerpiæ ann. 1523. ſcripſit etiam contra canonem 5. Enchiridij ab Eraſmo editi, ibidem prælo dato opere, at cum hic obdurato iam corde eſſet, nil profuère illi. *Bib. Belg.*

P. F. Clemens Araneus inſuper contra impia Lutheri dogmata iuſto zelo exurgit, in commentarijs ſuper D. Pauli Epiſtolam ad Romanos editis, perſtringens Lutheranas hæreſes, & ſatis doctè, & eruditè illas impugnans, ac refellens, rationibus doctiſſimis, Sanctorum Patrum doctrinis, nec non & Angelici Doctoris theologia ſacra, Conciliorum decretis, ſacrorumq; canonum documentis, quod opus impreſſum fuit Venetijs (fremente Luthero) hoc anno. *Sixtus Senen.*

P. Io: de Toledo ex familia Ducum Albanorum à Paulo III. inſtante Carolo Cæſare S. R. E. Sacro Collegio aſſociatus eſt 13. Kalendas Ianuarij, vir verè egregius, & tantam dignitatem promeritus, Cardinalis de Toledo dictus, de quo infra. *Ciaccon. in Vit. Pont. & Plod.*

Aluarus de Moſco filius Comitis de Altimara, & Beatrix de Menezes neptis Ioannis III. Regis Portugalliæ, ſpreto viriliter ſæculo, eiuſque vanitatibus, manum miſerunt ad fortia ſub Dominicana profeſſione Chriſto ſeruientes in humilitate, & paupertate mirabili. *Leſeburè.*

Deſijt eſſe inter mortales factus ciuis cœleſtium, P. Iulianus Garges primus Epiſcopus Tlaxcalen. vir ſingularis pietatis, qui Apoſtolici Miſſionarij munus longo annorum decurſu exercens, maximo cum Indorum fructu, factus Epiſcopus ardentiori ſtudio Gentilium conuerſioni ex corde addictus fuit, innumeros eorumdem Eccleſiæ militanti, & Triumphanti per ſacrum Baptiſma dando. *Fernand.*

Demandatur cura ouium Chriſti in Eccleſia Aueneten. Patri F. Ludouico Combonet, de quo ſupra, facto quoque Suffraganeo Criſopiten. Epiſcopi, vt in Pauli Pontificat. Conſiſtorialibus actis teſtatum reperitur, viro docto, atque in Pariſien. vniuerſitate Doctori magni nominis: inſuper etiam Pater Io: Gallus ad nominationem Chriſtianiſſimi Regis factus eſt à Pontifice

Max.

Max. Abbas Monaſterij B. Mariæ Fontis Calidi, diœceſis S. Pontij Thomeriarum Ord. Præmoſtraten. pro reformatione illius, cum conditione tamen quòd habitum Præmoſtraten. indueret. *Ex eiuſd. Actis.*

Caput V.

P. AVGVSTINO RECVPERATO Magiſtro Generali XLIII.

ANNO 1539. Congregata ſunt Generalia Ordinis comitia Romę pro electione noui Magiſtri, in quibus nominatus fuit P. Auguſtinus Recuperatus de Fauentia ex Prouincia Lombardiæ, tunc in Romana Curia Procurator, & Vicarius Generalis, qui breui tempore tantam præfecturam geſſit. Fuit hic Auguſtinus vir ſagax & acri ingenio, paſſimque reformationis opus maiori pectore quàm ſucceſſu aggreſſus eſt, ſeculi Magiſtratibus alicubi reſiſtentibus: vnde mœrorem animi contraxit. Neapolim propterea valetudinis cauſa ſe recipiens, cum poſt aliquos menſes non conualeſceret, in Vrbem reuerſus, ibidem quieuit in pace, recto Ordine an. 1. menſibus 7. Fuit Auguſtinus corpore exiguo; corde tamen magnanimo, qui ſciens ſermones in vniuerſali prolatos neminem ligare, & lædere, correctiones delinquentibus ipſis faciebat, (vtinam & in ſucceſſoribus) diſcurſus Fratrum vanos compelcendo. *Olmeda.*

P. Io. Paſſelius Tilanus Geldrius Colonien. Doctor ſcripſit ex S. Auguſtini operibus librum, *De ſeptem Sacramentis Eccleſiæ contra Lutherum*, Eccleſiæ Sacramenta impiè negantem, opus eruditiſſimum, impreſſum hoc anno Coloniæ. *Bibl. Belg.*

Durandus de Aragonia ex ſtirpe Regum Aragoniæ humanarum rerum pertæſus, ſoli Deo vacaturus, Dominicanam Religionem ingreſſus, dum Pariſijs ſacris literis operam dat, migrat è vita. Et Aluarus Oſorius ex Marchionibus de Aſtorga, atque Dominicus de S. Spiritu ex Comitibus de Medelin, cum F. Thoma de Guſman ex Comitibus de Toral idem inſtitutum profitentur. *Leſeburt.*

Sanctiſſimus Pontifex Paulus III. die 14. Iulij propoſuit in conſiſtorio apud S. Marcum habito (ibi enim Pontifices Max. habitabant æſtiuo tempore) de Canonizatione S. Hyacinthi Poloni, & commiſit cauſam Card. noſtro Sciombergo Tit. S. Sixti, quæ tamen expedita non fuit niſi ſub Clemente VIII. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Aſumpti ſunt ad regimen ouium Chriſti in diuerſis Eccleſijs Prædicatores; & quidem P. Io. Monſirgis factus eſt Epiſcop. Acconen. cum facultate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Halberſtadien. de conſenſu Card. Moguntini. P. Guillelmus Gallus Epiſcop. Tarſen. Suffraganeuſque Toloſanus, ad præſentationem Caroli Cæſaris; cum decreto tamen, quòd reintegraretur Prioratus de Melgar Domui, ſeu Monaſterio S. Mariæ de Trianos Ord. Præd. Legionen. Diœceſis. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

P. Petrus Cœllius cum alijs tribus Prędicatoribus à Ioanne III. Luſitaniæ Regę in Indiam Orientalem miſſus eſt; vt in

Aethyopiam ad Presbyterum Ioannem, cum Ioanne Bermudez Patriarcha Alexandrino Legationem obirent, qua peracta Petrus cum ſocijs in Orientali India permanentes, plures Gentiles ad catholicam fidem per ſacrum Baptiſma adduxerunt medijs prædicationibus, exhortationibus, ac congreſſibus cum eiſdem. *Io: de Sanctis*.

Expilatione minorum monaſteriorum Religioſarum perſonarum allectus Henricus Angliæ Rex, ad maiora ſibi abſorbenda anhelans, 4. Kal. Maij in conuentu ordinum Regni, ſeù Parlamento, nemine propter vitæ periculum contradicente, decretum eſt, vt omnia Religioſorum vtriuſque ſexùs Monaſteria, ac cœnobia voluntati Regiæ darentur, bonaq; cuncta eorum fiſco adiudicarentur: & ne hæc tyrannicè, & per vim facta apparerent, ſuaſit Rex benignis verbis ſingulorum cœnobiorum Præſidentibus, vt illa ſibi liberè traderent, & Religioſos cunctos à ſua profeſſione abſolutos ad ſæculum remittere dignaretur, ſupplicarent. Quod cum facere recuſarent, illorum plurimi ex cunctis ſacris ordinibus publico ſuſpendio martyrij palmam promeruère. *Spondanus num.* 8.

ANNO 1540. Apud occidentales Indos in Regno Granatæ Fratres Dominicani innumerabiles Gentiles Chriſto Domino per ſacrum regenerationis lauacrum dedère, & inter alios, nationes Muſcen. Tungen. Maſſen. Panchen. atq; Tubaren. in quibus tredecim conuentùs, & domos ſexaginta cum Eccleſijs pro miniſtrandis Sacramentis conuerſis ad fidem, eiſdemque in aſſumpta Chriſtiana Religione confirmandis ſacris prædicationibus fundauère. *Fernandez, & Lopez par.* 5.

P. Gregorius Natalius Raguſinus impreſſit apud Venetos opus eruditum *Contra Lutheri errores, & hereſes*, quo illos mirabiliter compeſcere videtur. *Plodius*.

Paulus Pontifex Dominici gregis Paſtor Maximus alios Paſtores in varijs Orbis partibus, ex Prædicatoribus ſelectos creauit, qui commiſſum ſibi gregem per viam mandatorum Dei dirigere procurantes, ſibi æternam vitam promeruère. Inter ipſos autem primum conſequitur locum P. Sebaſtianus Lecauella Græcus, qui promotus eſt ad Archiepiſcopales Eccleſias Naxien. & Parien. (factus poſtmodum Litteren. Epiſcopus, in Tridentino Concilio famoſus, cuius cum laude meminit Card. Pallauicinus in Hiſtoria eiuſdem Concilij,) ſibi inuicem vnitas, ad præſentationem Ducis Arcipelagi. P. Balthaſar Ferdaman ad Eccleſiam Miſnien. conſtitutus Hildeſemen. Suffraganeus. P. Bernardus de Cruce, ad illam S. Thomæ apud Indos, & P. Melchior Cribellus nobilis Mediolanen. ad Tagaſten. euectus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont. Pauli*.

Idem Paulus ad nominationem Regis Chriſtianiſſimi præfecit Abbatem Monaſterio, & Monachis S. Io: Baptiſtæ extra muros Ambianen. ciuitatis, Præmonſtraten. Ordinis, P. Agidiū Binedū, vt Monachos illos in viā Dei, aſſumpta regulari obſeruantia, dirigeret. *Ex eiuſd. Act. Conſiſt.*

P. Antonius de Valdiuieſſo Hiſpanus Epiſcopus Nicaraguen. vnus ex primis Apoſtolicis Miſſionarijs ad Indos ob prędicationem Euangelij miſſus, cum plures Indos ad Catholicam fidem ſacra prædicatione attraxiſſet, eoſque à quodam Regio miniſtro peſſimè tractari vidiſſet, zelo chriſtianæ pietatis fretus, eum pluries increpauit; qui irruens in ſanctum Paſtorem, miſerrimè trucidauit, vt cœlum conſcenderet, in æternum cum Chriſto regnaturus. *Plod. Luſitan.*

Antonium per eandem palmam ſequuti ſunt ad gloriam duo alij ex Prædicatoribus, quorum vnus Dominicus dicebatur, (alterius nomine latente) qui ad

ad Inſulam S. Dominici apud Indos, Apoſtolici Miſſionarij directi, Chiribici euangelium Dei prædicantes, aliquos ad venerationem Ieſu Chriſti per ſacramentalem ablutionem attraxerunt. At cum etiã plures ad abiurationem Idolorum ſacris exhortationibus perducere conarentur, populari impetu in eos facto, ambo fuſtibus contuſi, conciſis corporibus, ad Martyrum Regem perrexère feſtini. *Plodius, Lopez p. 5.*

Cũ nobiles quidã Romani inſtantibus PP. noſtris animaduertiſſent SS. Euchariſtiæ Sacramentũ in Parochialibus Vrbis Eccleſijs minùs honorificè conſeruari, & per Vrbẽ ad infirmos non ea, qua decebat honorificentia deferri, ſocietatem Corporis Chriſti in Templo S. Mariæ ſuper Mineruam apud noſtros Prædicatores erexerunt, vt Confratres ad ſonitum campanæ conuenirent, & cum accenſis facibus ad infirmos illud comitarentur: quod pium inſtitutum ad finem huius anni, videlicet pridie Kalendas Decembris approbauit, & confirmauit Pont. Paulus largitione Indulgentiarum per Bullam Pontificiam, factam cũ facultate alias ſocietates erigendi ſub eodem titulo vbilibet: & in hac S. Mariæ ſuper Mineruam S. Ignatius Societatis Ieſu Fundator adſcribi voluit ſupradicta preſtando, prout Regeſta eiuſdem teſtantur. *Spondanus num. 11. & Gonzalez de Prou. Peruana Ord. Præd.*

Ad congreſſum, ſeù colloquium Vormatienſe, ad quod Religionis cauſa ex decreto Cęſaris, & facta conuentione cum hæreticis Lutheranis, & Zuinglianis, & Caluiniſtis accedere debeant Proteſtantes, Paulus Pontifex viros doctiſſimos delegauit, qui partes Eccleſiæ, ſediſq; Apoſtolicæ ſuſciperent, ac defenſarent: hi autem fuère F. Camillus Campegius Epiſcop. Nepeſin. & Sutrin. cum P. Thoma Badia Magiſtro Sacri Palatij, viri doctiſſimi miſſi à Pont. Max., Granuellanus à Cęſare, & Petrus Paulus Vergerius Iuſtinopolitanus Epiſcop. à Galliæ Rege, qui hæreticorum audaciam compreſsère diſputationibus, & ſcriptis; & P. Badia inter illos maximè, ſummopere commendatus Card. Pallauicino in hiſt. Concilij Tridentini, qui lib. 4. cap. 11. num. 9. ſubdit à Paulo III. Pont. Inſtitutum, à P. Ignatio Loiola, nunc inter Sanctos relato, pro Societate Ieſu factum, atque eidem oblatum, fuiſſe de mandato Pontificis à Thoma recognitum, & approbatum. *Spondan. num. 5. & Lucarin.*

In Germaniam à Magiſtro Generali Ordinis mittitur, annuente ipſo Pontifice Max. P. Fœlitianus Niguarda de Morbinio apud Vulturenam, vir doctiſſimus, atq; in ſacris controuerſijs verſatiſſimus, vt ſe murum, & antemurale pro eccleſia opponeret, graſſantibus hæreſibus; factus Vicarius Generalis Ordinis in Prouincijs ſeptentrionalibus totius Germaniæ; qui apud Viennam Auſtriæ moratus eſt, ibiq; Theologiam docuit, ſacramque ſcripturam ab hæreticis in multis vitiatam, & deprauatam, iuxta vulgatam Romanam editionem enodauit, controuerſias explanando contra Lutherum, maximo cum catholicæ fidei augmento. *Plodius, & Vghell. Ital. Sac. tom. 1. in epp. Comen.* ita vt Infulas promeruerit vt ſuo loco dicetur. *Plodius &c.*

Glorioſo agone decertabant Dominicani Patres apud Indos; neque eorum colluctatio erat aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduersùs principes tenebrarum, quorum delubra, lucoſque incendebant, atque idola deuaſtabant, nomen Ieſu Chriſti inter illos conſtabiliturì. Qua propter P. Auguſtinus Recuperatus Magiſter Generalis animaduertens, quòd meſſis quidem multa eſſet in partibus illis, operarij autem pauci, de Pontificis Max. auctoritate ſeparauit, ac inſtituit prouinciã S. Ioannis Baptiſtæ de Pyru à Pro-

 uincijs

uincijs S. Iacobi de Mexico, & S. Crucis Indiarum, ex quibus Fratres in prædicatione Euangelij aptiores euulſit, atque in nouam Prouinciam tranſtulit; vt vberiores fructus in vinea Domini Sabaoth excolenda S. Matri Eccleſiæ darent. Scripſit autem idem Magiſter Ord. Patribus illis epiſtolam hoc loco digniſſimam, cuius initium tale eſt.

In Dei Filio ſibi Chariſſimis Patribus, ac Fratribus noſtris, in terra, & partibus Indiarum, quæ dicuntur del Pyru, pro nomine Ieſu Chriſti laborantibus, innumeraque incommoda ſuſtinentibus, Ordinis Prædicat. Videlicet R.P. Thomæ de S. Martino Mag. cæteriſque Sacerdotibus, Iuuenibus, Conuerſis, & alijs cuiuſcumque gradus Religioni noſtræ inſeruientibus, F. Auguſt. Recuperatus de Fauentia Sac. Th. Profeſſor, ac dicti Ord. Generalis Mag. & Seru. Salutem, Patientia, & Religionis augumentum.

NOuimus Fratres mei labores veſtros, ac tribulationes, & quanta diutiùs ſuſtineatis pro nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ac Religionis noſtræ, & veſtræ amplitudine, ac fructu in his remotiſſimis partibus, omni ſolatio, ac humano auxilio deſtituti: Deumque teſtem inuocamus in animam noſtram, quòd labores, & ærumnas veſtras cordi habemus, & diutiùs meditamur, ac ſi vobiſcum præſentes eſſemus, illaque in corpore, ac mente noſtra experiremur; & quantùm vobis ſubuenire, conſolari, ac fauere cupiamus, nouit Altiſſimus, &c. Licet Fratres mei ſciamus vobis oſtium magnum eſſe apertum, & difficultates incredibiles inimicus homo ſubminiſtret, ſitque vobis colluctatio aduerſùs carnem, & ſanguinem, & aduerſùs principem mundi huius, & tenebrarum harum; ſcitis tamen opus veſtrum verè Apoſtolicum eſſe, & dignum Petro, & Paulo, Dominico, alijſque antiquiſſimis Patriarchis, qui ſi viuiuerent, nō dubium eſt quòd perſonaliter vobiſcum eſſent, laborarent, inſudarent, vos dirigerent, vt vnum ouile fiat, & vnus Paſtor. Quinimò credendum eſt eos ſic mortuos non minùs vobis fauère, vos inſpirare, atque cuncta, quæ ſalutem tantorum populorum concernunt, dirigere, & inflammare. Sentite igitur in vobis, & tanquam fideles Apoſtolorum adminiſtratores, incepta opera ſumma charitate proſequimini. Quia plures vobiſcum ſunt, quàm cum aduerſarijs, & plus virtus poteſt, quàm vitium; plus Deus, quàm diabolus. Confortabitur fides incepta in Indijs, laboribuſque veſtris roborabitur, & exaltabitur. Deo noſtro erit honor, laus, & Maieſtas &c. Dat. Romæ in Conu. noſtro S.M.S.Min. 4. Ianuar. 1540. F. Auguſt. Recuperat. qui ſup. Aſſumpt. noſtræ an. 1.

Ep. Gonzalez de Acunna de Prou. Pyru fol. 197. & ſequent.

P. Ludouicus Rochettus Gallus factus eſt Toloſanus Inquiſitor, vt in ea ciuitate, atq; diocœſi nutantem catholicam fidem propter hæreticorum vim, potentiam, atque oppreſſionem repararet; qui propriæ profeſſionis non immemor, hæreticorum minas, & inſultus haud pertimeſcens, contra eos, prout potuit proceſſit, licet propter eorū potentiam, quam de die in diem magis, ac magis augeri cognoſcebat, ab exequtione ſui muneris, quam ſummopere intendebat, retardaretur: non deſtitit tamen in catholicæ fidei veritate confirmare, & corroborare illius aſſeclas, aſſiduis ſermonibus, diſcurſibus, ignitiſque oris ſui eloquijs. Quare ab hæreticis irriſus, delutatus, lapidibuſque impetitus, hæc & maiora mala infracto ſpiritu vſque ad annum 1553, ſuſtinuit, verbis Domini conſolatus, dicentis: *Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur*. Tandem potentia, & armis inualeſcentibus minis ex omni ſecta hæreticis ita Gallia, ita vt de Catholica fide actum videretur, ob tanta mala tabeſcens fidelis Inquiſitor, ſpiritum

ſpiritum creatori reddidit. *Ex Relat. Arch. Toloſ.*

ANNO. 1541. In Regno Poloniæ vſque ad mortem decertabant pro candore Catholicæ fidei in populis illis ſeruando contra inualeſcentem Lutheranam hæreſim P. Iacobus Ruſſius, & P. Petrus de Sochaczou, cum P. Iacobo Priore, & Inquiſitore Cracouienſe, qui ſe murum validum aduersùs hæreſiarchàm Lutherum, alioſque hæreticos opponentes, Regio auxilio freti, (qui edictum optimum, & rigoroſum ſatis, contra hæreticos, eorumque fautores, & receptores promulgauerat ad eorumdem Inquiſitorum inſtantiam,) multos Lutheri ſequaces, fremente ipſo, iuxta edicti tenorem viuos combuſsère; quod factũ timorem maximum alijs incuſſit ita, vt Regni limites penetrare perhoreſcerent, mortem, ac ignem euaſuri. *Bzou. cap. 8.*

In Orbe occiduo apud Regnum de Chile Prædicatores operati ſunt maxima fidei incrementa hoc anno, & tempore, trahentes ad venerationem Chriſti Domini innumeros Gentiles, eorum delùbra, atque Idola euertentes, Templaque eum cœnobijs conſtruentes ad conſolidandos eos in fide catholica; vnde paucis annis ad quadraginta domus, & conuentus pro habitatione Religioſorum fuere erecti, maximo cum augmento catholicæ veritatis. *Lopez p. 4.*

Inſtantibus P. Franciſco de Bouadilla ex Marchionibus Moyenſibus confeſſario Reginæ Luſitaniæ Catherinæ Ioannis III. coniugis, nec non Andrea Reſendio eiuſdem Regis concionatore Io: Rex ſacrum Inquiſitionis tribunal, quod paulatim defluxerat, in Luſitania auctoritate Pauli III. Pontificis reſtituit, quod fuit fundatum ad modum tribunalis S. Inquiſit. Caſtellæ, inſtituti à P. Thoma de Turrecremata, & tunc Vlyſſipone Inquiſitor creatus eſt P. Gregorius de S. Iacobo, Conimbriæ verò P. Bernardus à Cruce, viri zelo catholicæ fidei promouendæ feruidi, qui Hæbreis maximum incuſsère timorem, & multos Iudaizantes, atque in ritibus cum eis participantes condignis ſupplicijs afflixère. *Paramus.*

P. Ambroſius Pelargus Niddanus D. Ioannis Chriſoſtomi Liturgiam, & Nicenum ſymbolum ex græco in latinam linguam vertit, quibus Lutherum, eiuſque hæreticalia dogmata impugnauit, & Vormatiæ in publicum commodum prælo tradidit hoc anno: vir doctrina, atque Sanctorum Patrum eruditione mirabilis. *Mirreus.*

Monile prætioſum cœlitibus datũ eſt; dum B. Yuo Mahyeuc Epiſcopus Rhedonen. migrauit è vita. Fuit hic Chriſtianiſſimis Regibus Galliæ Carolo VIII. Frãciſco I. & Ludouico XII. nec non Reginæ Annæ Britanniæ à ſacris confeſſionibus, hæreticorum hoſtis acerrimus, in pauperes maxima charitate affectus, atque ſui corporis domitor indefeſſus, miraculis in vita, & morte coruſcans, ſupra cuius cadauer crux lucidiſſima apparuit, diuque permãſit. Euolauit in cœlum die 20. Septemb. in caſtro de Bruzanno ætatis ſuæ 79. *Lefeburè Gall. Chriſt.*

Eundem ſequutus eſt ad cœlum celebris ille vir, atque Apoſtolicus Miſſionarius P. Sanctes Pagninus Lucenſis, de Romana Prouincia, Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Grecæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus, & de Eccleſia optimè meritus, qui ſua doctrina multos hæbreos per ſacrũ regenerationis lauacrum Chriſto lucratus eſt. Deceſſit Lugduni in impreſſione correcta Bibliorum ſecundum verum ſenſum hæbraicæ linguæ ex Leonis Pontificis decreto, atque impendio facienda. *Luſitan. de ſcript. Spondan. 13.*

Promoti ſunt aliqui Prædicatores ad regendum ſedelè populum in diuerſis Eccleſijs; & quidem P. Gregorius Armenus, à po-

à populo Armeno electus, à Pontifice Max. Paulo confirmatus fuit, cui Armena Eccleſia cum populo illo fideli ſcripſit epiſtolam, pietatem max. redolentem pro electi confirmatione. Electo donaria multa eccleſiaſtica Pontifex conceſſit, & in Armeniam remiſit: mortuus eſt autem anno ſequenti in Cypro. P. autem Bernardus Marrius ex Marchionibus Anguilarenſibus, Magnatibus Hiſpaniæ, cum Prior Prouincialis Caſtiliæ eſſet, ad Caroli V. præſentationem Malacen. Epiſcop. creatus eſt à Paulo III. Pont. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont. & Galano.*

Caput VI.

P. ALBERTO CASAVS Magiſtro Generali XLIV.

ANNO 1542. P. Albertus Caſaus de Prouincia Bethicæ eligitur Magiſter Generalis Ord. (cum eſſet in Romana Curia Procurator eiuſdem; extra tamen Patrum Capitulum, & Conclaue) Romæ apud mineruam præſente Card. Ioanne de Saluiatis Ord. Protectore. Fuit Albertus natalibus clarus, ſed virtutibus, regularique obſeruantia præſtantior, qui preterquam in ſua Bethicæ Prouincia bis Prouiucialis præfuit, Ducisq; Hiſpalen. Orator ad Cæſarem in Germaniam, & ab hoc ad Pontificem miſſus, legationes ſuas prudentiſſimè geſſit. Prouinciam Regni, & Romanam viſitauit, miniſterium ſuum, ad quod fuerat aſſumptus, adimpleturus. Senſit tamen ſarcinam regiminis tanti Ordinis ſuis humeris importabilem, proptereaq; de illa deponenda cogitabat. Genuam ingreſſus, ibiq; moram trahens; conuentum S. Dominici antiquo regularis obſeruantiæ decori reſtituit. Inde Barchiononam vſque nauigio vectus, peruenit; & viſitatatis conuentibus, Valliſoletum intrauit, vbi inualeſcente grandi, miſerandaque nauſea ſtomachi, infra pauciſſimos dies, dolente Cæſare cum Cardinali Loayſa, mœrentibuſque Patribus, mortuus eſt die 16. Nouemb. ſui regiminis anno 3. per magnificis, ac deuotis exequijs intra locum capituli ſepultus. Fuit Albertus moribus grauis, aſpectu religioſus, grandi, ſed gracili corporis forma, lingua tamen tardiori præpeditus, ac prudentia ſingularis; à quo bona cuncta ſperabantur in Ordine, niſi mors præpropera nimis tantum virum ſurripuiſſet florenti adhuc ætate annorum 62. nullo Capitulo, præter illud ſuæ electionis celebrato. *Olmeda* qui ſuũ chronicon Ordinis cum Alberto compleuit, perfecit, & terminauit.

PaulusPontifex ſacra purpura cohoneſtauit P. Thomam Badiam S. Palatij Magiſtrum, virum præſtantiſſimum ſub Tit. S. Silueſtri in Campo Martio, qui in victu, & veſtitu interiori Ordinis conſtitutiones vſque ad mortem obſeruauit; habuitque ſucceſſorem in Sacri Palatij Magiſterio eximium virum P. Bartholomæum Spinam Piſanum. *Olmeda, & Lucarinus.*

P. Hieronymus Monopolitanus Archiep. Tarentinus, ingenio, atque eruditione clarus ſcripſit præclarum opus Paulo III. Pontifici dicatum, *De neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, & De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.* contra Lutherum, Zuinglium, & Occolampadium, qui Berengaris hæreſim ſuſcitarunt apud Heluetios, negando verum Chriſti corpus, & verum ſanguinem in Euchariſtia contineri. *Luſitan. in Bib.*

Cum Lutheri peſtifera doctrina non tantùm in ſeptẽtrionales Orbis partes, verùm

rùm etiam in Angliam, Galliam, Italiam maximo catholicæ veritatis damno penetraſſet, Cardinales Io: Petrus Carafa, & F. Io: de Toledo noſter ex Ducibus Albæ animaduertentes ruinam maximam fidelibus imminentem, cum Paulo III. Pontifice Max. egère vt ſacrum Inquiſitionis tribunal in Vrbe omnium domina ad cōpeſcendos hæreticorum errores reſtitueretur, quod Paulus præſtitit feſtinanter, inſtituto in Vrbe ſacro tribunali S. Inquiſitionis, & ſex Cardinalibus eidem præfectis (inter quos duo fuerūt ex noſtris Prædicatoribus) videlicet Ioanne Petro Carafa Tit. S. Clementis, Ioanne de Toledo Tit. S. Sixti Ord. Præd. Petro Paulo Pariſio Tit. S. Balbinæ, Bartholomæo Guidicciono Tit. S. Cæſarij, Dionyſio Laurerio Tit. S. Marcelli Ord. Seruorum, & P. Thoma Badia Tit. S. Silueſtri Ordin. Prædicat. data Apoſtolica Bulla Romæ apud S. Marcum an. 1542. 12. Kal. Auguſti. Pontificat. an. 8. quæ eſt in Romano Bullario. *Ex eodem Bullario.*

His peractis, delecti ſunt à ſacra Cardd. S. Inquiſitionis Congregatione, iuxta facultatem ſibi in Bulla prædicta traditam inferiores miniſtri eiuſdem ſancti tribunalis, inter quos eminet Generalis Commiſſarius illius, & ad inſtantiam Card. Ioannis Petri Carafæ Commiſſarij munus datum eſt P. Mag. Theophilo de Tropeia, viro doctiſſimo, & præſtantiſſimo, eiuſdem Cardinalis Theologo. *Vallus de Prouincia Regni, & Gabutius in Vita B. Pij V.*

Firmiori fundamento conſtabiliturus ſacrum Inquiſitionis tribunal Paulus Papa III. quinque theologos Conſultores eidem adiunxit, viros doctiſſimos. P. Frāciſcum Romèum Magiſtrum Generalem Ord. Præd. (quod munus tranſijt ad ſucceſſores omnes, ita vt quilibet Mag. Generalis ex officio ſit primus Conſultor, niſi aliàs aliquis dignitate maior illum præcedat.) P. Bartholomæum Spinam Sacri Palatij Magiſtrum, quod ad ſucceſſores quoque tranſijt. P. Albertum de Cattaro, Mag. virum in Romana curia famoſum ob doctrinæ præſtantiam, & ipſum ex Prædicatoribus; P. Dominicum in Romana Sapientia primariæ Theologicæ cathedræ moderatorem; & hunc Dominicanum dicit Lucarinus in ſuo Chron. Auguſtinianum autem facit Pallauicinus in Hiſt. Concilij lib. 8. cap. 1. & P. Iacobum Barbam Sacriſtam Apoſt. *Ex Cabutio & Act. eiuſd. Pont.*

Firmata, & conſtabilita in hunc modum ſacra Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis, hæc iuxta facultatem ſibi datam, creauit Inquiſitores in tota Rep. Chriſtiana, eiuſque miniſtros principaliores; & hoc modo ceſſauit in P. Generali noſtro Prędicatorum Apoſtolica auctoritas inſtituendi in toto chriſtiano orbe Inquiſitores ſibi data à Pontt. *Lucarin.*

Interea Paulus Pont. nil omittens, quo & rebus fidei in hæreticis comprimendis, & tranquillitati Chriſtianorum Principum poſſet conſulere, poſt conſenſum Catholicorum in conuentu, ſeu congreſſu Spirenſi de electione Tridentinæ Vrbis ad celebrationem oecumenici Concilij, Bullam indictionis eiuſdem publicauit xj. Kal. Iunij ad Kalendas Nouembres inchoan. Imperatorem, Regem Chriſtianiſſimum ac cæteros Duces, & Principes rogans, vt per ſe, ſi poſſent, ſin minus, per Oratores ſuos, ad illud accederent. *Spondan. num. 10.*

In Conſiſtorio habito die 16. Octob. apud S. Petrum Pont. Max. creauit Legatos de Latere Apoſtolicos ad Tridentinum Concilium tres S. R. E. Cardinales, tanto munere dignos; ad beneplacitum tamen Apoſtolicum, Pariſium, Badiam, & Polum, cum facultatibus conſuetis, & neceſſarijs; ad quod tamen non acceſſit

noſter

Eccleſiaſticas infulas; vt ſuis exemplis, ac virtutibus populos ſibi commiſſos ad cœlum per ſemitam mandatorum Dei dirigerent; primus quidem in Eccleſia Ciuitatis Regalis, ſeu de Chiappa apud Indos; ſecundus verò in Margariten. datus Suffraganeus Vladiſlauien. Epiſcop. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Io: Bunderius Gandauenſis hæreticæ prauitatis Inquiſitor apud Coloniam hoc anno impreſſit Pariſijs contra Lutherum Caluinum, alioſque illius temporis hæreticos librum cui titulus, *Compendium concertationis huius ſæculi Sapientium, ac theologorum ſuper erroribus moderni temporis, quo omnes errores Lutheri, & ſequaciũ ventilantur, diſcutiuntur, & optimè impugnantur, ex inconuulſa Sacrorum Conciliorum authoritate, Sacræ Scripturæ fonte; nec non ex vetuſtiſſimis ſcientia, & ſanctitate clariſſimis Eccleſiæ Doctoribus, videlicet Dionyſio Areopagita, Ignatio, Policarpo, Irenæo, Cypriano, Chryſoſtomo, Baſilio, Hilario, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio, alijſque, quos in progreſſu operis adducit*; opus inter cætera contra Lutherum euulgata præſtantiſſimum, quod huius operis Author noſtræ Bibliothecæ S. Mariæ ſuper Mineruam donauit.

Conſtituit Paulus Pontifex Congregationem de rebus ſpectantibus ad catholicam fidem, in qua diſcuterentur propoſitiones, & ſententiæ; nec non & dogmata Lutheri, aliorumque hæreticorum huius temporis, & in ea poſiti ſunt præſtantiores Theologi in Vrbe exiſtentes: nempe noſter Spina Mag. Sacri Palatij, Apoſtolicus Sacriſta ex Ord. Eremitano S. Auguſtini, & P. Cyprianus de Roma Dominicanus, in Romana Sapientia primarius Theologiæ Doctor, cum alijs duobus pariter ex noſtris, qui propoſitiones, peſſimaque Lutheri, & ſequacium diſcutientes dogmata, condignis cenſuris damnauere. *Palauicin. in Hiſt. Concil.*

Cum Patres noſtri ſuperioribus annis recenſiti in Indiarum partibus contra tenebrarum Principes inconcuſſi decertantes, aliquos conuentus cum Eccleſijs erexiſſent, atque in dies nouos fabricarent, Philippus Hiſpaniarum Rex laudans Deum de vberrimo fructu, quem producebant, datis Regijs litteris apud Valliſoletum die 14. Auguſti ad D. Garziam de Guſman Proregem in Peruanis Prouincijs præcepit illi vt omnibus Eccleſijs noſtris erectis, & erigendis argenteum calicem, cum campana, atque ornamentis altaris, nec non vinum, atque oleum Fratribus neceſſarium primo anno elargiretur, vt promptiores eſſent in exequendo aſſumpto promouendæ catholicæ fidei miniſterio. *Ex Peruana hiſtoria P. Antonij Gonzalez fol. 145.*

ANNO 1544. Mittuntur noui ad excolendam vineam Domini apud Indos Apoſtolici operarij. Nam poſtquam Venerabilis Pater Dom. Bartolomæus Caſaus, ſiue de Caſis, factus eſt Epiſcopus Ciuitatis Regalis in India Occidentali, bonus Paſtor ouium ſibi creditarum ſaluti intentus, opem ad Indorum conuerſionem à ſuis Prædicatoribus conſequuturus, in Hiſpaniam redijt, & aſſumptis ſecum quadraginta quinque Patribus Apoſtolica, Regia, atque Ordinis auctoritate, in Indiam ad oues ſibi creditas remeauit feſtinanter. Operarij autem iſti fuère. Patres Thomas Caſillas, Thomas de Turre, Iacobus de Magdalena, Dominicus de Ara, Dominicus de Vico, Dominicus de Azona, Georgius Legionenſis, Thomas de S. Ioanne, Hieronymus de S. Vincentio, Vincentius Nunguez, Iordanus de Piamonte Petrus Caluus, Iacobus Hernandez, Hieronymus de Cita, Rodricus Gallus, Martinus de Fonte, Dominicus de S. Petro, Auguſtinus de la Hinoioſa, Albertus de Vilalba, Albertus de Villaſancta, Albertus

Truenus, Ambroſius de Villareio, Andreas Aluarez, Chriſtophorus de Pardaue, Dionyſius Vertabillo, Iacobus de Magda, Franciſcus Queſade, Franciſcus de Pigua, Philippus de Caſtillo, Io: Cabrera, Io: Guerrero, Ludouicus de Quenca, Michael de Ferias, Michael Duarte, Petrus de Regibus, Petrus de Lauega Placentinus. Inſuper Vincentius Ferrerius Valentinus, Albertus de Portillo, Balthaſar de Regibus, Dominicus de Loiola, Iacobus Calderon, Io: Cauion, Petrus de Cruce, Albertus de Cruce, Io: Diaz, & Petrus Mertin. 12. die Februarij cum ſumma animi exultatione nauigium conſcendentes. *Lefeburè.*

Moniales Monaſterij Conceptionis B. V. in Ciuitate Vtreca in Andaluzia Ord. Minorum, ex ſpeciali reuelatione S. Dei Genitricis illis facta Ordini S. Dominici ſe ſubiecère, habitum Prædicatorum, pontificia auctoritate obtenta, vnanimi voto lætæ ſuſcipientes, vna cum Eleonora de Soto Maiori Comitiſſa de Nueua. *Lefeburè.*

In Poloniæ Regno P. Dominicus Malacouius plurimos pro conſeruanda catholica fide labores pertulit; cum enim cœpiſſet inualeſcere Boemorum, nec non & Lutheranorum hæreſis in remotis partibus Regni Poloniæ, ipſe Apoſtolica auctoritate Inquiſitor inſtitutus, hæreticis ſe murum validum oppoſuit, etiam potentibus: quare calamitates multas expertus, ab eiſdem etiam quæſitus ad mortem, diuina ope paratas inſidias deluſit. *Bzou. c.* 8. *Lopez p.* 5.

Non minori pectore veriliter decertabat contra eoſdem hæreticos, vt illos ex Poloniæ Regno fugaret P. Paulus Sarbinius Poſnanien. Generalis Inquiſitor, qui murus, & ante murale fuit pro ſancta fide ibi in ſua puritate conſeruanda: nam eius colluctatio fuit aduerſus Principes, & Rectores tenebrarum hæreticalium, & maximè aduerſus potentiſſimum Comitem Gorcanenſem, & alios nobiliſſimos, hæreticorum protectores. Inſidiabantur ergo illi ad mortem; & dum in profluentem Poſnaniæ rapidiſſimum Vattam deijciendus eſſet, euanuit ab eorum oculis incolumis, Deo facto eidem tuto vmbraculo. *Bzou. vbi ſup. & Lopez p.* 5.

Eodem anno irruenti in Iſchianam inſulam propè Neapolim Corradino Barbaroſſa cum copioſa Turcarum claſſe, depopulata ciuitate, ſpoliatum eſt bonis omnibus cœnobium Ordinis; cumque Patres exhortarentur fideles illos, & puellas maximè, vt potiùs mortem ſubirent, quam ſe à barbaris violari permitterent, idque P. Germanus de Auerſa inter cœteros publicè prædicaret, à barbaris trucidatus, per ſanguinis palmam euolauit in cœlum, quem ſequuti ſunt plures alij eiuſdem conuentus Fratres ab eiſdem miſerrimè conciſi. *Vallus de Prou. Regni: p.*4.

Euelluntur ex Dominicana Religione viri inclyti, auro primo charitatis amicti, ad cuſtodiendum Chriſti ouile varijs in partibus Orbis. Et quidem P. Iacobus Nuclantius promotus eſt ad Eccl. Clugien. Thomas Caſellius ad Bertinorien. tranſlatus, in Italia. P. Antonius de Valdiuieſo ad Legionen. apud Indos, vbi P. Io: Hiſpanus factus eſt Ep. Ciuitatis de Circo. P. Aegidius Gaudz ad Raren. in partibus infidelium, Suffraganeuſque Nanneten. in Gallia P. Franciſcus Romes ad Nicopolitanam, etiam in partibus, cum facultate exercendi pontificalia in diœceſi Tarraconen. & Pontifex diſſoluit vnionem Eccleſiæ Salpen. cum Tranen. ad vitam P. Thomæ Stellæ Veneti, cui Salpen. conceſſit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Vghello.*

Paulus Pontifex de ærumnoſis laboribus, anguſtijs, atque afflictionibus multiplicibus, quas noſtri Prædicatores in excolenda vinea Domini electa apud Armenos ſuſtinent, certioratus, gregem illum

lum Dominicum, velut roſam fragrantiſſimam, inter ſpinas mahumetanas efful- gentem, paternis charitatis, viſceribus deamans, perpetua Apoſtolica Conſtitutione in futura ſecula ſanxit, noſtros Armenos Epiſcopos, nouiter à populo, iuxta antiqum morem, & Patribus Prædicatoribus electos, atque pro Apoſtolica confirmatione ad Vrbem aduentantes, debere eſſe cum ſocijs ab omnibus pedagijs immunes, & in Romana Curia velut Prælatos domeſticos Apoſtolicæ Sedis pertractari atque ab Apoſtolicæ Cameræ Teſaurarijs pecunijs congruis ad eorum, & Sociorum ſuſtentationem communiri; etiam pro itineris expenſis in regreſſu ad propriam Eccleſiam. Quod Apoſtolicum Breue à nobis refertur in noſtro Teatro Dominicano in Apendice. *Ex Actis Conſiſt. eiuſdem Pauli Pont.*

Dirigitur in cœlum 15. die Nouemb. Seraphica virgo B. Lucia de Narnia à cœleſti Sponſo Ieſu Chriſto ſacris ſtigmatibus mirabiliter ditata, atque miraculis clara vſque ad ſtuporem, cuius geſta miranda prolixiori calamo recenſita dedimus in noſtra hiſtoria de Romana Prouincia Ord. Præd.

ANNO 1545. In Floridam P. Ludouicus Cancer Apoſtolicus Miſſionarius (anno 1537. recenſitus) cum ſocijs ex noſtris penetrauit, S. Crucis vexillum illùc glorioſè illaturus, quod ibidem fixit. Cumque fructum non modicum iugi verbi Dei prædicatione, & infinitis propemodum laboribus exantlatis reportaſſet, innumeraque Idola fregiſſet, à Barbaris iugulatus, in fruſta diuiſus, & aſſatus, voratus eſt, glorioſus Chriſti Atleta effectus. *Lefeburè*.

P. Matthæus Ori primarius in Pariſien. Vniuerſitate Sac. Theologiæ Doctor, Prior Conuentus S. Iacobi Pariſijs, Gallicanæ Congregationis Vicarius Generalis, nec non per vniuerſam Galliam Generalis Inquiſitor hæreticæ prauitatis, deinde Pauli III. Iulij III. Marcelli II. & Pauli IV. Pontificum in Vaticana Baſilica Apoſtolicus Pœnitentiarius (qui etiam Societatem Ieſu egregiè iuuit in tempeſtate aduersùs B. Ignatium Pariſijs oborta) ſcripſit contra Lutherum, & Hæreticos alios, *De peccato originali*, *De Iuſtificatione*, *De Sacris Imaginibus*. Item edidit librum, quem inſcripſit. *Septem ſcholæ*, aduersùs hæreticos, in quo hæreſes omnes ad ſeptem redigens capita, illorum ſcholam deſignari docet per belluam illam, cuius diuina ſcriptura meminit. Qui liber ſub titulo, *Alexipharmacon aduersùs hæreſes*, prodijt hoc anno Venetijs. *Luſitan. in Bib.*

P. Hieronymus Ciranus Sigiſmundo Auguſto Regi Poloniæ à ſacris confeſſionibus hæreticorum perſequutor acerrimus, dum pro reſtauratione catholicæ fidei apud Gedanenſes ciues hæreticos laboraret, ab eiſdem veneno peremptus eſt. *Bzou. cap. 7.*

Dominica Aduentus 3. quæ *Gaudete*, dicitur, Idibus Decemb. inchoatum fuit Ganerale Concilium Tridentinum pro comprimendis hæreticis, & moribus Eccleſiaſticorum in melius reformãdis, cum ſolitis ſolemnitatibus, ac promulgatione vniuerſalis Iubilæi, ad implorandam diuinam opem pro illius celebratione. *Spondan. num. 17.*

Orauit in eodem Concilio Dominica prima Aduentus P. Dominicus Soto à Carlo V. Imperatore, cui erat à ſacris confeſſionibus, ad illud miſſus. *Fernandez*.

Mittuntur ad eandẽ Tridentinã Synodũ à Rege Portugalliæ Ioanne III. P. Hieronymus Oleaſter vir præclariſſimus, & P. Gregorius de S. Iacobo Theologus præſtantiſſimus: de alijs verò ex Prædicatoribus, qui eidem Concilio aſſiſterunt dicetur infra an. ſequent. *Mirreus de ſcript. Eccleſiaſt.*

Paulus Pontifex ad petitionem Chriſtianiſſimi Regis Abbatiam B. Mariæ de Longoponte Ciſtercien. Ord. gubernandam tradidit P. Gabrieli de Guzaman, vt Religioſos illos in regulari obſeruantia iuxta proprias leges dirigeret. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Idem Pont. Max. ad regimina Eccleſiarum Prædicatores aſſumpſit; vt fideles eiſdem creditos, docèrent terrena deſpicere, & amare cœleſtia: & quidem P. Gregorium Caſtagniolam præfecit Eccleſiæ Milenen. P. Gregorium Caſellani Militen. in Calabria, & P. Bernardinum de Luca, Accien. & P. Hieronymus de Loayſa factus eſt Archiep. Limen. erecta illa Eccleſia in Archiepiſcopalem. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Pinelo.*

Datur cœlo à Dominicana Religione Virgo ſapientiſſima, quæ charitatis oleũ in lampade habens venienti Sponſo cœleſti occurrit, intrauitque cum eo ad nuptias, Beata Lucretia de Lauda, ieiunijs orationibus, vigilijs, ac macerationi corporis aſſueta, miraculiſque, tam in vita, quàm in morte corruſcando. *Plodius*, *Marcheſius*.

Hoc anno, & tempore, Patres noſtri memores zeli ardentiſſimi, quo flagrabat S. Pater Dominicus, ſalutis animarum, pro quibus cœlo lucrandis ſitiebat ſeruus Chriſti Martyrium ſicut ſitit ceruus ad aquæ fluium, ad varias Indiarum Orientalium partes, ac Inſulas declinantes; vt Gentiles illos ad agnitionem veri numinis facilius perducerent, poſt fundatos in eiſdem conuentus, Aras, atque Eccleſias conſtructas, Congregationem Orientalium Indiarum erexère, vt inter infideles illos fixo pede permanentes, aſſiduis prædicationibus, inculpatæ vitæ exemplo, charitatiſque operum exequtione indurata eorumdem corda, S. Spiritus cooperante gratia, ad vitam æternam emollirent: id autem non niſi inconcuſſa animi conſtantia, atque ſanguinis effuſione copioſa, poſt labores multos; poſt carcerès frequentes, repetita exilia, atque anguſtias maximas, & aſſiduas preſtitère illi copioſa infidelium multitudine Chriſti ouibus per ſacrum lauacrum tandem aſſociata. *Ex Archiu. Mag. Ord. & relata dat.*

Cum in Vvormatienſibus Comitijs congregatis hæreticorum anteſignani Patrum noſtrorum Campegij, ac Bediæ an. 1540 recenſitorum ſapientia publicè cõuicti, & confuſi, in ſua proteruia, atque indurato corde permanentes Spiritus Sancti internis conſcientiæ ſtimulis reſiſtentes, ex Comitijs ſine fructu digreſſi (faces ſubducente Luthero nouorum librorum promulgatione) magis, ac magis in Eccleſiam SanctamDei, atque illius caput, ac filios fideles debaccarentur effrontes, Sacroſanctum Oecumenicum Tridentinum Concilium in Italiæ, ac Germaniæ finibus inchoatur hoc anno, 13. Decemb. conuenientibus Cardd. Legatis Apoſtolicis, qui omnibus præeſſent; nec non Archiepp. Epp. Prælatis, Abbatibus Theologis præſtantiſſimis, atque Imperatoris, Regum Principumque omnium Chriſtianorum Oratoribus adſtantibus.

Cum Lutheranæ hæreſis virus in dies magis, ac magis ſerperet in populis; tanto malo opportunum remedium adhibiturus Paulus Papa III. Generale Concilium Mantuæ primò anno 1536. tanquam in loco tuto, fertili, & commodo ad 10. Kalendas Iunias inchoandum ſequenti an. 1537. indixit. Verùm renuente Friderico Mantuæ Duce ob quoſdam ſimulatos prætextus illud ibidem celebrari, Vicentiam Veneti dominij nobilem, ac opulentam Ciuitatem ex Reipub. Venetæ conſenſu translatum eſt, Kalendis Maij ſequentis anni 1538. inchoandum, Legatis Apoſtolicis illuc transmiſſis Cardinalibus Campegio, Simonetta, & Aleandro,

andro Brunduſino, qui illud inchoarent, aduenienteſq; exciperent. At cũ ſtatuto tẽpore, Cardinalibus Legatis Vincentiæ exiſtentibus, ad Conciliũ vix vnus, vel alter ex externis nationibus illuc conueniſſet Ep. Id Paulo Pont. renunciarunt Legati, dilatumque eſt Concilium vſque in ſequentis anni 1539. Paſcha ex eiuſdem Pauli decreto. Cum verò cerneret Paulus frequentibus Concilij indictionibus nihil ſe, neque apud Catholicos, neque hæreticos proficere, nouis quotidianis impedimẽtis ſemper aduenientibus, & Cæſarem, Ferdinandumque fratrem eius, ac alios Principes, rem non niſi confecta pace inter Chriſtianos Principes exequutioni demandari poſſe, ſignificare: denique nec ad condictum tempus alios prælatos Vicentiam conueniſſe, prorogationis nomen iam auerſans, quod tam ſæpè fruſtra fuerat repetitum, ſatius duxit celebrationem Synodi Generalis ad ſuum, & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum ſuſpendere, huiuſmodi ſuſpenſione Apoſtolicis litteris 10. die Iunij 1539. datis, Principibus nunciata. *Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. an.* 1536. *num.* 15. & 1537. *num.* 13. & 1538. *num.* 9. & 1539. *num.* 4.

Tandem Generalem Synodum Tridentinam in Vrbe Germanis commodiore celebrandam fore decretum eſt, talis decreti expedita Apoſtolica Bulla indictiua eiuſdem 11. Kalen. Iunij an. 1542. inchoandæ verò Kalendis Nouembris eiuſdem anni, conſtitutis Legatis de Latere ad illam Card. Pariſio, Morono, & Polo. At ob diſſidia inrer Chriſtianos Principes, publicaſque turbationes, cum Patres numero pauci Tridentum conueniſſent, aſſereretque Imperator ſe paratiſſimum ad illius celebrationem procurandam eſſe; impediri tamen à bellicis motibus Regis Galliæ; Paulus Pontifex rem infectam agnoſcens, Legatos ſuos in Vrbem reuocauit, denuo ſuſpenſo Concilio ad commodius tempus, confectis de hoc litteris Apoſt. Bononiæ pridie nonas Iunij promulgatis. *Spondan. vbi ſup. an.* 1542. *num.* 10. & *num.* 4.

Pace tandem, Deo pacis Principe, atque Authore, inter Imperatorem, atque Regem Galliæ conſtabilita anno 1544. Paulus Pontifex Tridentinum Concilium denuo reſtituit, in ſequentis anni Idus Martias, quæ Dominica *Lætare* 4. Quadrageſimæ futura erat, tanquam lætitiæ die, edito diplomate 13. Kal. Decemb. inchoandum, adlectis ad hoc Februario menſe an. 1545. Cardinalibus de Monte, Ceruino, ac Polo eiuſdem de Latere Legatis, ac Præſidibus. Verumtamen propter Patrum infrequentiã, aliaque impedimenta nõ fuit inchoatum Concilium vſq; ad finem eiuſdem anni 1545. *Spondan. vbi ſup. an.* 1544. *num.* 16.

Inchoatur igitur feliciter poſt tot aduerſitates ſacroſantum Generale Tridentinum Concilium in Spiritu ſancto legitimè congregatum, quinta feſſione habita Idibus Decembris anno 1545. incidente ea die in Dominicam nuncupatam *Gaudete*, quæ tertia eſt Aduentus Domini, cum ſolemnitate maxima, indictiſque in toto Chriſtiano Orbe publicis ſupplicationibus, atque Vniuerſali Iubilæo, vt eiuſdem Concilij Acta teſtantur, cuius hiſtoriam ſcripſit in multis vitiatam, ac falſam, F. Paulus Sarpius mutato nomine Petri Soaui Polani, quam Londini in latinum ſermonem vertit, atque impreſſit Marcus Antonius de Dominis, qui ad Archiepiſcopatum Spalatenſem euectus, poſtmodum à fide Catholica Apoſtata, atque Hæreſiarcha, nouorum errorum inuentor effectus in Anglia, rurſuſque ad pœnitentiam ſimulatè reuerſus, atque relapſus, in hæreſi, ac perfidia mortuus eſt, cadauere poſtmodum à Sacroſancto Inquiſitionis Generalis Tribunali Romæ tortoreo igni adiudicato, atq; in acie Campi Floræ,

ræ, vt vidimus, conſumpto. Veridicam autem eiuſdem Concilij enarrationem de mandato Vrbani VIII. contexendam exorſus eſt Reuerendiſſimus P. F. Nicolaus Riccardius Sac. Palatij Magiſter, quam morte præuentus, complere nequiuit, euulgata tamen priùs compendioſa eiuſdē hiſtoria, tanquam apparatu ad illam, quā impreſſit ſub titulo *Synopſis Hiſtoriæ Concilij Tridentini*. Copioſam tandem, & integrā geſtorum omnium eiuſdem Concilij contexuit hiſtoriam, qua Suauium optimè confutauit, Cardinalis Pallauicinus his præteritis annis, Romæ impreſſam. *Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. an.* 1545. *num.* 12. *atque* 17.

Interfuère huic S. Synodo præter Præſides, Cardinales, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Theologorumque; nec non Abbatum copioſam multitudinem, ex noſtris Dominicanis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac Theologi in tam magno numero, vt viris egregijs Ordo noſter ſacræ Synodo plenum ſe eſſe oſtenderit, quorū nomina hic recenſemus. *Fernand. in Concertat. Præd. ad annum* 1562.

Archiepiſcopi

PP. F. Auguſtinus Saluagus Genuenſis Archiepiſcopus Genuenſis.
Bartolomæus de Martyribus Luſitanus Archiep. Bracarenſis.
Sebaſtianus Lecauella Græcus Archiep. Naxien. poſtmodom Epiſcop. Litteren.
Iulius Paueſius de Brixia Archiep. Surrentin.
Leonardus de Marinis Genuen. Archiep. Lancianen.
Antonius Iuſtinianus de Chio Græcus Arhiep. Naxien. qui ſucceſſit defunctō Sebaſtiano ſuprad. *Ex Act. eiuſdem Concilij*.

Epiſcopi

Ambroſius Catarinus Politus Epiſcopus Minoren. in Concilio creatus.
Eugenius Ohairt Hibernus Epiſc. Achaden.
Thimoteus Iuſtinianus Chienſis Epiſcop. Calamonen. in Creta.
Marcus Laureus de Tropeia Epiſcopus Campanien.
Hieronymus de Nichiſola Veronen. Epiſcop. Teanenſis
Dominicus Caſablanca Meſſanen. Epiſcop. Vicoaquen.
Hieronymus Treuiſanus Venetus Epiſcop. Veronen. qui in eodem Concilio mortuus eſt.
Antonius Hauetius Belga Epiſcop. Namurcen.
Ioannes Coloſuarius Hungarus Epiſcop. Canadien.
Aegidius Fuſcararius Bononien. Epiſcop. Mutinen.
Albertus Dumius Cattarenſis Epiſcop. Belenſis.
Antonius de Comitibus Lucurri Epiſcop. Brugnaten.
Thomas Stella Venetus Epiſcop. Iuſtinopolitan.
Iacobus Naclantes Florentinus Epiſcop. Clodien.
Thomas Caſſelus Roſſanen. Epiſcop. Cauenſis.
Petrus Xaque Hiſpanus Turris Iulianen. Epiſcop. Niochen.
Martinus de Corduba Hiſpanus Epiſcop. Dertuſen. *Ex Act. eiuſd. Concilij*.

Theologi

Magiſter Generalis Ordinis P. Vincentius Iuſtinianus cum F. Seraphino Caballo Brixien. Prouinciali Terræ Sanctæ ſocio eiuſdem P. Generalis.

Fue-

Fuère autem à Pio IV. Summo Pont. delecti ſex Theologi viri preſtantiſſimi, atque ad Concilium miſſi, ex quibus tres fuère Dominicani, nempe ſequentes.

P. Petrus de Soto Hiſpanus, qui in eodem Synodo quieuit cum Chriſto menſe Aprili anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, in cuius locum ſuffectus eſt P. Adrianus Valenticus Venetus, poſtmodum Iuſtinopolitanus Epiſcopus.

P. Camillus Campegius Papienſis Inquiſitor Ferrarien.

P. Hieronymus Braue Hiſpanus. *Ex Act. eiuſd. Concilij.*

A Philippo II. Hiſpaniarum Rege fuere miſſi P. Ioannes Gallo, qui ſacræ ſcripturæ cathedrā Salamantinam moderatus eſt annis pluribus max. cū laude &c.

P. Petrus Fernandez, qui præfectus fuit Prouinciæ Hiſpaniæ. *Ex eiſdem Actis & Fernand. in concertat. Præd.*

Sub Paulo III. ad idem Concilium miſſi fuère à Rege Hiſpan. PP. Bartholomæus Caranza, & Dominicus Soto, qui in congreſſibus cum Hæreticis maximū reportauit triumphum; vnde illuſtri ſtemmate fuit nobilitatus, nempe flamma egrediente ex duabus complexis manibus cum inſcriptione *Fides, quæ per charitatem operatur*, habuitque hic latinam orationē in Concilio Dominica j. Auentus anno 1545. Caranza autem Dominica prima Quadrageſimæ anno 1546. concionem habuit coram Patribus Concilij, ad quos ſcripſit librum, *De Reſidentia Epiſcoporū*. Fernand. vbi ſup. & Mirreus in Bib.

A Rege Portugalliæ Ioanne III. miſſi fuère Theologi præſtantiſſimi PP. Mag. Gregorius de S. Iacobo, Inquiſitor poſtmodum Vliſſipponenſis, qui Dominica prima Quadrageſimæ anno 1547. concionem habuit in Concilio; & Hieronymus de Oleaſtro Inquiſitor & ipſe poſtmodum Vliſſiponenſis. A Rege Sebaſtiano miſſi fuère duo alij doctiſſimi Theologi P. Ludouicus de Sotomaior primariæ Coimbricen. Vniuerſitatis diuinæ Scripturæ Cathedræ Regens, nec non Franciſcus Forerius, de quo infra.

Cum Epiſcopis, ſeu Archiep. interfuère eidem Concilio ſequentes Theologi.

P. Angelus Cioſus Florentinus cum Cardinali Mantuano Legato.

P. Hæliſæus Caijs Venetus cum Reuerendiſſ. Archiep. Pragen.

P. Sanctes Cythinus Vtinenſis cum Reuerendiſſ. Archiep. Amalphitano.

P. Petrus Aridien. Gallus cum Reuerendiſſ. Epiſcopo Cenomanen.

P. Bernardus Bernardi Gallus Aueniomen. Inquiſitor, Cōgregationis Franciæ Vicarius cū Reuerēdiſſ. Ep. Nemauſen.

P. Io: Matthæus Valdinas cum Reuerendiſſ. Archiep. Tarentino.

P. Petrus Martyr Coma Hiſpanus cum Reuerendiſſ. Epiſcopo Gerundenſi.

P. Petrus Zatores Hiſpanus cum Reuerendiſſ. Epiſc. Dertuſen.

P. Antonius de Gropſuto cum Reuerendiſſimo Epiſc. Viglieuanen.

P. Aurelius de Chio cum Reūerendiſſ. Archiep. Spalaten.

P. Adrianus Valenticus Venetus cum Reuerendiſſ. Archiep. Nicoſien.

P. Marcus Medices Veronenſis cum Reuerendiſſ. Epiſc. Ceneten.

P. Benedictus Herba Mantuanus cum Reuerendiſſ. Epiſc. Brixien.

P. Michael de Aſt Genuenſis Prior noſtri Conuentus Tridentini S. Laurentij.

P. Conſtantinus Coccianus Iſforella cū Reuerendiſſ. Epiſc. Montis Politiani.

P. Henricus de S. Hieronymo cum Reuerendiſſ. Archiep. Braccaren.

P. Baptiſta de Lugo cum Reuerendiſſ. Epiſc. Veronen.

P. Hieronymus Barolus Papienſis.

P. Dominicus de S. Cruce.

P. Pe-

P. Petrus de Caſtro.
P. Gregorius de Senis.
P. Gregorius de Roma.
P. Bartholomæus de Mirandula, qui orauit Dominica 3. Quadrageſimæ.

Quorum plurimi ad ſacras infulas fuère poſtmodum promoti, de quibus ſuo loco dicetur.

Procuratores Epiſcoporum

Misère ad Cócilium Procuratores ſuos aliqui Eccleſiarum Paſtores, qui ad illud accedere non valebant; recenſentur autem ex noſtris Prædicatoribus ſequentes.

P. Io: Coloſuar Ep. Canadien. totius Hungariæ Prælatorum nomine Concilio interfuit.

P. Felicianus Niguarda à Morbineo adſtitit Concilio Procurator pro Illuſtriſſ. Archiep. Salisburgen. theologus inſignis, qui Scalen. primò, S. Agathæ deinde, Nouocomen. tandem Epiſcopus euaſit.

P. Io: de Ludenna præſtantiſſimus Sac. Theologiæ laureatus adfuit pro Epiſcopo Seguntino procurator, qui concionem habuit coram Patribus Dominica prima Quadrag. an. 1563. teſte Fernandez.

P. Ambroſius Pelarges, vir doſſiſſimus, eidem Synodo interfuit die 10. Maij anno 1546. in qua ſedit Procurator, & Orator Electorum Treueren. & Colonien. habuitque in illa coram Patribus orationem vt reſtatur Card. Pallauicinus in hiſt. eiuſdem Concilij.

Functiones in Concilio

P. Thomas Caſellius Epiſcop. Cauen. conſtituitur à Patribus Concilij Cõmiſſarius: de quo preſtantiſſimo viro narrat Card. Pallauicinus in hiſt. Concilij, quod cum Braccius Martellus Epiſcopus Feſulanus coram Patribus Tridentini Concilij fuiſſet cõqueſtus de Regularibus omnibus, quòd in ſuis Eccleſijs ſacramenta miniſtrarent, ac prædicarent ſine Epiſcoporum licentia, proptereaque eiſdem eſſe interdicenda prædicta omnia, conſurrexit in Regularium fauorem dicendo. *Che il Papa è Veſcouo di tutto il grege Chriſtiano, e ciaſcheduno di noi* (hoc eſt Epiſcoporum) *è chiamato ſolamente in parte della ſollecitudine, come parlano li ſacri Canoni, onde non meno entra per l'vſcio legitimo del ouile chiunque è mandato dal Papa in alcuna dioceſi, che chi vi è mandato dal Dioceſano particolare. Non faciano li Veſcoui querele di ciò, che è ſtato difetto loro, non vſurpatione de Regolari. Se quelli haueſſe o adépito l'vfficio ſuo d'inſegnare, e di predicare, queſti ſarebonſi contenuti nella loro quiete monaſtica à lodar Idio, & à mortificarſi in ſodisfatione de ſuoi, e degl'altrui peccati. La noſtra negligenza è ſtata l'interceſſore che hà impetrato dalla Sede Apoſtolica i priuiligij à Regolari. Eſſi portano tutt' il peſo del carico Epiſcopale; noi ne godiamo l'entrate; noi gl'honori, e ci lamentiamo?* Palauicin. in Hiſt. Concilij Trid. lib. 7. cap. 4. qui ita ibidem ſubdit: *L'iſtanza del Caſellio riceuette fauore in prima da Galeazzo Fiormandi Veſcouo d'Aquino, e poi dalla voce d'aſſai altri, li quali condannauano l'orazione del Martello come indegna, e diſonorata.*

P. Iacobus Naclantus Glugien. Epiſcopus author fuit vt in ſeſſ. 13. cap. 5. & can. 11. verbum *Sacerdotis* in verbum *Cõfeſſarij* mutaretur, vbi dicitur, *habita copia Confeſſarij* cum prius diceret, *habita copia Sacerdotis*.

P. Hieronymus Vielmus Venetus Argolicen. Epiſcopus libros duos in Concilio edidit de ſcriptis S. Thomæ, qui eidem S. Synodo magno fuère vſui.

P. Aegidius Fuſcararius Mutinen. Ep. electus à Patribus ad recognoſcendos ſermones in Cõcilio habendos: edidit inſuper eiuſdẽ Cõcilij Acta, quę manuſcripta extant. P. Hie-

P. Hieronymus Muzarellus Inquiſitor, atque Prior Bononienſis, ante ſuam ad Sacri Palatij Magiſterium aſſumptionem primis Concilij Seſſionibus Bononiæ habitis interfuit, vt ex eius tumulo appoſito, in Magiſtris Sacri Palatij recenſito eluceſcit.

P. Thomas Badia delectus eſt ad diſputandum in Vormatienſi colloquio cum Lutheranis, quos confudit, vt dictum eſt.

P. Leonardus de Marinis cum prædicto Badia, & Franciſco Forerio omnes ex noſtris, Miſſalis, Breuiarijque Romani correctioni fuère præpoſiti. Et idem Forerius datus eſt à ſecretis deputationis Tridentinæ pro damnatæ lectionis librorum Indice conficiendo.

PP. Bartholomæus de Martyribus Archiep. Braccaren. Iulius Paueſius Archiep. Surrentin. Aegidius Fuſcarius Ep. Mutinen. Marcus Laureus Epiſc. Campanien. atque Vincentius Iuſtinianus Magiſter Generalis Ord. noſtri fuere deputati à Patribus pro negotio Reformationis.

PP. Petrus Bertanus Epiſc. Mutinen. & Ambroſius Catherinus delecti ſunt à Patribus ad tollendos abuſus, qui in legendo, atque ſacram ſcripturam interpretando, irrepſerant.

P. Marcus Laureus Epiſc. Campanien. inſeruiuit Concilio loco Seretarij ſub Pio IV.

Paulus Papa III. Romæ deputauit Congregationem quinque Theologorum ſuper decreto *de Iuſtificatione*, quod Concilij Patres eidem miſerant, ex quibus vnus Auguſtiniani Ordinis fuit Apoſtolicus Sacriſta; reliqui verò quatuor fuère Dominicani, Franciſcus Romeus Magiſter Generalis, Bartholomæus Spina Magiſter Sacri Palatij, Albertus Diuenus à Cattaro, & Dominicus de Roma, vir eruditiſſimus, S. Theol. profeſſor celeberrimus, eiuſdemque actualis Lector in Romana Sapientia.

P. Ambroſius Catarinus, ante quam ſacra Infula cohoneſtaretur, huic Concilio interfuit, theologus magni nominis, qui in eodem ſeſſione 3. die iouis 4. Febr. celebrata doctiſſimam habuit orationem, vt teſtatur Spondanus in Annal. Eccl. an. 1546. n. 4. & fer. 4. Cinerum eiuſdem anni prædicauit, fuitque impio Luthero formidabilis: cumque eius doctrinæ acumen in dies illi S. Synodo magis, ac magis proficuum agnoſceretur, à Paulo Papa III. Minorenſis Epiſcopus die 26. Auguſti eiuſdem anni creatus eſt, ad Archiep. ſedem Compſanam poſtmodum euectus à Iulio III. anno 1552. *Vghell. Ital. Sac. tom. 7. in Epiſc. Minoren. & Lucarin. vbi ſup.*

P. Marcus Laureus de Tropeia Calaber in Sac. Theologica facultate vir eximius, orauit in Cōcilio coram Patribus in ſeſſione 5. vt teſtatur Spondan. in Annalibus Eccleſ. anno 1546. num. 6. Promotus poſtmodum à Pio IV. ad Epiſcopatum Campanien. & Satrianen. anno 1560. in eodem Concilio claruit, inter doctiſſimos Patres aſcriptus, quorum doctrinam magni fecit S. Synodus. *Vghell. vbi ſup. in Epiſc. Campanien.*

P. Thomas Stella Salpenſis Epiſcopus orauit in Seſſione 6. habita die Iouis 15. Octob. anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, quo poſtmodum ad Lauellinam Eccleſiam translatus fuit. *Spondan. vbi ſup. anno 1547. num. 1.*

Translato ob peſtilentiam Bononiam Tridentino Concilio anno 1547. die Iouis 21. Aprilis eiuſdem anni celebratur prima Seſſio ibidem, quæ in ordine Synodi Tridentinæ fuit nona, in Eccleſia S. Petronij, in qua iterum orauit P. Ambroſius Catherinus Epiſcopus Minorenſis. *Spondan. vbi ſup. num. 5.*

P. Gregorius Primaticius Senenſis, inſignis Sacræ Theologiæ Doctor, huic S. Synodo cum Archiepiſcopo Senenſe interfuit, Theologi eiuſdem titulo inſi-

gnitus. *Ex monumen. Conuen. S. Dominici de Senis:*

Reuerendiſſ. P. Magiſter Ordinis Franciſcus Romèus de Caſtilione etiam ipſe ſua præſentia Tridentinam Synodum cum alijs Patribus noſtris decorauit, de quo Chron. Magiſtrorũ Generalium in conſtitutionibus noſtris hæc refert, *Aliquando in Tridentino Concilio detentus, alias luſtrandis Prouincijs intentus Capitulum Generale apud Salmanticam habuit anno* 1551. *& inde reuerſus, Synodo Tridentinæ duranti interfuit; eaque per Iulium III. ſuſpenſa, Romam reuerſus eſt.*

Et hæc omnia ex eiuſdem Sanctæ Synodi Actis, Cronologia Ord. Prædicat. Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. F. Reginaldi Lucarini pluries in hoc opere relati, & Fernandez in Concertat Prædicat. Abbate Iuſtiniano de Cõcilio Tridentino alijſq; Scriptoribus fuère fideliter deprompta.

Caput VII.

P. FRANCISCO ROMEO Magiſtro Generali XLV.

ANNO 1546. Congregatum eſt Capitulum Romæ in Minerua pro Magiſtri Generalis electione, in qua ſalutatus eſt Mag. P. Franciſcus Romèus de Caſtilione, qui in obſeruantia Regulari apud S. Marcum de Florentia ad Ordinem receptus, & enutritus, vir cordatus, & doctus euaſit ſub Ioanne de Fenario Magiſtro Generali Prouincialis Terræ Sanctę factus, comes fidus peregrinationis eiuſdem fuit, & Ordini ſatis proficuus, ad gratias pronus ille, ad rigorem Conſtitutionum noſtrarum iſte. Mortuo Fenario, Prouincialis Romanus electus, omnem conatum adhibuit, vt regularem obſeruantiam in Vicaria Romana, tunc ſic dicta, diſtincta à Prouincia Romana, cuius conuentus in Regulari rigoroſa obſeruantia viuebant; non verò illi, qui ad Vicariam ſpectabant, induceret. Factus deinde poſt mortem Generalis Alberti Vicarius Apoſtolicus Ordinis, ad regimen totale eiuſdem tandem euectus eſt. *Plodius p. 2. lib. 4.*

Fuit in Regimine Ordinis Romèus Seuerus, delinquentes iuxta ſanctiones Conſtitutionum puniendo. Religioſæ paupertatis ſectator vigilantiſſimus, quam inter Fratres promoueri voluit, grauiter illius violatores coercens: timebatur igitur in Ordine, ſed à Fratribus vitæ regularis vnicè diligebatur. Poſt promotionem Ordinem non viſitauit, à Pontifice Max. ad Concilium Tridentinum directus, benè tamen conuentus, per quos tranſibat, in itinere. *Plodius.*

Claruerunt inſuper in ea Sacroſancta Synodo P. Bartolomæus de Mirandula, qui orauit Dominica 3. Quadrag. & duo Magiſter Generalis, nobiliſſima Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Theologorum corona circundatus, ipſo anno 1562. quo idem Conciliũ fuit reaſſumptum, & ſequenti 1563. tandem feliciter terminatum. Inſuper in eodem Concilio emicuère cum Ord. laude PP. Dominicus de S. Cruce, Petrus de Caſtro. Gregorius de Senis, Gregorius de Roma, & alij. *Abbas Iuſtinian. de Conc. Triden.*

P. Ambroſius Pelargus, qui Tridentino Concilio pro Treueren. & Colonien. Electoribus orator erat; nec non & Treucrenſis Archiepiſcopi Eccleſiaſtes magni nominis, atque doctrinæ, ſcripſit præter recenſita opera ſupra an. 1541. alia multa contra eiuſdem temporis hæreticos.

Diſcep-

Diſceptationem *De Sacrificio Miſſa*, latinè, & germanicè euulgatam, ad Senatum Baſileenſem. Librum vnum, *Confutationis conſilij Ecolampadij de differendo Baptiſmate puerorum* in eam ætatem, quando incipiunt balbutire. Alterum, *Aduersùs Iconomachos*. Alterum, *An ſit fas in Anabaptiſtas, & alios hereticos animaduertere*. Librum item *De cœlibatu Sacerdotum*; & librum, *Adnotationum in Eraſmum*. Luſitan. in Bibliotheca.

P. Garzias de Loayſa Cardinalis, conſtituitur in Caſtella, Legione, ac Bætica Generalis Inquiſitor à Paulo Papa III. ad petitionem Caroli V. Cæſaris, & Regis Hiſpaniarum 12. Kal. Martij, vt Catholicam fidem in ſuo candore ibidem conſeruaret, qui eodem anno dimiſſis cunctis dignitatibus perrexit ad Chriſtum. *Salelles, & Lopez*.

P. Cornelius Alborno in Capitulo Generali ſuprad. datus eſt Inquiſitor Cameracen. auctoritate Papæ, & hic videtur vltimus Inquiſitor inſtitutus ab Ordine. Ita habetur in Actis eiuſdem Capituli. §. *Inſtitutiones*.

Summus Pontifex Paulus III. plures Prædicatores poſuit cuſtodes, & Paſtores gregis Chriſti in diuerſis Eccleſijs: & quidem Archiep. Armeniæ P. Stephanum Gaborzen. quem Fratres cum fidelibus Eccleſiæ Naxiouanen. iuxta communem conſuetudinem elegerant. Naturen. autem P. Petrum Ranche, quem & Suffraganeum Bambergen. dixit, & Minoren. P. Ambroſium Catherinum. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Cum mortuo P. Hieronymo Sauonarola perſeueraret in conuentu S. Marci Florentiæ ſocietas multorum ſecularium nobilium Florentinorum, dicta *della buca di S. Marco*, qui nocturno tempore pia opera exercentes, ſe Deo humilitatis ac deuotionis ſtudio offerebant, quibuſdam æmulis apud Coſmum Florentiæ Ducem inſtantibus; vel quòd eſſent Prædicatoribus malè affecti; vel à Sauonarola alieni, ſub multiplicibus zeli prætextibus de eadem abolenda ſocietate inſtitère; iuſſitq; ille, parte inaudita, vt aboleretur ſocietas. Verùm id exequi differentes Prædicatores, ex eo conuentu ſtatim abire compulit, ac in alios duos S. Mariæ Nouellæ, ac Feſularum ſe recipere, conuentu derelicto, quem Auguſtinianis Patribus inhabitandum dedit inconſulto Pontifice. Re per Ordinis Procuratorem Stephanum Vſuſmaris Pontifici Max. delata, in ſequenti Conſiſtorio Cardd. propoſuit, in cuius actis ſic fertur. *Die lunæ 15. Martij fuerunt lectæ in Conſiſtorio quædam litteræ certæ innouationis factæ in Fratres conuentus S. Marci de Florentia*: & in ſequenti Conſiſtorio habito die 9. Aprilis ſic dicitur: *Fuit lectum Breue Pont. mittendum Duci Florentiæ in fauorem Fratrum Prædicatorum S. Marci*, quo Paulus Pont. præcepit Coſmo Duci, vt Fratres conuentus S. Marci in illum ſtatim reſtitueret, dimiſſis Auguſtinianis, pro vt factum eſt: eſto Spondanus ſub num. 18. antecedentis anni aſſerat, omnes Fratres noſtros eiectos fuiſſe ex tribus conuentibus Florentinis, multis ex eis etiam carceribus addictis, eo quòd Sauonarolæ Sanctitatem prædicarent. Veram tamen illius expulſionis cauſam Scriptor ille aut diſſimulauit, aut neſciuit, ideoque non veram ſubſtituit. *Lucarin. in Cronol. Ord. & Luſitan. in Chron.*

P. Dominicus Soto à Rege Hiſpaniarum Theologus directus ad Concilium Tridentinum præter Concionem, ſeu Orationem habitam ad Patres eiuſdem, eruditum ſcripſit librum *De Reſidentia Epiſcoporum*; & contra Lutherum, ac naſcentes alios hæreticos. *Lucarin. & Miræus in Biblioth.*

In tanta filiorum ſuorum multitudine exultabat præ ſpiritus dulcedine Magi-

ſter Ordinis Romeus, dicens cum iuſto Simeone, *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace*. Et hæc de Tridentin. Concilio.

Miſſionarij noſtri Apoſtolici die Sabbathi 3. Nouemb. huius anni Ciuitatem Regalem, ſeu Regum, in Peruano Regno ingreſſi ſunt, vbi fundatum eſt ſecundum cœnobium noſtræ Prouinciæ, dictæ de Chiappa: in quo permanentes, innumeros Idololatras ad agnitionem catholicæ veritatis adduxerunt, & in vaſtiſsimis illis regionibus ſacram fidem Chriſti feliciter plantauerunt. *Lopez par. 5.*

Magiſter Generalis Ordinis, mandante Paulo Pontifice, ad Concilium acceſſurus, viſitauit conuentus Romanæ Prouinciæ, & Lombardiæ; & dum Venetias perueniſſet, vlteriùs non proceſsit, vigente peſtilentia, ob quam Concilium Bononiam reuocare neceſsè fuit, de quo ſequenti anno 1548. *Olmeda*.

P. Felicianus Niguarda de Morbinio in Vulturena ortus, ibique apud Morbinium in conuentu S. Antonij ad ordinem receptus, præſtantiſsimus Doctor euaſit, publicèque apud Viennam Auſtriæ theologiæ cathedram rexit. Concilio Tridentino aſtitit theologus, & Orator Archiep. Salisburgen. Compoſuit, publicauitque librum eruditiſsimum, *Contra articulos vtriuſque confeſſionis Annæ Burgenſis*, hæretici perfidiſsimi, de quo Magiſter Generalis in quadam epiſtola eidem operi annexa, ita dixit. *Tam acriter pugnantem te vidi, vt in vno Anna, proſtratos eſſe, mihi pollicear, omnes ætatis noſtræ morbos*. Auctoritate Gregorij XIII. in Germaniam redijt cum ampliſsima auctoritate Apoſtolica, & Ordinis, ſuper moniales noſtras ibidem exiſtentes, vt eas, & in catholica fide contra hæreticos contineret, & in regulari obſeruantia conſtabiliret, & contra hæreticorum impetus apud Imperatorem foueret, & defenderet, factus poſtmodum ab eodem Pontifice Max. Aſcalonen. Epiſcopus, deinde S. Agathæ in Regno Neapolit. de quo infra. *Vghell. tom. 1. inter Comen. Epp. & Plodius.*

Moritur doctiſſimus Sac. Palatij Mag. Bartholomæus Spina, relictis ingenij ſui monumentis præclariſſimis, inter quæ *De immortalitate animæ*, contra quoſdam illam negantes. *De vexatione Eccleſiæ.* nec non *De neceſſitate confeſſionis*, & *Contra Striges, & Lutherum*, cui datus eſt ſucceſſor P. Petrus Martyr de Brixia, promouente illum apud Pontificem Card. Badia: at poſt annum deceſſit ætate longæuus. *Lucarinus, & Altamura in Bib. Præd.*

Morte peccatorum æterna (à qua nos liberare dignetur infinita miſericordia Chriſti Ieſu) moritur impius Lutherus ab Heremitano Ordine, Catholica fide, atque Apoſtolica Eccleſia Apoſtata iniquus die 18. Februarij, à Diabolo ſtrangulatus, qui tanquam nouus Lucifer traxit ſecum in perditionem tertiam partem ſtellarum: hoc eſt fideles innumeros in æternum interitum: cum enim in cœna mero inclauiſſet, atque cum Catharina de Borne Moniali concubina ſua quieſceret, ſequenti manè inuentus eſt mortuus, cum antecedenti die coram pluribus aſſeclis ſuis fremens, & tabeſcens, in hæc verba prorupiſſet: *Orate pro Domino Deo noſtro, & eius Euangelio, vt ei benè ſuccedat, quia Concilium Tridentinum, & abominabilis Papa grauiter ei aduerſantur.* O verba totius temeritatis? Quæ maior impietas? Quis enim audiuit vnquam ab homine, creatura in iniquitatibus, & peccatis concepta, orandum eſſe pro Deo, quaſi ipſe hominum orationibus poſsit adiuuari? Ita planè: nam impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet. Reliquit ex ſemine iniquitatis tres filios ex concubina ſuſceptos. Mortuus

eſt

eſt Lutherus, Prædicatorum calamis, tanquam venenatis telis, ad interitum vulneratus: quos *Canes Papiſticos* vocitabat ille: & benè, & optimè, cum ipſi ſint Domini Canes peruigiles, ad cuſtodiendam vineam Domini electam, Eccleſiam ſanctam, à S. P. Dominico conſtituti, vt latratibus ſuis peccatores per pœnitentiam ad Chriſtum attrahant, atq; hæreticos morſibus, per ſacrum Inquiſitionis Tribunal, affligant.

Contra beſtiam hanc magnam, Eccleſiæ S. Dei euertricem peruerſam inſurgentes Prædicatores, & calamos ſuos acuentes, tanquam tela acutiſſima vibrauère primi Iacobus Hoochſtratanusin Germania, in Moguntina, atque Colonien. Diœceſibus Inquiſitor. Romæ Sylueſter Prieras Mag. S. Palatij, & Card. Caietanus, tanquam militantis Eccleſiæ Cardo. Thomas Radinus, Io. Tetzelius, & Io. Bunderius, quos ſequti ſunt Adtianus Polonus Ennen. Epiſcopus, Iſidorus de Inſulanis, Io. Peſſelius, Bernardus Lucemburgius, Gualterius Grauius, Martinus de Fabris, Andræas de Fabris, Aegidius Foſcherarius, Io. Placentinus, Arnoldus Badetus, Corradus Koellin, Guillelmus Parui, Vincentius Giaccari, Io. Huldarici, Euſtachius Sichenius, Clemens Araneus, de Ferraria, Gregorius Natalius, Fælicianus Niguarda, Ambroſius Pelargus, Hieronymus Monopolitanus, Iacobus Caropreſius, Matthæus Ori, Bartholomæus Spina, Dominicus Soto, Ambroſius Catharinus, Hieronymus Muzzarellus, Marcus Laureus, Franciſcus de Victoria, Io. Griſoſtomus de Balneolo: & in Vormatienſi congreſſu de Pontificis Pauli, & Caroli Cæſaris facto, Patres Camillus Campegius, & Thomas Badia Sac. Pal. Magiſter ann. 1540. diſputarunt cum proteſtantibus Lutheranis, Caluiniſtis, Zuinglianiſque hæreticis, & ſcriptis datis, eorundem vaſritiam, malamque ſacræ Scripturæ interpretationem reprobauère. Hi quidem numero 38. viuentem Lutherum ſuis calamis eruditis, tanquam telis acutiſſimis impetière; prædefunctum autem illuſère Titelmannus Sibergen. Io. Brabantinus, Iacobus Nuclantius, Remigius Florentinus, Melchior Moſticenſis, Cyprianus Polonus, Leonardus Polonus, Vincentius de Quintiano, Sanctes Arena, Thomas Eliſius, Thomas Manriquez, Paulinus Bernardinus, Bartholomæus Caranza, Balthaſar Brabantinus, Damianus Aligno, Gaſpar Stefaneſcus, Hyacinthus Suſcius, Iacobus Fourre, Damianus Roſcius, Thomas Layxa, Dominicus Tepiarius, Petrus Coſta, Paulus Griſaldus, Sebaſtianus Cataneus, Iulianus Freſecroau, Antonius Gropſutus, Thomas Iacomellus, Iacobus Hungarus, Io. Viguerius, Io. Paulus Nazarius, Baldaſar Drezelius, Iacobus Lopaticè, Nicolaus Coeffeteus, opuſq; coronat Dominicus De Grauina vir glorioſiſſimus: omnes numero 34. qui cum præfatis 38. aſcendunt ad numerum diſcipulorum Chriſti 72. nobis omnes noti (alijs, qui nô innotuerunt, ommiſſis) & hi pro defenſanda Eccleſia ſancta Dei, atque Apoſtolica Sede calamos ſuos in impium Hæreſiarchā, & ſequaces ſtrinxère, proprijs locis, & annis in hoc opere relati. Qui ſupradictorum, & aliorum contra hæreticos Scriptorum notitiam deſiderat, P. Altamuræ noſtri eruditiſſimam Bibliothecam, hoc anno impreſſam, conſulat.

ANNO 1547. Dominica prima Quadrageſimæ concionem eruditam habuit coram Patribus in Concilio Tridentino congregatis P. Gregorius de S. Iacobo, à Rege Portugalliæ Theologus ad Concilium miſſus. *Lucarin. & Miræus de Script. Eccleſ.*

P. Bartholomæus de Las Caſas Epiſcop. Chiappen. in Indijs ferre non ſuſtinens

nens enormia ſcelera, quæ ab Hiſpanis ſuſtinebant Indi ad fidem conuerſi, nauigauit in Hiſpaniam, vt Carolum Imperatorem, ac Regem, ad opportunum remedium exhibendum excitaret. Interim ad exonerandam conſcientiam ſuam rem voluit, aliquibus euulgatis libris Hiſpanica lingua, vniuerſo Orbi manifeſtare, & receptis ea de re optatis decretis à Carolo, in ſuam Eccleſiam lætus remeauit. *Spondan. ad ann.* 1525. *num.* 30. *Lopez par.* 5.

P. Titelmanus Sibergen. conuentus noſtri Colonien. & Inquiſitor, contra hæreticos viriliter decertabat, contra quos, & Lutherum maximè, varios libros in eius peſſimam doctrinam, & hæreſes, impreſſit. Scripſit enim *De ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, & Adnotationes, atque Appendicem in Enchiridion Ioannis Ecchij.* contra hæreſes. *Luſitanus in Bibliotheca, Lopez par.* 5.

Datum eſt Eccleſiarum quarundam regimen Prædicatoribus, vt inculpatæ vitæ exemplo, verbo, & opere, commiſſas ſibi oues ad ſocietatem Angelorum perducerent. Quare Pontifex Paulus P. Clementē Baleyū S. Theologiæ profeſſorē inclytum præfecit Eccleſiæ Chriſopolitanæ Epiſcopum, & ſuffraganeum Tullen. & P. Iacobum de Sigeſtro Brugnatenſem Paſtorem inſtituit. *Ex Act. Conſiſtorial. eiuſdem Pont.*

P. Thomas Stella Salpen. Epiſcopus in ſeſſ. 6. Concilij Tridentini, facta die Iouis 13. Ianuarij habuit doctam orationem coram Patribus Concilij. *Spondan. num.* 1.

P. Carolus Lainè Carnutenſis eximius Pariſienſis S. Theol. Doctor, atque inuictiſſimus hæreticorum ore, & calamo impugnator, ac perſequutor migrauit à vita mortali, immortalem conſequuturus, depoſito carnis onere in Monaſterio Poſſiacenſi. *Lefebure.*

Henricus VIII. Angliæ Rex perfidus, Apoſtata à Catholica Religione in ſchiſmate moritur Ianuario menſe, quem in vltimis vitæ periodis, ſtimulante conſcientia, dixiſſe fertur ad circumſtantes: *Perdidimus omnia*, hoc eſt vitam æternam, temporalem, Regnum, opes, honores, Papatum prætenſum Anglicanæ Eccleſię, bonam famam, & animam: & verè ſic accidit. *Lefebure.*

Dantur cœlo hoc anno virginitatis bina lilia ante conſpectum Domini ſuauiter olentia, B. Catharina de Raconiſio, & Rafaella de Fauentia; quarum prima, miraculis etiam fulgida, vitam ſanè mirabilem, & Angelicam duxit, flagellis, ieiunijs, mortificationibus, atque ſui corporis carnificinis aſſueta, in meditatione Chriſti Crucifixi aſſidua, atque in charitate erga proximum feruida. Diuinis reuelationibus ſæpè recreata, & Angelos, & Angelorum Regem Chriſtum Dominum alloqui coram promeruit. Spiritu prophetico clara multa prædixit, & ſui felicis ad cœlum tranſitus diem prænunciauit. Raphaella verò de Fauentia fuit vna ex primis fundatricibus celebris Monaſterij S. Vincentij de Prato, cui Prioriſſa pluries præfuit, & præcipuè quando Pratum depopulatum à militibus, vt in plurimùm hæreticis, fuit, à quibus ita ſuis orationibus monaſterium illud ita defendit, vt nulla ex puellis, aut ſacris virginibus ibidem exiſtentibus moleſtiam aliquam paſſa fuerit, cœteris aliorum monaſteriorum à militibus violatis, vt in noſtra hiſtoria de Romana Prouincia diximus: Eius animam in cœlum conſcendentem vidit B. Catharina de Riccis. *Plodius.*

Sacrum Tridentinum Concilium ob graſſantem luem Bononiam translatum eſt, vbi ſeſſio 9. celebranda erat, quæ habita eſt in Eccleſia S. Petronij die Iouis 21. Aprilis, in qua P. Sebaſtianus Leca-

uella

uella Archiep. Naxien. Miſſam cantauit, orationemq; coram Patribus habuit P. Ambroſius Catharinus Epiſcopus Minoren. decreto promulgato ab eodem P. Sebaſtiano Naxien. Archiepiſc. *Spondanus num. 4. & 5.*

Emortalium oculis eripitur hoc anno Card. noſter Thomas Badia, ſapientia, prudentia, ac virtutibus ſpectabilis, cuius opera vſus eſt Paulus III. Pont. ipſoque Authore multa in Tridentino Concilio tractata, ſtabilitaque fuère. De eo in quibuſdam manuſcript. Anonymi Authoris in archiuio Ordinis exiſtentibus, hæc legimus. *Cum Paulus Pont. Magiſtrum Sac. Palatij Thomam Badiam ad purpuram euexiſſet, gratulante Romana Curia, adfuit magni nominis Aſtrologus, qui dixit illi; Bono animo eſto Badia, quia poſt annos plures morieris in Vaticano Palatio in Cathedra D. Petri: & prout prædixerat ille cuncta euenère; nam in Vaticano Palatio in manſione ſibi à Pont. Paulo conſtituta permanens mortuus eſt, & eadem die, & hora qua natus, (nempe 22. Februarij Cathedræ D. Petri ſacra naſcente Sole), anno vitæ ſuæ 64. denatus eſt.* Sic variat fortuna vices, ſic mortales illa deludit. *Plod. Lucarin.*

ANNO 1548. In Orientalem Indiam profecti ſunt duodecim Fratres Prædicatores ex Prouincia Portugalliæ Apoſtolici Miſſionarij, quorum Vicarius erat P. Didacus Permudez, atque in Goenſi Inſula ſuſceperunt quindecim Gentilium in fide erudiendorum oppida: in eaque Eccleſias quatuor erigentes, plurimos ad Chriſtum ſua prædicatione, combuſtis Idolis, attraxerunt; & tempore breui prædictorum oppidorum incolas omnes Chriſto dederunt filios. *Luſitanus in Chronico Ord.*

P. Aegidius Fuſcherarius Bononien. poſt obitum Petri M. Brixien. factus eſt Sacri Palatij Mag. vt Apoſtolicæ Sedi inſeruiret, procurante Card. noſtro Badia, qui cum Card. noſtro de Toledo exercitia P. Ignatij Loiolæ, nunc inter Sanctos relati, recognouit, & approbauit cum laude, ſuo ſuffragio porrecto. Miſſale, ac Breuiariũ ex decreto PP. Concilij Tridentini correxit, & in componendo Catechiſmo Romano cum Leonardo Marino, & Franciſco Forerio ex noſtris plurimùm inſudauit vt dictũ eſt. *Card. Pall. in Hiſt. Concil.*

P. Ioannes de Toledo Archiep. Compoſtellanus apud Dom. Petrum de Toledo Proregem Neapolitanum germanum fratrem ſuum, ob conſeruationem fidei catholicæ in Regno Neapolitano, vrgens, ſacrũ Inquiſitionis tribunal bellorum iniuria iam deperditum reſtituen dum curauit, præfectis eidem noſtris Prædicatoribus, ſicut antecedentibus temporibus fuerat conſuetum. At graui tumultu in nobilibus, & plebe excitato, vix vitæ periculum euaſit Prorex. Quare Carolus V. Imp. ne quid innouaretur præcepit: & ſic euanuit ibi ſacrum tribunal, mulctato populo pecuniaria pœna centum mille aureorum. *Spondan. num. 15.*

Euulgatur liber, dictus *Interim*, Caroli V. Imperatoris, à Pont. Max. improbatus, tanquam præiudicialis catholicæ fidei, contra quem peregregiè ſcripſit noſter Magiſter Generalis Romèus, Concilioque interfuit dum apud Bononiam celebrabatur, in quo inter Patres doctiſſimi viri ſibi nomen comparauit. *Spondan. num. 7.*

P. Franciſcus de Victoria Burgenſis, Doctor præclariſſimus ſcripſit contra ſerpentes, & inualeſcentes huius temporis hæreſes, Relectiones 13. in duos tomos diſtributas, quæ Ingolſtadij, Lugduni, Antuerpiæ, & Venetijs prodière in lucem cum hac prænotatione, *Summa Sacramentorum Eccleſiæ*. Acceſſerunt eiſdem Relectionibus quæſtiones ex ſacrorum Conciliorum decretis, præſertim Tridentini,

& alio-

& aliorum, quæ antea deſiderabantur; idque cura P. noſtri Thomæ à Clauibus: egit in eis *De poteſtate Eccleſiæ*, & *De poteſtate Concilij*, & ad tantum Magiſtrum tanquam ad oraculum ex totius chriſtiani orbis partibus morales quæſtiones, difficiliumque rerum conſultationes deferebantur. *Poſſeuin. & Luſitan.*

Paulus Pontifex commiſſi ſibi gregis ouium Chriſti curam Prædicatoribus in diuerſis Eccleſijs tradidit; & quidem Eccleſiæ Brugnatenſis P. Antonio ex Comitibus Lucurri. Oppidenſis P. Thomæ Caſellio ex Bertinorien. translato, & Modruſienſis P. Alberto Duimio de Cattharo, qui relegata omni auaritia ſibi commendatos populos per viam pacis dirigere in cœlum conati ſunt. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Petrus de Soto Theologus præſtantiſſimus, qui plura opera contra Lutherum, eiuſque aſſeclas euulgauit, cum eſſet Cæſari Carolo V. à ſacris confeſſionibus, oblatas Infulas virili pectore reſpuit, & Auguſtanam confeſſionem, Auguſtæ factam, vt tolerandam cenſeret, adduci non potuit: Hæc autem Auguſtana confeſſio liber erat ſex capita complectens: *Interim* vocatus, ab hæreticis, vſquequò Generale Concilim aliter decerneret obſeruandus. Petrus verò derelicto Cæſare in cœnobium ſuorum Fratrum ſe recepit, malens in paupertate vitæ cœli diuitias ſibi comparare, quàm inter mundanas vanitates æternæ glorię bona omnia amittere. *Fernandez.*

ANNO 1549. P. Michael Ghiſlerius, vt tunc vocabatur (nunc verò B. Pius V.) apud Comum in Lombardia hæreticæ prauitatis Inquiſitor, erroribus apud Griſones ſubortis validè ſe oppoſuit; & apud Chiauennam; nec non & præcipuè Barbaſiam, inſurgentibus, vbi Lutherani ſuum virus affundebant, catholicæ fidei puritatem maculare contendentes. Ad hæc loca clam acceſſit non ſine graui vitæ propriæ periculo Michael, ſtatū catholicæ fidei ibidem exploraturus; nec nō & hæreticorum conuenticula percepturus. Miſerunt Ghriſones Comum duodecim ſarcinas librorum, hæretica Lutheri, & aliorum toxica continentium, vt in Mediolanenſi ſtatu, & Italia tota diffuſi, indoctorum mentes inficerent, quos Inquiſitor apud mercatorem retineri iuſſit ſequeſtratos. Appellatione à mercatore ad Vicarium Capitularem eiuſdem ciuitatis (erat enim tunc illa Eccleſia viduata Paſtore) facta, iuſſit ille ſarcinas reddi. Tunc S. Inquiſitor Vicarium, cum ei adhærentibus Canonicis citauit ad dicendam cauſam coram ſe, qui cum non ſolum comparere renuerent, verum etiam mortem illi inferendam comminarentur, eos excommunicationis vinculo innodauit, ſimulque ſacram Congregationem Cardd. S. Officij in Vrbe de ſucceſſu monitam eſſe voluit, quæ Vicarium cū Canonicis Romam ad dicendam cauſam ſuam euocauit. Hęc vbi Comi fuère nunciata, maxima facta eſt ſeditio contra Inquiſitorem, cui cū grauiores iniuriæ inferrentur, illas pro Chriſti gloria, fideique catholicæ defenſione infracto animo ſuſtinebat Michael. *Catena in vita Pij V.*

P. Io: Faber Heilbrunenſis Sac. Theologiæ Magiſter, & hæreticorum hoſtis acerrimus ſcripſit contra deliramenta Lutheri, *De Miſſa Euangelica*, libros 5. nec non & *Enchiridion Bibliorum*, libros impreſſos Auguſtæ, & Coloniæ. *Mirreus de Script. Eccleſ.*

P. Ioannes Peſſelius Tilæ in Geldria natus, Prouincialis Germaniæ, epitomen operum S. Auguſtini ab hæreticis vitiatam, atque impreſſam recognouit, correxit, & tomo vno à ſe auctam in illorum confuſionē hoc anno prælo dedit. *Mirreus de Script. Eccleſ.*

Cum S.R.E. Cardinalis Otho de Tru-

xes

xes Auguſtæ Ep. Academiam Dilinge inſtituere decreuiſſet, vt labentem catholicam fidem ibidem conſtabiliret, primariam Theologiæ cathedram P. Petro de Soto obtulit, vt graſſentem illic hęreſim extirparet. De quo Card. Hoſius ait. *F. Petrus de Soto ſcholæ noſtræ Dilingæ primarius Moderator vitæ Sanctitate celebris fuit &c.*

Apud Orientales Indos hoc anno, & ſequentibus in inſulis, Solor, Lamalla, Ende, in Inſula grandi, & in tractu Malacenſi PP. Prædicatores adeo fructuoſe verbum Dei annunciauère, vt ſexaginta millia gentilium ad Chriſti gregem adduxerint. Ad quos in fide erudiendos decem & octo Eccleſias cum conuentibus Ordinis conſtruxère. Plures quoque Regulos, Principes, & Dominos ſacro lauacro abluère per ſpatium circiter leucarum centum diſcurentes, & euangelizentes verbum Dei vbiqe. *Luſitan. in Chron.*

Apud Occidentales autem non ſegniores erant in promulgatione euangelij noſtri Prædicatores; nam hoc anno conuenientes in ciuitate Regum Peruanæ Prouinciæ pro Prioris Prouincialis electione, ea peracta in perſona viri præſtantiſſimi P. Thomæ de S. Martino de catholica Eccleſia optimè meriti, bini & bini ſecedentes, in varias Regni illius partes, & in montana præcipuè, pro incolarum conuerſione ad Chriſtum, vberrimos fructus Eccleſiæ dedère; quod cum Peruanus Prorex Catholico Regi Philippo nunciaſſet, reſcripſit eidem Rex in hunc modum die 16. Iulij ſequentis anni 1550. *Eſtà bien lo que dezis, que deſpues de auerse iuntado en eſta Ciudad de los Reyes los Religioſos de S. Domingo en el Monaſterio, que en ella tien, è hauer eligido por Prouincial al Maeſtro Fray Tomas de S. Martin, ſe repartieron los Religios de la dicha Orden de dos, en dos, para doctrinar, y enſennar los Indos en nueſtra Religion Chriſtiana, y ſè Catholica; terneis cuydado de ſaber como lo hazen los dichos Religioſos, y de fauore zerlos, para que proſigan tan buena obra.* Gonzalez de Acunna in Relat. Prou. Peruanæ fol. 171.

P. Ambroſius Catharinus Politus Senenſis ſcripſit, ſeu potiùs publicauit eruditiſſimum librum contra errores Bernardini Ochini hæreſiarchæ, Franciſcanæ profeſſionis apoſtatæ Lucenſis, & contra Martinum Lutherum, in quo vtriuſque errores doctiſſimè confutauit, & propalauit. *Plodius de Script. Ord.*

Cœlitibus ſocios dedit Dominicana Religio hoc anno B. Dominicum Betanzos, & P. Franciſcum de Maiorica, quorum prior diù apud Indos in Inſula Hiſpaniolæ pro Gentilium conuerſione permanſit: promotus deinde ad regimen tribunalis S. Inquiſitionis, Maxicanus Inquiſitor creatus. Ieiunijs, & abſtinentijs aſſuetus, pane, & aqua vel elixato pane contentus, etiam cilicijs, & diſciplinis macerabat corpus, vt illud in ſeruitute contineret. Multa pro fidei catholicæ dilatatione, & conſeruatione pertulit. Romam ad Clementis VII. pedes acceſſit Vrbis Indulgentias conſequuturus, à quo tanquam Apoſtolus Indorum benignè acceptus, ſacris donarijs auctus, dimiſſus eſt cum Apoſtolica benedictione ad Indos reuerſurus: & tandem cum bonum certamen annis multis certaſſet, ætatis pondere grauatus, repoſitam ſibi coronam conſequuturus migrauit ad Dominum, tanquam Apoſtolus, & Sanctus ab Indis honoratus. Alter erat vnus ex tribus Religioſis Miſſionarijs, qui apud Indos Prouinciam de Guatimala fundauerunt, & Idololatras illos ſuis pręedicationibus ad agnitionem veritatis fidei catholicæ adduxerunt; qui annos plures in vinea Domini apud Indos, & in Mexico maximè, laborauit, & laboribus fractus, prædicto ſui obitus die, quieuit in pace hoc eodem anno, quo B. Dominicus ſupradictus, à quo

habitum Religionis ſuſceperat. *Plodius*.

ANNO 1550. Vacante Apoſtolica Sede, electus eſt Pontifex 6. Id. Februarij Io: Maria Card. de Monte Iulius III. dictus, qui ſuæ coronationis inſignia ſolemni ritu ſuſcepit die Cathedræ Antiochenæ S. Petri, & biduò poſt conſtitutionem edidit, qua declarauit annum Iubilæi à vigilia præteriti Natalis Domini incepiſſe, eademque die S. Mathiæ ſacra Portam Sanctam reſerauit apud Vaticanam Baſilicam. *Spondan, num.* 1.

Iulius hic primus omnium conſtitutionem euulgauit ad inſtantiam noſtri Card. F. Ioannis de Toledo, aliorumque Cardd. Sacræ Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis, occaſione librorum ſequeſtratorum à P. Michaele Ghiſlerio Inquiſitore Nouocomenſi anno antecedenti, quà vetuit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne quis apud ſe retinere, vel legere auderet libros hæreticorum, ſeù hæreſim continentes, ſeù ſapientes, cauſa commiſſa Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis contra eos procedendi; vnde omnes hæreticorum libri quotquot inueniri potuerunt diligentia noſtrorum Inquiſitorum in Italia, igne publico conſumpti ſunt, multi, & multi. *Spondan, num.* 3.

Hoc anno multa mala paſſus eſt propter S. Inquiſitionis officium P. Michael Ghiſlerius apud Comum. Nam quadam die cum per ciuitatem incederet ſui muneris cauſa, puerorum multitudo (plebe vrgente, inter quos procaciores erant eiuſdem vrbis adoleſcentes), poſt atroces iniurias, lapidibus quoque ad mortem S. Inquiſitorem impetière, qui in domum D. Bernardi Odeſcalchi, nobilis Nouocomen. familiaris S. Officij ſe recipiens, mortis periculum vix euaſit, ipſo in eos audacter inſurgerente. *Catena in vita B. Pij V.*

In Germaniam P. Petrus de Soto Carolo V. Cæſari à ſacris confeſſionibus primariæ cathedræ Vniuerſitatis Dilingæ Regens, aduerſus hæreſes calamo, ſcriptis, lucubrationibuſque validiſſimum ſe murum oppoſuit, & in Ioannem Brentium fidei glorioſos triumphos aſſequutus eſt. Scripſit namque *Aſſertionem fidei Catholicæ*, contra ſingularem Brentij confeſſionem, Item librum *Contra confeſſionem Vuithembergenſem*, Item *Compendium Catholicæ doctrinæ*, & *Methodum confitendi*, in quibus argumenta hæreticorum feliciter eludit, eorumque impia dogmata optimè confutat. *Fernandez*.

P. Io: Slotanus Geſſenſis ſcripſit librum Sanctorum Patrum doctrina, & eruditione refertum contra Lutherum, eiuſque ſequaces, *De Retinenda Fide Catholica*, *De Baptiſmo*, & *De Ieiunio*, nec non conciones multas habuit circa eandem materiam. *Mirræus de Script. Eccleſ.*

Præficiuntur hoc anno multi ex Prædicatoribus diuerſis Eccleſijs, vt illorum populos viam mandatorum Dei edocerent, atque ad cœleſtem patriam dirigerent. Card. F. Io: de Toledo Archiep. Burgen. transfertur ad Eccleſiam Compoſtellanã. P. Thimoteus Iuſtinianus promouetur ad Arien. in Creta. P. Leonardus de Marinis ad Laodiceen. Suffraganeatumq; Mãtuanũ P. Io: Alber. ad Tripolen. Suffraganeatumque Halberſtadien. P. Matthias Bandellus ad Agennen. P. Angelus Bragadinus ad Vicentinam. P. Thomas Caſellius ad Cauen. & P. Egidius Fuſcherarius S. Palatij Magiſter ad Mutinen. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Vghello*.

P. Hieronymus Muzarellus conſtitutus eſt Magiſter Sacri Palatij in locum P. Aegidij Fuſcherarij ad Mutinen. Eccleſiam promoti, qui hebraicæ, atque Græcæ linguæ peritiſſimus, in multis Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit. *Lucarin.*

Sebaſtianus de Guſman, Io: Strata Proregis Mexicani filius, & Franciſcus de Cerda ex Comitibus de Cabra, vt ſibi

man-

Digitized by Google

manſiones in cœlo pararent,ſpreto viriliter ſæculo, Ordinem Prædicatorum profitentur. *Lefeburè*.

Glorioſi Chriſti confeſſores cœlum conſcendère B. F. Gonzalez de Lucero, Benedictus Fernandez, & Dominicus de S. Anna, qui omnes Apoſtolici Miſſionarij apud Indos, Miſtecam linguam edocti, innumeros Gentiles ad S. Fidem Catholicam ſacris prædicationibus, atque inculpatæ vitæ exemplo adduxerunt, tanquam noui Apoſtoli de cœlo dati, à populis illis in veneratione maxima habiti: & præſentis vitæ curſu in Dei ſeruitio lætanter expleto, migrarunt hoc anno ad Chriſtum. *Plodius*.

Cum noſtri Patres apud Indos multitudinē copioſam ex illis populis catholicæ fidei ſociaſſent, Eccleſias, Parochias, & conuentus in eorundem ſalutem fundaſſent, viſum eſt illis, ac P. Thomæ de S. Martino Prouinciali Peruano pro eadem magis conſtabilienda ſacrarum literarum ſtudia, ad inſtar Salamantinæ Vniuerſitatis, in conuentu noſtro Ciuitatis Regum, erigere. Ea propter idem P. Prouincialis ad Cæſarem Carolum V. acceſſit, & ſubſequuturum bonum maximum ex talis ſtudij fundatione expoſuit, cunctaque pro voto impetrauit, expedita ad hoc Regia Cudula 12. Maij ſequentis anni 1551. Anno autem 1554. poſt impetrata ab eodem Carolo multa priuilegia in Indorum ad fidem conuerſorum commodum, reuerſus eſt Thomas in ſuam Peruanam Prouinciam, & anno 1557. Vniuerſitatem cum eiſdem priuilegijs ampliſſimis Salamantinæ, fundauit, inſtituit, ac erexit, maximo cum fructu diuinæ cognitionis apud populos illos. *F. Ant. Gonzalez de Prou. Pyru fol.* 44.

ANNO 1551. In Occiduo orbe, in noua Hiſpania P. Dominicus de Annunciatione cum ſocijs ſuis pluribus Prædicatoribus, populum innumerum Eccleſiæ ſanctæ aggregauit per ſacrum baptiſma, idololatria, & ſuperſtitionibus exterminatis; & inter cœtera deſtruxit duo famoſiſſima Idola apud oppidum Tepuztlan vnum, & in Texcucingo aliud, quæ apud populos illos tanta veneratione adorabantur, vt ex remotiſſimis quoque regionibus, per trecentas, & amplius leucas ad illa, voti cauſa, confluerent cum muneribus prætioſis. *Dauila lib.* 2.

Moleſtias non modicas patitur P. Michael Ghiſlerius (nunc Beatorū confeſſorū choro adſcriptus B. Pius V. dictus) ratione tribunalis S. Inquiſitionis, apud Comum exercitæ. Nam denunciatus apud Gubernatorem Mediolanen. tanquam pacis communis euerſor, ac perturbator Eccleſiaſtici iuris, aliò abire fuit coactus, inſtructis apud Barlaſſinam inſidijs in eum ad mortem. At Deo dirigente, variato itinere Mediolanum venit, vbi à Gubernatore malè tractatus, prohibito ſibi regreſſu ad Nouocomenſem ciuitatem, in Vrbem ad Pontificis pedes properauit, vbi cauſa expoſita, & diſcuſſa, ex Pontificis decreto Comum ampliori Apoſtolica auctoritate munitus iterum directus eſt, acceſſurus ad Griſones ob nouum Epiſcopum inter eos conſtituendum, ad quos P. Michael (inconcuſſo pectore, publicè, & palam, in proprio Ordinis habitu) licèt hæreticos perfidos noſſet ſibi infenſiſſimos, acceſſit, & Pontificia mandata fideliter corde impauido adimpleuit. *Catena in eius vita*.

Pontificijs mandatis inter Griſones feliciter à Ghiſlerio adimpletis, grauiora ſibi à Congregatione Cardinalium S. R. & Vniuerſali Inquiſitionis demandata exequuturus, Bergomum petijt, poceſſum in Victorem Sorantium, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, de hæreſi vehementer ſuſpectum, formaturus. Negotium profectò magni ponderis, difficile nimis,

Digitized by Google

ac ſatis ſuperque periculoſum propter auctoritatem, qua ibidem præerat Victor. Ciuitatem ingreſſus Michael, & ad Ordinis cœnobium pedeſter declinans, breui temporis interuallo proceſſum in Epiſcopum formauit. Quo audito Victor infremuit contra ſanctum Inquiſitorem, & cómota in eum plebe, armata manu ad conuentum acceſſit, vt illum trucidaret. At diuina ope furorem Epiſcopi Fratrum auxilio euaſit Michael, & in Vrbem cum proceſſu venit, vbi Victor Epiſcopali dignitate priuatus, velut hæreticus à Pontifice Max. declaratus eſt. *Catena*.

P. Petrus Dorè de conuentu Bleſenſi in Pariſienſi Vniuerſitate doctor inſignis, atque diuini verbi in tota Gallia prædicator famoſus, hæreticorumque impugnator, ac hoſtis acerrimus, ſcripſit gallicè in commodum ignaræ plebis libros plures *Contra Caluinum* ex quibus vnus prænotatur *Caluiniſmus*. Item alterum prænotatum *Turtur viduitatis*, ſiue, de tribus Eccleſiæ ſtatibus virginum, nuptarum, viduarum. *De ſacrificio miſſæ*, & plura alia quæ Poſſeuinus ſummopere commendat. *Gozeus*.

Cum P. Bartholomæus de las Caſas renunciaſſet Eccleſiam propriæ quieti cóſulturus, nominante Carolo 5. Pontifex Iulius præfecit Eccleſiæ Compoſtellanæ Card. Ioannem de Toledo, ciuitatiq; Regali in Inſulis de Chiappa Thomam Caſillam Apoſtolicum ibidem Miſſionarium, qui in conuertendis illis Idololatris pluriùm inſudauerat, & Archiep. Mexicanæ dedit Paſtorem P. Alphonſum Montufar. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Idem Iulius Pontifex dedit Stagnen. Eccleſiæ in Dalmatia præſulem P. Petrum de Boſſo S. Theolog. Magiſtrum. Eccleſiæ autem Abellonen. in partibus infidelium P. Stephanum Paris, factum Suffraganeum Card. Rothomagen. Archiep. *Ex eiſd. Act.*

Euehitur ad purpuram à Iulio III. Pôt. Max. P. Petrus Bertanus Mutinenſis, Epiſcopus Fanen. vir Apoſtolica Legatione ad Cæſarem Carolum V. pro congregatione Concilij Tridentini glorioſè perfunctus, cui de mandato Pauli Papæ III. interfuit, conſpicuus, & inter Theologos ſui ſeculi nemini ſecundus, apud Chriſtianos Principes in veneratione habitus, atque apud Romanam curiam, & Cardinales collegas tantæ æſtimationis habitus, quòd defuncto Iulio tot Cardinalium vota ad Papatum ſit conſequutus, vt parùm abfuerit, quin eueheretur ad Sedem, inquit Vghellus. Romæ deceſſit ſeptimo ſuæ purpuræ anno, apud S. Sabinam tumulatus. *Vghellus tom. 1. Ital. Sac. inter Epp. Fanen.*

Prætioſum munus ſuum direxit in cœlum Dominicana Religio hoc anno, B. Ioannem Miconem de Valentia, qui cum ibidem eſſet Prior, ad Ordinis habitum S. Ludouicum Bertrandum recepit. Vitæ ſanctitate ita floruit Micon, vt ad ipſum tanquam ad ſanctitatis oraculum confluerent populi. Tantæ corporis mortificationi deditus, vt illud quotidianis flagellis, cilicijs, cateniſque ferreis penè opprimeret. Tandem miraculis corruſcans euolauit ad Dominum, à S. Ludouico Bertrando ſanctus communi vocabulo dictus. *Plodius*.

Dum in negotio Epiſcopi Bergomen. detineretur apud Bergomum P. Michael Ghislerius Inquiſitor Nouocomen. deceſſit in Vrbe Theophilus de Tropeia primus Commiſſarius Generalis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis; cumque aliqui ſpectatæ virtutis noſtri Religioſi in demortui locum proponerentur, Cardinalis Carafa cum Card. Carpenſe P. Michaelem Ghislerium obtulerunt Iulio Pontifici pro eo munere adminiſtrando, qui benignè Cardinalium votis annuens, eum Generalem Commiſſarium S. Inquiſitionis,

nis creauit, virum ſanè digniſſimum, qui in Vrbem veniens demandato ſibi oneri humeros applicuit ſingulari cum catholicæ fidei incremẽto, vt dicetur infra. *Gabutius*.

Mittuntur à Maria Regina Hungariæ ex Louanien. Gymnaſio ad ſacrum Tridentinum Concilium in tertia eiuſdem aperitione à Iulio III. facta aliqui inſignes Theologi, & inter eos P. Io: Valerius Flander, vir theologica facultate, atque eccleſiaſtica eruditione famoſus, de quo Abbas Michael Iuſtinianus in ſua hiſtoria Concilij Thrident. ſub Iulio III. ind. 3. fol. 379. Acceſſère inſuper ſub eodem Pont. ad Conciliũ alij ſpectatæ doctrinæ viri Patres Reginaldus de Genua Prior S. Laurentij Tridenti Deſiderius de Verona in dicta Eccleſia annualis concionator. Aloyſius ſuppa de Catania Teologus, familiaris, necnon & Vicarius Generalis Archiep. Panormitani, qui tunc temporis Prouinciam Siciliæ gubernabat, illius Prouincialis effectus, & Agrigentinus Epiſcopus tandem creatus. Bernardinus de Colloreto Foroliuien. Theologus Epiſcop. Ceneten. Didacus de Chiaues Hiſpanus ſocius noſtri Cano; & Petrus Paulus Iannerinus Aretinus Theol. & familiaris Catanien. Epiſcopi, quorum doctrina, pietas, atque virtutes plurimùm Catholicam Eccleſiam condecorauère. *Pallauicin. & Abb. Iuſtin. in hiſt. Concil. Trid.*

P. Mag. Io: Bundèrus Gandau. Inquſitor, præter ſupra recenſita, inpræſſit Louany: *Selectionem nugarum Luheri, & Confutationem dogmatum Lutheranorum*, opus tanto Magiſtro dignum, hæreticiſq; exoſum. *Bibliot. Belg.*

ANNO 1552. P. Dominicus à Vico fuit vnus ex primis Apoſtolicis Miſſionarijs Fratribus noſtris, qui apud Prouincias Guatemalæ, Chiappæ, & Veræ pacis EuangeliumChriſti annunciauère, ſingulari illorum Gentilium felicitate, atque vtilitate, plurimis Idolorum debubris extirpatis. Cum autem maximam eorumdem multitudinem ad catholicam fidem per Baptiſma perduxiſſet, & in dies perduceret, atque in euerſione Idolorum totus eſſet, ab aliquibus, id indignè ferentibus ſagitis confuſſus, ſanguine ſuo Chriſtianam diſciplinam ſanxit, victor gloriorus. *Fernandez, & Lopez.*

Apud Orientales Indos Regis Portugalliæ P. Ignatius de Purificatione Apoſtolicus Miſſionarius, vir religioſiſſimus, atque ſalutis animarum cupidiſſimus, cũ per multos annos in ſacro euangelio prædicando, atque Idolatras conuertendo ad Catholicam fidem plurimùm inſudaſſet, tandem die S. Bartholomæo Apoſtolo ſacra concionem habens ad populum clara voce populo audienti dixit; *Tempus reſolutionis meæ inſtat*, illique vale dicens, atque in cellam ſe recipiens, ſtatim in fébrim incidit, & tertio die, vt piè creditur, perrexit in cœlum, vir verè Apoſtolicus. *Luſitan. in Chron.*

Magiſter Ord. Romèus obtenta à Pontifice licentia diſcedendi ex Concilio Tridentino Generalia Ord. comitia celebraturus apud Salmanticam anno præcedenti, iterum ad Concilium reuerſus eſt iubente Pontifice: Verùm cum ex decreto Iulij Papæ ſuperſediſſent Patres per aliquod tempus ab illius congreſſibus, in Vrbem rediens Romèus, ibidem compleuit dies ſuos, apoplexiæ ictu percuſus. *Plodius*.

Promouetur P. Ambroſius Catherinus Senenſis Minoren. Epiſcopus ad Archiepiſcopatũ Compſanum, vir egregius, hæreticorumque perſequtor in defeſſus, de quo ſequenti anno in Vrbem à Iulio Pont. vocato, vt purpuram, ſicut promeruerat, conſequeretur, Neapoli apoplexia percuſſo, & mortuo, Spondanus in Annal. Eccleſiaſt. hæc ſcribit, inter viros doctiſſimos,

ctiſſimos, qui hoc anuo obière, *F. Ambroſius Catherinus Senenſis Ordinis Dominicanani, Lutheri Antagoniſta factus Epiſcop. Minoren. ſcriptis item, & diſputationibus, Tridenti factis, nobilis &c.* Spondan. nu. 20.

Item aſſumuntur à Iulio Pontifice ad cuſtodiendas oues Chriſti in diuerſis Eccleſijs ſequentes ex Prædicatoribus. PP. Gregorius Siluius ad Tagaſten. Suffraganeuſque fit Leodien. Georgius de S. Iacobo ad præſentationem Regis Portugalliæ ad Angren. Melchior Cano Theologorum pręſtantiſſimus ad præſentationẽ Caroli V. ad Canonien. & ad ſuplicationem eiuſdem Caroli, Pontifex erexit oppidum de la Plata in prouincia de las Carcas in inſulis Indiarum maris Oceani in Ciuitatem, & in ea Cathedralem Eccleſiam ſub inuocatione B. Marię Virg. cui Epiſcopum præfecit P. Thomam de S. Martino, vt gentiles illos in fide erudiret, & baptizaret. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Damnatur tanquam ſuſpectus de Hereſi ob lectionem librorum hęreticalium à Iulio III. Pont. Victor Suparantius Bergomen. Ep., cauſa & inquiſitione contra eum, etiam cum vitæ diſcrimine, à P. Michaele Ghiſlerio Nouocomen. Inquiſitore facta: ſuſpenſus ille à regimine Epiſcopali, atque Pontificalium exequtione. *Catena in vita B. Pij V.*

Caput VIII.

P. STEPHANO VSVS MARIS Magiſtro Generali XLVI.

ANNO 1553. Congregati ſunt Patres in Conuentu Mineruæ pro Magiſtri Generalis, electione habenda, in qua ſalutatus fuit ex vnanimi Patrum cõſenſu, ac voto Magiſter Ordinis P. Stephanus Vſuſmaris Genuenſis, cum eſſet eiuſdem Procurator, ac Vicarius Generalis Apoſtolicus, qui regularem obſeruantiã in multis conuentibus promouit. Ordinis priuilegia in vnum redacta, impreſſit. Apoſtolica auctoritate Marchianam nationem in Vicariam erexit, cui proprium Vicarium præfecit. Ordinem rexit annis quinque; quem tamen non viſitauit, infirma ſemper vſus valetudine. Romæ deceſſit 3. Maij anno 1557. ante gradus maioris Aræ conditus. *Plodius*.

PP. Thomas de Cerdone, Franciſcus de Cruce, Albertus Vaillo, Sebaſtianus Omedo, Petrus de Auila, Hemnandus Serrano cum pluribus alijs ſocijs, zelum Dei habentibus, ad Occidentales Indos properarunt, anteceſſoribus ſuppetias allaturi in apoſtolico prædicationis Euãgelij miniſterio, atque ad gurgitem dulcem propè Coban applicuerunt in columnes. *Lefeburè*.

Eodem anno F. Ioanne Card. de Toledo Compoſtellano Archiepiſcopo inſtante, Congregatio S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis comburi publicè fecit; idque ab omnibus Inquiſitoribus fieri voluit, Thalmud Hebræorum, tam Hieroſolymitanum, quàm Babylonicum, edicto emiſſo ne quis tales libros apud ſe retinere auderet ſub grauibus pœnis, promulgato decreto Romæ 12. Setembris. *Luſitan.*

P. Io: Slotanus Geffenſis (qui vicus eſt altero lapide à Silua Ducum) Doctor, & Inquiſitor Louanien. de quo ſupra anno 1550. ſcripſit etiam contra ſui temporis hæreticos, & deliramenta. *De myſterio Diuinæ Incarnationis, noſtræque Redemptionis*. Item opuſculum: *De Dei virtute, & Eccleſiæ inſuperabili potentia lib.* 5. nec non & librum diſputationum contra Iuſtum

Vel-

Digitized by Google

Velſium Coloniæ publicatum. *Mirræus in Bibliot.*

Aſſumuntur ad gubernium Eccleſiarum cum omnibus eiſdem annexis etiam hoc anno Prædicatores in varijs Chriſtiani orbis partibus: & quidem ad Albanen. in diſtrictu Vrbis Card. F. Io: de Toledo. ad Compſanam Archiep. P. Hieronymus Muzarellus S. Palatij Mag. poſt multorum annorum fidele præſtitum obſequium Apoſtolicæ Sedi: ad Auricen. in partibus infidelium P. Ambroſius Butigella ex Melitenſi Inſula, de Prouincia Siciliæ. P. Auguſtinus Saluagus ad Accien. in Corſica: & P. Bartholomæus de Mirandula ad Citren. in partibus infidelium, cum facultate exercendi pontificalia in Mantuana Eccleſia, eiuſque Diœceſi; & P. Petrus Paulus Gianerinus fit Magiſter Sacri Palatij in locum Muzarelli ad Compſanam Eccleſiam euecti. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Iulij III. Pont.*

Hoc anno reſtituta eſt Catholica fides in Anglia, Maria Henrici ex Catharina Hiſpana filia, Catholicæ Religionis ſectatrice eximia Regnante, atque P. Bartholomæo Caranza procurante, qui apud Reginam ipſam multum valuit, itaut ſuprema manu in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis rebus fungeretur, maximo cum catholicæ fidei incremento. Difficultates ſubortas ad recipiendum Apoſtolicæ Sedis Legatum paccauit, indefeſſèque laborauit, vt Regnum illud ad obedientiam S. R. E. reuerteretur. Egit quoque, vt incruenti Sacrificij Miſſæ cultus reſtitueretur, & hac occaſione *Inſtructionem ad audiendã Miſſam* euulgauit Anglicano idiomate. *Lopez p. 5.*

P. Benedictus Filicaia nobilis Florentinus antecedentibus duobus annis Generalis Vicarius Fratrum ſocietatis Peregrinantium in Oriente propter Catholicam fidem dilatandam, cum in eo negotio multum profeciſſet, in Capitulo Generali hoc anno in Vrbe celebrato, fuit in eodem munere ad alium biennium confirmatus. *Ex Actis eiuſdem Capit.*

Erudītiſſimus Mag. & Gandauenſis Inquiſitor Io: Bunderus de quo ſupra hoc anno impreſſit librum *De Baptiſmo* cōtra Memnonem Anabatiſtam Louany, qui iterum Pariſijs, tanquam optimus 1574. cuſus eſt. *Bibliot. Belg.*

Deligitur Inquiſitor Toloſanus P. Spiritus Roteruo ſalutis animarũ cupidus, doct. vſq; Magiſter in tantis hæreticorũ preſſuris, quibus Galliæ Regnũ vexebatur, qui demandatum ſibi onus inflexibili conſtantia adminiſtrans; in perturbationibus maximis Toloſanæ ciuitati ab impijs hæreticis illatis, anguſtiatus, afflictus, delutatus, irriſus, & omnium peripſema factus, contra eos plures doctos, & eruditos libellos, vt nutantia catholicorum corda in fide ſolidaret, & hæreticos ad eandem reuocaret, euulgauit. Et cum ex officio contra eos procedèret, infracto animo, ſub excommunicationis latæ ſententię pœna reuelationem hæreticorum præcepit. Annos ſupra quindecim multipliciter vexatus ſacrum tribunal in concuſſo animo rexit, tandemq; ne peiora damna videret gentis ſuæ, & Sanctorum, vocatus eſt à Deo in æternam requiem, ad quam properauit capularis ſenex. *Ex Archiu. Toloſano.*

ANNO 1554. Mittuntur & hoc anno Apoſtolici operarij ex Hiſpania ad Occidentalem Eccleſiam excolendam, viri zelum Dei habantes, & ſalutis animarum cupidiſſimi (quibus datus eſt Vicarius, & Præſes P. Hieronymus de S. Vincentio) Petrus de Variales, Io: Luco, Antonius de Pampilona, Antonius de Villalua, Io: Cepeda, Petrus de Varientos, Io: Bertran, Antonius de Viuanco, Thomas de Victoria, Blaſius de S. Maria, Franciſcus de Villanoua,

Bartho-

Bartholomæus Gualuez, Antonius Sanchez, Procopius de S. Margarita, Alphonſus de Nieua, Mancius Hiſpanus, & plures alij, qui omnes ſecundis ventis ad Cazaguaſtreanum appulerunt, eorumque plures in Prouinciam de Zoques penetrarunt. *Lefeburè*.

Eodem anno Ianuario menſe Oratores Caroli Imperatoris in Angliam properantes, poſt aliquot dies nuptias Philippi eius filij cũ Regina Maria conſtabilière.

P. Bartholomæus Caranza noſter ab eodem Rege, & Regina adamatus, & Catholicæ Religionis in Anglia reparator, ac reſtitutor inſtitutus, plures hæreticos igni tradidit, oſſa Thomæ Craneri Archiep. Cantuarien. per carnificis manus cremari publicè fecit, idemque præſtit de oſſibus vxoris Petri Martyris hæreſiarchæ. Eiuſdem Bartholomæi diligentia Academijs Regni præfecti ſunt Doctores præſtantiſſimi Catholici, & Oxonien. inſignem Vniuerſitatem, eiuſque Collegia, quæ tredecim erant, expiauit; Religioſorum Monaſteria, & Ordinis noſtri præcipuè, eiſdem reſtitui voluit, & tria nobilia nouiter à fundamentis erexit copioſis redditibus aucta à Regibus ipſis. *Lopez part. 5.*

P. Stephanus Paris Aurelianenſis Gallus, Epiſcop. Abellonenſis ſcripſit ad versùs fidei hoſtes, Lutherum, Caluinum, Zuinglium, & ſequaces prolixam expoſitionem ſuper illud Ioannis, *Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Sixtus Senen.

P. Io: Baptiſta Luſitanus Batallenſis, inſulæ S. Thomæ apud Affricanam oram Epiſcopus factus cum duodecim ſelectis Fratribus noſtris ex Prouincia Portugallenſi ad prædictam Inſulam nauigauit, ibique in extirpandis Idolis, atque ſuperſtitionibus euertendis plurimùm cum eiſdem infudauit, hi imminentem ſibi mortem ſpreuerunt viriliter, vt filios catholicæ Eccleſiæ darent, quos innumeros tandem ex Euangelij prędicatione eidem peperère. *Cazega*.

P. quoque Franciſcus de Macedo ex eadem Prouincia Portugalliæ verbi diuini gratia excellens, & velut tuba Dei ſalútis clangorem emittens in Orientalibus Indijs Portugallię Coronę ſubiectis, mirabiliter in vinea Domini profecit, Idololatras ad verum Dei cultum reuocando labore indefeſſo, in quo vſque ad mortem laborans, æternæ gloriæ refectionem à Deo promeruit. *Luſitan. in Chron.*

Eodem anno P. Leonardus de Marinis Laodicenſis Epiſcopus, prudentiæ, atq; ingenij vir inſignis, à Iulio III. Pontifice Nuntius Apoſtolicus ad Hiſpaniæ Catholicum Regem miſſus eſt, qui Philippum Caroli V. Imperatoris filium, in Angliam ad Mariam Reginam matrimonio ſibi iungendam transfretantem ſolemni ritu benedixit, immunitatemque Eccleſiaſticam in Hiſpaniarum Regnis periclitantem, ſua prudentia aduersùs Conſiliarios quoſdam Regios ſuſtinuit, & eximiè defendit. Prælatos, & Capitulares inter ſe diſſidentes ſua auctoritate compoſuit, curauitque, vt Concilij Tridentini decreta ſub Paulo, ac Iulio III. emanata, illibata ſeruarentur. *Vghell. inter Ep. Alben. tom. 4. Ital. Sac.*

ANNO 1555. P. Bartholomæus Caranza viriliter laborabat in Anglia pro conſtabilienda in eo Regno catholica fide, hæreſique iam introducta ab eo eliminanda. Bibliorum ſacrorum librum ab hæreticis multis in locis deprauatum, & in lingua Anglicana impreſſum combuſſit, nouumque iuxta vulgatam, ac rectam editionem imprimi voluit, & in templis catenulis ferreis alligari fecit, vt de facili Catholici legere poſſent. Inſuper pijſſimorum Principum Regis, & Reginæ auctoritate fretus, ſupra triginta millia hæreticorum, vel flammis expo-

ſuit,

Digitized by Google

ſuit, vel exilio mulctauit, vel S. Matri Eccleſiæ per pœnitentiam reconciliauit. *Lopez*.

Eodem anno in Angliæ Regnum ad Catholicam fidem magna ex parte redactum miſſi ſunt à Carolo V. preſtantiſſimi theologi, vt Regnum illud in eadem confirmarent, reſtituerentque illi deperditam venerationem erga Apoſtolicam Sedem, P. Petrus de Soto. P. Io: Villagarcia, & P. Ludouicus à Sotomaior, & alij Fratres docti ex Hiſpania, Flandria, & Germania. In Oxonien. igitur Vniuerſitate celeberima conſtituti ſunt ad regendas primarias theologiæ cathedras, duo primi; Ludouicus verò ad cathedrã Dialecticæ; quorum lectionibus exterminati ſunt errores, quos hæreſiarcha Petrus Martyr in eadem Vniuerſitate diſſeminauerat; Et adeo copioſus extitit fructus tantorum virorum (inquit Sandèrus lib. 2. par. 2.) in Regno Anglicano; vt Religio Catholica, quæ vſque hodie in Anglia apparet, eiſdem doctoribus, eorũq; doctrinæ ſolidæ, & ſcriptis meritò tribuenda ſit. *Ex eod. Sandèro de Schiſm. Anglicano.*

P. Ambroſius Botigella Melitenſis de prouincia Siciliæ, Auricen. Epiſcopus in partibus infidelium creatus, (de quo ſupra an. 1553.) legatione à S. Sede Apoſtolica ſibi commiſſa, zelo animarum feruidus, in partes Syriæ ad prædicandum Euãgelium proficiſcitur cum P. Antonio de Sgra Meliten. ſocio aſſumpto, vbi plures Idololatras, ac Mahumetanos ad catholicam fidem perduxit, & laboribus fractus, euolauit in cœlum: poſt cuius deceſſum P. Antonius Sagra Melitenſis ſocius illius miniſterium prædicationis Euangelicæ in eiſdẽ partibus proſequutus eſt, magno cum fructu animarum, quas per ſacrũ baptiſma, cœlo dignas, reddidit. *Vghell.*

Aſſumitur P. Gaſpar de Regibus Paſtor in Eccl. Calamonen, cum facultate exercendi Pontificalia in ciuitate, & diœceſi Elboren. in Portugallia de conſenſu Henrici Card. Infantis. *Ex Act. Conſiſt. Pauli IV.*

Defuncto Iulio III. electoque Marcello II. S. R. E. Cardinales congregati, P. Leonardo de Marinis Laodicen. Epiſcopo, atque in Hiſpania ad Regem Philippum Apoſtolico Nuncio literas dederunt gratias agendo gratias pro operatis in fauorẽ Apoſtolicæ Sedis, de quo infra an. 1561. Laudantes eius zelum, commendantes prudentiam, nunciantesq; ipſius Marcelli Pontificis nouiter electi obitum, & alia multa quæ in ipſis literis continentur, datis die 6. Maij, & relatis ab Vghello inter Epiſcop. Alben. num. 46. cum de eodem Marino tractat. *Vghell. ibid. Plodius & Script. Ord.*

Patres Miſſionarij ex Hiſpania ad Indos delati an. 1554. manus ſuas ad meſſẽ apponentes, ſpiritu oris ſui gentes multas in Idolorum adoratione aſſuetas, ab illis, dirigente eorum corda Deo, euocarunt, media baptiſmatis ſuſceptione; & fundatis inter eos Eccleſijs, ac conuentibus, ſtabilita ibi catholica fides eſt; erectis etiam Prnuincijs nouis Ordinis, & cathedris. *Lefeburè.*

P. Bartholomæus Caranza in Anglia, vt catholicam fidem meliùs, & firmiùs ſtabiliret, egit apud Regem, atque Reginam, vt obſeruarentur (publicato decreto,) Concilij Nationalis, auctoritate Iulij III. Pont. congregati, ſanctiones editæ in fauorem catholicæ fidei, & reformationis morum. Nec his contentus, Regia auctoritate in hæreticos procedens voluit, vt bona Monaſteriorum, ab Henrico Rege iniuſtè ab illis ablata, eiſdem reſtituerentur pleno iure. Propter hæc igitur, & alia, ſuperioribus annis recenſita, in obſequium Chriſti ab eo patrata, maximam hæreticorum indignationem experitur, qui pluries eidem necem inferre

tentauerunt, cellæ ianua ad hoc ſemel confracta, & veneno confecto, vt incauto propinarent: ſed Dei ope, cuius cauſa agebatur, ſeruatus eſt illæſus. Trium igitur annorum ſpatio in Anglia permanſit Caranza maximo cum catholicæ fidei incremento, poſt quos vocatus à Cæſare in Belgium, illùc acceſſit. *Lopez p. 5.*

P. Matthæus Ori Inquiſitor Generalis in Gallia, hæreticorum hoſtis accerrimus plures Caluiniſtas, & Zuinglianos, & inter eos predicantem quendã vaferrimum, Guillelmum nomine de Skiafuſa Heleticum igne conſumpſit, alioſq; per ſalutares pœnitentias reſipiſcentes S. Matri Eccleſiæ reconciliauit. Scripſit doctiſſimus vir contra omnes huius temporis hæreſes librum eruditiſſimum, alterum *De peccato originali*; aliumque *De Sacris imaginibus*. Plodius de Script. Ord. & Lucar.

Mittuntur ad Occidentales Indos noui operaij ad excolendam ibidem naſcentem vineam Domini ex Prædicatoribus ſelecti, viri graues, zelum Dei habentes, & ad tam ſanctum opus exequendum paratiſſimi, præfecto illis Vicario P. Dominico Azona, quem ſequuti ſunt Patres Iacobus Martinez, Franciſcus de Areo, Gaſpardus de Regibus, Io: de S. Stephano, Franciſcus de Viane, Sebaſtianus Morellez, Hieronymus Peralta, Io: de S. Spritu, Dominicus Morgnoz, Dominicus de Angelis, Io: de Biuero, Io: Bapt. Italus, Petrus de Spinoſa, Petrus de Eſcalante, Alphonſus Lopez, Franciſcus Queſade, Petrus de S. Magdalena, non nullique alij. *Lefeburè.*

Apud Nurimbergam habita eſt concertatio publica hoc anno inter Ioannem Priorem noſtri cœnobij Nurimbergenſis, & quendam Ludouicum hæreticum, inter Caluiniſtas, magni nominis virum, de rebus ad Catholicam fidem ſpectantibus, & præcipuè, de Sancto Sacramento Altaris. In publico foro facta eſt diſputatio adſtante populo innumerabili, alio Caluiniſta, alio Lutherano, alio Catholico. Erat Ludouicus naturali facundia, & eloquentia ornatus, inſurrexitque in Priorem tanta verborum procacitate, atq; argumentorum copia; vt ſtatim Caluiniſtæ plebei indocti, & rudes eundem victorem acclamauerint. At Prior religioſa modeſtia argumenta hæretici reaſſumens, tanta Sanctorum Patrum, & Sacrarum Scripturarum eruditione diſſoluit, vt adſtantibus Caluiniſtis ignominiæ timorem non modicum incuſſerit. Deinde argumenta validiſſima ex verbis Domini, & ſacris Euangelijs eidem diſſoluenda propoſuit, quibus reſpondère non valens, facta eſt confuſio magna inter eius ſequaces, aliquibus ex eis catholicam fidem amplexantibus; Ludouicus verò confuſus, ad alias partes declinauit à ſuis malè tractatus. *Lopez p. 5.*

Gladio impiorum dirigitur in æternam requiem proprio in ſanguine volutatus P. Hieronymus de Cruce Luſitanus, qui à ſuo Prouinciali ad Orientales Indos, adhuc Diaconus, miſſionarius ob probitatem vitæ, ſingularemque erga proximum charitatem, qua fulgebat, directu, Goam primùm attigit, deinde à P. Vicario Generali Congregationis Indiarum Malacam cum P. Sebaſtiano de Cantu miſſus, in Regnum Sian primi Apoſtoli penetrarunt, Ieſu Chriſti Euangelium populis illis annunciantes, breui temporis decurſu linguam illam, cooperante Spiritu Sancto, edocti: ſtupentibus cunctis qui eos audiebant. Meſſem copioſam illi collegerunt Eccleſiæ ambo, baptizante multos, qui etiam paruulos ſuos ad eo ducebant in fide inſtruendos; euertente: Idola, eorumque aras. Quod indignè ferentes Mauri quidam, ſimulato duello inter ſe ante domunculam ab ipſis Religioſis inhabitatam, dum ambo accurrunt pro pace inter illos componenda, lancea

cta ab vno eorum transfigitur cor Hieronymi, & grauiter vulneratur in capite Sebaſtianus, primo ad cœlos vocato, altero in aſſumpto miniſterio permanente. *Marcheſius in Sac. Diario tom. 1.*

P. Gaſpar à Cruce Eborenſis, vnus ex illis duodecim Apoſtolicis viris, qui primi omnium ex Hiſpania in Orientales Indias profecti, Euangelium Ieſu Chriſti ibidem propalauère, primus omnium hoc anno in magnum Chinæ Regnum ingreditur: ibique catholicam fidem plantauit tanto ſpiritus ardore, zeloque lucrandi animas Chriſto Domino, vt mortem pro illo pati non pertimeſceret: nam aliquando Idolorum templum ingreſſus, zelo zelatus pro Domino Deo, eorum ſimulacra virili pectore confregit. Quare exilio mulctatus eſt multipliciter vexatus: tandéque ex China egreſſus ad Ormuz venit, ibique Euangelium prædicauit, multis ad catholicam fidem per ſacrum baptiſmi lauacrum adductis. At cum annorum pondere grauaretur nimis, in ſuum Vlyſiponenſem conuentum ſe recipere coactus fuit, vbi ſæuiſſima peſte Regnum illud inuadente, ſe pro egrotantium ſalute, atq; ſacramentorum adminiſtratione Deo obtulit, à morte, licet morbo pluries afflictus, diuina ope ſeruatus illeſus. Ea propter a Rege Sebaſtiano Malacenſis Epiſcopus nominatus, dum contagium in eo Regno defeciſſet, ipſe nouiſſimus omniũ eo vulneratus, interijt in Villa de Setual, honorifica funebri pompa Vlyſiponam translato corpore. *Marcheſius in Sac. Diario tom. 1.*

ANNO 1557. P. Bartholomæus Caranza Belgium ingreſſus omnem conatum adhibuit apud Cæſarem Carolum V. vt hæreticorum libri in Germania, Gallia, atque Belgio, tractantes de Religione, ab hæreticis editi, ab Hiſpaniarum Regnis arcerentur, ne illa inficerent; quòd à Ceſare, & ſacro Inquiſitionis tribunali præſtitum eſt, euulgatis edictis contra traſgreſſores ſub grauibus pœnis. Inſuper ipſo flagitante idẽ Ceſar petijt à Paulo IV. Pont. vt apud Hiſpaniarũ Regna in vnaquaq; Cathedrali Eccleſia vnius canonicatus annuus redditus, S. Inquiſitioni perpetuò pro ſacroſancti tribunalis expenſis faciendis, adiudicaretur, prout factum eſt: tantus erat Caranzæ zelus pro conſeruatione catholicæ fidei. *Lopez p. 5.*

In Gallia apud Villam de Hamur facta eſt diſputatio valida inter Caluiniſtas, & Catholicos, horum partes ſuſtinente P. Petro Spechio Magiſtro facundo, & docto, hæreticorum verò, quodam Doctore Lirciera dicto. Scripſerat libellos varios contra Caluini deliramenta Petrus, & in publicis prædicationibus contra eoſdem inuehebatur ſtrenuè. Quare coacti ſunt Caluiniſtæ cum eo diſputationem habere, factam in publico eiuſdem villæ principaliori foro, adſtante promiſcui ſexus, ac Religionis, copioſa multitudine. Punctus diſcutiendus erat de virginitate Beatiſſimæ Genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam negabat Lirciera: & ante quam linguam ad pugnam acueret Spechius, alta voce dixit Antiphonam, *Sub tuum præſidium confugimus S. Dei genitrix &c. Dignare me laudare te &c.* & cum eo idem dixerunt adſtantes Eccleſiaſtici, atque catholici, tanto cum ſpiritus ardore, vt confuſus hæreticus, (mirabile dictu) illico corruens in terram, cum loquela vitam amiſerit, fætore maximo ex cadauere erumpente; ita diſponente Beatiſſima Dei Genitrice, quæ virginitatem ſuam in dubium verti noluit: quo facto perteriti Caluiniſtæ aufugerunt, pluribus tamen ex eis ad Catholicam Eccleſiam per propriorum errorum abiurationem accedentibus. *Lopez p. 5.*

Eodem anno cum Hiſpali in Hiſpania Lutheri virus latenter ſerperet, illiuſque ſectatores eſſent Aegidius, & Conſtanti-

nus ex oppido S. Clementis Concheñ, diœceſis Hiſpalenſes Canonici, qui praua dogmata inter fideles illos diſſeminare clam procurabant, contra eos inſurrexère P. Io: Ocho Regens conuentus Hiſpalen. P. Gabriel de Sanctoyo Giennenſis, & P. Nicolaus de Salas Canarienſis doctiſſimi viri, cum illis diſputantes; & pertinaces inuentos, ſacro tribunali denunciavère; qui in vincula coniecti, propinato à parentibus veneno, ibidem mortui ſunt, illorum corporibus cum decem, & octo eorum ſequacibus igne conſumptis. Quo exequutioni mandato, peſtis hæreticalis Hiſpali extincta eſt. *Luſitan. in Chron. & Param.*

Pontifex Paulus Idibus Martij creationem Cardinalium habuit, inter quos ſacra purpura donatus eſt P. Michael Alexandrinus Epiſcopus Nepeſinus, & Sutrinus, domus S. Inquiſitionis Præpoſitus, cui Titulum S. Mariæ ſuper Mineruam conceſſit, nouiter illi Eccleſiæ proper eundem Michaelem conceſſum, in cuius locum factus eſt Commiſſarius S. Inquiſitionis P. Thomas Scotus Lombardus, *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Die verò Sabbathi 23. Ianuarij Idem Paulus Pont. indixit publicam audientiā in grauatorum, & oppreſſorum leuamen, cui cunctos Romanæ Curiæ officiales intereſſe voluit, inter quos erat P. Michael Ghiſlerius Ep. Nepeſinus, & Sutrinus Præpoſitus domus Inquiſitionis pro cauſis Inquiſitionis, & carceratis in ea. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pauli Pont.*

Moritur hoc anno magno Catholicæ Eccleſiæ damno hæreticorum malleus P. Io: Bunderius Gandauenſis, hæreticæ prauitatis Inquiſitor, qui verbo, ſcripto, & factis, quoad vixit hæreticos inſectatus, innumeros illorum igne conſumpſit, ſuſpendio perdidit, & carceribus maceravit; de cuius morte gauiſi ſunt ſupramodum illi. Eius autē opera omnia hic referuntur eiſdem annis, quibus euulgata fuere, ſiue poſtuma, ſiue viuente ipſo; etiam ſi quędā fuerint ſuperius annotata. Calamū igitur in hunc modū contra hæreticos acuit Bunderus prædictus, dū in errorū hæreticorum confutationem ſcripſit; *Compendium rerum Theologicarum, quæ hodie ab hæreticis in controuerſiam vertuntur*, impreſſum Pariſijs ann. 1549. *Collationem quatuor SS. Doctorum Eccleſiæ, Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi ſuper 30. articulos ab hæreticis modernis agitatos*, impreſſam Pariſijs an. 1574. & reuiſam an. 1577. *Scutum fidei Orthodoxæ aduersùs Ioannem Anaſtaſium Veluanum*, impreſſum Antuerpiæ an. 1569. *De Baptiſmo contra Mennonem Anabatiſtam*, impreſſum Louanij an. 1553. & Pariſijs 1574. *Selectionem Nugarum Lutheri, & Confutationem dogmatum Lutheranorum*, impreſſam Louanij an. 1551. Collegit quoque Indicem codicum manuſcrip. per Belgium, vicinaſque Prouincias alphabeti ſerie ex ſcriptis P. Guillelmi Carnificij Gandenſis Ordinis Præd. qui Belgij bibliothecas ferè omnes, & illuſtriores Germaniæ, Galliæ, Angliæque, ante ſubortas ſuperioris ſeculi hæreſes, ſedulò inuiſerat. Deceſſit tantus vir ætate longæuus 18. Iunij currentis anni 1557. *Ex Bibliot. Belgica, & Mirreo, & Plodio.*

Moritur Magiſter Ordinis in Vrbe nullo alio Capit. Gen. celebrato, moritur quoque in Vrbe pauperum pater inclytus, hæreticorum hoſtis acerrimus maximo Eccleſiæ catholicæ, ac Religionis noſtræ damno P. Io. de Toledo S. R. E. Cardinalis Epiſcop. Tuſculan. *Vghell. Olmeda.*

Moritur inſuper P. Ambroſius Pelargus Germanus Card. Archiepiſc. Treueren. Theologus, ac familiaris, doctor, & Concionator eximius, catholicæ Religionis contra hæreticos propugnator acerrimus, in Tridentino Concilio notiſſimus, de quo Pallauicinus in Hiſtoria Concilij Tri-

Tridentini, & Abbas Michael Iuſtinianus ibidem.

P. Io: Slotanus Prior Colonien, præter recenſita ſupra an. 1550. in Ortodoxæ fidei defenſionem, contra hæreticos ſui temporis euulgauit hoc anno Coloniæ librum prænotatum; *Demoſtrationes contra hereticos*. Alterum: *De Veritate Catholicæ fidei*; & alia opuſcula ad confirmandos Catholicos in veritate Fidei, *Mirreus Bibliot. Eccleſ.*

Paſtoralem curam ouium Chriſti in diuerſis Eccleſijs demandauit Paulus Pōtifex Prædicatoribus, vt illas de æterna vita, ac virtubus edocerent, atque per rectam ſalutis viam dirigerent. Et primò quidem Toletanam Archiepiſcopalem Eccleſiam ad petitionem Catholici Regis conceſſit P. Bartholomæo Caranzæ, de quo in Actis Conſiſt. eiuſdem Pont. ita dicitur, *Die Veneris 10. Decemb. referente Card. Pacecho Pontifex prouidit ad petitionem Regis Catholici Philippi Eccleſię Toletanæ, vacanti per obitum D. Ioannis Martinez de perſona F. Bartholomæi Caranzæ de Miranda, theologi præſtantiſſimi, ſaluis penſionibus decem millium ſeptingentorum quinquaginta ſcutorum ſuper fructibus menſæ Archiepiſcopalis; & Sanctitas ſua reſeruauit 34. millia ducatorum penſiones diuerſis pèrſonis diſtribuenda quarum tam antiquæ, quàm nouæ medietatem non excedebant, eidemque Bartholomæo pallium conceſſit, cauſa commiſſa Cardinali Camerario*: Eccleſię Theanenſi verò dedit Paſtorem P. Mag. Hieronymum Michaelem Nicheſolam Veronenſem, qui Tridentino Concilio interfuit, vir doctus, *Ex Actis Conſiſtorial. eiuſdem Pauli Pont. Max.*

Hieronymus Aragonenſis Catholici Regis Ferdinandi de Portugallia filius, Segobiæ. Io. de Toledo ex Ducibus Albæ, Cordubæ. Et Eliſabetta ex Comitibus de Panſoraſte, in ſęculi contemptum Prædicatorum Ordinem ſummo pietatis affectu amplectuntur. *Leſeburè*.

Hoc anno antequam rebus humanis eximeretur Cardinalis noſter de Toledo, cum P. Michaele Ghislerio Card. Alexandrino, nouiter ad purpuram euecto, conſilio inito de arcendis ex Chriſtiana Rep. libris malis, hæreſim, nec non lectionem contra bonos mores, & Chriſtianam pietatem continentibus cum Pontifice Max. egère, ſtatutumque eſt per Apoſtolicum decretum ab eodem Alexandrino publicatum; ne aliquis ſub quouis prætextu libros hæreticos legere, aut apud ſe retinere audèret, ſub pœna excommunicationis, mandatumque Inquiſitoribus vniuerſis; vt hæreticorum libros, nec non quoſcumque alios contra bonos mores euulgatos in vnum Indicem redigerent, & ad S. Rom. & Vniuerſalem Inquiſitionē, hoc eſt ad Præfectum illius, Card. Alexandrinum mitterent infra annum. *Spondan, num. 5. & Lucarin. in ſuo Indice expurgatorio.*

Caput IX.

P. VINCENTIO IVSTINIANO Magiſtro Generali XLVII.

DEfuncto Stephano electus eſt anno 1558. Magiſter Generalis Ordinis P. Vincentius Iuſtinianus Chienſis eiuſdem Stephani ſocius, & Prouincialis Terræ Sanctæ, ætatis annorum 38. antequem, & poſt ipſum nullus tam virenti ætate vniuerſale Ordinis regimen conſequutus eſt. Ad Concilium Tridentinum à Pontifice Max. miſſus, ibi nobili Paſtorum

rum

rum Eccleſiaſticorum, ac doctiſſimorum Theologorum de Ordine corona ſociatus eſt, defenditque iura priuilegiorum ab Apoſtolica Sede Regularibus conceſſorum, itaut pauca ex eiſdem fuerint à Patribus Concilij ſublata, & imminuta. Quatuor Generalia Capitula celebrauit: primum quidem ſuæ electionis Romæ, ſecundum verò Auenione anno 1561. tertium Bononiæ 1564. quartum autem Romæ coram B. Pio V. Pont. Sanctiſſimo an. 1569. in quibus multa ſaluberrima decreta edita ſunt, & præcipuè quòd Fratres contra hæreticos inſurgerent viriliter calamo, & lingua: & ſi aliquis ex Fratribus noſtris inueniretur in aliquo ſuſpectus de fide, abiurare compelleretur, priuareturque in perpetuum omnibus gratijs Ordinis, ad quas, neque per Magiſtrum Generalem, poſſet reſtitui, ſed toto tempore vitæ ſuæ in humilitate permanens peccatum ſuum defleret. Mandatum inſuper fuit, vt ſi apud aliquem Fratrem inueniretur liber hæreticus, teneretur abiurare hęreſes in illo cõtentas. Hæc fuère in Ordine pepetuo decreto ſtabilita, antequam alia conſimilia decreta emanarent ab Apoſtolica Sede, & Congregatione S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis. *Plodius & ex Act. eorund. Capu. Gener.*

Paulus Pontifex Catholicæ fidei zelator feruidus ad compeſcendas inundantes hæreſes, candoremque cathololicæ veritatis illibatum conſeruandum, Summum Eccleſiæ Inquiſitorem creauit Cardinalem F. Michaelem Ghiſlerium. En damus decretum conſiſtoriale huiuſmodi inſtitutionis. *Die Mercurij 14. Decemb. an. 1558. fuit Conſiſtorium, in quo introductum fuit Officium ſanctiſſimæ Inquiſitionis in Collegium Cardinalium, & ad id Inquiſitorem maiorem, & perpetuum deputauit Reuerendiſs. Card. Alexandrinum, & erexit, & conſtituit officium Inquiſitionis huiuſmodi in dictum Collegium Cardinalium. Et in S. R. E. Summum Inquiſitorem eundem Cardinalem poſtea deputauit, & vt perpetuò ſit in perſona Cardinalis: & ſic poſtea deputabit ſalarium pro ipſo Cardinale & miniſtris: & quod vacante Sede, officium non vacet, ſicut officium Summi Pænitentiarij: & quòd omnes Inquiſitores, tam delegati, quàm ordinarij Epiſcopi, in cauſa fidei cognoſcant ipſum Cardinalem in Superiorem.* In ſubſequentis poſtmodum Conſiſtorij actis, die Veneris 16. Decemb. habiti, ſic dicitur: *Datum fuit iuramentum Reuerendiſs. Alexandrino ſuper officio ei dato in præcedenti Conſiſtorio.* Ex eiſdẽ Actis.

PP. Ludouicus de Visboria Luſitanus in Aethiopiam, & Petrus Britanno ad Carolum V. Imperatorem cum illo de remedijs aduersùs hæreticos ſermonem habiturus; & Boulus Nuntius Apoſtolicus inquiſiturus de illatis iniurijs Indis à miniſtris Regijs in Iniſula Hiſpaniola Hiſpalim à Paulo IV. mittuntur. *Lefeburè.*

In Polonia Dominicana Religio pro conſeruanda catholica fide, in conuerſione hæreticorum ſtrenuè laborabat, vt ab illo Regno nobililiſſimo hæreſes Ochini, Lutheri, Melanthonis, Roteroadami, Caluini, & Bezæ auerteret; conta quas præcipuè inſurrexère, lingua, & calamo Fratres Cyprianus Cracouienſis, Leonardus Baccalaureus, Gregorius, & Melchior Inqiſitor, prædicantes earundem auerſionem à catholica Eccleſia, veſſanias, deliramenta, diſputantes cum ipſis hæreticis, publicè confundentes illos, & confirmantes catholicos in fide erga Deum, & deuotione, ac veneratione erga S. Matrem Eccleſiam, caputque viſibile illius Pontificem Maximum, itaut actum videretur de Catholica fide in Regno illo, niſi illam ſuſtinuiſſent, & defenſaſſent præfati noſtri Præd. cũ alijs eiuſdẽ profeſſionis aſſeclis: id apertè teſtantibus, verbo, & ſcripto Staniſlao Hoſio Cardinali, & Archiep. Gneſnen. Nicolao Dzierzonio Archiep Gneſ-

nen. eiuſdem Card. anteceſſore, Philippo Padnieuio, Franciſco Craſinio, & Petro Moſcouio Epiſcopis Cracouienſibus. *Bzouius de Prouin. Poloniæ cap.* 8.

P. Camillus Campegius tribunali ſacræ Inquiſitionis apud Ferarriam præfectus Inquiſitor, doctrina, & eruditione omnigena conſpicuus, compoſuit *librum adnotationum ſuper tractatum Zanchini Vgolini Ariminen. de Hæreticis*, quos in ſuo officio perſequutus eſt ad necem, vt ex ſibi credita ditione eliminaret: de quo infra. *Plodius*.

Moritur hoc anno Carolus V. Cæſar poſtquam depoſita omnis regiminis cura, mundum calcans ſub pedibus, animæ purgationi, & diuinarum rerum contemplationi per biennium vacaſſet; cui morienti adſtitit P. Bartholomæus Caranza Archiep. Toletanus ſumma Caroli conſolatione, à quo per contritionis actus de ſuis peccatis, directus eſt in cœlum, dum verſiculum illum *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum* pronunciaret. *Spondanus num.* 9.

Demandatur à Pontifice Paulo IV. diuerſarum Eccleſiarum regimen Prædicatoribus, vt eas probè, vt ſolent, gubernarent, illiuſq; fideles verbo, exemploque formarent ad exactam normã virtutum: hi autem fuère, P. Dominicus Caſablanca promotus ad Equen. P. Gregorius Temudus ad Cochimen. P. Gregorius de S. Lucia ad Malachan apud Orientales Indos. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

ANNO 1559. Ab oculis mortalium receſſit Paſtor optimus Paulus Papa IV. poſt conſtitutos pro reis S. Inquiſitionis carceres apud Ripettam, in domo exiſtente modo inter Eccleſiam S. Hieronymi Illyricorum, & palatium Dominorum de Burgheſijs, ſuper cuius fores ſunt inſignia Card. Alexandrini in qua habitabat P. Commiſſarius cũ officialibus S. Inquiſitionis; nec non & ijs, qui in carceribus detinebantur. Vacante igitur Apoſtolica Sede factus eſt tumultus popularis in eaſdem ſacras ędes, & carceratis libertate donatis P. Thomam Scotum Generalem Commiſſarium, eiuſque ſocium P. Seraphinum Caballum fuſtigationibus, contumelijs, vulneribuſque impetière iniqui. Neque his contenti in conuentum Mineruæ irruentes, Fratres eiuſdem, tanquam S. Inquiſitionis fautores, & adminiſtros, igne appoſito perdere decreuère. At accurrentibus Dominis de Cæſarinis, ex primaria nobilitate Romana viris cum armata famulorum, Vaſallorumq; multitudine, alijſque nobilibus Romanis, populari impetu fugato, Fratres ab imminenti incendio, atque exicidio liberauère, relicto apud eos militum prędidio in eorumde cuſtodiam. Ita relatũ fuit nobis ab antiquis noſtris Patribus, qui rem hanc à ſenioribus audière, atque periculo interfuère; ſuntq; de hac re ſcripturę in Archiuio Conuentus Mineruæ, quas vidimus.

In Magno Poloniæ Regno præſtantiorum Principum palatia erant hæreſi coinquinata, quæ noſtri Prædicatores Deo adiuuante expiauère. Et cum Brentius impius hæreſiarcha auſus fuiſſet libellum, hæreſibus refertum, Sigiſmundo Regi offerre ab ipſo approbandum, P. Melchior Moſticenſis Inquiſitor Cracouienſis calamum è manu Regia, ne ſubſcriberet, excuſſit, atq; hæreticalia dogmata in illo latentia aperuit, & detexit. Proſcripſit quoque ex ſibi credita ditione libros cunctos hæreſes continentes, quas facundo ore, è ſuggeſtu, & calamo impugnauit, ac damnauit, conſtabiliendo populum illum in veritate Catholicæ fidei, *Bzou. de Prou. Pol. cap.* 6.

P. Io: Eſconfeld Inquiſitor Pragenſis acerrimus, indefeſſuſque hæreticorum perſequutor, feruidis ſermonibus Catholicos in Boemia ſolidabat in fide, hæreticoſque

coſque doctrina confundebat, eorum captiones publicè, ac priuatim detegendo. Quare ab ipſis non ſemel quæſitus ad mortem, diuina ope ab eorum inſidijs incolumnis euaſit, Cum autem quoſdam ex ipſis vltimo ſupplicio addictos igne conſumpſiſſet, fremebant in eum impij; ex quibus vnus cœteris procacior feria 6. in Pareſcève, dum Io: ad prædicationem ſe præpararet, ipſum ſimulata contritione, ac pietate adijt, atque vt ſe peccatorem miſerrimum, multis iniquitatibus coinquinatum per ſacramentalem confeſſionem mundare dignaretur, ſupplicauit, ſubdens, vt in loco ab alijs ſemoto audiretur. Duxit illum ſeruus Dei Io: in propriam cellam, & oſtio clauſo, ſedit confeſſionem ipſius auditurus, qui euaginato pugione multis ictibus ipſum vulneratũ ex Confeſſore glorioſũ Martyrem effecit, & aufugit: cuius mortem prætioſam Magiſter Ord. Iuſtinianus in Capitulo Generali Ordini denunciauit. *Paramus lib. 2. tit. 2.*

Datur ab Apoſtolica Sede regimen ouium Chriſti in aliquibus principalioribus Eccleſijs Patribus Prædicatoribus; & quidem Archiepiſcopalis Ianuenſis Patri Auguſtino Saluago. Archiepiſcopalis quoque Bracaren. præclariſſimo viro P. Bartholomæo de Martyribus, cui datum fuit pallium in ſecreto Conſiſtorio habito die Lunæ 6. Martij, expeditione commiſſa Cardinali Camerario. Præterea Paulus Pont. die 7. Auguſti in ſecreto Conſiſtorio Cardinali noſtro Alexandrino conceſſit Prioratum in ciuitate Mediolanen. eodem Pontifice referente, qui & in ſequenti Conſiſtorio eidem Cardinali conceſſit Præpoſituram domus S. Spiritus Ordinis Humiliatorum Mediolani. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pauli III. Pont.*

Eodem anno petente Sebaſtiano Rege Portugalliæ, conuentus S. Andreæ in ciuitate Auſidienſi in Regno Portugalliæ ordinis S. Auguſtini, datus eſt noſtris Prædicatoribus, vt populo illi, ſacris prædicationibus, confeſſionum audientia, recitatione ſacri Roſarij, alijſque pietatis operibus fierent in ſalutem. *Lefeburè*

Hoc anno in lucem prodijt primum volumen Iudicis librorum prohibitorum maximo cum catholicæ fidei commodo, cuius auctorem præcipuum fuiſſe P. AEgidium Fuſcherarium Sacri Palatij Magiſtrum certum eſt, iniuncto illi hoc onere à Pontifice Max. in quo recenſitis prauis libris, Chriſtianæ Reipub. obnoxijs, eos legere ſub graui cenſura vetuit, & iterum imprimere interdixit: libros autem hæreticorum publico igne comburendos voluit. *Lucarin. in Indice expurgatorio, & Spondan. ad an. 1557. num. 5.*

Cum hoc anno ſummum pontificatum Anglicanæ Eccleſiæ ſibi abrogaſſet Eliſabetta, ſeu potiùs Iezabella, Angliæ Regina iniqua, edictũ euulgauit, quo bona cuncta Eccleſiaſtica, & primitias Eccleſiæ debitas ſibi vſurpauit, & Religioſos omnes ſub pœna patibuli publici ex Anglia exulare voluit. Abière igitur ex Regno multi Prædicatores, alijs ibidem ſub ſeculari habitu pro catholicorum ſolatio, atque adminiſtratione Sacramentorum clam remanentibus. *Lopez.*

Annæ Burgij, ſeu Burgen., Regij in ſupremo Senatu Pariſienſi Conſiliarij, viri potentis in opere, & factione, hæreticale virus effunditur in Gallia, contra quem ex Regio decreto Lugdunenſis Senatus procedens, non obſtantibus Friderici Palatini Comitis apud Chriſtianiſſimum Regem ſupplicationibus, igni adiudicauit: & nihilominus ita Caluiniana hæreſis in Gallia inualuit, vt prima hæreticorum comitia nationalia in Francia die 19. Martij Lutetiæ Pariſiorum habita ſint, in quibus illorum fidei confeſſio edita eſt, quæ Rupellæ poſtmodum anno 1571. aucta fuit, contra quam, cum nullus ex

Gallis

Gallis calamo inſurrexiſſent, noſter P. Fœlicianus Niguarda de Morbinio apud Vallemtellinam ortus, de conuentu S. Antonij calamum acuit erudititiſſimum, & doctam Catholicæ fidei aſſertionem in eiuſdem Burgen. articulos vtriuſque confeſſionis fidei euulgauit. *Spondanus num.* 27. *& Lefeburé*.

In Hiſpania quoq; inuigilabant noſtri Prædicatores tribunali ſanctæ Inquiſitionis præpoſiti, ne in Regna illa inueheretur hæreticorum peſtiferum virus: & cum aliquos nobiles principaliores tali morbo laborare agnouiſſent cum alijs Eccleſiaſticis apud Valliſoletum, atq; vallem Pinceam, contra illos, Philippo Rege manus adiutrices porrigente, proceſſerunt, & copioſam vtriuſque ſexus, ætatiſque multitudinem ſęculari brachio relaxarunt: Inter eos autem fuerunt Eccleſiaſtici plures, equeſtris quoque, & primi ordinis, clarique alij viri, qui viui in publico foro, adſtante Rege Catholico, combuſti ſunt, cum quibus exarſit effigies Conſtantini Pontij Carolo Cæſari à ſacris confeſſionibus, eiq; chariſſimi, qui in carcere paulò ante obierat. Hocque facto quies, & pax ſtabilita eſt in Regnis Hiſpaniæ; dum alibi hæreticorum ſeditionibus cuncta commiſcebantur ad exitium. *Spond. in. num.* 29.

P. Andreas Iuſtinianus de Chio Græcus, Generalis Inquiſitor ab Apoſtolica Sede in Græcia conſtitutus, omnem adhibuit operam, etiam contra nobiles, vt catholicam fidem in illis partibus, & Chio maximè à Turcarum ſpurcitijs conſeruaret illæſam: quare à Pio Papa IV. in laborum ſuorum præmium an. 1562. Naxien. Archiep. creatus eſt, de quo alibi. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Luſitan. in Chron. Ord.*

ANNO 1560. Apud inſulas de Solor à Barbaris Idololatris in odium fidei catholicę glorioſi Chriſti Athletæ Patres Hieronymus de Cruce, & ſocius eius ambo Luſitani, qui Apoſtolici Miſſionarij ad Orientales Indos directi, multos ſua prædicatione, vitæque optimæ exemplo ad Chriſtum attraxerant, tandem in carcerē coniecti, multipliciter vexati ſunt. *Plodius, & Luſitan. in Chron.*

In Anglia omnium Religioſorum profeſſoribus è cœnobijs expulſis; Magiſtriſq; cunctis ex Prædicatoribus, qui in publicis Vniuerſitatibus theologiæ cathedras regebant, è Regno in catholicæ fidei odium, eiectis; Monaſterium integrum Monialium Dominicanum inſtitutum profitentium, cum ſua Prioriſſa Eliſabetta Creſnera exulare coactum eſt: cumque ſacræ Virgines in Belgium ad Burgenſem vrbem confugiſſent, ibi manentes monaſterio erecto, Regis Catholici atque aliorum piorum Principum eleemoſynis ſuſtentæ ſunt, laudentes Dominum, qui non deſeruit ſperantes in ſe. *Sanderus de viſibili Monarchia*.

In Poloniæ Regno, cum in Petricouienſibus execrandis comitijs pulſi eſſent Epiſcopi omnes ex ſuis Eccleſijs hæreticorum Principum decreto, proſcriptis quoque Sacræ Theologiæ Doctoribus, Fratres Prædicatores, Melchior Moſticenſis Inquiſitor Cracouien., Valerianus, Cyprianus, Sarbinius, & Fœlix inuictiſſimi fidei pugiles Sigiſmundum Regem adière, ſuadentes illi validiſſimis rationibus, ne id peragi ſineret, niſi de Catholica fide actum vellet, in damnationem animæ ſuæ, atque ſubditorum Regni ruinam: qui emanata contra Epiſcopos, & Theologos decreta reuocauit, conſtabilita in hunc modum Chriſti fide in populis illis. *Bzou. de Prou. Pol. cap.* 8.

P. Stephanus Paris Abellonen. Epiſc. de quo ſupra an. 1554. vir doctiſſimus, & pijſimus commiſſi ſibi gregis curam ſedulam gerens diœceſim ſuam ab hæreſibus vindicauit, contra quas etiam librum

in quinquaginta Homilijs, & 25. Sermonibus euulgauit præſcriptum. *Viri catholici inſtitutio*, in quibus hæreticorum falſam doctrinam detegit, & auctoritatibus Sanctorum Patrum, Conciliorum, & ſacræ Scripturæ impugnat. *Luſitan. in Bib.*

P. Dominicus Sergent quoq; Doctor celebris, in Pariſienſi cœnobio S. Iacobi primariæ cathedræ Theologiæ Regens ſcripſit *De Sacramentis Eccleſiæ*, & *Baptiſmo*, contra huius temporis hæreticos, quos ne dum ſcripto, ſed etiam ore, publicis diſputationibus, congreſſibus, atque concionibus proſternere, quoad vixit, conatus eſt. *Luſitan. in Bibliot.*

Mortuo ſuperiori anno Paulo IV. electoque Pio IV. Mediolanen. hic in primo Conſiſtorio habito 12. Iannuarij adiunxit Cardinali Alexandrino ſummo Inquiſitori in Eccleſia S. Dei quatuor alios Inquiſitores collegas, qui fuère, Carpenſis, Pacecchus, Puteus, & Tranenſis; non tamen ab illo titulum, & poteſtatem Summi Inquiſitoris abſtulit, ſeu iminuit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Pontifex Pius IV. diuerſarum Eccleſiarum regimen demandauit PP. Prædicatoribus, vt ſuarum virtutum exemplo ouibus ſibi commiſſis prælucèrent ad vitam æternam. Inter hos verò eminebat P. Michael Ghiſlerius Cad. Alexandrinus ad Eccleſiam Montis Regalis in Pedemontana regione translatus ex Sutrina, & Nepeſina 27. Martij. Leonardus de Marinis ex Laodicenſi ad Archiepiſcopalem Lancianen. promotus, Martinus de Mendoza ad Dertuſen. Petrus de Xaque ad Niochen. Balthaſar de Heredia ad Calaguritanam, Archiepiſcop. in Sardinia, & Nicolaus Fridonis Armenus ad Archiepiſcopalem Naxiouanen. in Armenia. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Io: Hennuyer Theologus Pariſienſis, Henrico II. Galliæ Regi à ſacris confeſſionibus, & eleemoſynis, atque Antonij Nauarræ Regis præceptor & ipſe hoc anno 25. Martij poſſeſſionem perſonalem inijt Lexouien. Eccleſiæ, de quo illud mirabile memoriæ proditum eſt; quòd cum ſuam Eccleſiam moderaretur, & Prorex vrbis à Carlo Rege literas accepiſſet, vt infectos hęreſi in eadem gladio ſtatim trucidaret; re cum Ioanne Epiſcopo communicata; non ſum paſſurus reſpondit Epoues mea, quamquam euagantes à Chriſti caula, nec dum deſperatas, gladio trucidari; & dicente Prorege, mandato ſe Regio vrgeri; quod ſi prætermittat, omnem eſſe periculi aleam in vnum caput ſuum, poſtulantique cautionem, Io: conſignatum manu ſua chirographum tradidit, datam fidem confirmans, qua illicò publica clementia ſollicitudineq; Epiſcopi de commiſſi ſibi gregis ſalute vigilantis, redière in Eccleſiæ ſinum omnes quotquot Lexouiæ per ea tempora à recta fide aberrauerant hæretici. *Gallia Chriſtiana inter Lexouien. Epp.*

Cœlitibus in conſortem dedit gloria Dominicana Religio B. Thomã de S. Ioanne Hiſpanum, Apoſtolicum miſſionarium apud Occidentales Indos, qui in Mexico apud principaliores ciuitates ſacratiſſimum B. Virginis Mariæ Roſarium prędicans, complures Societates illius erexit, & inſtituit, Idololatras innumeros ad Chriſti fidem conuertit, & eorum Idola confregit. Vitæ ſanctitate, & ſpiritu prophetico inter Indos claruit; deſperatam corporis ſatutem languentibus reddidit, & miracula multa Apoſtolica virtute patrauit, crebris diuinis reuelationibus, à Chriſto Domino, Sanctis, atque ipſa Beatiſſima Dei Genitrice recreatus. Aliquando ad Crucifixum pro ſua ſalute orans, audiuit vocem dicentem ſibi *Fuge, Luge, Tace, Quieſce, Spera*; quæ verba poſtmodũ ſibi in hunc modum fuère diuinitus explicata. Si vis perfectus eſſe *Fuge*, teipſum; *Luge*, culpas tuas: *Tace*, virtutes

tuas: *Quieſce*, in conformitate voluntatis diuinæ: *Spera*: in Deò bonorum omnium largitore. Prædicto mortis ſuæ die, euolauit in cœlum in Mexico, communibus lacrymis parentatus. *Plodius*.

Vitam cum morte commutauit die 15. Nouemb. præſtantiſſimus Doctor P. Dominicus de Soto, in Concilio Tridentino vir famoſus, preſtantiſſimus Theologus, hæreticorumque hoſtis acerrimus, qui in eodem orationem habuit ad congregatos Patres Dominica prima Aduentus de Iudicio extremo. A Carolo V. Imperatore, cui erat à ſacris confeſſionibus, ad Concilium ſub Paulo III. directus, ab Eccleſiaſticis infulis ſatis ſuperque aborruit, religioſæ paupertatis cupidus, cuius memoria apud ſcholaſticos in benedictione eſt. *Abb. Iuſtinianus de Concil. Triden. Plod. & Fernand.*

ANNO 1561. Congreſſus magnus hæreticorum cum Fratribus noſtris, & Catholicis doctoribus eſt habitus apud Poſſiacenſe monaſterium noſtri Ordinis, cauſa fidei, inchoatus 9. Septemb. cui interfuit Chriſtianiſſimus Rex cū pluribus theologis, adſtantibus Theodoro Beza, Petro Martyre Florentino, alijſque hæreticis, qui multoties repetitus, durauit per tres menſes, & ſine fructu, ipſo Beza obſtinato cum ſocijs ad Trideutinum Concilium omnia diffini. enda remittente. *Leſeburè*, *Spondanus num. 16.*

In Regno Poloniæ P. Melchior Moſticen. Inquiſitor Cracouien. viriliter pro catholica Religione decertauit, & in ſexdecim Comitijs Generalibus Regni, quæ in annum quandoque differebantur, concionatoris Apoſtolici munere functus eſt maximo hæreticorum damno. Cumque in eiſdem prætenderent illi libertatem conſcientiæ, itaut vnuſquiſque Catholicus liberè poſſet ad Caluiniſtas, Lutheranos, Zuinglianos, ac Brentianos declinare, reſtitit in faciem illorum Melchior cum P. Luca Leopolien. oratorum illius temporis facilè principe, qui multis annis in Comitiorum loco apud Varſauiam perorauit in Catholicæ fidei fauorem, & augumentum. Hinc conſcientiæ libertas permiſſa non eſt in Polonia à Rege. *Bzouius de Prouin. Polon. cap.* 8.

Congregatum eſt Capitulum Ordinis apud Auenionem, in quo mandatum fuit Fratribus cunctis, vt in Ordine vniuerſo qualibet hebdomada proceſſiones fierent, ac letaniæ decantarentur, vt Deus Eccleſiam ſuam in tot hæreſum turbinibus protegere, ac defenſare dignaretur; & Prædicatores in ſuis concionibus hæreticorum peſſima dogmata detegerent, & impugnarent viriliter. *Ex Act. euſd. Capit.*

Fortiter inuehebatur hoc tempore in hæretioos Inquiſitor Generalis Auenionenſis P. Bernardus Bernardi, Vicarius Congregationis Franciæ, qui cum Epiſcopo Nemauſenſe Concilio Tridentino aſtitit, monuitque Pontificem Pium IV. de eorum audacia, & protectione, quam habebant apud Principes; vnde multi abſtinebant à deponendis illis apud ſacrum tribunal, ne manifeſtarentur, & damna ab ipſis paterentur. Qare Pont. ſcripſit illi de non manifeſtandis nominibus deponentium, & reuelantium hæreticos apud S. Inquiſitionem, dato Apoſtolico Breui Romæ hoc anno die 1. Nouemb. *Ex Direct. Inquiſitionis Lopez p.* 5.

in Calabria quoque hoc anno peſtis hæreticalis ſeuibat, detecta ibi colluuie Valdenſium, qui triennio ante receptis ex Geneua duobus impijs directoribus, cœtus ſuos agebant; & cum circiciter ter mille ex ipſis facto agmine, in Montem Album apud Cuſentiam ad rem ſuam (vt pretendebant) diuinam faciendam ſeceſſiſſent, iuſſu Proregis Neapolitani profligati ſunt, multis occiſis, multis igne

Rrr 2 con-

conſumptis, multis ſuſpendio enecatis, alijs ad vitam triremibus damnatis, Euocatus autem à Geneua ibi inter eos erat vnus Ioannes Ludouicus Paſchalis Pedemontanus, qui Romam miſſus cauſam ſceleris ſui dixit in carceribus S. Officij coram Generali Commiſſario P. Thoma Scoto, à quo relaxatus eſt brachio ſeculari, viuus in Acie campi Floræ igne conſumptus. *Spondaus num.* 31.

Pius Pontifex ad inſtantiam noſtri Card. Alexandrini, & S. Caroli Borromei, aliorumque zelum Dei habentium indixit reaſumptionem, ſeu continuationem Tridentini Concilij, & ad eorumdem ſupplicationem, ad amouendam omnem ſchiſmatis Eccleſiæ occaſionem, die 19. Nouemb. in Conſiſtorio Apoſtolico decreto ſanxit, quòd ſi pendente Concilio ſe mori contingeret, futuri Summi Pontificis electio, non ad Concilium, ſed ad Cardinalium Collegium ſpectaret, cum decreto irritante, atque alijs clauſulis opportunis, & neceſſarijs. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Neque his contentus Card. Alexandrinus cum S. Carolo Borromeo Card. à quo vnicè diligebatur (Beatus enim cum Sancto) tractauit, vt cum Pontifice ageret de reſolutione neceſſaria alterius dubij, de quo ſæpius fuerat tractatum; An ſcilicet Pontifex poſſit eligere ſibi ſucceſſorem, vel Coadiutorem cum fatura ſucceſſione: quod præſtitit Pius in eodem Conſiſtorio, declarando, non poſſe Romanum Pontificem ſibi ſucceſſorem eligere, neque Coadiutorem aſſumere cum futura ſucceſſione; etiam de omnium, & ſingulorum Cardinalium conſenſu; ſed electionem Pontificis Max. ad eoſdem Cardinales liberè ſpectare, cum decreto irritante. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Pius Pontifex curam Dominici gregis in varijs orbis partibus demandauit noſtris Prædicatoribus, vt oues illas in viam ſalutis æternæ dirigerent. Et quidem ouibus Eccleſiæ Veronen. Paſtorem dedit P. Hieronymũ Nichiſolam; Eccleſiæ de Venazuola in Indijs P. Petrũ de Agredo Hiſpanum: Eccleſiæ Veræ pacis nouiter erectæ apud Indos P. Petrum de Angulo primum Paſtorem, & P. Iulium Staniranum Eccleſiæ Megaren. in Cypro. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Cum ſeditiones, & turbæ hæreticorum in Gallia inualeſcerent, effrontes effecti, publicè in Catholicos deſęuire cepererunt, arma in illos expedientes; ita vt in Apamienſi ciuitate, impetu facto in Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, atque cœteros, nec non & in Mendicantium cœnobia, atque Eccleſias, bona cuncta diripuerint, Sacerdotes trucidauerint, atque mala cuncta Religioſis intulerint; quare exulare omnes coacti ſunt, & inter cœteros noſtri Prædicatores, quorum cœnobium, atque Eccleſia fuère in cineres redacta, plurimis ex eis necatis: *Spondan. nu.* 29. *&* 1563. *num.* 2.

Apud Toloſam quoque tumultu populari hæreticorum excitato in noſtros Prædicatores, & Eccleſiaſticos cunctos, expilato conuentu, multa mala paſſi Religioſi, ex eodem exire coacti ſunt: at quia contra P. Spiritum Rhoteruo Inquiſitorem erat illorum liuor, ipſo aufugiente, ſacri tribunalis ædes diripuère, vaſtauère, incendioque conſumere intentauère. At accurrentibus catholicis, tandem aliquando ſedato tumultu, in ſuum conuentum redière Partes cum Inquiſitore, qui in illos dexteritate maxima procedens, plures caſtigauit, & carceribus afflixit, de quo in noſtro Sac. Theat. Dominic. *Ex Arch. eiuſd. Inquiſ.*

P. Antonius Sagra Melitenſis in Ordine, & orbe vir famoſus, varijs linguis excultus, Syriam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Aegyptum, aliaſque orientis peragrauit regiones, Apoſtolici Commiſ-

ſarij

ſarij munus exequendo, & mores, ritusq; Chriſti fidelium in illis partibus exiſtentium, ad Romanæ Eccleſiæ normam trahendo, cum maximo eorundem catholicorum in via Dei profectu; perſeuerauit in aſſumpto Apoſtolico miniſterio vſque ad Pij IV. in Summum Pontificem electionem, qua audita in Vrbem reuerſus, illiuſque ad pedes prouolutus, cunctiſque, quæ ſibi euenerant nunciatis, Aequenſem Epiſcopalem Sedem conſequtus eſt anno à Virgineo partu 1564. Nouemb. 17. cuius virtutes ediſſerit *Vghell. Ital. Sac. tom. 5. in Epp. Aequen. ſeu Vici Aquen.*

ANNO 1562. Pontificatus Pij IV. 3. in reaſſumpt. Concilij Triden. in congregatione prima lecta fuerunt Breuia Pontificia, directa ad Concilium, in quorum vno circa præcedentiam Patrũ Concilij in ſedendo dato, cum Pontifex decreuiſſet vnumquemque Archiep. & Epiſcopum debere ſedère iuxta antiquitatem ſuæ promotionis, doluit de hoc ſummopere noſter P. Bartholomæus de Martyribus Archiep. Bracaren. in Luſitania, dicens ſe non debere præcedi ab Archiep. Roſſanen. qui Suffraganeos Epp. non habet, & ab Antibaren. qui ſine reſidentia, ac ferè ſine populo eſt, eiuſdemque ſententiæ erant cœteri Luſitani Patres in Concilio. At prudens Archiepiſcopus maluit ſuſtinere inferiorem locum in Cõcilio, quàm in illo ſciſſuram facere cum diaboli, & filiorum illius hæreticorum exultatione. *Spondan. num. 2. & Lucarin. in Chronol.*

In ſecunda congregatione ſtabilitum fuit à Patribus, vt aliquis ex ipſis eligeretur ad recognoſcendos ſermones in Concilio habendos, circa quos ſuum proferret iudicium, ſicuti Romæ à Magiſtro Sacri Palatij fit de ſermonibus coram Pontifice Maximo ab eodem priùs reuiſis, & approbatis; atque ad id præſtandum fuit electus P. Aegidius Fuſcararius Epiſcopus Mutinen. vir doctiſſimus, atque elegantiſſimi ingenij. *Spondan. num. 2.*

Poſt peractam ſeſſionem III. facta eſt altera Patrum Concilij congregatio, in qua fuerunt lecta mandata Principum, & Oratores recepti, inter quos fuit P. Io: Coloſuarius Epiſcop. Canadien. Orator, & Legatus totius Cleri Hungarici, qui poſtmodum in eodem Concilio efflauit animam. *Spondan. num. 21.*

Decertabant facundo ore, & calamo contra effrontes hæreticos, atque à fide deuios, noſtri Prædicatores tribunali Sacræ Inquiſitionis addicti, inter quos meritò recenſendi ſunt P. Antonius Gropſutus Generalis Inquiſitor in Auſtria, hæreticorum malleus, atque hoſtis acerrimus, quorum multos varijs ſupplicijs perdidit, & P. Hieronymus Oleaſter in Luſitaniæ Regno Inquiſitor; vir linguarum peritia clarus, qui iudaizantes multos igne conſumpſit, & contra Lutheranos, alioſque ſui temporis hæreticos doctiſſimè, & eruditiſſime ſcripſit, eorum praua dogmata impugnando. *Plodius, & Paramus.*

P. Thomas Iacomellus de Pinarolo in Subalpinis fidei Quæſitor vigilantiſſimus apud Taurinum, ſcripſit egregium librum *De auctoritate Papæ contra Lutherum, & Caluinum*, & alium *Contra hæreticos Valdenſes*, quo eorum errores redarguit, & reprobat; ſedulamque curam geſſit ne Caluiniana hæreſis, quæ apud Geneuenſes, & Bernen. graſſabatur, in ſibi creditam ditionem proſerperet. Quare quotquot hæreticos in eadem inuenit, igne, ſuſpendio, alijſque ſupplicijs, vt reliquis fierent in documentum, conſumpſit. Promotus eſt autem ad Epiſcopatum Tolonen. *Gall. Chriſt.*

Demandat hoc anno Pius IV. Pont. curam gregis Chriſti in diuerſis Eccleſijs noſtris Prædicatoribus; & quidem P. Antonium Iuſtinianum præfecit Paſtorem Eccle-

Eccleſijs Archiepp. Parien. & Naxien. in Romania. P. Pipinum de Roſa, Salubrien. & Suffraganeum Machlinien. P. Dominicum de S. Thoma, Platen. in Indijs. P. Thomam (Ord. Præd. dicunt Acta conſiſt. ſine patria & cognomento) Theſſalonicen. & Suffraganeum Cuſentinum. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno P. Leonardus de Marinis mittitur à Patribus Concilij Tridentini Romam ad Pontificem Max. Pium IV. deprecaturus eundem, ne ſanctum illum congreſſum diſſolueret (prout communis vox ferebat) quouſque ſæculi corrupti mores reformarentur, & exortæ hæreſes abſolutè iugularentur. Iulio menſe in Vrbem ingreditur, benegniſſimè à Pontifice acceptus, & ſua dexteritate, ac prudenti conſilio, Patrum deſiderium compleuit, & Pontificis mentem ita compoſuit, vt Tridentum redire iuſſus, Patres moneret, vt diuino auxilio, Apoſtolicaque auctoritate opus tam ſanctum ad optatum finem perducerent: quod non ſine Leonardi perpetua laude perfectum fuit. *Vghell. tom. 4. inter Alber. Ep. ſub n. 46.*

P. Camillus Campegius coram Concilio, ac congregatis Patribus in fine huius anni, dominica nempe prima Aduentus nobilem orationem habuit de mundi fallacijs, atque ruina; Epiſcopus Nepeſinus, & Sutrinus delectus poſtmodum à B. Pio V. ſub quo deceſſit an. 1569. in Sutrina Cathedrali tumulatus. *Abb. Iuſtinian. in hiſt. Concil. Trid. fol. 443.*

Aſtitère quoque eidem Concilio Mag. Generalis Ord. P. Vincentius Iuſtinianus, & Seraphinus Caballus Prouincialis Terræ Sanctæ, qui orationem coram Patribus habuit Domin. 1. Aduentus. *De Chriſto Iudice lætis animis expectando.* Angelus Cioſius Florentinus Theologus Cardinalis Mātuani Legati Concilij. Heliſæus Capys Venetus Theologus cum Archiep. Pragen. Petrus Aridien. Gallus cum Epiſcopo Cenomanen. Aurelianus de Chio cum Archiep. Spalaten. cum alijs relatis ab Ab. Iuſtiniano in Hiſt. Concil. Trid. fol. 451. & ſeq.

ANNO 1563. Cum graſſante Hugonotorum hæreſi in Gallia multi, etiam Eccleſiaſtici à Catholica fide defeciſſent, nunciatumque fuiſſet Pontifici Max. Epiſcopos quoſdam Gallos imò & Odetum Colinium Cardinalē Caſtilioneum Epiſcop. Bellouacen Catholicam fidem eiuraſſe, atque ad Caluinianam hæreſim declinaſſe, cognoſcendam commiſit Card. Alexandrino cauſam tanquam Summo Inquiſitori, & inter cœteros Cardd. ſacræ Congregationis S. Officij Præfecto, qui proceſſu contra Cardinalem, & Epiſcopos quoſdam formato, citauit eos ad dicendam cauſam ſuam de fide, præſcripto tempore ad comparendum: cumque Caſtilioneus in contemptum Eccleſiæ, & purpuram depoſuiſſet, & in fauorem hæreſis publicè prædicaſſet, iterum reaſſumpta purpura cum illa vxorem duxit Iſabellam de Altauilla, & plurima alia ſcelera hæreticali vaſritie, & auctoritate, in ſpretum Pontificis, Apoſtolicæ Sedis, atque Catholicæ fidei patrauit. In Conſiſtorio ſecreto igitur habito 22. Octob. cauſa à Card. Alexandrino relata coram Pontifice Max. & Cardinalibus, ipſoque inſtante, Pius Pontifex pronunciauit ſententiā prout in cedula, contra DD. Antonium Caracciolum olim Ep. Trecen. Ioannem Monlucium Ep. Valentinen. Ioannem de Galatio Ep. Vticen. Ioannem Barbanſonum Ep. Appamien. Carolum Guillart Ep. Carnoten. Aloyſium de Abret Ep. Laſcuren. Claudium Reginum Ep. Oloren., & Io: de Calidomonte, ſeu Caomont Archiep. Aquen. quos citatos, contumaces, & incurſæ hæreſis reos declarauit, de quibus infra ad annum 1566. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont. & Spondan. num. 21.*

Cum

Cum autem ſcelera Card. Caſtilionei in dies augerentur, obſtinatuſque in ſua pertinacia perſiſteret, Card. Alexandrinus pro ſibi iniuncti muneris debito, inſtitit coram Pontifice Max. vt in aliorum documentum condignis pœnis caſtigaretur. Quare Pius in ſecreto Conſiſtorio pronunciauit ſententiam contra eundem, qua illum tanquam prolapſum in hereſim Hugonotorum, & procuratam indeſinenter aliorum ſeductionem, hæreticum, & excommunicatum, Hugunotum, ſchiſmaticum, & blaſphemum, ac à fide Catholica, & S. R. E. Apoſtatam, & transfugam, fidei fractorem, & periurum; ac propterea Cardinalatus honore, atque etiã Clericali priuilegio, Eccleſia Bellouacen. cunctiſq; beneficijs Eccleſiaſticis priuauit, & 11. die Setemb. cum non reſipiſceret, eius priuationem, & depoſitionem publicari, & in conſuetis Vrbis locis affigi voluit. *Spondan. num.* 48.

Die 11. Decemb. Pius Pont. in Conſiſtorio pro negotijs Tridentini Concilij, eiuſdemq; proſpero euentu, (in quo elegãtiſſimã orationẽ habuit P. Egidius Marchesinus) ſupplicationes publicas indixit, atq; ieiunia in Vrbe cũ Indulgentiarũ cõceſſione, ſancitis publicis præcibus cũ proceſſione à Vaticana Baſilica ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, quibus Pont. cum Cardinalibus, toto Clero, populique innumerabili multitudine interfuit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Mirræo Bibliot. Eccleſ.*

P. Iacobus Vngarus dictus, natione Gallus, eruditione clariſſimus edidit in lucem Gallicana lingua librum *De Sacris Imaginibus*, contra Lutherum, Caluinum, & alios hæreticos huius temporis, in quo oſtendit antiquiſſimum eſſe in Dei Eccleſia Sanctarum imaginum cultum, ac venerationem. Habuit præterea præclariſſimam orationem funebrem contra hæreticos in Franciſci Guiſij Ducis funere, qui lathali vulnere ab eiſdẽm impetitus, paulò poſt ſanctè obierat. *Poſſeuinus*.

Eodem anno P. Eugenius Ohayrt Hibernus Achadenſis Epiſcopus pro conſeruanda Catholica Religione inHerbniæ Regno plurima incommoda paſſus ad Concilinm Tridentinum pro catholicis illius Regni profectus, clariſſimum inter Patres eiuſdem ſpeculum zeli, & Chriſtianæ pietatis, cunctis eluxit. *Plodius*.

In Occidentali autem Orbe nouo S. Ludouicus Bertrandus ſalutis animarum ardore feruens, circa nouæ Carthaginis, & S. Marthæ regiones apud populos de Cipacoa, Paluato, Tubara, Mompox, Granatam, Taruaco, Tenerife, & montana S. Marthæ Chriſti Euangelium annuncians, innumerabiles Idololatras, ſacra prædicatione, orationibus, & miraculis ad Chriſtum per ſacrum baptiſma adduxit, & Hiſpanica lingua prædicando ab Indis ipſis intelligebatur, ac ſi proprio eorum idiomate prædicaret. Euulgauit præterea in eorundem inſtructionem breues Catechiſmos Chriſtianæ inſtitutionis; vt eo abſente in fidei rudimentis inſtruerentur. *Diagui lib.* 2.

Datur cœlo prætioſus in conſpectu Domini B. Chriſtopharus de Lugoi, qui Dominicana toga, apud Mexicum indutus, cunctis pietatis operibus ſe totum dedit, vigilijs, flagellis, ac cilicijs carnem ſpiritui ſubdendo. Lepra inſanabili percuſſus, patienter illam ſuſtinuit quoad vixit. Crebris cæleſtibus apparitionibus Ieſu Chriſti, Virginis glorioſiſſimæ, Sanctarum Vrſulæ ſodaliumque virginum recreatus, clamabat ſæpè cum Apoſtolo. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. In vita & morte miraculis coruſcauit, eaque ſub ſequuta, omni lepra illicò corpus mundatum eſt. P. Mag. Petrus de Soto Hiſpanus, pietate, doctrina, nec non & promouendæ Catholicæ fidei zelo mirabilis clauſit diem extremum in ipſo Tridentino Con-

Concilio, merentibus Patribus, menſe Aprili. *Abbas Iuſtinian. in hiſt. Concil. Triden. fol.* 443.

Inſuper in eodem Concilio orationem doctiſſimam habuit in laudem S. Thomæ Aquinatis die 7. Martij P. Mag. Io: Gallo Burgen. Hiſpanus, cathedræ ſacræ Scripturæ Salmanticæ moderator, quàm elegantiſſimam, ingentemque ſalutaris doctrinæ, vtilitatis, atque pietatis theſaurum vocat Bozola, Epiſcopo Dertuſenſi dicatam. *Abb. Iuſtinian. vbi ſup. fol.* 445.

P. Fœlitianus Niguarda de Morbineo pro Salisbugen. Archiep. Orator; necnon & P. Tobias pro eodem Salisburgen. Procurator, eidem Cõcilio in quarta eius aperitione ſub Pio IV. facta interfuère, viri preſtantiſſimi, animam ſuam pro catholicæ fidei defenſione ac veritate ponere parati, de quibus Pallauicin. & Abb. Iuſtinian. in hiſt. eiuſdem Concilij.

Io: de Ludenna Sac. Theol. Mag. eidem Concilio pro Seguntino Epiſcopo interfuit, Theologicam diſputationem, *De Celibatu Sacerdotum* habuit, & impreſſit, cum oratione. *De tribus Domini Ieſu Chriſti, & eius Sponſæ tentationibus*, Dom. j. Quadrageſimæ. *Abbas Iuſtin. vbi ſup. fol.* 448.

ANNO 1564. P. Thomas Iacomellus Taurinen. Inquiſitor, in ſuo munere peruigil, hæreticorumque inſectator acerrimus, Valdenſem hæreticum, errores multos in Sabaudia diſſeminantem, mirabili dexteritate incarceratum ſæculari brachio comburendum tradidit, aliumque Sartorem effrontem, noua dogmata ad inſtar Mahumeti, nouamque legem condere contendentem, in vincula coniecit, & pœnitentiæ ſigna dantem, atque miſericordiam Eccleſiæ implorantem, perpetuo carceri adiudicauit. *Paramus lib. 2. Plodius lib.* 4.

Cum occaſione hæreſum in Germania graſſantium in publicis Vniuerſitatibus, in quibus Sacra Theologia, atque Catholica dogmata docebantur, multi hæretici doctores virus ſuum effunderent, inficientes illa expoſitione peruerſa, nouiſq; hæreticalibus, ac fictitijs commentarijs; tantis malis oportunum medicamen exhibiturus Imperator Ferdinandus cum Pontifice Max. egit, vt in eandem mitteret Apoſtolicum Commiſſarium, qui ſtudia reformaret, atque de Doctorum eorundem doctrina inquireret, an ſana, vel non, eſſet. Quare Pontifex P. Ioannem de Villagratia, virum in Sacra Theologia famoſum, & ſui ſeculi in ea facile, principem illuc direxit, qui ſedula cura de doctrina, ac moribus docentium in Vniuerſitatibus inquirens, ſtudiorum reformationem optimam fecit, catholicis Doctoribus in eiſdem confirmatis, alijſq; in fide dubijs, vel deficientibus, eiectis atque eradicatis: quod maximè proficuum fuit Catholicæ veritati. *Lefeburé.*

Celebrata ſunt Ordinis Generalia comitia apud Bononiam, in quibus confirmata ſunt decreta ex ſuperiori Capitulo emanata contra hæreticos, de prædicatione contra illos, & exhortatione populorum ad perſeuerandum in Catholica fide, ac veneratione erga Sanctam Matrem Eccleſiam, illuſque viſibile caput Pontificem Max. iniunctumque eſt Fratribus omnibus; vt Sacroſancti Concilij Tridentini decreta omnia obſeruarent, ac populis obſeruanda publicarent contra oblatrantes hæreticos. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Capit.*

Clarebant viri incyti hoc anno in Gallia, qui de mandato Magiſtri Generalis Iuſtiniani aſſumpto fidei negotio, contra Lutheranos, Caluiniſtas, Hugonottos, alioſque hæreticos peſſimos viriliter decertabant, calamo, ſcriptis, diſputationibus aſſiduis, & ſacris prædicationibus, vt catholicos in veræ fidei candore continerent,

nerent,

narent, ad hereticos ipſos euitandos cum eorum peſſimis deliramentis, nouiſque inuentis inducerent. Hi autem fuère Patres, Iacobus Fourre, Petrus Canu, Martinus Nacon, Thomas, Clemens, Petrus Diuole, Renatus L'Eſcullreir, Petrus Godebille, Rocleus Mamerot, Petrus Dore, Clemens Bigot. Io: Guiencourt, Gentianus Picard, Petrus Rogis, & P. Morales Viennenſis. *Leſeburè*.

Die Veneris 14. April. in Conſiſtorio ſecreto noſter Card. Alexandrinus ad inſtantiam Catholici Regis, & Principis Hiſpaniarum illius filij; necnon & Vniuerſitatis Compluten. Sanctiſſimū ſupplicauit pro canonizatione F. Didaci de S. Nicolao Conuerſi Ord. Min. miraculis corruſcantis: & Pont. hanc cauſam recognoſcendam commiſit eidem F. Michaeli, necnon tribus alijs Cardd. Morono, Saraceno, & de Aracœli. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Quarumdam Eccleſiarum oues Chriſti gubernandas tradidit Pius IV. noſtris Prædicatoribus: & quidem illas Treuicanæ Eccleſiæ, Fratri Hieronymo Polito; illas verò Eccleſiæ, Vicoequenſis P. Antonio de Sagra Melitenſi, eas autem Eccleſiæ Niochen. P. Hieronymo, cuius patria ſiletur. *Ex Actis Conſiſtorialibus eiuſdem Pont.*

Anno eodem dantur cœlo glorioſi & venerabiles Confeſſores B. Alphonſus de Almazora, & Michael Zamoren. Hiſpani, quibus virginitatis floſculus B. Laurentia de Lorinis conſors fuit. Alphonſus poſt flagella, & ieiunia, quibus corpus macerabat, ſpiritu prophetico multa prædixit, cordium cogitationes cognouit, & miracula multa fecit. Michael autē apud Mexicanum Regnum in excolenda vinea Domini multos conſumpſit annos, Idololatras multos ad Catholicam fidem perduxit, delubra ſuccendit, Aras euertit, & Idola combuſſit. Laurentia verò Sponſo Virginum totaliter addicta, in eius contemplatione aſſidua, mundana omnia contemnebat, vt ſtercora. Angelum cuſtodem ſibi aſſiſtentem vidit, à quo in oratione edocta, multos fecit in via contemplatiua profectus, & inſtante vitæ termino ad gloriam, cœleſti melodia ab eodem inuitata eſt. *Plodius*.

P. Leonardus de Marinis Lancianen. Archiep. à Pontifice Pio ad Maximilianum II. Imperatorem pro arduis Apoſtolicæ Sedis negotijs, & maximè pro exequutione decretorum ſacri Concilij Tridentini Nuntius Apoſtolicus cum facultate Legati in locum Card. Moroni miſſus, ità Apoſtolica negotia tractauit, vt cuncta ad nutum Pontificis impetrarit, captata ſibi, Ceſaris & Pij beneuolentia: inde in Vrbem reuerſus, in proximo erat vt ſacra purpura cohoneſtaretur, ni mors nimis propera Pontificem Max. rapuiſſet. *Vghell. Ital. Sac. tom. 4. inter Epp. Alben. ſub. num. 46.*

Sublato ex hac lacrymarum valle hoc anno Petro Paulo Giannerino Magiſtro Sacri Palatij poſt vndecim annorum præſtitum obſequium debitum Apoſtolicæ Sedi, in eius locum renunciatus eſt Magiſter, inſtante Cardinali Alexandrino apud S. Carolum Borromeum, P. Daniel de Crema in ſacris cathedris, ac tribunali S. Inquiſitionis verſatiſſimus, ac inueteratus, qui ſequenti anno fragilitatis perſoluit debitum. *Lucarinus & Plodius*.

P. Thomas de Caieta Theologiæ Mag. inſignis apud Inſulam Melitam Inquiſitionis ſacrum Tribunal regebat, hæreſes compeſcendo, atque puritatem catholicæ fidei ibidem fouendo, ac conſeruando. *De quo P. Salelles de Orig. S. Inquiſit. proleg. 12.*

ANNO 1565. Sanctus Ludouicus Bertrandus in occiduo orbe innumeros Idololatres ad Chriſti fidem

conuertit, & inter eos Idolorum Sacerdotes multos, quorum Idola cõquiſita fregit, miraculis multis coram ipſis patratis. Ibi mortuum ad vitam reuocauit, ac propinatum venenum abſque detrimento hauſit, & poſt quam per ſeptennium in excolenda vinea illa Domini occidentali laborauit, in Hiſpaniam reuerſus fuit. *Diagus lib.* 2.

P. Adrianus Valenticus Dalmata, apud Venetias Inquiſitor vigilantiſſimus, à Pio Pont. ad Tridentinum Concilium poſt defunctum Petrum Sotum miſſus, in eodem ſua doctrina effulſit. Scripſit librum eruditione refertum, *De inquirendis, & puniendis hæreticis*: alterum *De Euchariſtia aduersùs Caluinum*, & alterum *Contra errores Matthæi Gribaldi*, promotus deinde ad regimen Iuſtinopolitanæ Eccleſiæ. *Plodius*.

Hoc quoque anno P. Viguerius Granatenſi, Theologus eximius impreſſit librum Antuerpiæ, cui titulum præſcripſit: *Inſtitutiones ad Theologiam Chriſtianam*: contra ſui temporis graſſantes hæreſes, in quas etiam antecedenter inſurrexerat ſcribendo, *Commentaria in Epiſt. D. Pauli ad Romanos*, in quibus eaſdem reprobat, reijcit, impugnat, & eneruat, Sanctorum Patrum, & conciliorum auctoritatibus, ac rationibus. *Mirræus, & Plodius*.

Fuère in Prædicatorum Ordine hoc anno, & tempore viri inclyti, charitatis auro primo amicti, ſalutis animarum ſitientiſſimi, qui labentes in viam perditionis hæreticos, ad agnitionem veritatis euangelicæ reuocare nitebantur. In Polonia quidem Patres Melchior Moſticen. & Lucas Leopolita; in Germania verò Godefridus à Mierle, eiuſdem prouinciæ Prouincialis, & Petrus Bacherius Gandenſis, Magiſtri in Sacra Theologia doctiſſimi; necnon Io. Dumæus etiam Gandenſis, qui pro Catholica fide conſeruanda in ſeptentrionalibus partibus multam operam impendère, contra hæreticos ſaeris prædicationibus, publicis diſputationibus, priuatiſque congreſſibus diſputantes, non ſine vitæ diſcrimine. *Lopez & Luſitan. in Chron.*

Cum Melita Inſula dira obſidionè preſſa à Turcis, quatuor menſium ſpatio miſerè vexata, inuicto animo eorum impetus ſuſtinuiſſet, cæſis ſupra viginti mille barbaris, libera cladibus ſe explicuiſſet, Muſtapha ad Chium maris Aegei inſulam, quæ Genuenſium ditioni ſubdebatur, properans, breui tempore, & Chio, & Inſula tota potitus eſt; multis ſacrorum Ordinum Religioſis, & Prædicatoribus præcipuè, quibus Inſula abundabat, in fidei Catholicæ odium, afflictis, malè vexatis, ac trucidatis. *Lopez*, *Leſeburè Spondan. num.* 7.

P. Bartholomæus Caranza Archiep. Toletanus, de quo ſupra anno 1555. & duobus ſequentibus ſermo habitus eſt; de Eccleſia, de Apoſtolica Sede, atque Catholica fide optimè meritus, hæreticorum malleus, Euangelij tuba, & hæreticalis peſtis euerſor indefeſſus, inuidiorum vafritie denunciatur Tribunali S. Inquiſitionis, tanquam ſuſpectus de fide. Appellauit illicò ad viſibile caput Eccleſiæ Pium Pont. Bartholomæus, qui in Conſiſtorio ſecreto habito 13. Iunij negotio cum Cardinalibus communicato, Legatum Apoſtolicum Card. Boncompagnum, Cardinalem S. Sixti nuncupatum, pro cognitione, & deciſione cauſæ pendentis contra eundem Bartholomæum Caranzam Toletanum Archiepiſcopum creauit; adhibitis Apoſtolico Nuncio in Hiſpania apud Regem Philippum exiſtente, atque vno ex Auditoribus Sacræ Romanæ Rotæ, prout benè viſum fuit Sanctitati ſuæ. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Ouium Chriſti regimen in diuerſis orbis Eccleſijs demandatur à Pio IV. Ponti-

Pontifice Prædicatoribus, viris inclytis, fraterna charitate feruentibus. Et quidem Eccleſiæ Interamnen. P. Thomæ Scoto de Rechegiano S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Commiſſario. Quitenſis P. Petro de la Penna, ex illa Veræ pacis traſlato. Tolonen. P. Thomæ Iacomello. Sanctorinen. P. Bernardo de Tropeia. Agrigentinæ verò P. Aloyſio Suppe. *Sicil. Sac. & ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Præclariſſimum puritatis lilium obtulit cœlo Prædicatorum Religio hoc anno 28. Aprilis, B. Oſannam de Cattaro, corporis maceratione, mentis in Deum eleuatione, atque propriæ voluntatis abnegatione mirabilem, quæ innumeras diaboli tentationes, apparitiones, atque moleſtias perpeſſa, diuinis reuelationibus non ſemel recreata, diabolicos æſtus fæliciter eludebat. Mira effulſit in Sorores, ac pauperes charitate, quorum miſerias ſubleuare nitebatur. Apparentem ſibi non ſemel malignum ſpiritum ſub ſpecie Sanctiſſimæ Virginis cum puerulo Ieſu in brachijs, ex fœtore cognouit, & increpauit, ſputo in faciem eius iniecto. Infirmas Sorores priſtinæ ſanitati, non ſemel reſtituit: dœmones fugauit, & alia miranda, tam in vita, quàm in morte patrauit. *Plodius.*

P. Thomas Manriquez, defuncto hoc anno Daniele de Crema, Sacri Palatij Mag. creatur à Pio IV. Pont. Max. qui ea in præfectura, doctrinæ, puritatiſq; radijs effulgens, pluribus modis Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit. Mandante B. Pio V. Angelici Doctoris opera à mendis expurgauit, vt ſine labe Vaticanis typis prodirent in lucem. Cumque idem B. Pontifex Theologalem præbendam in Vaticana Baſilica iuxta Tridentini Concilij Sanctiones, inſtituiſſet, in D. Thomæ doctrina fundatam, eam Manriguez Theologo præſtantiſſimo, conceſſit ea lege, vt Magiſtri Sacri Palatij ex Ordine Præd. pro tempore, ſemper in Vaticana Baſilica eadem Theologali præbenda fruerentur. Hic eſt Thomas ille, qui Neapolitanum Proregem ab armis contra Eccleſiam reuocauit, Paulum enim IV. Pontificem vexabat nimis. *Lucarin. & Plod.*

Glorioſa victima ſacrificatur ab impijs Martyrum Regi Ieſu Chriſto per ſanguinis effuſſionem hoc eodem anno P. Antonius Paſtana, qui apud Goam cum temporali militiæ nomen daret, militiam Eccleſiaſticam per Dominicanam togam aſſumpſit, ſub qua ieiunijs, vigilijs, abſtinentijs, ac diſciplinis corpus domans, illud ſpiritui ſeruire coegit. Cum autem in Inſula de Solor multos miniſtros Euangelij ſanguine coronari audiſſet, eodem & ipſe coronari cupiens, petijt, & obtinuit à ſuperioribus facultatem ad illam accedendi: cumque ibidem nouis fidei catholicæ plantulis ſacramenta inuicta conſtantia, indefeſſuſque labore miniſtraret, à furentibus gentilibus InſulæGiauæ de Alcatea captus, fuſtigatus, ac preacutis arundinibus in vngibus excarnificatus, tandem trucidatus, proprio in ſanguine volutatus cœlum introiuit 29. Ianuarij. *Marcheſius in Sac. Diario tom. 1.*

ANNVS 1566. Singulariter felix fauſtuſque Dominicanæ Religioni illuxit, dum filium ſuum inclytum vitæ ſanctitate mirabilem, P. Michaelem Card. Alexandrinum culmen Apoſtolicum conſcendere vidit. Defuncto enim ſuperiori anno 5. Id. Decemb. Pio IV. Ponrifice, in eius locum, nihil tale cogitans, à Cardinalibus preter communem expectationem, Spitìtu Sancto eorum corda dirigente, Pontifex Maximus ſalutatus eſt 7. Id. Ianuarij, qui cum Pauli nomen ſibi aſſumere decreuiſſet; vt Pauli IV. memoriam, à quo ſacra purpura donatus fuerat, inſtauraret, Pij V. nomen ad inſtantiam S. Caroli Borromei aſſumpſit: electo ſymbolo: *Vtinam dirigantur viæ*

meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Cũ autem Romanus populus audita eius electione, tanquam hominis ſeuerioris ingenij, timoris ſigna dediſſet; Pius dixit, fidere ſe in Deo, bonorum omnium datore, ita ſe præfuturum, vt grauior Romanis ſuæ mortis, quam electionis eſſet, mœror: quod & probauit euentus. *Spondan. in Annal. num. 1.*

Erat tunc in Vrbe Elias quidam Iudæus vir diues, & Romanæ Synagogæ præpoſitus, Pio V. in minoribus familiaris, à quo pluries fuerat monitus, vt eiurato Iudaiſmo, ad catholicam fidem per Baptiſma accederet, qui Cardinali reſpondère ſolitus erat, ſe id facturum quando ipſe ad Summum Pontificatum fuiſſet euectus, Factus Pontifex Pius, Eliæ promiſſionis memor, eam quoque illi in memoriam reuocauit; ipſeque rei nouitate perterritus, baptiſmum poſt paucos dies, in celebritate Sanctiſſimæ Pentecoſtes tertia die, in Vaticana Baſilica, magno populi concurſu, vna cum tribus filijs, ac nepte, ſumpto nomine Michaelis, ſolemni ritu de Pontificis manu ſuſcepſit, inter familiam Ghiſleriam cooptatus, cuius exemplo triginta alij, relicto Iudaiſmo, ad Catechiſmum, & ſacrum lauacrum acceſſere. Fuit autem Elias vir doctiſſimus, qui multa ſcripſit, eiuſque deſcendentes in Vrbe viuunt. *Spondan. num. 3.*

Erga populum, & pauperes ſe pijſſimum exibuit Pius, quorum neceſſitatibus ex intimis viſceribus condolebat; erga ſuſpectos autem de fide ſeueriſſimum ſe demonſtrauit; vt fidei candorem illibatum conſeruaret. Quapropter Iulium Zannettum Patauij docentem à Veneta Republica; Petrũ Carneſeccum à Florentię Duce, & Antonium Palearium Romam ducendos voluit, & per Sacroſanctum Inquiſitionis tribunal puniri mandauit. *Spondan. num. 4.*

Melitenſium Religioni ad condendam nouam ciuitatem Vallettam in loco, vbi fuerat Arx S. Elmi à Turcis deſtructa, conſilio, & pecunia præſto fuit: nec non Maximiliano Imperatori ad bellum contra Turcas ſumendum, pecunia, conſilio, atque exhortatione monitor fuit; idemq; præſtit Chriſtianis Principibus, tam publica, quam priuata neceſſitate preſſis, & quæ hoc anno ſunt incepta, toto Pontificatu continuata fuere. *Spondan. ibid.*

Cardinalem Commendonem à Pio IV. in Poloniam Legatum Apoſtolicum miſſum, in regreſſu iuſſit Comitijs à Maximiliano Cæſare Auguſtæ Vindelicorum celebrandis intereſſe; vt Turcicum exercitum, Hungariæ imminentem, coercendi conſilium caperet, pro quo ſe Apoſtolica ſubſidia preſtiturum polliceretur. Monuitque inſuper, vt eiſdem Comitijs aſſiſteret, ne quidquam in præiudicium catholicę fide decerneretur, oſtentata, etiã Cæſari ipſi, ſi quid eiuſmodi permitteret, abdicatione ab Imperio, alijſque ditionibus. *Spondan. num. 6.*

In primo Conſiſtorio die Mercurij 23. Ianuarij habito mandauit Iudæos in aliqua Vrbis parte recludendos, & Meretricibus peculiarem locum pro earum habitatione fore conſtituendum, quod & factum eſt, recluſis Ebræis in eodem loco vbi modò ſunt, & Meretricibus dato loco, qui communiter dicitur *Al Babuino*, ad inhabitandum, extra quem nulla, ſub fuſtigationis cum exilio pœna, permaneret, *Spondan. & ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pij Pont.*

Pro reformatione morum Cleri, & populi multa ſaluberrima decreta euulgauit, ex quibus Romana Aula, & Vrbs ipſa tota nouam quandam, ac planè piam viuendi normam aſſumpſit, ſublatis publicis ludis, commeſſationibus, ebrietatibus, ludicris taurorum, ferarumque agitationibus, deirationibus, concubinatibus alijſq; ſceleribus. *Spondan. nu. 2.*

Sacro-

Sacroſancta Tridentini Concilij decreta comprobauit, euulgauit, atque obſeruari omnino voluit: ac propterea Epiſcopos, & alios Eccleſiaſticos, ad reſidentiam aſtrictos, ſtatim ex Vrbe diſcedere præcepit. Franchitias ex Cardinalium, atque Oratorum Regum, & Principum palatijs penitus eliminauit: locum Conchæ domui S. Inquiſitionis in ſubſidium carceratorum attribuit, ex Abatia Cryptæ Ferratæ ſeiunctum. Reginæ Scotiæ in anguſtijs conſtitutæ, viginti millia Aureorum per Vincentium Laureum Montis Regalis in Subalpinis Epiſcopum miſit, quam & literis propria manu ſcriptis conſolatus eſt; atque Innocentij Papæ III. Conſtitutionem Apoſtolicam innouauit; vt Medici ægrotos viſitantes, ante omnia admoneant de ſacramentali confeſſione emittenda: iuſſitque, vt medici ægrotus in lecto decumbentes poſt tertium diem non viſitent, niſi peccata ſua chriſtiano more per Sacramentalem confeſſionem expiauerint. *Spondan. num. 5. & ſequent.*

Pius Pontifex hoc anno terminauit cauſam Epiſcoporum in hæreſim prolapſorum, de quibus ſupra ad annum 1563. & cunctos illos, vno excepto D. Antonio Caracciolo, olim Epiſcopo Trecen. in Conſiſtorio publico die 20. Decembris huius anni habito, tanquàm hæreticos dignitatibus omnibus, beneficijs, & gradibus priuauit in perpetuum, illorumque ſtatuas ſæculari brachio, hoc eſt Vrbis Gubernatori relaxauit, publico igni in Acie Campi Floræ per carnificem tradendas, prout factum eſt. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Cum perfidi hæretici Carnutum dira, & ſtrictiſſima obſidione cinxiſſent; vt catholicum cultum in eadē ciuitate cum Religioſis omnibus perderent, nec effugiendæ eorum iræ pateret via, P. Io: Breton ibidem Sacræ Theologiæ ſtudens, tantum malum à catholica fide, patria, & cœnobio ſuo auerſurus, poſt peractas ad Deum, Beatiſſimamque eius Genitricem aſſiduas præces, noctu ex Vrbis mœnijs fune præcinctus dimiſſus à Patribus, Deo protegente per hæreticorum caſtra tranſiens incognitus, Lutetiam peruenit, vbi à P. Iacobo Foure Generali Inquiſitore introductus, ad Regem Carolum acceſſit, atque imminentem ciuitatis deditionem nunciauit; qui collectis copijs cum Carnutum versùs properaret, clamantibus ad Deum ciuibus, vt eos ab hæreticorum manibus eripere dignaretur, cœleſti ſectarios vrgente dextera, dimiſſa obſidione magno cum dedecore aufugerunt, nec vno quidem ex catholicis vulnerato; quā fugam à Deo, eiuſque Sanctiſſima Genitrice agnoſcentes obſeſſi, publicas, ac ſolemnes ijs gratias egere maximas. *Leſebur.*

Pius Pontifex P. Leonardum Marinum ex eccleſia Lancianen. ad Albenſem tranſtulit, inſtituitque Apoſtolicum Commiſſarium, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum ad viſitandas eccleſias Sulmonen. Marſicanen. Theatinen. Pennen. & Adrien. Aſculanen. Anconitanam, Senogallien. Fanen. Piſauren. Ariminen. Cæſenaten. Foroliuien. Bertinorien. Fauentinen. Imolen. Mutinen. Rhogien. Mantuanam, Lauden. Vigleuanen. Caſalen. Aſten. & Aquen. earumque Eccleſias, & Diœceſes, perſonas vtriuſque ſexus, etiam Regulares quomodolibet exemptos; necnon & Eccleſias, ac loca Eccleſiaſtica quæcumque viſitandum, reformandum, & corrigendum, omniaque, quæ ad diuinum cultum ſpectare videntur, necnon & Cleri reformationem, præſtandum, & ad quærelas contra earundem Eccleſiarum Prælatos recipiendum, decidendum, & terminandum. Datis Apoſtolicis literis hac de re Romæ 24. Octob. quas refert Vghellus inter Epiſcopos Albenſes, cum de eodem Marino ſub num. 46. tractat. *Ex eod. Vghell. tom. 4.*

Digitized by Google

In Germania inferiori apud Antuerpiam,& Gandauum multa mala paſſi ſunt ab hæreticis noſtri Prædicatores: nam cũ fortes eſſent in bello, & contra eos,lingua, & calamo pugnarent, irruentes ipſi in noſtra cœnobia, ea expilauère, ſacra templa in cineres redegère, Altaria deſtruxère, & Religioſos ipſos contumelijs, vulneribus, atque opprobrijs multis affectos miſerrimè vexauère: qui tamen ibant gaudentes, quoniam habiti ſunt digni pro catholica fide contumeliam pati. *Lopez p. 5. & Lucarin.*

Vir egregius P. Io: Brabantinus, Doctor, ac Regens Louanien. hoc anno ad ęternam quietem migrauit,qui hęreticos, quoad vixit,perſequutus eſt facundo ore, ac calamo. Biblia magna Roberti Stephani repurgauit, atque errores cunctos, qui in impijs Eraſmi operibus continebantur ſparſi, & textum deprauatum, & corruptum à Beza, ex hæbreis,atque græcis fontibus emendauit; vir maximæ eruditionis ingenij, & doctrinæ. *Miræus Bibliot. Belg.*

Pontifex Pius die 20. Febr. in Conſiſtorio aſſignauit perpetuam penſionem ſuper fructus menſæ Archiep. Bononien. ſcutorum ducentorum auri pro officio S.Inquiſitionis, & expenſis carceratorum dictę Ciuitatis. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

In eodem Conſiſtorio Pius Pont. ad inſtantiam Cardinalium,atque Oratorum Principum creauit S. R. E. Cardinalem P. Michaelem Bonellum pronepotem ſuum, cui Titulum S.Mariæ ſuper Mineruam conceſſit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Promouit inſuper ad diuerſas Eccleſias ſuos Prædicatores,viros ſelectos,& ad gregem Dominicum cuſtodiendum aptiſſimos, qui Pontificis Max. exempla ſequuti, oues ſibi commiſſas per ſalutis ſemitam direxerunt, vt ſaluus fieret earum ſpiritus in vitam æternam P. Adrianus Venetus, ad Iuſtinopolitanam. P. Ioannes Matthæus Valdinas Siculus, ad Acernen. Pater Gabriel, ad Galleſinen. Pater Angelus Cataneùs Diacetus ad Feſulanam, & P. Archangelus Blancus Commiſſarius Generalis S.Inquiſitionis, & Pio V. à confeſſionibus, ad Theanen. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pij Pont.*

Idem Pius Pont. in fauorem Ordinis noſtri, & ſui, ſcripſit litteras Apoſtolicas Cardinali Henrico Portugalliæ Infanti, datas 26.Aprilis, quibus eidem Ordinem commendabat, commemorans beneficia à Patribus illius S.Sedi Apoſtolicæ, atque Eccleſiæ præſtita. *Lopez p. 5.*

Die 13.Septemb. Pius Pontifex publicauit in Conſiorio Bullam de non alienandis, ſeu in feudandis Terris, & Caſtris S. R. E. grauiſſimis impoſitis pœnis ijs,qui talia attentare præſumerent,quàm Bullam per Cardinales ante conſequtionem rubri pilei, atque alijs vicibus, & à Pontificibs nouiter electis ante publicam adorationem, medio iuramento obſeruandam voluit, cum maxima Cameræ Apoſtolicæ vtilitate; nam plura caſtra ex vi talis Bullæ, cum Ducatibus Ferrariæ, atq; Vrbini vſq; in præſentem diem fuère cum alijs bonis Apoſtolicæ Cameræ reſeruata. *Ex Actis Conſiſtorial. eiuſdem Pont.*

Apud Nouiomagum in Belgio facta eſt diſceptatio valida inter noſtros Prædicatores, & Caluiniſtas: nam cum noſtri in publicis concionibus, & congreſſibus deteſtarentur iniqua Caluiniana dogmata,tanquã hæreticalia,veræ fidei cõtraria, atque veritati Euangelicæ aduerſantia; ac propterea eorumdem ſequaces, filios eſſe diaboli, & ęternæ damnationis reos: quidam ex eis legis doctor, Ludouicus nomine, humanæ eloquentiæ non ignarus prouocauit noſtros ad publicum congreſſum,diſputaturus de veritate Caluinia-

uinianæ ſectæ, quam à Deo reuelatam nouiter aſſerebat, atque eſſe ſecundùm legem euangelij iactitabat. Annuère Prædicatores, ad certum diem diſputatione indicta. Interim Patres ad Deum, à quo bona procedunt, per orationes confugientes, rogabant Deum, vt ſua ſapientia, in inimicorum catholicæ fidei confuſſionē, conuentus ſui Priori, qui deſcenſurus erat in arenam cum hæretico, aſſiſteret: & & ſtatuta die in publico foro cum Ludouico conueniens, antequam diſputationem exordiretur, eleuatis occulis in cœlum, alta voce ad Dei Sanctiſſimam Genitricem, corde, & animo in hunc modum orauit. *Dignare me laudare te Virgo ſacrata; Da mihi virtutem contra hoſtes tuos* : reſpondentibus noſtris Prædicatoribus. *Amen*.

Inſurrexit Ludouicus, & facundo ore, elegantique ſermone conſueta Caluini argumenta propoſuit contra diuiniſſimum Euchareſtiæ ſacrementum, quibus adductis reſpondit Prior tanta eruditione ſacra, ſacræ ſcripturæ textibus, Conciliorum doctrinis, argumentorumque vi, æterna Sapiantia linguam eius dirigente, vt confuſus hæreticus obmutuerit. Tunc adſtantium Catholicorum vox erupit laudantium Deum, qui non deſeruit ſperantes in ſe. Quo facto multi ex hæreticis abiuratis iniquis dogmatibus Caluini, Sanctæ Matri Eccleſiæ reconciliari petierunt. *Laurentius Surius ſub hoc anno.*

ANNO 1567. In Gallia, Rupella rebellis Regi, ab hæreticis capta fit eorundem Emporium, & dimiſſis ex ea Catholicis, ac Religioſis viris, tredecim ex Prædicatoribus in turrim, quæ *laternæ* dicitur, abducti, poſt famem, ſitim, & varia ludibria, & verbera eiſdem illata, tandem *Te Deum laudamus* cantantes, trucidati ſunt omnes, corporibus in mare proiectis, teſte Lefeburè qui rē geſtā in ſubſequentem annum reijcit. *& Plodic*. Quanta, & qualia damna in Gallia Vgonoti hæretici vaferrimi in templa, Religioſorum cœnobia, catholicos, ac Religioſos ipſos perpetrauerint, incredibile videtur. Nam Sacra hoſtia pedibus conculcata, Sanctorū corpora igni adiudicata, ſacra vaſa direpta, & profanata, ſacræ virgines violatæ, ſacra templa in ſtabulum verſa, & monaſteria ſupra ſexcenta diruta, vel incenſa, diabolicæ eorumdē impietatis maximum fuère argumentum. Periêre ex omnibus ſacris Ordinibus Religioſi; necnon & Clerici ſæculares, ad quinquies mille Sacerdotes, fidei catholicæ pugiles inuicti, ab hæreticis vita mortali priuati, vt immortalem conſequerentur in cœlis; & inter eos Prædicatores quàmplurimi, quorum nōmina aureis caracteribus ſcripta ſunt in libro vitæ. *Lefeburè*.

Recenſentur autem aliqui à ſcriptoribus Ordinis ex Actis Capituli Generalis Romæ an. 1569. celebrati, in hunc modum. P. Renatus Piouet in conuentu Engoliſmenſi ab hæreticis captus adduci non potuit, etiam magnis propoſitis præmijs, vt prædicaret contra catholicam fidem, & ſpecialiter contra ſacrificium incruentum miſſæ, atque Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum; cumque id facere conſtanti pectore recuſaret; imò eorundem nefariam hæreſim deteſtaretur, Bigæ impoſitus, nudus per ciuitatem ductus eſt ferreis forcipibus per interualla tortus, clamantibus tortoribus: *Ecce prædicator falſitatis*, & ex alto loco deiectus, confractis cruribus, & toto corpore laceratus, ſclopeti inſuper globulo percuſſus, ac ſanguine proprio candidatus, ad Chriſtū Martyrum Regem euolauit, quem duo alij Sacerdotes eiuſdem conuentus ſclopis traiecti, ſequuti ſunt ad palmam: *Ex eiſdem Actis*.

Pius Pontifex de Catholica fide conſeruanda, & promouenda ſollicitus, pericula imminentia Eccleſijs Magdeburgen. &

Argen-

Argentinen. amoturus, coadiutores Epiſcopos Catholicos cum futura ſucceſſione dedit, eiſdem metuens ne Saxoniæ Dux hæreticos ad eas Eccleſias regendas promouère curaret. Cunctos item Germaniæ Epiſcopos, qui ante conſecrationem Eccleſiaſticis redditibus ſuarum Eccleſiarum frui conſueuerant, compulit per titulares Epiſcopos Paſtoralia officia adminiſtrare, prædicare, in publico celebrare, diœceſim viſitare; catholicas oues confouère atque Eccleſiaſticum Clerum in moribus reformare, ſeminaria erigere, atque Concilij Tridentini decreta ad amuſſim ſeruare: quòd rei catholicæ maximum præſtitit beneficium. *Catena in eius vita.*

Item Bauariæ Ducem Orthodoxum, Catholicorum in Germania ſpeculum mirabile ſummoperè dilexit, ſacris donarijs auxit, in Fide, ac veneratione erga Sedem Apoſtolicam confirmauit, atque vt filios ſuos ab omni hæreticorum conſortio ſeparatos, & alienos in Ieſu Chriſti vera fide educaret, monuit. *Catena vbi ſup.*

Romæ ſolemnis abiuratio hæreticorũ multorum facta eſt in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, & vt id fieret maiori, cum auctoritate Apoſtolicæ Sedis, aliorumque hæreticorum timore. In Conſiſtorio die 19. Septemb. habito hortatus eſt Pontifex omnes Cardinales, vt præfatæ abiurationi intereſſent, quæ ſequenti Dominica maximo populi concurſu facta eſt in manibus P. Archangeli de Blanchis Generalis Commis ſacrij S.R. & Vniuerſalis Inquiſitionis, qui proceſſum formauerat in eos. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno Pius Pont. Catholicam Religionem in Polonia nutantem, & labantem fulciuit, miſſo Apoſtolico Legato, qui ſtrenuè præcepta Pontificis Sanctiſſimi exequtioni mandans, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ferè deperditam, reſtituit, Eccleſias, Monaſteria, & Canonicatus ab hæreticis abſtulit, & Catholicis tribuit. Communionem ſub vtraq; ſpecie à Pio IV. prædeceſſore conceſſam, abrogauit; & vt Rex in publicis, & maximis ſolemnitatibus Sacramentum Euchariſtiæ palam acciperet, in hæreticorum confuſionem, Catholicorumque cõfirmationem, edixit. Inſuper in prouincia Pruſſiæ apud Danzic Prædicatorum cœnobium eiſdem ablatum reſtituit, in quibus egregios verbi Dei propalatores eſſe voluit, qui populum illum, & finitimas Vrbes in fide Catholica, & Sedis Apoſtolicæ veneratione confirmarent. *Catena.*

Pius Pontifex, eo quòd S. Thomas Catholicam veritatem corde, & opere roborauerit, atque vi, ac veritate eius doctrinæ hæreſes cunctæ confundantur, & conuincantur, eundem militantis Eccleſiæ quintum Doctorem nominauit, feſtumque illius adinſtar aliorum quatuor SS. Doctorum Eccleſiæ celebrari voluit, expedita de hoc Apoſtolica Bulla 3. Idus Aprilis. *Ex Bullario Romano.*

Præterea die 10. Aprilis Pontifex Pius in Vniuerſo Chriſtiano Orbe indixit ſolemnes præces contra hæreticos, Vniuerſam Eccleſiam Dei, & ſacra illius vaſtantes; vt Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus Catholicam fidem protegere, & conſeruare dignaretur contra eorundem conatus, qui vndique illam euertere conabantur, ipſe verò in cilicijs, orationibus, & ieiunijs perſeuerans: contritionem populi Dei, & euerſionem Eccleſiæ ſuæ inconſolabiliter deflebat. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. & Catena.*

Cum D. Bernardinus de Villalpando Epiſcopus de Guatimala malè affectus Religioſis Prædicatoribus, & Minoribus multas moleſtias eiſdem inferret, atque Apoſtolicas miſſiones in ſibi ſubditis populis impedire conaretur, ad Pium Pont. re

delata,

delata; per Apoſtolicum Breue increpauit ille Epiſcopum de obſtaculo, quod ponebat prædicationi Euangelicæ, & ni reſipiſceret, amotionem à paſtorali cura minitatus, maiorem auctoritatem, ac priuilegia eiſdem Religioſis Miniſtris Euangelicis conceſſit. *Lopez p. 5.*

Inſuper Pius pro manutentione tribunalis S. Inquiſitionis, & carceratorum eiuſdem alimentis, ſuper fructus menſæ Epiſcopalis Piſanæ, & Mantuanæ perpetuam penſionem ducatorum centum conſtituit, promotionem fidei Catholicæ ſummoperè exoptans. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Selegit Pontifex Pius aliquot ex Prædicatoribus, viros pios, doctos, & charitate feruidos, quos cuſtodes poſuit vineæ Dei electæ in varijs Eccleſijs: & quidem P.Gregorius Baldrinus ProuincialisLombardiæ præfectus eſt Eccleſiæ Mantuanæ. P. Ambroſius Aldogattus, Eccleſiæ Caſſen. P. Antonius Roſcius, Salonen.cum facultate exercendi Pontificalia in Herpipolen. P. Gregorius Saluius de Balneolo, Neritonen. & P. Henricus de S.Hieronymo Eccleſiæ Cocchimen.in Indijs Orientalibus. *Ex Act.Conſiſt. eiuſd. Pont. & Vghello.*

P. Felitianus Niguarda ex Morbinio de conuentu S. Antonij; ſacro tamen habitu indutus apudConuentumGratiarum, Mediolani mittitur Apoſtolicus, & Cæſareus Viſitator omnium ſacrorum Ordinum exiſtentium in Germania, graſſante enim ibi hæreſi; multi ſuæ profeſſionis obliti ſecundum carnem, & non ſecundum Deum, & proprium inſtitutum ambulantes, ſcandalo erant ipſis ſæcularibus catholicis ob conſcientiæ libertatem, & ſenſus incontinentiam. Iuſſa Pontificis atque Cæſaris impleuit ille, at non ſine vitæ periculo, reſtituitq; inter ipſos Religioſos regularem candorem, & modeſtiam. *Plodius, & Vghellus.*

ANNO 1568. Graſſabatur magis, ac magis in Gallia hæreſis, ita permittente Deo, cuius iudicia inſcrutabilia. Quare conuentus noſtri depopulati, Eccleſiæ igne conſumptæ, Altaria diruta, atque Sanctorum corpora cremata ſunt: nec his contenti hæretici contra Religioſos ipſos in odium fidei ſæuientes, ſanguinis effuſione innumeros direxerunt in cœlum, inter quos ſequentes recenſentur ex noſtris P. Augerius de Montealto Supprior Conuentus Morlanenſis catapulta interemptus. P. Raymundus de Plano Morlanenſis Conuētus Concionator, hæreticorumq; hoſtis acerrimus, ab eiſdem captus, dum in fide conſtantior eſſet erutis oculis, eique in cibum datis, tandem trucidatus eſt. P. Io: Fargalius, P. Antonius de Roſa, & P. Antonius Vuiliers fame conſumpti ſunt. P. Laurentius Franconi Brutenenſis viuus combuſtus eſt. In Prouincia Franciæ, & Congregatione Gallicana P. Robertus Caluanus de conuentu Ebroicen. ab hæreticis lanceis confoſſus, ſanguine ſuo Chriſtianam diſciplinam comprobauit P. Petrus Mæretus conuentus Claromontenſis ab eiſdem miſerrimè vexatus peremptus eſt. P. Io: Pichardus conuentus Beluacen. & P. Io: Fegen trucidati, vitam æternam promeruère. Omnium iſtorum, & aliorum, numero 29. heroum glorioſus pro catholica fide triumphus Pij V. Pontificis Sanctiſſimi auctoritate comprobatus eſt. *Ex Caſtillo, & Fernandez. Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1569.*

Pontifex Pius Philippum II. Hiſpaniæ Regem Catholicum; ne libertatem conſcientiæ in Gallia Belgica vllo modo permitteret monuit, & circa neophytorum educationem, infideliumq; conuerſionem in Indijs mandauit; vt Catechiſmus in Occidentalibus Indijs, Catholico Regi ſubditis, & ſalutiferæ inſtructiones pro ijs, qui chriſtianam fidem eſſent amplexuri,

ri, fierent; necnon voluit; vt Gentiles ad Eccleſiam per baptiſmum accedentes, compellerentur commorari in oppidis, vbi eſſent Eccleſiæ, non autem in montanis, & ſpeluncis, quò faciliùs, & fructuoſiùs in Chriſtiana Religione poſſent conſeruari. *Catena*.

Eodem anno Pius Pontifex, audito, quòd hæretici Griſones virus ſuum in Lombardiam effunderent, (quorum Dux erat Franciſcus Celaria Mediolanenſis, apoſtata magni nominis) tanto Eccleſiæ damno occurrere volens, vnum ex Prædicatoribus ſibi in minoribus fidum, aliquibus ſatellitibus benè ſtipatum, pecuniaque communitum Coiram miſit; vt Franciſcum caperet; ibi Frates cum ſatellitibus mutato habitu præſtolati ſunt eum in tranſitu fluuij Adæ, quem frequentare conſueuerat, & iniectis in eum manibus, ac vinculis per Mediolanen. ditionem celeriter duxerunt Romam. Conqueſti ſunt ſupra modum de hoc Griſones apud Mediolanen. Gubernatorem Ducē de Albrerqueque; ſiquidem Pontifex intra ſuos terminos iuriſdictionem exercens in vincula conieciſſet Celariam: ad quod Pius reſpondit; *Pontificiam poteſtatem in cauſis fidei nullo limite in terris terminari*. Romam autem perductus, cauſa dicta coram P. Archangelo Blanco S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Generali Commiſſario, Pius Pontifex in acie Campi Floræ publicè illum paulò ante ad fidem reductum, concremari voluit. *Fernandez, & Fons Maior lib.* 5.

Cum Carſaneca vir famoſus, Duci Coſmæ de Medicis familiaris, Clementiſque VII. Pont. Protonotarius, Eccleſiaſticis redditibus, ac beneficijs auctus, miniſtros Caluiniſtas apud Geneuam ſuis eccleſiaſticis redditibus, ac pecunijs aleret, & cùm Hæreſiarcha Caluino per aſſiduas, & multiplices epiſtolas conuerſaretur, quarum aliquæ fuère interceptæ, manu propria Caluini exaratæ ad Carſanecam ſcriptæ; ipſe poſtquam ter abiuraſſet, atque S. Matri Eccleſiæ reconciliatus fuiſſet, poſt 27. annorum pertinaciam ex Pij mandato à P. Archangelo de Blanchis Commiſſario S. Officij captus, in vinculis cauſa dicta, iubente Pontifice, in foro publico ſolemniter combuſtus eſt adſtante Romani populi multitudine maxima. *Fernandez, & Fons Maior*.

In Conſiſtorio ſecreto habito die Veneris 3. Decembris Pius Pontifex F. Michaelem Card. Alexandrinum S. R. E. Camerarium creauit, vacante dicto officio per mortem Card. Vitellotij Diaconi Card. S. Mariæ in Vialata, quod paulo poſt in ſubſidium ſacri belli conra Turchas renunciauit, vt dicetur anno 1570. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno P. Iacobus Naclantius Florentinus Ep. Clugien. eximiæ eruditionis vir impreſſit libros tres aduerſus hæreſes huius temporis; vnum prænotatum: *De Regno Chriſti*: alterum: *De Auctoritate Concilij, & Papa* & tertium *De Pontificatu, & Sacerdotio*. Plodius, & Luſitan.

Oues gregis Chriſti paſcendas tradidit Pius in diuerſis Eccleſijs ſuis Patribus Prædicatoribus: Et quidem illas Eccleſiarum Nepeſinæ, & Sutrinæ P. Camillo Campegio Inquiſitori Mantuano, qui in ſuo munere exercendo tribulationes non modicas paſſus fuerat. Eccleſiæ Balneoregien. P. Vberto Locato. Salutienſis verò Ioanni Mariæ Taparello Prouinciali Lombardiæ, ac tandem Aſtenſis Eccleſiæ P. Domenico de Ruere. *Ex Actis Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Laborum ſuorum præmia percepturus migrauit ad Dominum hoc anno in Gallia F. Petrus Diuolus de Antiſiodorenſi Côuentu, Pariſinus doctor eruditiſſimus, tam animarum zelo, quàm morum candore clariſſimus, qui ſe murum validum,

in

in defenſionem catholicæ fidei, hæreticis effrontibus oppoſuit, & diſputationibus, ac congreſſibus, tam publicis, quàm priuatis, & ſacris prædicationibus maximè, magno ſpiritus feruore illorum dogmata peruerſa indefeſſo labore, virili conſtantia, ac perpetua contentione confutauit, Catholicæ fidei cultores in auita Religione conſeruando; & vt eos etiam poſt mortem perſequeretur, ſcripſit bina volumina concionum de tempore, & de Sanctis, in quibus hæreſes cunctas, vi rationum proſtratas, ac deiectas ad nihilum redegit. *Luſitanus in Bibliot.*

Pius Pontifex glorioſiſſimus ad compeſcendos hæreticos in Gallia graſſantes conceſſit Carolo IX. Regi Chriſtianiſſ. qui ab eodem poſtulauerat ex bonis eccleſiaſticis ſui regni dari ſibi aliquod ſubſidium, vt ex eiſdem bonis eccleſiaſticis diſtrahere poſſet ad quinquaginta millia aureorum annui redditus; ea tamen lege, vt venditiones non fierent in perſonas hæreticorum, quodue Eccleſiæ, & beneficia non ita grauarentur, vt diuinus cultus in eiſdem deficeret, & pecuniæ nonniſi in Catholicæ Religionis defenſionem expenderentur. Denique totum id fieret cum facultate redimendi. Dato Pontificio diplomate Kalendis Auguſti. Quibus pecunijs hæreticorum audaciam Rex compreſſit. *Spondan. num. 19.*

ANNO 1569. Graſſante magis, ac magis hæreticorum ſæuitia, ac petulantia in Gallia, glorioſam pro catholica fide palmam ab hæreticis perempti in cœlis obtinuerunt noſtri Prædicatores. Et quidem P. Io: Malcauſerius Prior Toloſanus globulo plumbeo per ſcopletum emiſſo interijt. P. Michael Sarberius Prior Matiſconen. ex feneſtris Conuentus deiectus, atque toto corpore laceratus, laqueo necatus eſt, quem ad palmam ſequutus eſt P. Io: Nouitius bipenni perfoſſus. P. Petrus Guillottus Prior Conuentus Caſtren. pugione tranſuerberatus adhuc ſemiuiuus in flumen piopulſus, curſum fœlicis ſui agonis conſummauit. Pater Franciſcus in Conuentu Rupellen. diù tortus, ac vexatus cum duobus alijs Fratribus, truncato capite perrexere ad cœleſtia regna. P. Io: Bole de Conuentu Encoliſmen. cum alio ſibi adiuncto Fratre neci traditus, iugulatus eſt. P. Io: Tortu ſagittis confoſſus. P. Iacobus Magiſtri in Biterren. Conuentu effoſſis oculis, & virilibus abſciſſis, truncato capite ad ſempiternam gloriam euolauit. Plures alij in Athouaren. Conuentu, & in Pichardia atque Normandia vario mortis genere perempti ſunt, quorum nomina ſcripta ſunt aureis characteribus in libro vitæ. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1579.*

Tantam igitur hæreticorum arrogantiam compreſſurus Pius Pontifex, miſit in Galliam ſex millium bellatorum validum exercitum, præfecto illis Generali Comite S. Floræ ex Sfortia nobiliſſ. Romana familia, qui cum alio exercitu Regis Catholici, è Belgio aduentante coniunctus, numero quinque millium Hiſpanorum veteranorum militum, Catholicorum vires in Gallia ita auxit, vt cum validiſſimo hæreticorum exercitu viginti quinq; millium pugnare non timerent. Quinto nonas igitur Octobris atrox pugna inita eſt, fœliciſſimo Catholicorum euentu, hæreticorum exercitu proſtrato, decem, & ſeptem millibus trucidatis, alijſque in fugam coniectis: ex catholicorum autem exercitu deſideratis tantummodò ſex centis. Aſſerebant Hugonotti ex vexillis B. Pontificis Pij V. in principio pugnæ extenſis, radios, & fulgorem quendam emanaſſe, eorum oculos præſtringentem, atque conſpexiſſe ductores quoſdam belli ſplendidis armis loricatos, & gladijs ſanguine rubentibus minitantes in hæreticos, ex aduerſo ſtantes. Tali viſione territus quidam hæreticorum Dux, voto ſe con-

ſtrinxit ſigna Pontificis ſe deinceps ſequuturum, ſi vitæ periculum in pugna euaſiſſet: idque poſtea exequutioni mandauit. Victor igitur Comes S.Floræ miſit in Vrbem ad Pontificem Max. viginti duo hæreticorum vexilla in prælio capta, quę in tantę victorię eiuſdem B. Pij precibus, (vt creditur) obtentæ memoriam, in Lateranen.& Vaticana Baſilica appenſa fuère; ſexcentis, & quinquaginta millibus aurorum ab eodem Sancto Pontifice in profligandis hæreticis, conſumptis. *Catena*.

Egère poſtmodum Hæretici, Hugonotti dicti, cum Carolo IX. Galliæ Rege, vt pax ſtabiliretur inter ſe, & ipſum quòd præſtare paratus erat Rex: diſplicuit id ſupra modum Pio, & infracto animo per ſuum Legatum repugnauit; per biennium tamen exercitum apud Auenionem ad hæreticorum terrorem aluit, & frænum; erecto in eadem Vrbe rigoroſo S. Inquiſitionis tribunali, cum poteſtate hæreticorum bona Fiſco applicandi, ad templa, & Monaſteria ab eiſdem vaſtata reædificanda; & tam perfecto odio oderat illos, vt bello captos, emeret, & niſi hæreſim abiurarent, Auenioni viuos comburi faceret. *Catena*.

Generale Capitulum Ordinis Romæ de mandato Pij Pontificis Max. celebratum eſt hoc anno in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, cui ipſe Pont. interfuit, manſitque in eodem per totam diem feriæ 4. infra octauam Pentecoſtes, admiſſit ad ſacrorum pedum oſcula Fratribus, & cunctis petentibus ſeorſim audiri, benignè indulſit. F. Michael autē Bonellus Card. Camerarius eiuſdem Pont. Nepos ingreſſum præbuit in Sancta Sanctorum cunctis eiſdem Patribus, ac Fratribus. *Ex Act. eiuſd. Capit. denunc.* 1. & 2.

Eliſabetta Angliæ Regina ob illata Religioni catholicæ damna proſcribitur, & excommunicatione notatur à Sanctiſs. Pontifice Pio V. poſt expectatos aliquos annos, vt reſipiſceret, ipſaque excommunicationis ſententia publicatur ad fores Epiſcopales Londinenſes, palam affixa à Ioanne Feltono nobili viro, qui poſt modum innumeris, & acerbiſſimis ſupplicijs vexatus, vitæ curſum compleuit. *Leſeburè*.

Euulgauit præterea Pius Conſtitutionem Apoſtolicam contra Iudæos, qui multorum, ſcelerum auctores eſſe, dignoſcebantur, qua eiſdem præcepit; vt infra trium menſium ſpatium ex ſtatu, ac ditione Eccleſiaſtica exirent ſub pœna confiſcationis omnium bonorum, ac perpetuæ ſeruitutis: conceſſit tamen illis; vt Romæ, atque Anconæ tantum manere poſſent ad memoriam paſſionis Dominicæ in fidelium animis eorum intuitu amplius excitandam; proſequendaſque cum Orientalibus negotiationes, ex quibus nonnulla commoda Chriſtianæ Reipublicæ prouenirebant. *Spondan. num.* 10.

Præterea idem Sanctiſſ. Pontifex Pius die Mercurij 2. Martij in ſecreto Conſiſtorio hortatus eſt Cardinales omnes; vt feſtum proxime futurum S. Thomæ Aquinatis in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruā honorarent, eiuſdem S. Doctoris beneficia maxima catholicæ Eccleſiæ collata commemorans. Acceſſit igitur purpuratorum Sacrum Collegium ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, & ante ſacellum DD. de Caraffis eidem S. Doctori dicatum Cardinalitiam Cappellam habuere eiuſdem Pontificis aſſenſu, quæ vſque in hodiernū diem ſingulis annis celebratur ſolemniter, indiciturque ore proprio pontificio coram Cardinalibus vltima vice ante feſtum S. Doctoris congregatis, ſupplici libello à Magiſtro Ord. ad hoc Pontifici Max. porrecto. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Petente Philippo Catholico Rege Pius Pont. pro reformatione Ordinis Sanctiſſ. Trinitatis in Regnis Caſtellæ, Legionis, Anda-

Andaluziæ, Aragoniæ, Galleciæ, & Toleti Commiſſarios Apoſtolicos deſtinauit Fratres Ioannem de Salam: Iacobum Oroſium, Auguſtinum Salucium, & Philippum de Mennez, viros doctiſſimos, & præſtantiſſimos, qui mandatum Pontificis adimpleuerunt, maxima cum eiuſdē Ordinis vtilitate, atque regularis obſeruantiæ incremento. *Lefeburè.*

Eodem anno P. Dominicus Sergent eximius Doctor Pariſien. & à Concionibus Reginæ Eliſabet Auſtriacæ, acerrimus hæreticorum perſequutor, (quos diſputationibus, congreſſibus, & ſcriptis confudit) librum tandem Gallico idiomate aduersùs eoſdem euulgauit, *De non iterando baptiſmate, De ceremonijs ipſius, & de illorum vtilitate.* Antonius Luſitan. in Bibliot.

Præterea Pontifex Pius Coſmum Medicem Florentiæ, & Senarum Ducem, ob militares copias, atque pecuniarum ſubſidia ad inſtantiam eiuſdem Pontificis Regi Galliæ contra hæreticos tranſmiſſas, Magnum Ducem in Hætruria creauit, quem ad Beatorum pedum oſcula in Cōſiſtorio die Sabbathi 18. Februarij ſequenti anno 1570. recepit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Max.*

Sanctiſſ. Pontifex Pius ſuis Fratribus Prædicatoribus Eccleſias cuſtodiendas, atque regendas tradidit. P. Ferdinando de Tauora Eccleſiam Funcalen. P. Ambroſio Saluio de Balneolo, Neritonen. P. Petro Martyri, Elnen. & P. Euſtachio Lucatello, Eccleſiam Regien. atque in Conſiſtorio die Veneris 1. Aprilis habito, promulgauit decretum de non inuadendo officio S. Inquiſitionis, eiuſq; Miniſtris ſub grauiſſimis cenſuris, ac pœnis in Bulla contentis. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Magiſter Generalis Ordinis P. Vincentius Iuſtinianus Apoſtolicus Nuncius in Hiſpaniam ad Philippum Regem Catholicorum à Pio Pont. pro grauioribus Apoſtolicæ Sedis negocijs mittitur, & inter cœtera ob violatam immunitatem, & dignitatem Eccleſiaſticam à Senatu Mediolanen. alijſque Miniſtris Regijs apud Mediolanum exiſten. quàm Eccleſiam regebat tunc ſummo zelo S. Carolus Card. Borromeus: litteræ autem Apolicæ ad eundem Catholicum Regem datæ ſunt apud S. Petrum 10. Octob. quarum tenor eſt talis. *Dilectum filium Mag. Vincentium Iuſtinianum Ord. Præd. Generalem, virum nobis probatiſſimum &c.* Ex Litt. memorab. Abb. Iuſtiniani.

P. Sebaſtianus de Canta, de quo an. 1556. cum in Malacen. cœnobio religioſam vitam profiteretur ſpiritualibus exercitijs deditus, datus fuit à ſuperioribus ſocius P. Hieronymo à Cruce Apoſtolico Miſſionario, vt nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti euangelizarent in Regno de Sian, ad quod cū perueniſſent, linguamq; Regionis illius breui tempore didiciſſent, fructum maximum Chriſto Domino attulerunt, copioſa fidelium meſſe in horreis Eccleſiæ congregata: id indignè ferentes aliqui Idolatræ, impetu in ſeruos Dei facto, Hieronymum trucidauère, Sebaſtianum verò ad mortem vulneratum dimiſère, qui Chriſtianorum miniſterio, cum conualuiſſet ab infirmitate, alios Religioſos Ordinis ſibi dari in adiutorium Apoſtolici miniſterij à Vicario Generali Indiarum Orientalium enixè petijt, & obtinuit; horum igitur auxilio fretus Sebaſtianus, cum die, ac nocte prædicaret, cathechizaret, baptizaret, Sacramentaq; renatis fonte baptiſmatis miniſtraret, cum ſocijs trucidatus glorioſum pro Chriſto agonem conſummauit die 11. Februarij; *Marcheſius in Diario tom. 1.*

P. Remigius de Florentia, vir eruditiſſimus, ſcripſit contra hæreticos huius temporis, *De Summi Pontificis auctoritate*, quod opus B. Pio V. obtulit, à quo præfectus eſt

eſt nouæ impreſſioni operum D. Thomæ Doctoribus Angelici in Vrbe hoc anno faciendæ. *Ex hiſt. Rom. Prou.*

Prodijt in lucem opus poſtumum ſapientiſſimi Magiſtri, & P. Inquiſitoris Gandauenſis Ioannis Bunderi Antuerpiæ hoc anno impreſſum, prænotatum, *Scutum Fidei Orthodoxæ* aduerſus Ioannem Anaſtaſium Veluanum, hæreticis infenſum. *Bibliot. Belg.*

ANNO 1570. Patiuntur ab Hæreticis, & hoc anno damna multa alij Prædicatores, aliquibus ex eis proprio ſanguine laureatis inter quos recenſentur P. Nicolaus Sauxati ſuperior Nemauſen. P. Io: Iunij Mag. & Prior Alexti. P. Io: Argenpſonius. P. Antonius Vrſus P. Io: Miraballus. P. Apollinaris Viennen. & P. Io: Gabaſſus de conuentu Dionen. *Ex Act. Cap. Gen. Rom.* 1571.

In Prouincia verò Toloſana hoc anno P. Leonardus Talaſſius de conuentu S. Iuliani, cum in pauperum Xenodochio infirmis miniſtrans repertus fuiſſet, ab hæreticis ſtrangulatus, victor glorioſus occubuit. P. Raymundus de Plano eiuſdem conuentus prædicator feruidus, cum in prædicatione euangelij contra hæreticos viriliter perſeueraret, ab eiſdem captus, erutis oculis, & eidem in cibum datis, tandem iugulatus, ad ſempiternam gloriam tranſijt. *Ex Act. Capitul. General. Rom.* 1571.

Eodem anno, & ſequentibus in Orientali India apud Regna Syan, & Camboia P. Hieronymus de Cruce, P. Lupus Cardoſo, P. Gaſpar de Cruce, & P. Io: Madeyra euangelicę prædicationi pro viribus incumbentes, Gentiles mullos catholicæ fidei adiunxerunt: & in Regno Camboya potiſſime, vbi à Rege benigniſſimè tractati, tandem P. Hieronymus in Regno Syan à Mahumetanis poſt carceres, & afflictiones innumeras lancea transfoſſus, martyris palmam promeritus, cęlos conſcendit, ſanguine laureatus. *Luſitanus in Chron.*

Glorioſus Pontifex Pius 16. Kal. Iunij plurimos S. R. E. Cardinales; viros tantam dignitatem optimè promeritos creauit, & inter eos P. Archangelum Blancū de Gambalò, Ep. Theanen. & P. Vincentiū Iuſtinianum Mag. Generalem Ordinis ex Hiſpanica Legatione reuertentem, qui D. Thomæ Aquinatis ſermones de tempore, & de Sanctis ex Bibliotheca Vaticana erutos imprimi fecit. *Ciaccon. & Plod. Mirræus in Bbliot. Eccleſ.*

Monaſteria Sororum Ord. S. Franciſci in Cathalunia Apoſtolica Pij, & Regia Philippi auctoritate à P. Martino de Corduba viſitantur, & ad regularis obſeruantiæ nitorem reſtituuntur. Domus quoq; Tortoſæ Fratrum S. Franciſci ſponte noſtro Prædicatorum Ordini adiunguntur. *Lefeburè.*

Ordo præterea B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiuorum in Aragonia à PP. Philippo Menezes, Fernando de Caſtello, & Guillelmo de Montagnes de Plizardent Apoſtolica, ac Regia auctoritate viſitatur, & reformatur. *Lefeburè.*

Inſuper Præmonſtratenſium Ordinis Monaſteria ſingula in Caſtellæ, Galleciæ, & Aragoniæ Regnis Apoſtolica Regiaq; actoritate viſitata, ac reformata ſunt per ſupradictum P. Philippum de Menezes. *Lefeburè.*

Die Mercurij 10. Maij Cardinalis noſter Alexandrinus ad petitionem Pii Pontificis Max. in Conſiſtorio ſecreto officiū Camerariatus S. R. E. reſignauit ad eiuſdē Pont. pedes liberè; qui illud contulit Card. Cornelio, qui ſubuenit Cameræ Apoſtolicæ de 70. millibus ſcutis auri in auro; quam pecuniam Pius ſacro bello contra Turcas totam mox applicuit. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Coſmus Medices die Sabbathi. 18. Februarij, vt ſupra innuimus, in Conſiſtorio publi-

publico fuit à Pio V. Pont. Max. receptus, & admiſſus ad pedum oſcula, tanquam Magnus Dux in Etruria, ab eodem tali titulo decoratus, ac inſignitus. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Aſſumuntur à Pontifice Max. Pio ad regimen gregis Chriſti in varijs Eccleſijs Patres Prædicatores, viri inclyti, & tanto regimine digni. Et quidem P. Bartholomæus Ferrus de Lugo ex Litteren. ad Interamnen. Benedictus Herba ad Caſalen. Angelus de Lugo ad Polimnianen. Hieronymus Vielmus ad Emonien. & Gofredus à Marlù ad Nerbinen. in Comitatu Hollandiæ. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno in India Orientali apud Goam, & in Polonia, Inquiſitores noſtri in demandato ſibi munere inuigilabant maximo cum catholicæ fidei incremento; apud Indos P. Gaſpar Melius. Apud Polonos verò P. Stanislaus Raduan, & P. Melchior Moſticenſis. *Bzou. de Prou. Pol. cap. 8.*

P. Alexius Figliuccius Senen. de conuentu tamen S. Marci de Florentia, vir religioſiſſimus, vertit in Italicum Sermonem, ac impreſſit, Catheciſmum Romanum, à S. Concilio Tridentino euulgatum ex B. Pij Pont. mandato. *Ex Monum. eiuſd. Conuent.*

Caput X.

P. SERAPHINO CABALLO Magiſtro Generali XLVIII.

ANNO 1571. Celebratum eſt Generale Capitulum hoc anno Romæ pro noui Magiſtri illius electione, quo congregato, duobus diebus ante ſolemnem Capituli celebrationem Summus Pont. Pius V. ad Conuentum Mineruæ hac ſecunda vice acceſſit; atque in eodem permanſit, etiam nocte, admiſſis cunctis vocalibus ad beatorum pedum oſcula, & omnibus eum adire pro audientia cupientibus, benignum præſtitit auditũ; necnon & Apoſtolica liberalitate gratias plurimas ſingulis contulit. Voluitque inſuper, vt pretioſiſſimæ reliquiæ in Baſilicis Vrbis, ac templo S. Crucis in Hieruſalem eiſdem oſtenderentur. *Ex Act. Capit. Gen.*

In eodem Capitulo electus eſt Mag. Ordinis P. Seraphinus Caballus, & decretum eſt, vt Fratres degentes in Prouincijs hæreticali peſte infectis, ad Italiæ, & Hiſpaniæ Prouincias ſtudiorum cauſa aduentantes, benignè ſuſciperentur; & charitatiuè alerentur, vt perfectis ſacris ſtudijs in patriam redeuntes, diſputationibus, atque congreſſibus cum hæreticis, maximos in Germania, & Gallia inducerent fidei progreſſus, Catholicos in fide continendo, atque hæreticos ad illam reducendo. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Pontifex Pius die Veneris 26. Ianuarij in Conſiſtorio aperuit os P. Vincentio Iuſtiniano Cardinali creato, ex Hiſpanica Legatione in vrbem reuerſo; declarauitque, ac perpetuo decreto ſanxit Cardinales, quibus os clauſum fuit, poſſe proferre votum in electione Summi Pontificis, ſi contingat Pontificem Max. decedere ante quam os fuerit eiſdem apertum. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Conſcendit in Cœlum ſanguine laureatus in Gallia è Prædicatoribus vnus ab hæræticis peremptus; P. Robertus de Bellouiſu, qui articulis membrorum abſciſſis, & inter milites diuitis, in reſiduo corporis excoriatus eſt. *Ex Act. Capit. Gen. & Plod.*

Decertabant viriliter hoc anno, & tem-

pore

Digitized by Google

pore ad mortem vſque Fratres Prædicatores in Polonia contra debaccantes hæreticos Lutheranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, aliosque Sectarios Catholicam fidem in vaſtiſſimo illo Regno labefactare procurantes, ipſo Iacobo Archanski Regni Primate Archiep. de hæreſi, quam maximè ſuſpecto, quippe qui hæreticorum miniſtros prædicantes non ſemel in ſuo palatio prædicare permiſſerat coram ſe aſſidente. Brentius hæreticales libros ſuos Sigiſmundo Regi non ſemel obtulerat. Quinque tantum Epiſcopi catholici in Poloniæ Coronæ ditione numerabantur, & ferè Principes omnes erant hæreſis veneno miſerrimè coiquinati. Opponebant autem ſe impijs Diaboli, & Sathanæ Miniſtris infracto animo Prædicatores, & cauſa Chriſti, atque eius Eccleſię ſuſcepta, vſque ad mortem decertare parati, publicis, ac priuatis ſupplicationibus Deum; Beatiſſimam Dei Genitricem, ac Sanctorum omium patrocinia inuocabant; *Bzou. de Reb. geſt. in Pol. Ord. Præd.*

P. Michael Moſticenſis, nunquam ſatis ſcriptorum calamo commendatus, vir Apoſtolicus, Inquiſitor Cracouien. Regem ipſum ſæpè ſæpius adibat, atque in catholica fide, datis ſcripturis, conſolidare non deſiſtebat. Aulicos Principes de hæreticorum fallacijs, atque prauis dogmatibus informabat, necnon & in vera fide conſtabiliebat. P. Cyprianus Polonus verò Agoſtomſcio Rauenſi Palatino, alijſque eius familiæ impijs hæreticis ſe validum pro catholica veritate murum opponebat, ac propterea improperijs affectus aſſiduis, quærebatur ad necem; ſed Deus innocentem ab eorum inſidijs vindicabat. Pater Leonardus Polonus Palatino Petro Sborouio ipſorũ hæreticorum Cracouienſium Anteſignano, ac Protectori virili pectore reſiſtebat, publicis congreſſibus, prædicationibus, ac diſputationibus; ab eodem & ſequacibus ipſius miſerrimè diuexatus, ita vt non poſſet per Cracouiam ſine irriſionibus, euidentiq; vitæ periculo incedere. Hi tres inuicti Ieſu Chriſti atletæ docto calamo, datis ſcripturis, deliramenta nouorum hereticorum impugnantes, indictis publicis diſputationibus, hæreticos confundebant, catholicos lætificabant, & nutantes in fide conſtabiliebant, frementibus in eos hæreticis, ac tabeſcentibus. Samuel autem Sborouius perfidus hæreticorum aſſecla, fautor, & protector ita vehementi odio erat accenſus contra noſtros Prædicatores, vt de die, & de nocte nil meditaretur, niſi quomodo eos perſequeretur, perderet, exterminaretque: cumque die quadam binos ex eis per plateam nobiliorem Cracouien. pergentes conſpexiſſet, miſit ſatellites, qui eos vincirent, & ad ſe deducerent; ex quibus vnus fuga elapſus, alter vinctus ducitur ad Samuelem, P. Laurentius Zembrouius nuncupatus: interrogatus num vellet catholicam fidem deſerere, ac deſteſtari, & ſuam amplecti? Reſpondit, ſe nullo modo id facturũ: minatur ille mortem diriſſimam, *vtinam* ſubdidit Laurentius, *vt illam mihi inferas ad vitam æternam.* Spoliatur illicò ſeruus Chriſti Laurentius, & truncus ad cruciatus, & tormenta paratur, quæ cum virili pectore lætus ſuſtineret, confuſus Samuel ex ſcalis illum præcipitare iuſſit, & ſemiuiuus in conuentum delatus eſt. *Bzou. vbi ſup.*

Contra omnes illos Eccleſiæ perſequutores Lutheranos, & Caluiniſtas, Principum fauoribus elatos, ſola ferè Prædicatorum Prouincia Poloniæ ſtetit, atque murum validum pro Eccleſia ſe oppoſuit; multos illorum abegit, & proſtrauit, atq; ſacrarum Scripturarum argumentis in confuſionem redegit; ita vt hæreticorum Prædicantes à congreſſibus, & diſputationibus cum illis abhorrerent ſummoperè. Quare Epiſcopus Cracouien. Petrus Tylichzki ad Pontificem Max. Pium hæc ſcripſit,

ſcripſit, *Si Fratres Prædicatores in Polonia contra hæreticos non ſtetiſſent, Beatiſs. Pater vix veſtigium aliquod in eo Regno Orthodoxæ veritatis remanſiſſet*. Tanta erat Prædicatorum doctrina, tantus ſalutis animarum zelus, tanta Eccleſiæ defenſio, ac patronicium. Benedictus Deus. *Bzou. de Prou. Pol. cap. 6. 7. & 8.*

Eodem anno Anglus quidam nobiliſſimus, Caluiniana hæreſi tamen infectus, Romam petijt; eiuſdem Vrbis antiquitates, & Pontificem, Curiæ dignitatem, ac magnificentiam inuiſurus; cumque vno, vel altero die poſt aduentum in Vrbem ad proceſſionem pontificiam, quæ in ſolemnitate Corporis Chriſti fit, inuiſendam acceſſiſſet, fixis in Pium Pont. Max. oculis, illius aſpectu, ac deuotione ita commotus fuit, vt per turbam irrumpens ad pedes ipſius proſtratus hæreſim ſuam confeſſus, ac deteſtatus ſit, petens Sacroſanctę Eccleſiæ Matri fideliū omniū reconciliari, votique compos terminata proceſſione effectus, ac multis ſacris donarijs auctus, in patriam, optimus Catholicus reuerſus eſt. *Catena in Vita eiuſdem Pontificis.*

Dux Olicæ Germanus, hæreticus & ipſe, ad Vrbem accedens, vt Sanctum Pontificem, de quo tot, & tanta in patria audierat, videret, aſpectu eiuſdem Sanctiſſimi Pontificis ſuper album Aſellum per ciuitatem incedentis, eidem dono datum à magno Magiſtro Religionis Hieroſolymitanæ (vt nobis plures, qui eundem Pium viderunt, non ſemel retulère); perterrefactus, atque ad ſaniorem mentem reuerſus, ad Pontificis pedes accedens, abiurata hæreſi à cenſuris abſolui, & Eccleſiæ reconciliari promeruit, benigniſſimè receptus, & ſacris muneribus conſolatus à Pont. *Catena ibid.*

In Anglia verò miniſter quidam Caluiniſtarum, Buritus nomine, aduersùs Sanctiſſimum Pontificem Pium V. pro ſuggeſtu oblatrans, ſuæ temeritatis pœnam luit, ſtatim mutus effectus; quo facto multi hæreticorum perteriti, ad catholicam fidem per abiurationem hæreſum reuerſi ſunt, S. Matri Eccleſiæ reconciliati. *Catena ibid.*

Die Lunæ 18. Iunij Sanctiſſ. Pontifex Pius deputauit Legatum de Latere ad Regem Catholicum Philippum, & Sereniſſ. Regem Portugalliç; & die Veneris 16. Nouembris etiam ad Regem Chriſtianiſſimum, Cardinalem Alexandrinum cum ampliſſima facultate pro fœdere ſacro ineundo contra Turcas. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Idem Summus Pont. Pius inito fœdere cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, atque Republica Veneta, quo Turcarum audaciam reprimeret, instructa claſſe, Pontificijs triremibus præfecto Marco Antonio Columna Romano, Hiſpanicis Ioanne Andrea Auria Genuen. & Venetis Sebaſtiano Venerio, vniuerſæq; Claſſi Ioanne de Auſtria, ad Naupactum Achaici ſinus conuenientes, noſtri acerrimo nauali prælio, ſeptima die Octobris, quæ Dominica fuit, (qua hora per vniuerſum Chriſtianum orbem ſocietates Sanctiſſ. Roſarij ſolemnes proceſſiones de more habebant, diuinam propitiationem pio eiuſdem S. Virginis interuentu ſuppliciter implorantes,) ac inſignem, ac iugiter memorandam, de ipſorum fidei hoſtiū claſſe, longè maiore, & potentiore reportarunt victoriam, captis centum ſeptemdecim triremibus, bimeremibus tredecim, reliquis ferè omnibus, vel igne conſumptis, vel demerſis; & quinquaginta circiter fuga periculum euaſerunt. Chriſtianorum Captiuorum in triremibus detentorum quindecim millia libertati reſtituta ſunt, principalioribus Ducibus Turcarum captis, atque in Romana S. Angeli de Vrbe arce recluſis, quæ victoria diuinitus B. Pio Pontifici reuelata creditur

eodem tempore, quo reportata eſt, vt per Sacram Rituum Congregationem fuit approbatum. *Spondanus num.* 18. 19. *&* 20. *&* *Lefeburé*.

Conuentus de Vique Ordinis S. Franciſci Apoſtolica, atque Regia auctoritate tranſijt ad noſtros Prædicatores. *Lefeburé*.

Viriliter decertabat contra hæreticos P. Bernardus Bernardi Auenionenſis Inquiſitor, qui pontificio auxilio, atque auctoritate fretus, illos ſeueriſſimis pœnis affligebat, quotquot in ſibi credita ditione inueniebat; vnde nullus ex eis Auenionenſem Pontificium ſtatum ingredi præſumebat. *Plodius*.

Aliquos ex Prædicatoribus Pius Pontifex aſſumpſit ad regimen Eccleſiarum, ouiumque Chriſti; nam P. Sixtus Nouocomen. factus eſt Ep. Mutinen. P. Natalis Pomelet, Salonen. cum facultate exercendi pontificalia in ciuitate, & diœceſi Lucionen. & P. Vincentius Donzellus Sulmonen. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Euſtachius Hungarus ad ſupplicationem Matthiæ Coruini Regis Hungariæ habuit à Pio II. Pont. Abbatiam inſignẽ de Topouzkanit, vt incolas illius Monaſterij in regulari obſeruantia inſtrueret, & ad priſtinum monaſticæ vitæ ritum reuocaret: præfuitque in eodem Monaſterio vſq; ad mortem. *Ferrarius*.

ANNO 1572. In Germania inferiori, ſeu Gallia Belgica, P. Io: Colonienſis hæreticorum indefeſſus hoſtis, quos publicis congreſſibus, ac ſcriptis, necnon & prædicationibus vrgebat, ab eiſdem captus, atque in grandi trabe ſuſpenſus, viſceribus extractis, trucidatus eſt, apud villam Gorcunnam, egregium martyrium perferendo, de cuius Beatificatione in S. Cong. agitur. *Gulielmus Eſtius*.

Eodem anno in Lombardia Vercellenſis hæreticorum Inquiſitor ſedulam operam commiſſo ſibi muneri impendens, ſæculari brachio comburendum tradidit Georgium Oliuettam hæreſiarcham peſſimum; & carceri perpetuo adiudicauit Abbatiſſas duas à fide Apoſtas: necnon & ſtriges ibidem pullulantes ſeueris pœnis compeſcuit. Quare perſequutiones multas, & malas ſuſtinuit; libententer autem propter Ieſum Chriſtum *Plodius*.

Apud Indos quoque occiduos indefeſſè laborabant Prædicatores hoc anno in promulgatione Euangeli; Nam P. Dominicus à S. Maria, vt id facilius fieret, linguam miſtecam ad artem reduxit, atque in ea chriſtianam inſtitutionem compoſuit. Epiſtolas item, atque Euangelia in eandem linguam tranſtulit ad prædicatorum eruditionem, & commoditatem maiorem; quo facto multi Idololatræ catholicam fidem amplexi ſunt. *D'Auila lib.* 2.

Pius Pontifex Sanctiſſimus in Conſiſtorio die lunæ 17. Martij habito decreuit celebrandum fore feſtum B. Mariæ Virg. de Victoria die 7. Octob. propter victoriam ea die ſuperioris anni contra Turcas reportatam: & quod eadem die fieret ſpeciale officium de hoc: propoſuitque inſuper mutandum eſſe nomen Eccleſiæ B. Mariæ ſuper Mineruam, vt deinceps diceretur Eccleſia B. Mariæ de Victoria; ſed tamen nihil fuit tũc ſtabilitum, differendumq; incenſuit in futurum Cõſiſtorium, quod imminente Pontificis morte non fuit habitum. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Max.*

Eodem anno die Iouis, prima menſis Maij, hora vigeſima, Sanctiſſimus Pontifex Pius V. ex calculi morbo euolauit in cœlum. E hoc anno 1672. quo hæc ſcribimus, poſt decurſam integram centum annorum periodum, à Sanctiſſimo Dom. noſtro Clemente X. miraculis coruſcans in Beatorum Album ſolemni ritu relatus eſt. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Cy-

P. Cyprianus Polonus à Sanctiſſimo Pontifice Pio V. factus eſt Motonen. Epiſcopus in remunerationem laborum quos in defenſione catholicæ fidei verbo, & ſcripto pertulerat, vt diximus anno anteced. cum facultate exercendi pontificalia in diœceſi Vilnen. & P. Laurentius de Bernardinis Lucenſis promotus eſt ad Eccl. Coronen. in Magna Græcia, cum facultate exercendi pontificalia in diœceſibus Oſtien. & Veliternen. à Gregorio XIII. Pij ſucceſſore. *Ex Actis eiuſd. Pont.*

Defecit ex mortalium oculis hoc anno P. Philippus Meneſius Hiſpanus nobiliſſimo ſanguine ortus, at pietate, ſcientia & zelo ſalutis animarum nobilior, in regulari obſeruantia ab ingreſſu Ordinis optimè excultus; Philippo Regi Catholico in paucis charus, à quo ſucceſſiuè ad plures Eccleſias nominatus, illas conſtantiſſimè recuſauit. Ab eodem Rege Apoſtolica Pij V. auctoritate inſtitutus Viſitator, ac reformator Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Hiſpania, munus illud tanta cum dexteritate exercuit, vt Fratres ad feruidum regularis obſeruantiæ amplexum ſuo ignito eloquio, atque exemplo induxerit, illamque inter eos conſtabiliuerit. Deceſſit moderator egregius Cathedræ S. Thomæ in Compluten. Vniuerſitate. *Fernandez.*

ANNO 1573. Apud Orientales Indos Prædicatores Epiſcopali infula inſigniti; ſtrenuè laborabant in excolenda vinea Domini electa in promulgatione Euangelij, incolarum illorum mirabili fructu, inter quos mirabiliter effulſit P. Gregorius Temudus primus Epiſcop. Cochimen. deinde Archipræſul Goenſis, qui in ſuis diœceſibus ſtrenuè in dilatanda apud gentiles catholica fide inſudauit, magna eorumdem multitudine ad Idolorum deteſtationem adducta, quos propria manu luſtrali aqua abluebat. *F. Io. de Sanctis p. 2.*

P. Vincentius de Quintiano Brixienſis, vir doctiſſimus, ſcripſit contra graſſantes hæreſes Lutheranas, Caluiniſtas, Zuinglianas huius temporis: de Auctoritate Papæ, & primatu D. Petri. De ſacrificio Miſſæ. De ſacramentali confeſſione; & virtutibus animæ. *Gozeus.*

P. Didacus Horozquius de Segobia, Pontificia, atque Regia auctoritate directus eſt in Aragoniam, Valentiam, atque Cataloniam Viſitator, ac Reformator ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis, cum eſſet Vicarius Generalis Ordinis noſtri apud Hiſpanos, vir in regulari obſeruantia, ac doctrina SS. Patrum maximè excultus; qui Religioſos illos ad amplexandam deperditam regularem obſeruantiam adduxit ſuis monitionibus, exhortationibus, atque exemplis virtutum. *Plod.*

Gregorius Pontifex XIII. B. Pij in D. Petri Cathedra Apoſt. ſucceſſor regimen ouium Chriſti in varijs Eccleſijs Prædicatoribus noſtris demandauit. Et quidem illas Sibinicen. Eccleſiæ P. Lucæ Spigarolo Iadrenſi. Barbaſten. P. Philippo de Vrriere. & Curzolen. P. Angelo de Spalatro. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Iacobus Foure Carnutenſis in regulari obſeruantia verſatiſſimus, & Carolo XIII. Regi Galliæ à ſacris confeſſionibus Lauriacen. Abbas creatur à Gregorio XIII. promouente eodem Rege; vt Monachos illos in vita regulari reformaret, & in priſtinum viuendi nitorem ſuo exemplo reuocaret. *Ex Act. Conſiſt.*

Eodem Anno Gregorius XIII. ad promouendum Beatiſſimæ Virginis deuotiſſimum in Roſario cultum edidit Bullam memorabilem, quæ inter eius Conſtitutiones apud Cherubinum eſt quadrageſima, & incipit: *Monet Apoſtolus.* In hac primò recenſet Victoriam naualem à Chriſtianis aduersùs Turcas non longè à Sinu Corinthiaco prodigioſè reportatam, aſſerens piè credendum eſſe, quòd illud

tam

tam grande Chriſtiani Orbis beneficium cura ſpeciali à Deo impetrarit Regina Sacratiſſimi Roſarij, vtpote cuius Proceſſiones vbique terrarum ipſo die maritimi conflictus de more fuerant per noſtros circumductæ. Proinde gratitudinis memor optimus Pontifex mandat, quotannis recurrente prima Dominica menſis Octobris in perpetuum ſub duplici maiori celebrari ſolemne Feſtum ſub nuncupatione Roſarij, vbicumque locorum ſiue Capella ſiue Altare Roſarij extiterit. *Ex Diarijs eiuſdem Pont. Max.*

Decedente hoc anno Manrique Sacri Palatij Magiſtro, Gregorius XIII. Pont. Magiſtrum conſtituit in Romana Curia P. Paulum Conſtabilem de Ferraria Mediolanen. Inquiſitorem virum tanta præfectura digniſſimum, Cardinale Alexandrino promouente, qui anno 1580. Ordinis Magiſterium promeruit. *Luc. Plod.*

Interea idem plùs minùs ſexennio in præmemorato Sacri Pal. Mag. laborauit ſtrenuè, & S. Sedi Apoſtolicæ exhibuit ſui muneris condigna obſequia, prout illorũ temporum conditio peculiariter exigebat. Cum enim tunc ex partibus Vltramontanis hæreſi infectis varij libri furtim irreperent ſuſpectam continentes doctrinam, & ſubinde clam in almam quoque Vrbem penetrarent, opus fuit quàm maximè inſpectore non minùs vigili quam eximiè literato, qui & fraudum anteuerteret, & mali progreſſum interciperet.

ANNO 1574. Gregorius Pontifex in Conſiſtorio ſecreto, habito die Lunæ 22. Martij dixit ſe velle die Iouis, quo feſtum Annunciationis B. Virg. erat celebrandum, procedere ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, atque Pontificiam Cappellam ibidem habere; quod & præſtitit, ſolemni pompa equeſtri incedens, vbi terminata Cappella, burſam pro dotali ſubſidio puellis nubilibus propria manu dedit, in exequutionem teſtamenti Card. noſtri de Turre Cremata, qui ſocietatem SS. Annunciatæ in eadem Eccleſia fundauit pro huiuſmodi pijs operibus. Quem ritum Pontifices Max. poſt Gregorium in D. Petri Cathedra ſucceſſores, vſque in hodiernum diem obſeruarunt, & obſeruant, maximo cum talium puellarum leuamine, quibus annis ſingulis vſque ad numerum quingentarum, & ſupra, conſulitur dotali ſubſidio per Rectores eiuſdem Societatis. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Greg.*

P. Sanctes Arena Florentinus in Italia tota Prędicator famoſus, hæreticorumq; Lutheranorum, ac Caluiniſtarum hoſtis accerrimus, ſcripſit contra eorundem pertinaciam etruſco ſermone primam, & ſecundam partem *Horti Spiritualis*. In confeſſionum Sacramentalium aſſidua audientia, atque ſacra Euangelij annunciatione animas multas lucratus eſt Chriſto; & dum maiora moliretur, in Portu Herculis prædicans, raptus eſt hoc anno ex mortalium oculis æternitatis præmia percepturus: P. autem Sanctius de Aragona ſcripſit ſuper Epiſtolas D. Pauli contra hæreſes Lutheri, & quaſcumque alias, quæ de illis videbantur referri. *Luſitan.*

Demandatur à Pontifice Gregorio regimen Eccleſiæ Veræ pacis P. Thomæ de Cardonas; Dertuſen. P. Ioanni Izquerdo, & Cartagenen. P. Dionyſio de Sanctis; vt oues Chriſti verbi Dei pabulo, & inculpatæ vitæ exemplo per ſemitam mandatorum Dei ad æternitatis paſcua dirigerent. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Datur cœlo nouus fructus ſuauiſſimus hoc anno B. Bartholomæus Pauia Valentinus, S. Ludouici Bertrandi dilectus diſcipulus, atque virtutum imitator, ac cultor peregregius, qui abſtinentia rara carnes non niſi vrgente infirmitate comedit, conſtitutiones Ordinis ad amuſſim obſeruauit, cilicijs, ferreis catenis, corpus perpetua afflictione domans, atque ſpiritui ſerui-

ſeruire compellens; & prædicto mortis die, qui fuit octaua Aſcenſionis Chriſti, in cœlum aſcendit. *Plod.*

Apud Vlyſiponenſem Vrbem in Portugallia Inquiſitoris munere fungebatur P. Hieronymus Oleaſter, vir doctiſſimus, & Prouinciæ noſtræ Portugalliæ Prouincialis, qui populum illum in puritate fidei catholicæ continens, iudaizantes aliquos ita rigoroſè caſtigauit; vt cunctis alijs fierent in documentum. P. autem Emmanuel à Vega in ciuitatibus Eboren. Conimbricen. Inquiſitor, etiam ipſe vigilantiſſimus omnem conatum adhibuit, ne hæreticorum virus in ſibi creditas ditiones ſerperet, ſeueriſſimè delinquentes in rebus ad ſacrum Tribunal ſpectantibus, puniendo. *Paramus lib. 2.*

P. Io. Baptiſta Lancius de Rhegio à Gregorio XIII. conſtitutus eſt Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, quo in munere Apoſtolicæ Sedi fideliter inſeruiuit, malos libros prohibendo, vſque ad annum 1583. *Ex regiſt. eiuſdem Congregat.*

Imprimitur in hæreticorum confuſionem hoc anno Pariſijs opus poſthumum doctiſſimi viri P. Ioannis Brunderi Inquiſitoris Gandauenſis Collationis 4. SS. Doctorum Eccleſiæ, Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, & Hieronymi *Super triginta articulos ab hæreticis modernis agitatos*, quod iterum Pariſijs, ann. 1577. euulgatum eſt cum dicto rerum Theologicarum compendio, opus meritò à Scriptoribus laudatum. *Bibliot. Belg.*

ANNO 1575. Fratres Prædicatores, qui iam diù Chinæ Regnum in Oriente fuerant ingreſſi, hoc anno iterum Euangelicæ prædicationis gratia illò contendunt, & inter eos PP. Michael Benauides, Io. Cobo, & Io. de S. Petro, quorum prior animaduertens difficultatem ſummam fore in iſtius gentis conuerſione ob maximum ſex millium characterum à ſe inuicem diſcrepantium, eius linguæ numerum, illos ad quatuor differentias reduxit; videlicet ad characteres particulares, ſpecificos, generales, & generaliſſimos, quo Chriſtianam fidem faciliùs inter Gentiles illos promouerent, ibique primam Eccleſiam Parochialem ſub nomine S. Gabrielis fundarunt, necnon gymnaſium pro pueris in Chriſtiana Religione erudiendis. *Lefeburè.*

Eodem anno, & ſequentibus P. Iordanus à Beiar Hiſpanus, cum ad nouum Occidentalem orbem ſe contuliſſet, fidei propagandæ zelo, in noua Hiſpania innumera dœmonum delubra euertit, atque in Miſteca natione centum ſexaginta Eccleſias erexit, idola ſuccendit, & innumerabiles gentiles ſacro regenerationis lauacro filios Eccleſiæ dedit, pluribus alijs Patribus noſtris ſocijs Apoſtolici miniſterij adhibitis. *D'Auila lib. 2.*

P. Thomas Eliſius Neapolitanus vir doctiſſimus calamum acuit contra hæreticos huius temporis, Lutherum, Caluinum, & alios, ſcripſitque volumen prænotatum, *Piorum Clypeus aduersùs recentes, & veteres hæreſes*: in quo tractat, de Prædeſtinatione, & reprobatione, de libero arbitrio hominis. De Purgatorio: De Baptiſmo paruulorum: De Originali peccato: de Sacramento Altaris: De Miſſæ ſacrificio: De communione ſub vtraq; ſpecie: de Sacramento Pœnitentiæ, & Confeſſione auriculari: De cœlibatu: De veneratione Sanctorum, ſacrarumque imaginum: De poteſtate Papæ, & de clauibus Eccleſiæ: De votis Monaſticis: De Generali Concilio: De auctoritate Papæ: De Hæreticis, & hæreſibus. Scripſit quoque de duodecim articulis fidei contra Hebræos. *Luſit. in Bibl.*

Gregorius Pont. P. Dominicum Mariorem Archiepiſcop. Corinthien. creauit, quem & deputauit Coadiutorem Archiepiſcopi Spalatenſis cum futura ſucceſſio-

ceſſione in eadem Eccleſia poſt deceſſum Archiepiſcopi,cum facultate interim plenaria exercendi pontificalia in eadem. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Cœlo noua poma exhibet Dominicana Religio, dum illi obtulit Sororem Mariam de Popilio, & P. Matthæum Galindum, qui ex Hiſpania in Inſulam Hiſpaniolam apud Occidentales Indos profectus, multos Idololatras ad Chriſti fidem, & verbo, & miraculis conuertit. Cæterùm, ne ſanitates, quas conſequebantur infirmi, eius ſanctitati tribuerentur, ex quibuſdam herbis contuſis, & cum aceto mixtis, conficiebat medicamentum, quo ægrotis cunctis ſanitatem reſtituebat. Cum verò graſſante peſte in eadem Inſula infirmis indefeſſa manu Sacramenta, imò & corporis cibum miniſtraret, eodem morbo correptus, in cœlum euolauit. Maria verò, orationibus, ieiunijs, vigilijs, cilicijs, & diſciplinis aſſueta, crebris meruit diuinis apparitionibus lætificari, & prophetiæ dono ditata, prænunciato ſuæ mortis die; 24. Auguſti virginitatis aureola redimita, cœleſti ſponſo iuncta eſt. *Plodius.*

P. Petrus de Layne Gallus factus eſt Toloſanus Inquiſitor, vt hæres, & hæreticos in ſibi tradita ditione comprimeret, & frenaret, prout poſſet. At vix præfecturam ſuſcepit, cum contra illum inſurrexère hæretici potentes nimis effecti, & multis modis vexatum ex Toloſana ciuitate abire compulerunt, innumeris contumelijs vexatum, & afflictum; qui tamen in ſuo officio perſeuerans, tandem illos ſub B. Pio V. deiectos, & humiliatos vidit: deceſſitque ann. 1575. *Ex relat. Arch. Toloſ.*

ANNO 1576. Sanguine ſuo Catholicam obſignarunt fidem in Gallia Prædicatores. Et quidem P. Guillelmus Brelianus ſacræ Theologiæ Baccalaureus de Toloſano conuentu, cum concionibus, diſputationibus, & ſcriptis aſſiduis hæreticis eſſet intolerabilis, veneno ab eis propinato, de terra viuentium ſublatus eſt. P. Guillelmus Bruni Eccleſiaſtes egregius, in obſidione cuiuſdam caſtri ab hæreticis facta, cũ catholicos in fide corroboraret, vt in fidei hoſtes viriliter decertarent, caſtro expugnato, iugulatus ab eis, vitam promeruit ſempiternam. P. Antonius Dulcius de conuentu Sedunen. ab hæreticis gladio tranſuerberatus, præmia æterna conſequi promeruit. Et P. Claudius Giomellonus Diaconus de Ciſteriacen. conuentu ab eiſdem hæreticis necatus, fœlici agone cõſummato, cœleſti conſortio adſciſcitur. *Luſitan. in Chron. & ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1580.

In Inſulam Philippinarum, ſiue de Luzon profecti ſunt dilatandæ fidei euangelicæ cauſa PP. Io. de Caſtro, factus Vicarius Generalis huius miſſionis Apoſtolica auctoritate demandatæ. Io. Chriſoſtomus Hiſpalenſis, Franciſcus de Toro, Andræas Almaguer, Antonius de Arcedian, Petrus Bolagnos, Albertus Ximenex, Io. de Luperdi, Io. Cobo, Bartholomæus Lopez, Michael de Barriaca, Gregorius de Oxoa, Io. Maldonat, Ambroſius Rodriguez, Io. Ogeda, Iacobus de Soria, Michael Benauida, Ludouicus de Gargia, Petrus de Soto, Ioſeph Mondana, Franciſcus Nauarro, Io. de Vrieta, Dominicus de Nieua, Petrus Flores, Ludouicus Gandulfo, Io. de Caſtro, & Dominicus Salazar, qui primus Philippinarum Epiſcopus fuit, deinde Manilien. Archiep. obijt. *Lefeburè.*

Carmelitarum Ordo viſitatur, reformatur, & iuxta priorem regularis obſeruantiæ normam reſtituitur in Regnis Caſtellæ, & Legionis per Patres Ioannem Cueuaz, & Petrum Fernandez eximios viros, & S. Tereſiæ Virgini à ſacris confeſſionibus, Apoſtolica Gregorij, & Regia Philippi, auctoritate ad id muneris ſelectos

lectos. Et ſimiliter in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Nauarræ per Patrem Michaelem Herreram. *Lefeburé.*

Hoc anno in lucem prodière opera Alexandri Tartagini, (annotationibus Caroli Molinei iam fœdata,) iuſſu B. Pij V. Pont. ab erroribus cunctis à P. Thoma Manrico Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro expurgata; vt vnuſquiſque ijs deletis, quæ delenda erant, poſſet tuta conſcientia legere, & apud ſe retinere. *Poſſeuinus.*

P. Paulinus Bernardinus Lucenſis, vir doctus, pius, regularíſque obſeruantiæ ſectator egregius, ſcripſit Italica lingua contra errores Lutheri, quos doctiſſimè impugnauit; opere Magno Duci Etruriæ Coſimo Mediceo dicato. *Plod.*

Aſſumuntur à Gregorio Pontifice ad regendum Chriſti gregem in Eccleſia Martyrien. P. Antonius Hernandez cum facultate exercendi pontificalia in diœceſi Coimbrien. in Eccleſia verò Vicana P. Antonius de Balducijs. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Bartholomæus Caranza Toletanus Archiep. vir verè Catholicus, qui contra hæreticos & ſcriptis, & factis toties inſurrexit, vt ſupra retulimus, inuidorum ictus vitare non valens, iuſſu B. Pij V. Pontificis Sanctiſſimi in Vrbem veniens, in conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam, depoſito carnis onere, perrexit ad Chriſtum, de quo in emortuali libro eiuſdem Eccleſiæ ita legitur: *Monſignor Illuſtriſs. Bartholomeo Caranza de Miranda Arciueſcouo di Toledo dell' Ordine di S. Domenico fù portato à ſepoltura quà in S. Maria ſopra la Minerua, queſto di 3. di Maggio* 1576. *morì alli 2. à hore 8. e mezza qui nelle ſtanze del noſtro P. Reuerendiſſimo Generale, e fù ſepolto in Choro in terra:* Iacet in medio Chori cum hac inſcriptione:

D. O. M.
BARTHOLOMAEO CARANZAE
Nauarro
Dominicano, Archiepiſcopo Toletano
Hiſpaniarum Primati, Viro genere, vita,
Doctrina, Concione, atque Eleemoſijnis claro,
Magnis muneribus à Carolo V.
Et Philippo Rege Catholico ſibi commiſſis
Egregiè functo. Animo in proſperis modeſto
Et aduerſis æquo.
Obijt An. Dom. CIↃ. CI. LXXVI.
Die II. Maij, Atanaſio ſacra.
AEtatis ſuæ LXXVI.

Eſtq; in medio ſepulcralis lapidis effigiata mors his characteribus circundata. *In te proiectus ſum ex vtero.*

Concilio Tridentino interfuit Caranza, vbi ſcripſit: *De neceſſaria Epiſcoporum reſidentia perſonali,* vt teſtatur Mirræus in Biblioth. Eccleſiaſt. De quo plura ſup.

Dantur cœlo noui ciues Paradiſi charitate feruentes, qui vt proximis ſuis fierent in ſalutem, mortem ſubière glorioſam. Hi fuère PP. Andræas de Moguer Hiſpanus, & Franciſcus Berrius Mexicanus, ambo in conuerſione Gentilium ad Chriſti fidem apud Indos occupati, ex quibus cum multos ſacro lauacro inter Chriſti oues aſſociaſſent, inſurgente apud Mexicum dira peſte, ambo miniſtrandis Sacramentis ægrotantibus intenti, contracto morbo, animam Deo reddidère, hoc anno. *Plod.*

In Anglia perſequutiones innumeras paſſi ſunt noſtri Prædicatores, ibidem in ſeculari habitu latitantes, vt catholicorum ſaluti conſulerent, ex quibus multi capti, carceribus perpetuis fuère adiudicati: ſed & præcipuè inſignis vir P. Robertus Nutures, natalibus, & pietate illuſtris, qui in fœtidum carcerem coniectus ad mortem, ibidem vſque ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum nonum miſerrimè vixit; inde eductus, publicoque patibulo ſuſpenſus, an-

tequam

tequam ſpiritum Deo redderet glorioſiſſimum, ab eiſdem hæreticis exenteratus extracto corde cum viſceribus, corpore in fruſtra conciſo, in aliorum Catholicorum publicum terrorem peremptus eſt. *Lopez par. 4. hiſt. Ord. Præd.*

Cœteri Patres noſtri in eodem Regno ſuperſtites, qui pro conſolandis catholicis ibidem remanſerant latitanes, de nocte, atque in oculto ſub ſeculari habitu incedentes, catholicorum confeſſiones audiebant, eorum natos pueros baptizabant, miſſam celebrabant, ſacram Euchariſtiam diſtribuebant, in fide conſolidabant, cœteraque chriſtianæ pietatis munia peragebant: quorum plurimi temporis decurſu ab impijs hæreticis detecti, varijs ludibrijs, carceribus, ærumnis, atq; etiam morte, afflicti, glorioſum pro Chriſto agonem ſuſtinentes, promeruère vitam conſequi æternam ab eo, qui ſe refecturum cunctos, qui laborarent, & onerati eſſent, dixit. *Ex eod. Lopez.*

ANNO 1577. Glorioſum pro fidei Catholicæ defenſione agonem conſummarunt noſtri Prædicatores in Germania, & Gallia. Nam P. Martinus Faber de conuentu Valencenenſi Prædicator inſignis apud Malbodium ab hæreticis multis vulneribus confoſſus, in confeſſione veræ fidei perſeuerans, proprio in ſanguine volutatus ad cœlum euolauit. *Ex Act. Capit. Gen.*

In Gallia P. Sebaſtianus Meuneti, & P. Raymundus Tirauilla de conuentu Reuellen. cũ ſacramenta catholicis miniſtrarent, ipſoſque in fide conſolidarent, ab effrænis hæreticis gladio transfuerberati, in puteum cum multis alijs Catholicis demerſi, agonem ſuum feliciter conpleuerunt. *Ex Act. Capit. Gen.*

P. Raymundus de Canneria ex conuentu Riuenſi hæreticis, ob ſacras in eos prædicationes, ſummè exoſus, dum extra muros Riuelli circuiret, ab hæreticis ſcloporum ictibus interemptus eſt, vt in æternum regnaret cum Chriſto. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1580.

In Liuonia, in Vrbe Torpatenſi, cum Fratres noſtri, ſacris prædicationibus, atque publicis, ac priuatis colloquijs Catholicos in fide conſtabilirent, eiſdem Sacramenta miniſtrantes; imò & pauperum miſerias alimonia ſubleuantes; hoc ſuſtinère non valentes inſanientes hæretici, populari irruptione in cœnobium eorum facta, bona cuncta dilapidarunt: Fratres contumelijs, & verberibus affecerunt multiſque vulneribuſque impetierunt: & tandem ad ciuitatis portam ducentes, exulare coegerunt, Eccleſia pro aſſeruandis bellicis tormentis deſtinata, atque conuentu in ſtabulum verſo *Te Deum laudamus*, elata voce occinentes ipſi. *Reſenus de Atheiſmis, & Plodius.*

P. Balthaſar Brabantinus de Antuerpien. cœnobio, hæreticorum audaciæ effractor accerrimus, quibus nec lingua, nec calamo, in Sanctorum Doctorum Eccleſiæ doctrina verſatiſſimus vnquam pepercit, multas tribulationes, atque calamitates ab eis paſſus eſt, & multiplicibus paratis inſidijs ad mortem quæſitus, diuina ope ſeruatus illæſus, ſcripſit varios tractatus contra eorum impia deliramenta, quæ doctiſſimis rationibus, ac SS. Patrum teſtimonijs confutauit, & reprobauit. *Luſitanus in Bibliot.*

Dantur & hoc anno cœlo, præter recenſitos fortes Chriſti athletas, glorioſi Confeſſores, ſupernis ciuibus ſociandi, qui in vinea Domini plurimùm laborantes, condignam mercedem à cœleſti Patre familias reportauère. P. Io: de Calaroga Hiſpanus apud Mexicum Dominicana toga indutus, atque in regulari obſeruantia rigoroſa enutritus linguas Hiſpanicam, Mexicanam, atque Zapotecam edoctus, mulros infideles ad veræ fidei agnitionem ſuis prædicationibus, atque

incul-

inculpatæ vitæ exemplo attraxit, Idola confregit, lucos combuſſit, & delubra aboleuit; tandemque apud Mexicanam ciuitatem in Domino quieuit virginitatis aureola redimitus. *Plodius*.

P. Io: Treuinus Hiſpanus & ipſe in Mexico ad Ordinem receptus, ita ſe pietati addixit; vt mundana cuncta cum Apoſtolo Paulo, arbitraretur vt ſtercora. Ciliciis, diſciplinis, atque ieiunijs ita macerabat corpus; vt ſui ipſius ferè carnifex videretur. In ſalute proximorum procuranda aſſiduus multos gentiles ad fidem perduxit. Tandem inualeſcente in eadem ciuitate dira peſte, cum fidelibus infirmis Sacramenta miniſtraret, eiuſdem morbi vi proſtratus, vitam promeruit ſempiternam. *Plodius*.

Confeſſores præfatos ſociata eſt ad gloriam inclyta Virgo B. Maria Bagnetia Florentina, quæ per quadraginta, & quinque annos continua corporis infirmitate vexata, & octo vicibus ſacro infirmorum oleo inuncta, patientia ſumma cruciatus, & dolores læta tolerabat, eleuata in Deum, ac paſſionem Ieſu Chriſti mente. Tandem ſanitatem conſequuta, ciliciis, ac flagellis afflictum corpus quotidie cruentabat. Multis cœleſtibus apparitionibus recreata, clamabat cum Apoſtolo: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; & prænunciato mortis die, quæ 28. Maij contigit, Agnum Virginum ſponſum ſequuta eſt ad palmam. *Plod.*

ANNO 1578. In prouincia Theutoniæ ab hæreticis crudeliter interfectus eſt P. Iacobus Tonger Confeſſarius Monialium noſtrarum Monaſterij de Rentingen. qui animam ſuam ponens pro ſororibus ſibi creditis, dum eas in religioſorum votorum obſeruantia, atque ſacra pudicitia conſeruare aſſiduis exhortationibus conaretur, ab hæreticis militibus, multis, ac diuerſis pœnis afflictus, bombardæ tandem ictu vitam mortalem terminauit, immortalem conſequuturus. *Ex Act. Capit. Gen. Romi.* 1580.

In Flandria, Hollandia, Zelandia, Friſia, & Geldria ab inſanientibus hæreticis copioſa Prædicatorum multitudo extincta eſt, alijs ferro, alijs fame, & ſiti peremptis, publico in eos edicto promulgato; ne quis ſub pœna capitis neceſſaria ad victum illis præbèret. Quapropter ex eiſdem Prouincijs eiecti, cum filio hominis non habebant, vbi caput ſuum reclinarent, omnibus conuentibus dilapidatis dirutis, & ſuccenſis, Eccleſijs profanatis, atque in ſtabula verſis: Ita permittente Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt. *Lopez par.* 5.

Scripſit propterea contra hæreticos, Lutheranos, & Caluiniſtas, atque eorum petulantiam P. Damianus Alignus Antuerpienſis librum, quo illorum deliramenta, impietates, atque errores damnat, ſpecialiter *De Sacramento Altaris*, (ſacram hoſtiam ipſis vbique concremantibus) tractans, quo Catholicos in fide confirmauit; liber autem idiomate Germanico euulgatus eſt; vt faciliùs ignaræ plebi prodeſſet ad ſalutem. *Poſſeuinus*.

Cœterum quia nec propter tantas illatas calamitates adhærebant Prædicatores conſilijs impiorum; imò quotidianis, publicis, & priuatis diſputationibus, prædicationibus, monitionibuſque eos inſectabantur, necnon & litanijs, & precibus, Deum, cuius cauſa agebatur, interpellabant, vt ſibi propitius fieret ad ſalutem gentium, & fideles hortabantur ad perſeuerandum in auita Catholica fide, & priuatis, & publicis colloquijs, ab impio Arauxicano Principe hæreticorum Duce apud Brugas, & Vltraiectum ex proprijs conuentibus exire, & exulare coacti ſunt, pluribus improperijs, atque afflictionibus pro nomine Domini vexati. *Lopez p.* 5.

Eodem anno apud Hiſpaniam in Prouincia de Eſtremadura, in oppido Lerenæ

octo ſacerdotes inſurrexère, ambitioſi, impuri, libidinoſi, popularem auram aucupantes, qui ſe illuminatos à Deo iactitantes, deteſtabiles errores in plebe diſſeminabant, quos P. Mag. Alphonſus à Fonte S. Inquiſitionis Cenſor, Prior Lerenen. conuentus detexit, & Sanctiſſimo Tribunali detulit examinandos; atque eius ſedula diligentia, & vigilantia ab Inquiſitoribus deprehenſi, condignas pro grauitate ſcelerum pœnas luere coacti ſunt; & hoc pacto ſalua facta eſt Prouincia illa à grauiſſimo, quod illi imminebat hæreſis damno, & periculo. *Param. lib.2.*

P. Iacobus Fourre celeberrimus Pariſienſis Doctor, Chriſtianiſſimis Regibus Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. à conſilijs, concionibus, & confeſſionibus, vltimus in Regno Franciæ Generalis Inquiſitor, hæreticorumq; hoſtis acerrimus, contra quos euulgauit tranſumptum deliramentorum eorumdem, quod impugnatum obtulit, atq; corã prędictis Regibus, nę inualeſcerent, ſtetit, ad Cabillonen. Epiſcopalem Sedem euectus an. 1574. cum eam dignitatem abdicare ſatageret; vt in ſuum conuentum Carnutenſem, inter Fratres ſoli Deo vacaturus, ſe reciperet, Matiſcone 22. Ianuarij exultantibus ſupra modum hæreticis, moritur. *Leſeburè, Lucarinus.*

Aſſumuntur à Pontifice Max. Gregorio ad regendas oues Chriſti varijs in Eccleſijs Prædicatores, ex quibus P. Henricus de Tauora ad Archiep. Goen. tranſlatus ex Cochimen. P. Franciſcus de Victoria ad Tucaman in Indijs. P. Marcus de Verona ad Foſſam Clodiam, P. Io. de Montaluo ad Carthaginen. in Indijs, & P. Alphonſus de Lazerda ad Honduren. pariter in Indijs, promoti ſunt. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Moniales venerab. Monaſterij Ordinis S. Auguſtini ciuitatis Peraldæ in Aragonia de Apoſtolicæ Sedis indulto ad Dominicanum inſtitutum tranſierunt, & Petrus Pontius Ducis de Arcos, & Franciſcus de la Queua Ducis Alburquerquij filij, ſpreto viriliter ſæculo, noſtram togam induũt hoc anno. *Leſeburè.*

Moritur hoc anno magno cum Ordinis Prædicatorum damno Generalis Magiſter P. Seraphinus Caballus de Brixia; qui cum eſſet ſocius Generalis Commiſſarij S. Inquiſitionis in Vrbe P. Thomæ Scoti, defuncto Paulo IV. Pontifice, inuadente populari tumultu Romana plebe domum Sac. Inquiſitionis, fuſtigatus, atque grauiter vulneratus, in conuentu Mineruæ curandus delatus eſt: ob quam cauſam à Card. noſtro Alexandrino protectus, & à Generali Iuſtiniano Prouincialis Terræ Sanctæ, & proprius ſocius aſſumptus, in Hiſpaniam cum illo contendit. Factus deinde Procurator Ordinis, tandem vocales in Capitulo Generali Romæ anno 1571. celebrato, eumdem vnanimes Magiſtrum Ordinis elegère, maximo cum B. Pij Pontificis gaudio, qui tantum virum vnicè diligebat. Ordinem ſumma integritate, & æquitate rexit: Fratreſque inter hæreticos permanentes maximè protexit, & fouit, iniungens illis, vt pro fide Catholica defenſanda, & conuentuum bona, & vitam ipſa perdere non formidarent. Electionum Ordinis libertatem adamauit, & conuentibus, in quibus vigebant ſtudia, doctos viros præfici curauit; vt ardentiùs ſtudia promouerent; ſub eoque emanauit decretum de ſumenda Euchariſtia in electionibus canonicis. Barchinone quoque aliud Generale Capitulum hanuit an. 1474. & aliud deſtinauit Neapoli pro anno 1577. at ingraueſcente in Italia peſte illud diſtulit, & in Hiſpaniam pergens cunctas illius Prouincias viſitauit, factus cunctis exemplar virtutum, regulariſque obſeruantiæ. Cum Galliæ Prouincias inuiſeret, & filios ſuos hortaretur, vt Catholicam fidem ab hære-

tico-

Digitized by Google

ticorum inſidijs vindicare, verbo & calamo niterentur, ad flumen perueniens, nec nauim, qua illud traijceret habens, promeruit illico aduolantem Angelum, qui illum cum ſocijs ad alteram ripam fluminis tranſtulit, & ab inſequentibus hæreticis liberauit. Tandem ieiunijs, & abſtinentijs maceratus, & fractus, apud Hiſpalim in Hiſpania, depoſito carnis onere, properauit ad gloriam die 21. Nouemb. Præſentationi B. Virginis, cui fuerat addictiſſimus, ſacra, eius exequijs maxima pompa celebratis, & feretrum deferentibus Ducibus de Alcala, & Medina, Marchione de Barlanga, Aſſiſtente Ciuitatis, alijſque nobilibus. Iacet in Capitulo eiuſdem conuentus è regione alterius Magiſtri Generalis. Caſaùs. *Plodius*.

Sub hoc Magiſtro auctus eſt non parum Ordo in multiplicatione Conuentuum, tam in Italia, quàm extra, excreuitque priuilegijs, quæ B. Pius V. & Gregorius XIII. eidem benignè conceſſère. *Plodius*.

ANNO 1579. Continuatur effuſio Dominicani ſanguinis in defenſionem catholicæ fidei; nam P. Io: Coderici de conuentu Altiuillari prædicator celebris, & hæreticorum inſectator acerrimus, quos in ſuis concionibus publicíſque congreſſibus affligebat, dum ex conuentu dicto ad alium; vt in quadragema conciones ad populum haberet, proficiſceretur ab hæreticis in itenere captus, trucidatuſq; vitam æternam promeruit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1580. & Plodius*.

In Lombardia P. Hieronymus Volta Regien. Inquiſitor, ſuo muneri inuigilans, Baſilium de Reggio, medicum hæreſiarcham in vincula coniecit, aſſerentē, & docentem in ſuis conuenticulis, verba illa Apocalypſis. *Ecce noua facio omnia*. de ſe ipſo dicta eſſe, quaſi eſſet ipſe Dei filius; & ſuorum deliramentorum pertæſus, ijs publicè abiuratis, perpetuo carceri adiudicatus eſt, eius ſequacibus etiam abiurantibus, ſaluteribuſque pœnitentijs punitis. *Plod. lib. 4*.

Multa operabatur miracula in Polonia S. Hyacinthus in Cracouien. noſtro tēplo, non dum inter diuos relatus, multique à dœmoninibus vexati ad eius ſpulchrum cōfugientes, curabantur. Id cum per Vbem vulgatum eſſet, ſutor quidam hæreticus irridens, Eccleſiam ingreſſus, voluit ſpectator eſſe veritatis, & cum P. Seuerinus concionaror egregius exorcizaret quendam energumenum, ſutor dixit illi; quid affligis virum hunc Fratercule? Reſpondit Seuerinus, malè à dœmonio vexatur: ſubdidit ille, ſi malignus ſpiritus eſt in illo veniat ſuper te, vel etiam ſuper me; tunc Seuerinus agnoſcens virum illum eſſe ex hæreticis, dixit illi, fiat tibi cito ſicut peſti; & ſtatim, ſuſcepto itinere domum verſus, vexatus eſt ſupra modum à dœmone, temeritatis ſuæ pœnam luens, ad quatuor habdomadas continuis eiulatibus internam maligni ſpiritus moleſtiam demonſtrans, poſt quas ſe perfeneſtram præcipitans, ad inferna deſcendit. Quo facto vxor illius, multiq; hæretici perterriti, ad agnitionem veritatis fidei catholicæ acceſſère. *Rheſcius de Atheiſmis*.

Fratres conuentus Ord. S. Franciſci in caſtro de Loreto in Aragoniæ Regno ex indulto Apoſtolico ad Dominicanum inſtiturum tranſeunt. *Lefeburè*.

Elizabetta Angliæ Regina in Sacerdotes, Religioſos, atq; Seminariorum alumnos, necnon & cunctos Eccleſiæ miniſtros dirè ſæuiens, varijs eos ſupplicijs afficit, ac perimit; catholicam fidem ex ſuo regno exterminatura: quod tamen conſequi non potuit, remanentibus ibidem Religioſis multis, & præcipuè ex Prædicatoribus, non quidem palam; ſed in occulto, carholicos in fide conſtabilituris, quorum aliqui detecti, vario mortis genere impiæ Reginæ timorem cœteris incuſſu-

ræ perempti, fœlici morte vitam æternam adepti ſunt. *Leſeburè, Lopez p. 5.*

Demandatur cura gregis Chriſti in multis, ac diuerſis Eccleſijs noſtris Patribus Prædicatoribus à Vicario ChriſtiGregorio XIII. & quidem illa Eccleſiæ Manilien. Archiepiſcopalis apud Inſulas Philippinas P. Dominico de Salazar. Peruſinæ, Vincentio Herculano. Veræ pacis in Indijs, Antonio Heruias translato ex de Arcquipa. De la Plata, Alphonſo Guerræ. De Conceptione, Dominico Hiſpano, qui oues per viā mandatorum Dei dirigentes, conſequti ſunt vitam æternam. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

P. Georgius de S. Lucia Luſitanus omnibus virtutibus ornatus, à P. Gregorio de S. Iacobo Inſularum Aſoriarum creato Epiſcopo, in Apoſtolico miniſterio ſocius aſſumptus, in Gentilium conuerſione plurimùm inſudauit. Sed poſt aliquot annos, ad Portugalliæ Regem pro aliquibus ſuæ Eccleſiæ negocijs miſſus, ab eodem, cui virtutes Georgij innotuerant, nominatus fuit primus Epiſcopus Malacen. apud Orientales Indos anno 1557. atque à Paulo IV. confirmatus. Ad ſuam Eccleſiam properauit, in qua Apoſtolicam vitam degens, ſe virtutum omnium exemplar ouibus ſuis præbuit, prædicando, docendo Sacramentaque adminiſtrando; vnde copioſam Idolatrarum multitudinem ſuis manibus baptizauit: ſitiebat autem ſeruus Chriſti martyrium, ſicut ſitit ceruus ad aquæ fluium, ſed multis modis afflictum ſeruum ſuum Deus in hac lachrymarum valle incolumem ſeruauit vſq; ſenectam, & ſenium, vt fructus vberrimos produceret Eccleſiæ Sanctæ Dei. Tandem, cum bonum certamen certaſſet, curſum conſummaſſet, fidem ſeruaſſet, repoſitam ſibi coronam percepturus, migrauit ad Dominum hoc anno 18. Ianuarij. *Marcheſius in Sacro Diario tom. 1.*

Caput XI.

P. PAVLO CONSTABILI Magiſtro Generali XLIX.

ANNO 1580. Celebrantur Generalia Ordinis comitia pro noui Magiſtri electione Romæ, facta propoſitura à Gregorio XIII. Pontifice electoribus Capituli quatuor præſtantiſſimorum Patrum, Pauli Conſtalilis Magiſtri Sacri Palatij, Thomæ Giobbij Commiſſarij Generalis S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis, Paulini Bernardini de Luca, regularis obſeruantiæ reſtitutoris in Aprutio, & Thimothei Bottonij Prioris Peruſini, qui fuit poſtmodum Ord. Vicarius, ommiſſo Sixto Fabro tunc Ordinis Generali Vicario, quam propoſituram vt excluderetur Sixtus, factam ad inſtantiam Card. Alexandrini ſuſpicati ſunt aliqui, in quibus P. Paulus Conſtabilis de Ferraria, natalibus, atque doctrina illuſtris, ſacrique Palatij Magiſter electus eſt. Fuerat Paulus Generalis Inquiſitor apud Mediolanum, indeque ad Magiſterium Sacri Palatij vocatus, quo in munere annos nouem præfuit. Electione, atque capitulo peractis ex Vrbe diſcedens, prouincias Calabriæ, Apuliæ, Neapolis, ac Siciliæ viſitauit; indeque Romam reuerſus, exoſculatis Gregorij Pontificis pedibus, Romanam Proninciam cum Lombardia inuiſit, Fratreſq; in regulari obſeruantia conſtabiliuit. Venetias inde petens, dum cœnobium SS. Ioannis, & Pauli ad religioſum viuendi nitorē componeret, vale dixit mortalibus 17. Septemb. an. 1582. ætatis ſuæ 73. ibidem ſolem-

ſolemnibus exequijs parentatus. *Plodius.*

In Germania Inferiori graſſante ſupra modum hæreſi, potior conuentuum noſtrorum pars igne cremata, ac ſolo æquata, hoc anno, & tempore conſpicitur: & in regionibus Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ, & Geldriæ noſtri Prædicatores glorioſi Ieſu Chriſti confeſſores effecti, catholicam fidem profitentur. Catholicos in eadem confirmant, & ſanguine tandem comprobant, perſequutionibus innumeris, tormentis, ac pœnis afflicti; necnon & diuerſis mortis generibus excarnificati, fideles inuenti ſunt omnes in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quorum nomina, vt pote numeroſiſſima, ſcripta ſunt in libro vitæ, vt dicitur in Actis Capit. Generalis Romæ anno 1583. celebrati. *Ex eiſdem Actis. Plodius.*

Apud Vilnam in Lituania P. Cyprianus Polonus Ep. Motonen. in Romania, & Suffraganeus Vilnenſis, contra hæreticos apud Vilnam inſurrexit, & docto calamo impugnatis eorum deliramentis, populum illum à catholica fide auertere intentantes, in publicis plateis prædicans veritatem fidei Romanæ Eccleſiæ, atque ſupremam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, cum prædicatoribus eorum publicè diſputando, auctoritatibus Sanctorum Doctorum Eccleſiæ, & D. Auguſtini maximè; necnon & S. Cypriani, quorum doctrinas, & textus in promptu memoriter habebat, ac ſi illos antecedenter legiſſet. Quare fremebant impij in eum, nec poterant illi quidquam pacificè loqui; timebant verò dignitatem, & auctoritatem eiuſdem. *Lopez p. 5.*

Inuigilabant contra hæreticos noſtri Inquiſitores, & in Italia maximè, ne peſtiferum eorundem virus, ex Germania, & Gallia in illam diffunderetur. Vnde P. Hieronymus Armeninus Fauentinus Inquiſitor Tyberium Calabrum, nouas hæreſes ſuſtinentem, publicis concluſionibus conuicit, confudit, & incarcerauit, hæreſeſque abiurare compulit, ſalutaribus iniunctis pœnitentijs. *Plodius.*

Eodem anno in Flandria P. Antonius Temmermonnus apud Antuerpiam cum audiſſet ſacramentalē confeſſionē euiuſdam fidelis, Ioannis Taurgoi optimi catholici morte puniendi, eò quod Principem Arauxicanum hæreticorum fautorem, ac protectorem percuſſiſſet, zelo vindicandæ catholicæ fidei à tanto perſequtore; atq; pœnitentem à peccatis abſoluiſſet; necnon & ſacram Euchariſtiam illi porrexiſſet, eiuſdem principis iuſſu captus, loqueo in alta trabe ſuſpenſus, ad huc ſemiuiuus fune reſciſſo, in terram cadens, viſceribus, atque corde extractis, glorioſum pro Chriſto agonem conſummauit: Corpus verò eius in quatuor partes diuiſum, in quatuor principalioribus vicis ciuitatis palis affixum eſt, capite à corpore ſecto, & in nobiliori foro ſuper haſtam collocato; quod eum nimio fulgore hæreticorum aſpicientium oculos hebetaret, ſtatim confuſione, & tumultu populari excitato, amotum eſt, pluribus hæreticis eo miraculo hæreſim abiutantibus. *Leo Belgius in Annal. Lopez p. 5.*

Card. F. Michael Alexandrinus patrui B. Pij V. zelum catholicæ fidei promouendæ imitatus, graſſantem hæreſim in Rhætia compreſſurus, Seminarium proprio ære in Villa Tiſiſis apud Griſones fundauit, & perpetuis redditibus auxit; vt iuuenes in illo chriſtianam pietatem edocti, nationem illam ad Ieſu Chriſti, atque Apoſtolicæ Sedis venerationem, eiuratis Lutheri, & Caluini deliramentis, reuocarent. *Io: Boterus.*

Gregorius XIII. Pont. Max. in memoriam, & gratiarum actionem admirabilis victoriæ naualis ſub Sanctiſſimo Pio V. obtentæ prima Dominica Octobris, feſtum Roſarij Beatiſs. Virginis eadem die ſub toto duplici adinſtar aliarum feſtiuita-

uitatum eiuſdem inſtituit, & vbique in Eccleſijs, vbi dicta ſocietas adeſt, celebrari demandauit. *Ex Act. Capit. Gen. Romæ* 1580. *denunciat.* 2.

P. Felicianus Niguarda hoc tempore à Pontifice Max. Gregorio Apoſtolica, & Imperiali auctoritate pro viſitatione; & reformatione omnium Religioſorum in Germania eligitur. *Lefeburè.*

Nobiles viri Laurentius Figuera cognominatus *Pauperum Pater* ex Ducibus de Feria; Franciſcus de Mendoza ex Comitibus de Corogna, Io. Maria de Lignaſco, ex Comitibus de Lignaſco, Ludouicus de Milan ex Comitibus Albaidæ, & Petrus Sylua filius Comitis de Ciſuentes ſpreto ſathana, & pompis eius, Ordinem Prædicatorum profitentur. *Lefeburè.*

Cardinalis noſter P. Archangelus Blancus de Vigleuano, B. Pio V. in Minoribus, atque etiam in Pontificatu à ſacris confeſſionibus, eidemque chariſſimus, ac propterea ad purpuram euectus, à Gregorio XIII. expurgandis libris præfectus annum agens 63. relicto ſæculo perrexit ad Chriſtum, apud S. Sabinam ſepultus. *Ciacconus.*

P. Gregorius de Monfalco promouetur ad gubernationem ouium Chriſti in Eccleſia Iucatana apud Indos, & Franciſco Goracio ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi datur Abbatia S. Crucis de Kamperles, vt Monachos illos ad regularem obſeruantiam reuocet. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Greg. Pont.*

P. Sixtus Fabri Lucenſis euecto Conſtabili ad ſupremum Ordinis regimen, factus eſt à Pont. Max. Gregorio XIII. Sacri Palatij Magiſter; vt Apoſtolicæ Sedi ea in præfectura inſeruiret, ſicut fecerant prædeceſſores, qui & ipſe poſt tres annos Magiſter Generalis ſalutatus fuit. *Lucarinus, & Plodius.*

P. Simon de Plagis laborum ſuorum præmia conſequitur in cœlo hoc anno: qui cum ſacri Euangelij luce illuminaſſet incolas Inſularum de Solor, Timor, Ende, Croue, Giacca, Tima, Giumba, Sauo, atque Maccheſar, aras & templa ſacra in eiſdem erigendo, copioſamque Idolatrarum multitudinem per ſacrum lauacrum Chriſto regenerando, ſpiritu prophetico clarus obdormiuit in Domino die octaua Februarij, miraculis coruſcans. *Marcheſ. Diar. Sac. tom.* 1.

F. Petrus de Magdalena Conuerſus cum P. Didaco Belmaz fundatore Congregationis Indiarum Occidentalium ad illam acceſſit an. 1548. in qua zelo promouendæ catholicæ fidei, quo flagrabat, atque ſuis virtutibus, multùm in vinea illa Domini excolenda profecit. Ab eodem Vicario in conuentum noſtrum ciuitatis Damianæ directus, ſuis virtutibus ita animum incolarum illius ſibi ſubegit, vt ad nutum ipſius cuncti pendère viderentur. Cum verò quadam vice Mauri eandem ciuitatem expugnaturi, cum valido exercitu illi appropinquaſſent, timereturque ciuitatis excidium, P. Petrus Ciuitatis Gubernatorem in hoſtes arma ſumere recuſantem, monuit, vt in illos pugnaturus exiret, certus de victoria in nomine Domini conſequenda. Super haſtam igitur poſita Chriſti Domini Crucifixi imagine, ante exercitum, & milites incedens ille, ita milites animauit, vt proſtratis hoſtibus, glorioſum triumphum reportauerit, ipſo P. Petro ſagittis confoſſo, & perempto die 15. Feb. huius anni. *Marcheſ. Diar. Sac. tom.* 1.

ANNO 1581. Fratres Prædicatores in India Orientali conuerſioni gentilium intenti fructus vberes Eccleſiæ dabant: & in Inſula de Solor P. Simon de Montanis Gentilium conuerſioni totus addictus, cum Idola confringeret, & lucos ſuccederet, ſacerdotum Idolorum tantum in ſe odium conuitauit, vt dum in Eccleſia oraret, lancea confoſſus glorioſo

rioſo agone vitæ curſum conſummauerit. *Io; de Sanctis*.

P. Hyacintus Cracouienſis in Polonia, vir doctus,& fidei cultor egregius, tanquã alter Elias zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, cum Socinum hæreſiarcham in publico foro ſua falſa dogmata indoctæ plebi ſuadentem, audiſſet, irruit ſuper eum,& libros ipſius ibidem publico igne conſumpſit: neque his contentus, concitata catholica plebe in eum, ex ciuitate exul abire coegit. *Bzou. de Prou. Polon. cap.* 8.

P. Damianus Roſcius Bononienſis eruditione omnium ferè diſciplinarum clariſſimus, hæreticorumque hoſtis acerrimus euulgauit libros tres *De hæreſibus cognoſcendis*. Deque dogmatibus eorundem, addita Concilorum ſumma, à quibus hæreſes ipſæ fuere damnatæ: opus verè vtiliſſimum. *Poſſeuinus*.

P. Thomas Layxa verò in Barchionen. ſtudio Regens, vir doctiſſimus, atq; in controuerſijs verſatiſſimus, ſcripſit in epiſtolam B. Pauli ad Hebræos, è Patribus, ac præcipuè ex D. Hieronymo aliquos ſacræ ſcripturæ canones colligendo, quibus controuerſiæ huius ſeculi cum hæreticis expenduntur, eorundemque peſſima dogmata euertuntur. *Luſitanus in Bibliot*.

B. Alexander Capocius de Florentia cœlo datur hoc anno Angelorum ſocius, qui ſacris confeſſionibus, atque prædicationibus à ſumpto ſacerdotio vſque ad mortem vſque addictus, innumerabiles peccatores ad pœnitentiam adduxit. Rector ſocietatis S. Benedicti in conuentu S. Mariæ Nouellæ inſtitutus anno Iubilæi 1575. cum ſupra ſeptuaginta millia peregrinorum ab eadem ſocietate hoſpitio recepti fuiſſent ſub diuerſo tempore cunctis pedes lauit: & dum alimenta ſumebant in corpore, eos ſacris ſermonibus reficebat in ſpiritu, quod & ſæpiſſimè præſtabat confratribus eiuſdem ſocietatis ex primaria Florentina nobilitate ſelectis, à quibus multis donarijs honoratus, ea pro ſe & ſuis Fratribus recuſauit, ſed in ſubſidium pauperum tradi ab eiſdem confratribus voluit. Cilicio, & ferrea catena ad carnes vſus, corpus ſuum miſerrimè lacerabat. Tandem multis clarus miraculis, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, euolauit in cœlum, prædicta mortis die, confluente Florentino populo ad ſacrarum manuum, & pedum oſcula. *Plod.*

Ad ſuperos quoque tranſlatus eſt glorioſus Indiarum Apoſtolus S. Ludouicus Bertrandus hoc anno 7. Idus Octobris qui innumeros gentiles inculpatæ vitæ exemplo, ſacriſq; prędicationibus ad Chriſti fidem attraxit, miraculis plurimis refulgens ætatis ſuæ quinquageſimo quinto, qui à Paulo V. Beatorum Confeſſorum choro aſcriptus, à Clemente X. ſolemni pompa inter Sanctos vna cum SS. Roſa noſtra Limana, Franciſco Borgia ex ſocietate Ieſu, Caietano Tienæo vno ex fundatoribus Theatinorum Clericorum, & Philippo Benitio fundatore Religionis Seruorum B. Virg. præterito anno 1671. prout ingenti cum gaugio vidimus, relatus eſt, Reuerendiſs. Magiſtro Generali noſtro P. Thoma de Roccabertì id enixè procurante. *Ex eius ſacra legenda*.

ANNO 1582. Dominicanam Religionem, & Catholicam Eccleſiam illuſtrarunt Pater Petrus de Riuis, & alter Pater Sacerdos eius ſocius, ab hæreticis ob proteſtationem Catholicæ fidei, & obedientiam erga Sanctam Apoſtolicam Sedem immaniter vexati. Nam capto in Toloſana Prouincia caſtro S. Aemiliani, inuaſerunt hæretici ſtatim conuentum Ordinis, in quo inuentis P. Petro de Riuis Priore, & alio Sacerdote, dilapidato, & expilato conuentu, eoſdem Patres vinctos carceri cuſtodiendos tradidère. Ibi verberibus, contumelijs, fame,

ac

ac ſiti macerati per duos integros menſes, in diuinis laudibus perſeuerantes, ſe Omnipotenti Deo in ſacrificium laudis offerebant. Tandem P. Petrus veneno, & afflictionibus attritus migrauit in cœlum, ſocij vita pecunijs redempta. *Ex Act. Capit. Gen.* 1583.

Eodem anno, & ſequentibus plures gentiles per noſtros Prædicatores Chriſti Domini fidem fuère amplexati in remotiſſimis Aſiæ Regnis, Camboiæ, Sian, Coulenſi, Iaunenſi, Panerincha, Arachaneſi, & Mangalor; non pauca verò miranda operatus eſt Deus eorundem Patrum prædicationibus circa illorum conuerſionem, vnde ibidem, & Eccleſiæ conſtructæ, & altaria ædificata ſunt, dirutis Idolorum templis. *Io. de Sanctis*.

P. Dominicus Topiarius Antuerpienſis de Prouincia Germaniæ inferioris, vir eruditus, atque Eccleſiaſtes facundus, ſcripſit contra antiqua, & noua hæreticorum dogmata librum apprimè vtilem, iuuentuti maximè, *De Rudimentis; & Miſterijs Catholicæ fidei*. Antuerpiæ; & Lugduni pluries impreſſum. *Gozæus*.

Eccleſiæ de Gualazar in Indijs oues Chriſti demandantur curæ P. Dominici de Alcala, inſtituti à Gregorio Pontifice eiuſdem Paſtoris, qui commiſſum ſibi gregem verbi Dei pabulo, atque ſanctæ vitæ exemplo enutriens, meruit à Paſtore æterno Chriſto Domino inter triumphantis Eccleſiæ ſelectas oues numerari. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. & Lopez p.5.*

Moritur in vigilia Sanctorum Simonis, & Iudæ in Vrbe Card. P. Vincentius Iuſtinianus, vir Apoſtolicis Legationibus clarus, qui Ordinem ab anno 1558. vſque ad annum 1589. quo ad purpuram à B. Pio V. euectus fuit, optimè rexit, aſſumptus ad tantum Magiſterium adhuc florentiſſima annorum 38. ætate. Concilio Tridentino interfuit nobili Patrum ſui Ordinis corona ſociatus, in quo Mendicantium iura, & priuilegia ſuſtinuit; prout ſupra ad annum 1558. retulimus. B. Pio V. chariſſimus, cum eo egit, vt opera omnia D. Thomæ Vaticanis typis, cum eiuſdem S. Doctoris Sermonibus de Tempore, & de Sanctis in lucem prodirent. A Gregorio XIII. Pontifice cum Cardinali Sirleto expurgandis libris præfectus, perfidos libros fidelibus noxios, vel in catholica doctrina, vel in moribus, interdixit. Conditus iacet in Mineruæ templo in Capella S. Vincentij ab ipſo fabricata. *Ciacconus, & Plodius*.

P. Henricus de Tauora Goen. Archiepiſc. cum animarum conuerſioni ad Chriſtum toto corde incumberet, multique in dies ſacro lauacro regenerantur ad vitam æternam, id indignè ferentes Idolorum ſacerdotes, qui ſibi lucrum deficere videbant, veneno propinato optimum Archiepiſcopum ex hac lacrymarum valle ſuſtulère, dolentibus cunctis de tanti Patris iactura. *P. Io. de Sanctis p. 2.*

Caput XII.

P. SIXTO FABRO LVCENSE Magiſtro Generali L.

CONuocata ſunt Generalia Ordinis comitia Romæ anno 1583. in quibus electus eſt Mag. Ordinis P. Sixtus Fabri de Luca, cum eſſet in Romana Curia S. Palatij Magiſter, qui terminato Capitulo Italiæ Prouincias viſitauit, ſtudia promouit, & regularem obſeruantiam fouère non deſtitit; poſtmodum conſcenſa naui, in Hiſpaniam perrexit, quam viſitando Philippi Regis gratiam promeruit;

ibi

ibi cum maneret, & Generale Capitulum in Gallia indictum, celebrandum expectaret, vocatus eſt à Sixto Pontifice in curiam, tranſlato capitulo Romam. Cumque in Vrbem veniſſet generalatus ſui anno ſexto, depoſitus eſt ab Ordinis magiſterio ab eodem Pontifice inſtante capituli celebratione; vnde quidam poetico diterio ludens exametrum vulgauit, *Sixtus & in ſexto fecit conſiſtere Sixtum*, eo quòd ſexto ſui regiminis anno ſit à magiſterio depoſitus. Depoſitione facta in cœnobium S. Sabinæ de Vrbe ſe recepit, inquo vixit vſque ad annum 1594. quo, die 16. Iunij quieuit in pace, ibidem ſepultus ad pedes P. Munionis, etiam depoſiti à magiſterio Ordinis à Nicolao IV. *Plodius*.

Salubriter decertabant hoc anno, & tempore Prædicatores in Gallia contra hæreticos lingua, & calamo; ob quòd plures in varijs Prouincijs Galliæ perſequutiones multas & malas, ad necem vſque, pertulerunt, quorum nomina in libro vitæ aureis characteribus fuère inſcripta. Inter ipſos autem recenſetur, P. Petrus Coſta hæreticorum acerrimus impugnator, qui volumen vnum grande compilatum *De hæreticis huius temporis, & eorum deliramentis*, Pariſios petijt illud impreſſurus, & euulgaturus; cumque id hæreticis innotuiſſet, in itinere captus, combuſto codice, author illius publico patibulo ſuſpenſus, vitam pro catholicæ fidei defenſione poſuit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1569.

Scripſit quoque P. Paulus Gryſaldus Peruſinus, Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis, vir doctiſſimus, atque in lectione SS. Patrum verſatiſſimus, ad verſùs hæreſes, quæ ad annum vſque 1580. ortæ ſunt, deciſiones fidei Catholicæ ex ſacrarum litterarum, Sanctorum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum fontibus deductas, & in vnum Alphabetico ordine digeſtas, & collectas. *Poſſeuinus*.

Stephanus Luſignanus ex Regibus Cypri, & Martinus de Mendoza ex Comitibus de Corduba ſpreto viriliter ſæculo, cum pompis ſuis ad Dominicanam Religionem, portum ſalutis, confugiunt, paupertatem religioſam amplexuri. *Lefeburé*.

Conſtituuntur Paſtores ouium Chriſti in varijs Eccleſijs à Pontifice Max. Gregorio, in Alatrina. P. Ignatius Dantes; in Tricaſtina Io: Baptiſta Legras; in Guaxacen. apud indos Bartholomæus de Ledeſma; in illa de Venezuola Io: Muzauillo, & in Archiepiſcopali Goenſi Vincentius de Foneſca. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Max.*

P. Felitianus Niguarda verò tranſlatus eſt ex Scalenſi Eccleſia ad illam S. Aghathæ; & miſſus Apoſtolicus Nuntius pro grauioribus Apoſt. Sedis, ac fidei negotijs in Germaniā ad Imperatorem, cuncta iuxta Pontificis vota compleuit, maximæ dexteritatis, & prudentiæ vir. *Plodius*.

P. Vincentius Bonardus de conuentu Mineruæ conſtituitur à Gregorio XIII. poſt Lancium Sacræ Congregationis Indicis Secretarius, qui demandatam ſibi præfecturam vſque ad annum 1589. quo ad Sacri Palatij Magiſterium à Sixto V. euectus eſt exercuit. P. Thomas Bzobius tem de Brixia ab eodem Pont. Max. fit Sac. Palatij Magiſt. in locum aſſumpti Sixti Fabri adſupremum Ord. Magiſterium. *Lucarin. Ex Act. Regeſt. eiuſd. Cong.*

ANNO 1584. Indefeſſo labore viriliter inſudabant in conuerſione gentium ad Chriſtum Prædicatores apud inſulas oræ Affricæ adiacentes, Mozabicanam, S. Laurentij Quirimbæ, & Capitis delicati, Eccleſias ædificantes, Altaria erigentes, lucos ſuccendentes, delubra euertentes, atque Idola confringentes, copioſamque Gentilium multitudinem ſacro lauacro Chriſto, atque Ec-

eleſię regenerãtes; periculis tamẽ innumeris expoſiti, contemnenteſq; vitam temporalem, ad immortalem anhelabant; in frigone, & nuditate, in tribulationibus, & anguſtijs feruentiores. Quare non ſinè euidenti vitæ periculo Aetyopiam penetrantes, in Regnis Sofala, Cuamana, Melindæ, Sena, & Tete etiam, Deo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, innumeros Gentiles Eccleſiæ dederunt cum eorundem Regulorum conuerſione: ibi quoque Aras, & Eccleſias conſtruxerunt, Idola confregerunt, & delubra incenderunt maximo cũ Chriſtianæ fidei incremento. Inter cæteros autem nouæ vineę Domini cultores emicabant Patres Hieronymus dè Couto, Petrus Vſuſmaris, Emanuel Pantoia, Io: Madeira, & Io: de Sanctis, qui in ſua hiſtoria Aethiopiæ tanquam teſtis occulatus hæc refert. *Ex eodem Io: de Sanctis.*

Suſtinebat partes catholicæ fidei, ac fidelium contra hæreticos omnes Lutheranos, Caluiniſtas, Zuinglianos cæteroſque cuiuſcumq; diabolicæ ſectæ in eadem exiſtentes in Germania eodem anno, & tempore P. Sebaſtianus Cataneus Mediolanenſis, Epiſcopus Chiemen. qui præter congreſſus aſſiduos cum ipſis, in quibus eos confundebat, ſcripſit contra illos opus eruditione mnxima refertum, ex doctrinis Sanctorum Patrum conflatum, in quo apertè apparent, & confuntantur eorum deliramenta. *Plodius, & Altamura in Bibl. Pred.*

P. Iulianus autem Freſnoau, Theologus eruditiſſimus ſcripſit librum contra hæreſes, & Lutheri, & Caluini, in Gallia vigentes aduerſus hæreſiarcham Petrum Martyrem ſub Hentico III. Galliæ Rege. *Poſſeuinus.*

P. Alexander Cappocius de Romana Prouincia in cœnobio S. Mariæ Nouellæ Florentiæ in cœlum euolauit; vir Angelicæ vitæ, & conuerſationis, ad cuius feretrum magnus, etiam vicinarum villarum concurſus populorum factus eſt, habitus in magnæ ſanctitatis opinione, etiã à Principibus, & nobilibus eiuſdem ciuitatis. *Ex Act. Capit. Gen. an.* 1583. *& Plodius.*

Summus Pont. Gregorius XIII. hoc anno euulgauit Conſtitutionem Apoſtolicam de conſtituendo hæbreis in Vrbe prędicatore perpetuo, qui ſemel in ſeptimana cõciones ad illos adibus haberet, eorum aduenientes in Vrbem libros inuiſeret, atq; conuerſionem ad Catholicam fidem procuraret. Cum autem multi eſſent in Vrbe, qui Apoſtolicum hoc miniſterium poſſent adimplere, Pontifex illud Fratri Sirleto Dominicano demandauit, qui tanquam alter Saulus in Synagoga enutritus, à Chriſto de cœlo vocatus, ſua prædicatione Iudeorum cor confunderet; nã inter Hebræos natus, atq; edoctus, necnon & Rabbinus effectus, agnita veritate Chriſtianæ fidei, illam amplexatus, ſub Dominicana toga Deo ſeruire conſtituit. Plurimos Iudæos ad baptiſma ſua prædicatione, atque exemplo adduxit, & ſub Clemente VIII. vltimis ſui Pontificatus annis deceſſit. *Ex Patrum noſtrorum traditione adhuc viuentium, & Archiu. Min.*

ANNO 1585. Effunditur Dominicanus ſanguis in confeſſione, & promulgatione catholicæ fidei in diuerſis orbis partibus: & primo in Gallia, hæreticis noſtros miſerabiliter affligentibus, percutientibus, & perimentibus. In inſula Hiſpaniolæ, S. Dominici dicta, P. Io: de Sarauia, & P. Io: de Illanes conuerſus in cœnobio noſtro ab Anglis hæreticis, eoquod deteſtarentur illorum in ſacras imagines impia facinora, laqueo ſuſpenſi. In Affrica apud Inſulam S. Laurentij propè Mozambique P. Io. de S. Thoma ab infidelibus illius Inſulæ, cum Idola confringeret, multoſque ad Catholicam fidem ſuis aſſiduis prædicationibus traheret,

ret, veneno è mortalibus ſublatus eſt, immortalem vitam conſequuturus in cœlis. *Herrera, & de Sanctis.*

Aſſumptus hoc anno ad regimen militantis Eccleſiæ Sixtus V. Pontifex Max. verè glorioſiſſimus, ſtatim Cardinalem noſtrum P. Michaelem Bonellum deputauit ad omnia negotia tã ſpiritualia, quam temporalia expedienda, decidenda, ac terminanda in tota ditione Eccleſiaſtica, cum ampliſſima auctoritate puniendi, etiam vltimo ſupplicio, delinquentes; abſque eo quod ſibi, & ſucceſſoribus ſuis Pontificibus Max. rationem redditurus eſſet. Rexitque Eccleſiaſticum ſtatum ſumma cum prudentia, & tranquillitate. Litteræ autem Apoſtolicæ datæ fuerunt die 1. Maij huius anni, ſuntq; in Arch. Mineruæ, relatæ in noſtro Theat. Dom.

P. Michael Inquiſ. fidei contra Caluiniſtas hæreticos in Bearniæ principatum Apoſtolica Sixti V. auctoritate dirigitur, vt labentem ibi fidem Catholicam, prout præſtitit, conſtabiliret, hæreticiſque ſe validum murum opponeret. *Lefeburé.*

Demandatur regimen fidelium Eccleſiæ de Nicaragua in Indijs Occidentalibus P. Dominico de Villo, viro Apoſtolico, ſalutis animarum ſitientiſſimo. *Ex Act. Conſiſt. Greg. XIII.*

P. Paulinus Bernardinus Lucenſis, quem contra hæreticos ſcripſiſſe ſupra retulimus, maximæ pietatis, vir regulariſq; obſeruantiæ in Aprutina Congregatione reſtitutor, euolauit in cœlum, animi candore in Deum, in Beatiſs. Virginem deuotione, atq; in proximos charitate mirabilis. *Plodius.*

Gentilium animas cœlo lucraturus P. Leander Peſſoa ad occidentales Indos profectus, Euangelij Ieſu Chriſti ligone, ac lingua in vaſtiſſimis illorum regionibus vineam Domini inibi plantatam excoluit, copioſa ipſorum multitudine per ſacrum lauacrum, poſt indefeſſos labores, ærumnoſos ſudores, perſequutiones multas, afflictioneſq; aſſiduas, in fame, & ſiti Dominico gregi aſſociata: & memor deſiderij S. Patris Dominici, qui ſitiebat martyrium, ſicut ſitit ceruus ad aquæ fluuium, Idolorum aras euertit, templa deſtruxit, eorumque ſimulacra confregit. Quare Idolorum ſacerdotibus adibilis factus, non ſemel ad mortem quæſitus, Deo protegente, eorum technas, inſidias, liuoreſq; feliciter deluſit. Supra quadraginta quinque annos in aſſumpto apoſtolico miniſterio fœlici agone conſumpſit; tandemque meritis vndique onuſtus circa annum 1630. laborum ſuorum condignum præmium percepturus, depoſito carnis onere, perrexit ad Chriſtum. *Ex Relat. ad S. Cong. & Mag. Ord.*

ANNO 1586. Innocentem ſuum ſanguinem profuderunt Prædicatores in Armenia cum eorum Superiore P. Paulo, de vinea Domini ibidem excolenda ſoliciti, ab impijs Mahumetanis inhumaniſſimè tractati, afflicti, carcerati, & in odium Catholicæ fidei trucidati, ita vt fermè omnes ſanguine, eum pluribus alijs Chriſtianis ſint coronati. Qua de re monitus Magiſter Generalis Sixtus Fabri Sum. Pont. Sixtum certiorem eſſe voluit, qui iuſſit illi, vt alios operarios in Armeniam deſtinaret, qui fidelem populum per ſacramentorum adminiſtrationem in viam ſalutis dirigerent. Pont. Max. iuſſa compleuit Magiſter, & ex diuerſis Prouincijs Ordinis multos voluntarios Fratres in Armeniam miſit, qui damna à Turcis, fidelibus illis illata reparauère. *Grauina de ſtatu Chriſtianit. in Armenia.*

Eodem anno, & tempore P. Io. Pinto Inquiſitor hæreticæ prauitatis apud Indos Orientales inſtitutus, omnem diligentiam adhibebat, vt populi illi ad Chriſtum conuerſi, eſſent in fide ſtabiles, & in opere efficaces, ſeuerè, à fide deficientes, caſtigando, *Lopez p. 5.*

P. Hieronymus Polinus Florentinus, magni nominis Theologus, atque Eccleſiaſtes inſignis, plura ſcripſit, inter quæ italico ſermone Hiſtoriam Angliæ copioſiſſimam ab Henrici VIII. tempore, vſque ad Reginam Eliſabeth, ſeu potiùs Iezabelem dicendam, ob ſuas in Catholicos impietates, compilauit, quæ contra Auctorem indignata, ſtatuam eiuſdem cum hiſtoriarum libro per carnificis manus in publico foro apud Londinum cremari iuſſit *Gozæus*.

P. Hieronymus Bernerius apud Corrigium in Lombardia natus è nobili familia, poſt peractas conſuetas in Ordine lecturas, & multorum conuentuum præfecturas, dum apud S. Sabinam de Vrbe Prioris onus ſuſtineret, à Sixto V. ad inſtantiam noſtri Card. Alexandrini, primò Epiſc. Aſculanus factus; tandem hoc eodem anno ad purpuram aſſumptus, inter S. R. E. Cardinales cooptatus eſt; vir Eccleſiaſticę diſciplinæ zelator inuictus. Fuit poſtmodum ſub Clemente VIII. Albanen. Ep. & ſub Paulo V. Portuenſis, ſub quo deceſſit 6. Id. Auguſti ann. 1611. *Ciaccon. & Vghell.*

P. Didacus Beltram religione, pietate, ac in proximum charitate mirabilis, de perditione Gentilium apud Indos, quibus Euangelij lux nondum illuxerat dolens, Apoſtolicus Miſſionarius ad indiarum Occidentalium Regna effectus, per ciuitates, & Caſtella tranſiens, Ieſu Chriſti Euangelium infidelibus, eorum linguam edoctus, per quadraginta, & vltra annos infaticabili ſtudio prædicauit, pluribus ex ipſis ad Catholicam fidem per ſacrum lauacrum attractis; inter quos & eccleſiolas, & aras pro nouorum Chriſtianorum conuerſione, ac ſpirituali ſolatio, deſtructis Idolorum fanis, ac ſimulacris, erexit; ſanguinem, ac vitam ipſam pro Dei gloria, & proximorum ſalute profundere ſemper paratus. Tandem poſt perſequutiones innumeras inconcuſſo animo toleratas, ieiunijs, ac laboribus fractus, in ſenectam, & ſenium vitæ diebus perductis, mortem lætus aſpexit circa annum 1620. *Ex Relat. in Arch. Ord. & ad Sacr. Congr. de Prop. Fide directis.*

ANNO 1587. Religioſiſſimi, & doctiſſimi viri Patres Antonius de Archidiacono. P. Michael Benauides. Io. Cobos. Io. Maldonatus. Alphonſus Ximenes. Io. de Hormanza cum pluribus alijs, ſupra ad annum 1575. recenſitis, fidei catholicæ dilatandæ cauſa vlteriùs procedentes, Philippinas Inſulas ingreſſi cum P. Ioanne de Caſtro ſuperiore inſtituto, in Iaponia, & Sinarum Imperio, atque Philippinis inſulis, poſt calamitates multas, & malas toleratas, poſt famem, & ſitim, itaut herbarum radicibus, vix aquam adiungerent, & elixato duro pane quandoque ſuis neceſſitatibus ſatisfacerent ſpretis perſequutionibus ſibi ab Idolorum ſacerdotibus commotis, plures nationes pluraque Regna ſuis feruidis prædicationibus, morum ſanctitate, & vitæ exemplo ad Chriſtum Dominum per baptiſma attraxerunt, Prouinciam Sanctiſs. Roſarij Philippinarum conſtituentes, & fundantes, tanta ſub regulari obſeruantia viuentibus Fratribus, vt reflereſcere primi anni Ordinis ſub S. Patre Dominico viderentur. Apud Luzonias Inſulas, ſeu Philippinas, populi Pangaſienſes, Gacayenſes, Ilocilagalenſes noſtrorum prædicatione, nomen Ieſu Chriſto dedere. In Iaponiæ verò Imperio latiſſimo Regna Satzuma, Figen, & de Fingo noſtrorum doctrina excoluntur, in Dei via diriguntur, atque ſalutari aqua ſacramentali in dies abluuntur. *Morga in hiſt. Philippin.*

Chriſtianiſſimus Rex Henricus III. auitæ illibatæ Religionis Catholicæ in Anglia reſtituendæ cupidiſſimus P. Io. Breton de Cranutenſi conuentu, famoſum

in

in Pariſina Vniuerſitate Doctorem Theologum pro ſedandis hæreticorum tumultibus, falſiſque dogmatibus, ac controuerſijs cum Catholicis conſultò delegit, & delegauit, qui vt huius muneris ſibi demandati partes probè obiret, à R. P. Bartholomæo de Miranda Vicario Generali Ordinis benedictionem, atque obedientiam ſuſcepit. *Lefeburè.*

Ordo Sylueſtrinorum per Italiam vniuerſam auctoritate Apoſtolica Sixti V. viſitatur, corrigitur, atque ad regularem obſeruantiam reducitur à P. Thimotæo Bottonio S. Theol. Mag. de Romana Prouincia. *Lefeburè.*

Nobiliſſimæ fœminæ ſæculi vanitatibus abrenunciantes, Prædicatorum Ordinem ingrediuntur, Dominicanamque regulam profitentur, Ioanna Gaſpardi de Courtenai D. de Blencau filia, exemplum Miciæ filiæ Simonis Monrisfortis ſequta, & Ioannæ de Bigone, Mariæq; de Claromonte, filiæ Roberti Comitis Claromontenſis, in Monaſterio S. Dominici Montis Argæi. *Lefeburè.*

Fructum ſuauiſſimum cœlo dedit Dominicana Religio B. Bernardum de Brixia, cuius mens lucidiſſima; manus verò plenæ munditia fuerunt, eò quòd ſacroſancta myſteria celebrans, hoſtiam viuam Deo ſemetipſum offerebat, in oratione aſſiduus, in diſciplinis frequenter, atque in conuerſione peccatorum ad Deum totus addictus; vnde infirmis dedit ſanitatem, multaque alia miracula Deus ad ſerui ſui interceſſionem operari dignatus eſt. *Plodius.*

ANNO 1588. Inſæuientibus magis, ac magis in Gallia hæreticis contra oppugnatores ſuos Dominicanos profeſſores, tot ex his fuere pro catholica fide interfecti; vt illorum mors in conſpectu Domini prætioſa in hunc fuerit modum Ordini denunciata à Romano Capitulo, anno 1489. celebrato. *In Prouincia Toloſana, & in alijs Franciæ Prouincijs plures Religioſi Ordinis noſtri ab hæreticis interfecti, & ob fidem Catholicam varias perſequutiones, & tormenta intrepide paſſi ſunt, quorum nomina ſunt in libro vitæ.*

P. Balthaſar Drezelius & ipſe pro Chriſto, eiuſque catholica fide afflictus, cœlum hoc anno introiuit. Erat Drezelius Generalis Inquiſitor in Germania Inferiori, apud Antuerpiam reſidens, hæreticorum Lutheranorum, Caluiniſtarũq; perſequutor indefeſſus (etiam Anabaptiſtarum) quos continuis diſputationibus, lectionibus, & prædicationibus & ſcriptis inſectabatur, multa in eos ſcripſit, quibus eorundem malam ſacrarum ſcripturarum interpretationem detexit eorumque peſſimos mores redarguit. Porro hæretici omnes, & Anabaptiſtæ præcipuè, oderant eum, illuſque vitæ inſidiabantur, vt tollerent citò de mundo. Cogitauerunt igitur quomodo Drezelium interficerent, timebant verò Catholicos, à quibus in maxima veneratione habebatur, & vnicè diligebatur. Quadam autem nocte Anabaptiſta ad conuentum acceſſit, & ſimulata graui infirmitate cuiuſdam ſui amici rogauit, vt deſcenderet, & amico fieret in ſalutem animæ per ſacramentalem cõfeſſionem. Cucurrit ſtatim vir Dei percepturus amici confeſſionem, & ingreſſus Domum vidit multos hæreticos igni adſtantes, qui ſtatim in eum inſilietes, varijs contumelijs afflictum, & percuſſum denudabant, vt viuum comburerent: ſuperueniens autem ſocius, qui eum ſequutus fuerat à longè, clamauit nimis contra facinus, & accurrentes circum vicini catholici, S. Inquiſitorem de hæreticorum manibus eruentes, ad conuentum aſſociauère; nec his contenti hęretici, eum ex Antuerpia exulare fecère, quo in exilio moriens, cœleſtem patriam ingredi promeruit. *Lopez p. 5.*

Drezelium ſequutus eſt ad Chriſtum P. Lu-

P. Ludouicus de Granata ad pridie Kalendas Ianuarij, *Pater ſpiritus* dictus; vir omnibus numeris abſolutus, ingenio ſubtili, iudicio acerrimo, excellenti memoria, prudentia ſingulari, vitæque ſanctitate mirabilis, qui ſcriptis ſuis legentium corda emollit ad compunctionem, inflammat ad Dei amorem, & ad contemptum mundi impellit. Innumeros peccatores ad pœnitentiam, iuuenes ad mundi contemptum, & virgines ad ſacra clauſtra adduxit. De quo omnes Scriptores Ordinis, *Mirræus in Biblioth. Eccleſiaſt.*

P. Felitianus Niguarda, vir præſtantiſſimus, atque hæreticorum inſectator acerrimus, de quo ſupra, aſſumitur à Sixto V. ad Epiſcopatum Nouocomen. vt oues eiuſdem Eccleſiæ ſibi commiſſas à circumadiacentium luporum hæreticorum inſidijs fouèret, quod optimè præſtitit, factus murus, & antemurale contra eorum impetus. Cumque commendatum ſibi gregem annis pluribus optimis documentis, atq; exemplis informaſſet, deceſſit in ſua Eccleſia an. 1595. ætatis ſuæ 78. in noſtræ Eccleſiæ S. Ioannis capella S. Mariæ Magdalenę ſepulto corpore, quod Lazarus Caraſinus Epiſc. in medium templi tranſtulit. Nobili elogio ſepulchro, prout vidimus inſcripto. *Vghell. Ital. Sac. tom. 5. & Plodius.*

In Louania P. Io. de Louanienſi conuentu, in quo tunc ſtudijs præſidebat, in dicta die, concertationem validam habuit in publico cum quibuſdam hæreticis Lutheranis, & Caluiniſtis, qui argumentorũ multitudine propoſita circa Sacramentũ Euchariſtiæ, atque ſacrarum imaginum adorationem Ioannem perterrefacere conati ſunt, facto in populo hæretico clamore, ac tumultu, quaſi vi, & non rationibus vellet illum conuincere ac deterrère. Propoſitis igitur omnibus argumentis, Io. eleuatis oculis imaginem Beatiſs. Virginis Mariæ verſus, è regione ipſius ſtantis, antequàm reſponderet argumentis, dixit alta voce Salutationem Angelicam *Aue Maria* eiuſdem opem, & auxilium imploraturus: poſteà tanto cum ſpiritu argumentis reſpondit, tanta cum Sanctorum Patrum, ac Sacræ Scripturæ, præcipuè noui teſtamenti Ieſu Chriſti, vt confuſi non auderent verbum proferre. Solutis igitur hæreticorum argumentis, ſua propoſuit Ioannes, incipiens à diuiniſſimo Sacramento, probanſq; in vltima cœna Chriſtum Dominum dediſſe Apoſtolis corpus ſuum verum, & ſubſtantiale, quod cum ſumpſiſſet proditor Iudas, ſtatim in eum introiuit ſathanas: & validiſſimis Angelici Doctoris argumentis vſus, ita illos confuſos effecit, vt illi reſpondère non valerent, ſed tumultu in hæreticis confuſis excitato, clamoribus inualeſcentibus irruerunt in Ioannem, illum perempturi. At catholicis in eius auxilium adſtantibus, atque occurrentibus, facta eſt inter eos pugna, Ioanne clam in ſuum conuentum ſe recipiente, & ſic ab illa die prouocare noſtros ad diſputandum de eorum deliramentis deſtitère cum eorum rubore non modico, & confuſione maxima. *Lucarinus.*

Caput XIII.

P. HIPOLYTO MARIA BECCARIA Magiſtro Generali LI.

ANNO 1589. Depoſitione facta Sixti Fabri à Magiſterio Ordinis, P. Hipolytus Maria Beccaria de Monteregali in eius locum ſalutatus eſt Generalis

ralis Ordinis Magiſter, vir nataliū ſplendore, inculpatæ vitæ præſtantia, atque morum ſuauitate amabiliſſimus. Qui terminato Capitulo, ad viſitationem Ordinis accinctus, Italiam Hungariam, Auſtriam, Bohemiam, Morauiam, Sileſiam, Ruſſiam, Poloniam, ſolus, ſine exemplo, viſitauit, maximo aſſumpti itineris incommodo, ac vitæ periculo, à mendicis, & pauperibus conuentibus contributiones non exigens, ſed in ſubſidium pecunias porrigens eiſdem Fratribus indigentibus, & veſtes, & alia neceſſaria miniſtrando. Quatuor Generalia Capitula celebrauit; Primum ſuæ electionis Romæ; Secundum Venetijs 1592. Tertium Valentiæ 1596. Quartum verò Neapoli 1600. in quibus multa ordinata ſunt ad regularis obſeruantiæ promotionem, atq; Ordinis incrementum, multis circa officium conſuetum Ordin. immutatis. Apud Pontifices Maximos Sixtum V. Gregorium XIV. & Clementem VIII. magno in pretio habitus, cuncta, quæ in Ordinis augmentum petijt, obtinuit. Apud Neapolim communem naturæ cenſum perſoluit, completo Generali Capitulo anno Iubilæi 1600. ſolemni pompa exequijs celebratis in templo S. Dominici. *Plod.*

P. Michael Ferrè Carnutenſis eximiæ pietatis, ac ſcientiæ Chriſtianiſſimis Regibus Franciſco II. Carolo IX. & Henrico III. à Confeſſionibus, & Conſilijs; hæreticorum hoſtis accerrimus, contra quos, ne multa obtinerent ab his Regibus, quæ in ſuarum ſectarum fauorem enixè petebant, inuictus ſtetit. Cum Maria Scotiæ Regina, cui erat à conſilijs, & confeſſionibus in Scotiam profectus, ab ea, & familia eius hæreticos auertit, ita vt pedem in eius palatio figere non auderent, qui de fide catholica ſuſpecti eſſent qua mortua, in Galliam reuerſus prædiuitem Abbatiam B. Mariæ de Luraico Ordinis D. Auguſtini in diœceſi Pariſienſi ab Henrico Rege oblata conſtantiſſimè recuſauit, paupertatis amator feruidus. Ab ipſo Rege, inclinatis Regni Galliæ rebus, ob inualeſcentes hæreticos, Neapolim Orator miſſus eſt quo in munere vix verbis exprimi poteſt, quàm prudenter, quàmque fideliter ſe geſſerit, cunctis iuxta Regis vota peractis. *Leſeburè.*

Mauritius de Hungaria ex Regia domo de Iauria, & Alberta de Luna Comitiſſa de Gormam ſpreto viriliter ſæculo humilem Dominicanam togam ſuſcepere, vt diuites virtutibus in æternum cum Chriſto regnarent. *Leſeburè.*

P. Tomas Fliſius Neapolitanus, præter recenſita anno 1575. ſcripſit in fauorem Catholicæ fidei contra Hebræos: *De ſacrificijs, & Sacramentis vtriuſque legis* opus eruditiſſimum, & tanto viro dignum. *Gozzæus.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum fideliumque illarum regimina à Pontifice Maximo Sixto, Cardinalis Alexandrinus ad Albanenſem, & P. Io. Lopez Hiſpanus ad Monopolitanam. *Ex Actis Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Aſſumitur & hoc anno, poſt deceſſum Bzobij, ad inſeruiendum Apoſtolicæ Sedi in Magiſterio Sacri Palatij P. Vincentius Bouardus Romanus de conuentu Mineruæ ex Secretario Congrationis Indicis, qui poſt duos annos ad Hieracen. Eccleſiam promotus eſt; vt oues Chriſti in ea Eccleſia dirigeret in viam ſalutis. *Lucarin. & Vghell.*

Diriguntur in Cœlum ex Dominicana Religione filij inclyti, amicti auro primo ſingularis charitatis, P. Pettus de Prauia, Soror Febronia Carpana, & B. Maria Margarita Delfina, qui orationibus inſtantes, ieiunijs adhærentes, vigilias ſacras amantes, eleemoſynas ſectantes, pauperes recreantes, in tribulatione gaudentes,

tes, Deo bonorum largitori gratias agebant, *Plodius*.

Eminet autem inter omnes admirabilis Virgo, quæ à teneris Chriſto Virginum Sponſo adhærens demum hoc anno cœleſtem puritatis aureolam conſecuta eſt. Florentiæ 1522. die 25. Aprilis nobilibus orta parentibus, mox à prima ætate Angeli ſui tutelaris magiſterio in multis, at præcipuè in recitando Beatiſſimæ Virginis Roſario edocta fuit Diuinarum reuelationum frequentia, ac prodigioſis è cœlo fauoribus mirificè claruit.

ANNO 1590. Sub Sixto V. Pontifice glorioſiſſimo, & verè Max. qui diem clauſit extremum 6. Kal. Septembr. inuictus Chriſti athleta, nunquam ſatis commendatus ſcriptorum calamo Pater Melchior Moſticenſis, hæreticæ prauitatis in Polonia apud Cracouiam Inquiſitor, hæreticorum omnium malleus fortiſſimus, tam vitæ ſanctitate, quàm feruidis diſputationibus, congreſſibus, prædicationibuſque nullam prætermittens opportunam occaſionem, aliquot millia hæreſi infectorum catholicæ Religioni per propriorum errorum abiurationem reconciliauit, quos & à Rege benignè foueri, & tractari impetrauit, *Bzou. Cap.* 10.

Quia verò Pater Bernardinus Ochinus apoſtata à Religione, & catholica fide multos ſeducebat, & pertimeſcens Sixti Pontificis Maximi auctoritatem, ac potentiam Germaniæ confinia exierat, propè Poloniam pedem figens, Pater Melchior Moſticenſis Inquiſitor in Polonia ad eum epiſtolam exhortatoriam dedit, vt miſerum ad pœnitentiam emollirer, cuius talia initia elegantiſſima ſpiritu diuino plena.

Ad Patrem Bernardinum Ochinum Senenſem Eccleſiæ Matris, & Religionis deſertorem Pater Michael Moſticenſis Sacræ Theologiæ Mag. Ordinis Prædicatorum.

Quid tibi in mentem venit ò Bernardine? Quis te Demonÿ malus, velut olim reprobum Iſraeliticum Regem arripuit ſpiritus? Pater mi, Pater mi currus Iſrael, & auriga eius, Quem in ſpiritu, & virtute Eliæ aſcendentem paulò ante mirabamur in cœlum, quomodo cum curribus, & equitibus Pharaonis deſcendentem dolemus in infernum? quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? quomodo obſcuratum eſt aurum mutatus eſt color optimus? Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua? O inſenſate Senex, quis te faſcinauit, vt ad aliud te conuerteres Euangelium, quod non ab vberibus matris tuæ ſuxiſti, vt alium tibi confingeres Chriſtum, quem à Catholica Eccleſia non didiciſti? &c. Bzouius cap. 10. & Plodius.

Pater Ioannes Lopez de Aguero Portugalenſis, cum in Miſſione ſecunda, Apoſtolica auctoritate facta ab Ordine filiorum ſuorum ad Orientales Indos, inter eos adſcriptus fuiſſet, in infidelium conuerſione edoctus, copioſam eorundem multitudinem ſuæ inculpatæ vitæ exemplo ad Chriſtum attraxit, quotidianis ieiunijs, diſciplinis, corporiſque afflictionibus addictus. At cum eſſet aſpectu decorus, à nobili quadam muliere inordinato amore adamatus fuit, ipſaque omnem adhibuit operam, vt illius puritatem violaret. Simulato igitur graui morbo, vocatus eſt Ioannes ad audiendam mulieris confeſſionem, quam illa ex communi formula (quæ incipit *Confiteor Deo, &c.*) doloſè inchoans, mox, prophanis nutibus, verbis, geſtu pium Confeſſoré ad ſeclus prouocare conata eſt. Obſtupuit rei nouitate optimus Vir, & aufugit relicto in manu fœminæ pileo, quæ propter hoc indignata nimis, paucos poſt dies conſtantem virum propinato veneno è mortalium oculis

lis ſuſtulit. *Marcheſius in Diario Sacro tom. 1.*

In Gallicana Congregatione glorioſè quoque obière, in odium Catholichæ fidei mactati P. Nicolaus de Monte Mag. ſtudijque Pariſien. aliquando Regens, vnà cum P. Petro Turpin, qui in obſidione Lutetiæ Pariſiorum à Lutheranis, & Caluiniſtis, alijſque impijs hæreticis facta, cum ſuburbia cuſtodirent, catholicoſque ad reſiſtendum illis animarent, ab impijs haſta transfoſſi in feſto Omnium Sanctorum, ad eorum ſocietatem eadem die peruenère. *Ex Act. ſuprad.*

Eadem die captus fuit P. Edmundus Bourgoui Mag. & Prior Pariſien. conuentus, & in carceribus diù detentus, varijſque tormentis affectus, à quatuor equis tandem in quatuor partes diſcerptus, patienter, & pro Dei amore mala omnia illata perferens, ad cœlum euolauit feliciter. *Ex eiſdem Actis.*

Spreto viriliter ſæculi luxu, nobiles viri Antonius Souſa Marchionis de Caſternare, & Bernardus Manrique Marchionis de Agilar filij, cum Petro de Hæredia ex Comitibus de Cifuentes humilem Dominicanum habitum induunt, & profitentur rigoroſam paupertatem. *Lefeburè.*

P. Franciſcus Galaſſæ Goenſis, Miſſionarius, & Prædicator verè Apoſtolicus, in inſulam de Solor properauit, vbi prædicatione Euangelij, atque inculpatæ vitæ exemplo caſtri de Trapobella incolas ad fidem Chriſti allexit, ſuiſque manibus baptizauit. At tranſacto non multo tempore, quidam ex principalioribus loci illius incolis, carnis ſpurcitijs aſſueti, cum diutiùs chriſtianas leges ferre non valerent in Seruum Dei inuecti, de eo necando cogitauère, vt dicetur an. 1598. *Marcheſius in Sacro Diario tom. 1.*

Dum P. Gregorius de S. Lucia electus Epiſcopus Malacen. ad ſuam ſponſam properaret in Orientalibus Indijs, duo noſtri Religioſi eidem in itinere ſe aſſociauère, P. Antonius, de Cruce dictus vnus, F. Alexius conuerſus alter, qui ab eodem Epiſcopo in Inſulam de Solor pro conuerſione gentium illarum directi, mirabilem fructum conſequti ſunt, P. Antonio prædicante, baptizante, Sacramentaque adminiſtrante. F. Alexio verò baptizatos in recitatione ſanctiſs. Roſarij, alijſque orationibus, & actibus virtuoſis inſtruente. Cumque innumerabilem Idolatrarum multitudinem conuertiſſent ad Chriſtum, templaque, ſeu Eccleſias 27. in eadem Inſula conſtruxiſſent, (quæ ibidem permanſère donec Hollandi hæretici eas deuaſtarunt) infirmati ambo, eodem anno, & die 17. Febr. ex corporis ergaſtulo ſoluti, in cœlum conſcendere ſimul promeruère: & ſicut in vita dilexerunt ſe, ita & in morte ab inuicem non ſunt ſeparati. *Marcheſ. Sac. Diar. tom. 1.*

ANNO 1591. Irrigatur copioſo Dominicano ſanguine terra in veritatis Catholicæ fidei teſtimonium. Et quidem P. Iacobus Faber in Belgio, dum in vigilia S. Catharinæ Virginis, & Martyris iter ſumpſiſſet, Euangelium Dei in Aduentu nunciaturus fidelibus, iuxta Eccleſiæ morem in vicino pago, ab hæreticis captus, ac per triduum immaniſſimè in carcere vexatus, tandem trucidatus eſt miræ patientiæ, & inuicti animi exemplar cœteris datus. *Ex Act. Capit. Gen. Venti an. 1592. celeb.*

Cum hoc anno dira obſidione circumdata eſſet Pariſina Ciuitas ab hęretieis debaccantibus, commonebantur Catholici à Religioſis Ordinis Prædicatorum ad reſiſtendum eorundem conatibus, & inſidijs; at tandem die prima Nouemb. Omnibus Sanctis ſacra, ciuitate expugnata, conuentum noſtrum S. Iacobi ingreſſi illi magno cum impetu, ac liuore vindictæ, Regentem ſtudiorum cum Priore conuentus, alijſque pluribus interfecère.

Marcheſius in Diario Sacro tom. 1.

Item in Gallicana Congregatione P. Io. Broiſin Baccalaureus Pariſinus Prædicator celebris, ab hæreticis captus, & patibulo ſuſpenſus, fœlici agone conſumato, triumphat in cœlis, in æternum regnaturus cum Chriſto: eodemque mortis genere curſum vitæ compleuit P. Ioannes de Regi, & P. Robertus Culuanus ſagittis confoſſus, qui ſanguine proprio ad vitā perennem ſibi aditum parauit. *Ex eiſd. Actis.*

Laborabant ſtrenuè pro fide dilatanda, & Ieſu Chriſti nomine in remotiſſimis orbis terræ partibus apud Philippinas Inſulas portando Io. Maldonatus Patres, & Michael Benauides, de quibus ſupra an. 1583. qui, cum copioſam meſſem in horrea Eccleſiæ congregantes, necnon & Regulum quendam baptizantes, & hac de cauſa ab eo multis donarijs affecti, cuncta terrena reſpuentes, ex ſuſceptis eleemoſynis Eccleſiam pro baptizatorum ſolatio, & pauperculam domum pro religioſa habitatione conſtruxerūt, incumbentes pro viribus ad illorum Gentilium conuerſionem. *Lopez p. 5.*

P. Petrus Ruxius de conuentu Antuerpienſi, hæreticorum hoſtis inuictus, ac indefeſſus verbi Dei promulgator, cum inſtante quadrageſimali tempore, de Superiorum licentia ad populum conciones eſſet habiturus in Guſtano caſtro, & illud eſſet ingreſſus, atq; ad Eccleſiam oraturus acceſſiſſet, ab hæreticis militibus igne ſuccenſa Eccleſia, dum ſemiuſtus ex illa egrederetur ab eiſdem captus, & in carcerem coniectus, doloribus, fœtoreq; conſumptus interijt. *Lopez p. 5.*

Eum ſequutus eſt ad cœlum B. P. Dominicus Ecya de Fonte Vehiuno, qui occidentalibus in Indijs annis multis prædicando, baptizando, confeſſiones audiendo, reliquaque Sacramenta miniſtrando, multum fructum attulit, pluresque ad Catholicam fidem attraxit; ſanctitate vitæ potiùs quam ſacra prædicatione: nam Gentiles illi intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos, & ad omnia mandata eius dirigebantur. Apud Tepetlaoztoc ſumma in veneratione habebatur, vbi multa miracula Deus per interceſſionem ſerui ſui operari dignatus eſt; necnon innumeram multitudinem catholicam effecit, combuſtis Idolis, contra Dominicum clamantibus, dæmonibus: *Vt quid veniſti torquere nos*? Tandem cœleſtibus viſionibus recreatus, apud Mexicum terreſtria derelinques, æterna conſequutus eſt. *Plodius.*

P. Paulus Picus de Burgo S. Sepulchri factus eſt à Gregorio XIV. S. Congregationis Indicis Secretarius poſt aſſumptionem Bonardi ad Hieracen. Eccleſiam, qui in Magiſterio Sacri Palatij retinuit etiam Indicis Secretarij munus, permanſitque Paulus in ſuo munere vſque ad annum 1613. quo à Paulo V. Vulturarien. Epiſc. factus eſt, vt populum illum in viam ſalutis, verbo, & exemplo edoceret, ac dirigeret. *Ex Regeſt. eiuſd. Cong.*

ANNO 1592. Celebratum eſt apud Venetias Generale Ordinis Capitulum, in quo denunciatum eſt ordini Ponrificem Max. Clementem VIII. erga illum benè affectum, conceſſiſſe Indulgentiam plenariam perpetuam noſtris Eccleſijs in reliquis feſtis Sanctorum illius, ſcil. Thomæ Aquinatis, Vincentij, & Antonini, ſicut fecerat Sixtus V. pro alijs noſtris ſanctis ſupra relatis. *Ex Act. euſd. Cap. denunc. 4.*

In Ethiopia Orientali apud oram Africanam in prouincia Cuamæa prope Mozambique P. Nicolaus de Roſario, dum ad prædicationem inter Gentiles aſſumſiſſet iter, ab eiſdem ſagittis confoſſus occubuit, corpuſque illius in fruſtra conciſum, & decoctum, à barbaris illis deuoratum fuit *P. Io. de. Sanctis.*

Eo-

Eodem anno P. Ioannes de Pietate ex conuentu Mazambucano, cum multos Idololatras ad Chriſti Domini venerationem adduxiſſet, à quodam ethnico Regulo quorundam oppidorum, in quibus prædicauerat ille, in Cuamæ Prouincia, (quem etiam ad catholicam fidem cum ſuis ſubditis trahere conabatur;) captus, & in vincula coniectus, immaniſſimè peremptus fuit. *Ex eodem Auctore ſuprad.*

P. Io: Cabos de quo ſupra an. 1587. cum ſocijs à Prorege Inſularum Philippinarum ad Iaponiæ Regem, (cui nomen Neaco Quabacondono Taicozama) ſeptuaginta Regibus, at Regulis imperantem Legatus mittitur; à quo benè acceptus eſt, & cum Faranda Quemon viro Iaponenſi pro firmanda vtrimque pace officiosè remiſſus, ab alijs indis in reditu, trucidatus fuit. *Lefeburè.*

Maria Magdalena neptis Ioannis IV. Portugalliæ Regis, & Catharina Ariaz ex Comitibus de Buenencontro, abdicatis ſæcularibus pompis Ordini S. Patris Dominici ſub paupertatis regula nomen dedère. *Lefeburè.*

P. Vincentius de Monte Sancto ex conuentu Papien. cum Inquiſitionis tribunal ſumma cum integritate rexiſſet Cremonæ, & Fauentiæ, diœceſeſque illas ab omni hæreticali labe vindicaſſet, à Clemente Pontifice ad Aprutinam, ſeu Teramen. Epiſcopalem ſedem euehitur; vt oues eidem Eccleſiæ creditas per ſalutis ſemitam dirigat. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

P. Io: Paulus Nazarius Cremonenſis mittitur à Magiſtro Generali Beccaria cum Apoſtolico Nuntio in Germaniam; vt in Pragenſi Vniuerſitate, ſeu verius dicamus, in Generali Ordinis ſtudio ibidem Theologiam doceat, atque controuerſias publicè enodare ſatageret, hæreticorum falſa, impiaque dogmata, impugnando, quod ille fœliciter præſtitit, & diſputationibus, opuſculis ſcriptis, concluſionibus publicè, congreſſibuſque cum illis per tres annos ſæpe habitis, catholicæ fidei veritatem propalauit, multis hæreſes abiurantibus. *Ex eodem Nazario in Opuſc. 2. de S. Miſſæ Sacrificio.*

Promoto ad Hieracen. Eccleſiam Bonardo Sacri Palatij Magiſter creatus eſt à Gregorio XIV. P. Bartholomæus de Miranda Hiſpanus, vir doctiſſimus, atque magni nominis Theologus, quippe qui in conuentu Mineruæ ſtudiorum Regẽs, necnon Procurator Generalis Ordinis inſtitutus, ſapientiæ ſuæ ſpecimen dedit, in Romana Curia, & in Collegio S. Thomæ Theologiæ cathedras moderando: oblatum ab Hiſpaniarũ Rege Vigleuan. Epiſcopatum ſuſcipere recuſauit, & Neapolim digreſſus valetudinis recuperandæ cauſa, ibidem deceſſit an. 1597. *Lucarin.*

P. Nicolaus de Roſario ex Coimbria, in Vlyſiponen. conuentu ad Ordinem receptus, completis ſtudijs ad Indos profectus, in magno Regno de Monotapa Euangelium Chriſti annunciauit magno cum animarum fructu, & apud Mozambillam maximè, copioſa Idolatrarum multitudine per ſacrum baptiſma Eccleſiæ ſanctæ vnita: cum verò in Regnum de Sena penetraſſet, ibidem Catholicam fidem enunciaturus, à Mauris captus, atque arbori ligatus, ſagittis confoſſus eſt. *Marcheſius in ſuo Diario Sac. tom. 1.*

P. Sebaſtianus Cataneus promouetur à Pontifice Clementem ad Epiſcopatum Chiemen. datus Archiepiſc. Saliſburgen. ſuffraganeus, coàdiutorque cum futura ſucceſſione Viglieuanen. *Ex Act. Conſiſt.*

ANNO 1593. In Septentrionalibus partibus, & maximè in Poloniæ Regnis, Fratres Prædicatores contra hæreſes indefeſsè decertabant publicè & priuatim illis è Polonia profligandis, intenti & detectis hereticorum fraudibus, ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Euange-

liorum textus deprauantium, agente potiſſimum Beatiſſima Virgine ſacratiſſimi Roſarij, cui ex corde ſe noſtri commendabant, per multorum factam publicam hæreſum, & maximè virorum conſpicuorum, abiurationem augmentum ibidem ſumpſit Catholica fides, hæreticiſq; patuit ruina magna, ipſo Rege, ac Primatibus Curiæ ab eiſdem alienantis. Vnde *P. Hiacynthus Suſcius*, occaſionem nactus, cum eſſet in Cracouienſi conuentu ſtudiorum Regens, eruditam Apologiam ſcripſit contra quendam præcipuum Miniſtrum Caluiniſtam (qui ſuum virus inter Aulicos Regios effundere attentauerat,) pro Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quæ & à Rege, & à doctis commendata fuit. *Bzou. cap. 12.*

Henricus IV. Franciæ, & Nauarræ Rex, abiurata hæreſi apud S. Dionyſium 25. Iulij, palam ſacram Catholicam fidem amplectitur, veram Religionem ſolemni ritu profitendo, & promittendo ſe illam defenſurum, idque præſtitit inter Archiepiſcopi Bituricenſis manus coram nouem Epiſcopis, adſtantibus plurimis diuerſorum Ordinum Religioſis, præ gaudio flentibus, & laudantibus Deum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius; & miſſis Oratoribus ad Clementem Pontificem, S. Matri Eccleſiæ, gaudentibus cunctis fidelibus, reconciliatus eſt, accepta ab eodem Clemente Papali benedictione. Cum verò Petrus Barriere hæreticus Aurelianenſis in eundem Henricum Regem conſpirationem cædis feciſſet, P. Seraphinus Bancus Florentinus, quam ille moliebatur proditionem Regi patefecit, & ſic periculum euaſit Rex apud Melodunum 26. Auguſti capto, & iuſtè punito reo: ipſe autem P. Seraphinus gratiam Regis promeruit, atque in ea ad mortem vſque perſeuerauit, nominatus Engoliſmen. Epiſcopus. *Lefeburè.*

P. Felitianus Niguarda Nouocomen. Epiſcopus, de quo ſuprà an. 1546. ſcripſit quoque, præter recenſita, contra hæreticos librum pro inſtructione Parochorū, quomodo ſe debeant gerere in directione ſuorum parochialium, & maximè puerorum: necnon alterum de Gubernio Epiſcoporum: *Hæreſim latentem eruit de latibulis, vigilauitq; traductis ijs, qui ea peſte laborabant ad catholicos mores reformare*, inquit Vghellus, ſubdens: *Plura vtilia monumenta perſcripſit, ſcilicet plures diſputationes contra hæreticos, Carmelitanis Fratribus Comi attribuit domicilium, pluraque alia præſtitit ad pietatem colendam.* Idem Vghellus tom. 5.

Deceſſit hoc anno inclytus vir P. Ferdinandus Caſtillo Philippi IV. Eccleſiaſtes, atque in Hiſpania tota prædicator celebris. Eiuſdem Philippi Oratorijs munus ad Regem Luſitaniæ Henricum pro grauiſſimis Regiæ Coronæ negotijs ſubiuit, & cuncta pro Regis voto compleuit; ſcripſit mirabili ſtylo primam, & ſecundam centuriam Ordinis. At inuida mors illum præripuit; ne tantum opus perfectū in orbe, & Ordine, maximo cum eiuſdem decore appareret, 4. Kalen. Aprilis huius anni. *Ex hiſt. Ord. Lopez 4. p. & alijs Script. Ord.*

P. Angelus Cæſarinus Taruiſinus, vir eruditiſſimus à Clemente VIII. conſtituitur Paſtor Caprulen. Eccliſiæ, vt oues illius per veram Dei ſemitam dirigeret, qui poſt ſeptimum ſui regiminis annum, ibidem conditus eſt. *Vghell. Ital. Sac.*

Datur hoc anno ex conuentu Sanctimonialium noſtrarum S. Agnetis Cæſarauguſtæ ſacrum virginitatis lilium, ante Diuinum conſpectum ſuauiter olens, ſoror Helena Toraglia, quæ Agnum in hac vita per mortificationē corporis, diſciplinas, vigilias, & cilicia ſecuta æternæ gloriæ palmā promerita cum eo in æternum viuit. *Lopez p. 5.*

AN-

ANNO 1594. Magiſter Ordinis Hippolytus Maria Beccaria in hęreticorum prouincias ingreſſus hoc anno & ſequentibus, viſitauit conuentus Germaniæ, Auſtriæ, Hungariæ, Bœmiæ, Morauiæ, Sileſiæ, Poloniæ, ac Ruſſiæ, maximo Catholicæ Religionis augmento. Nam inter cœtera, plures filios ſuos verbi Dei præcones inclytos, in varijs præfatarum nationum conuentibus, vt hæreticis ſe opponerent, illoſque ſana doctrina confunderent, atque fideles in vera fide conſolidarent monuit, & aſſignauit: quod illi fideliter præſtantes, fructus innumeros S. Eccleſiæ dederè. At in credibiles fuerunt incommoditates, ac damna, necnon moleſtiæ, quas pertulit Hippolytus in tali viſitatione periculis fluminum, periculis latronum, periculiſque hæreticorum inſidiantium illi ad mortem. Sæpius in ſtabulis, & ſuper nudam terram quieſcens; inedia, fame, ac ſiti cruciatus. Nunquam Ordinis habitum in hæreticorum prouincijs occultauit; vt ferè cœteri Religionis cuiuſque profeſſores faciunt; ſed palam, patenterque geſtauit in confuſionem hæreticorum, quorum multos ſuæ inſontis vitæ norma ad agnitionem veritatis perduxit. Hoc rariſſimum exemplum Prouincijs illis hæreticorum, quas viſitauit, reliquit, & infirmatus non ſemel ad mortem, diuina ope incolumis euaſit, vno tamen oculo amiſſo: In Italiam, & Vrbem reuerſus, à Clemente Pontifice, benigniſſimè receptus eſt. *Lopez p. 5.*

... Bauariæ Dux, Catholicæ fidei cultor egregius, audita fama inculpatæ vitæ Sanctiſſimi Pontificis Clementis VIII. regnantis, mittit filios ſuos in Vrbem, ab eodem benedicendos, in ſignum fidelitatis ſuæ erga S. Matrem Eccleſiam, Apoſtolicamque Sedem; quos ea propter curæ, ac directioni P. Fœlitiani Niguardæ Nouocomen. Epiſcopi commiſſit, qui optimæ indolis adoloſcentes ad Pontificios pedes adduxit, & incolumes reduxit ad patrem, in pietatis operibus optimè edoctos. *Vghell. tom. 5. in Epp. Comment.*

P. Hyacintus Polonus à Clemente Pontifice, ſolemni canonizationis ritu refertur in Sanctorum Confeſſorum, catalogum decimo quinto Kalendas Maij; ob mortuos ſuſcitatos, hydropricos curatos, varijſque morbis afflictos priſtinæ ſanitati reſtitutos meritis eiuſdem ſanctiſſimi viri. Inde feſta ipſius per totum fermè Chriſtianum orbem, clariſſimis lætitiæ, & gaudij ſignificationibus, & omni magnificentiæ apparatu celebrata ſunt: *Ex eius ſacra legenda. Et Bzou. tom. 1. ad an. 1257.*

Edmunda de Courtenai ex Regio ſanguine Gall. abdicatis ſęculi vanitatibus, & pompis, religioſam paupertatem amplectitur ſub Dominicana profeſſione *Lefeb.*

P. Florentius Puteanus de Anturpienſi conuentu, hæreticorum hoſtis accerrimus, cum toto vitæ decurſu infaticabili ſtudio contra eos verbo, lingua, calamo decertaſſet, ac proprerea perſequutiones multas ab eiſdem paſſus fuiſſet, hoc anno laborum ſuorum præmia conſequuturus, obdormiuit in Domino. *Lopez p. 5.*

P. Alexander de Franciſcis, origine hebræus, Doctor famoſus, ac prædicator egregius, cum ſua doctrina, prædicatione, atque probitate vitæ multos hebræorum ad ſacrum lauacrum ſuſcipiendum adduxiſſet, à Clemente Pontifice, cui in paucis charus fuerat in minoribus, Foroliuien. Epiſcopus creatus eſt, vt ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei in vitam æternem dirigeret. *Vghell. tom. 2.*

P. Sirletus in Vrbe Iudæorum Prædicator, & ipſe de populo Iſrael ad Catholicam fidem conuerſus, contra eos ſpiritus ardore maximo prædicans, multos ex conſocijs ad venerationem Ieſu Chriſti relicta

relicta ſinagoga adduxit in fide edoctos,& inſtructos : Quare Clementis Pontificis, cui cordi erat ſibi ſubditorum ſalus, gratiam promeruit. *Ex Sac. Theat. Domin.*

ANNO 1595. in Gallia P. Io. Regot Mag. & Prior Pariſien. cum hæreticorum incendia, verbis & ſcriptis conaretur extinguere feruida prædicatione, ac pluribus congreſſibus cum Bordàno Martelio Caietano hæreſiarcha habitis, eum eruditione præſtantem, ad propriorum errorum cognitionem, & deteſtationem adduxit; qui poſtquam Catholicam fidem profeſſus eſt, apud Montempeſſulanum, vbi morabatur, & apud alias Galliæ vrbes alios hæreticos impugnando, auxilium, & incrementum eidem Ioanni attulit. *Ex Genebrardo apud Fernandez.*

Eodem anno Prior noſtri conuentus Luceorienſis maximos in Ruthenorum conuerſione ſuſtinuit labores, & quamdiu in conuentu noſtro Vilnenſi Lectoris Theologiæ onus ſuſtinuit, plurimos ſchiſmaticorum, atque hæreticorum diſputationibus, ac congreſſibus ad fidem attraxit: fecitque vt ex Ruſſiæ populis multis ſchiſmate poſt Concilium Florentinum ab Eccleſiæ corpore præciſis ad eandem per ſchiſmatis abolitionem reuerterentur. *Bzou. cap. 3.*

Domus Carmelitarum Diſcalceatorum ſub titulo Prædicationis, & doctrinæ in Ciuitate d'Aia Regni Caſtellæ eleemoſynis fundatata, ab ipſis Religioſis Ordini noſtro, ex Regio decreto datus eſt. *Leſeburè.*

D. Dominica de Guſman ex Comitibus de Guſman, & Dominicus de Viloa germanus Marchionis de la Mota Dominicanum inſtitutum ſuſcipiunt, vt viuentes in hoc ſæculo pauperes ſpiritu; regnū cœlorum in æternitate conſequerentur. *Leſeburè.*

Aſſumuntur ad Eccleſiarum regimina, vt populos illarum ad cœleſtia dirigant: Et quidem à Clemente Pontifice P. Petrus de Marijs conſtituitur Ep. Ciuitatis de Cloro in Prouincia de Venezula, & P. Michael Benauides nouæ Segobiæ in Indijs. *Ex Act. Conſiſt. Clem. VIII.*

Apud Orientales Indos inſudabant Religioſi Prædicatores pro Gentilium conuerſione ad Chriſtum: & quidem cum profectu non modico. At vberiorem profecto meſſem congregabant in Eccleſiæ horrea apud Occidentales in vaſtiſſimas regiones illas procedentes in melius de die in diem, & conuentus, aras Eccleſias, ac doctrinas fundantes cum Catholicæ fidei, atque S. Crucis exaltatione maxima: Idolis confractis, ac deiectis. De quibus omnibus monitus Magiſter Ord. Beccaria exultabat ſpiritu vberrimis profuſis lachrymis. Quare cogitauit de nouis Prouincijs in Ordine multiplicandis in locum aliarum ab hæreſi ſuppræſſarum, quæ ſub eodem fuère erectæ & ſtabilitæ, nempè Sanctiſſ. Roſarij Philippinarum. S. Catharinæ Senen. de Aprutio, atque Ruſſiæ; diuerſis tamen annis, & temporibus, vt in noſtris Conſtitut. par. 2. retulimus.

Regebat hoc anno Sacrum Inquiſitionis Tribunal apud Toloſam P. Arnaldus Toloſanus, qui contra hæreticos inſurgens, eorum coercebat in Catholicos liuorem. Quare aliquos ex eis in vincula coniectos condignis pœnis in aliorum documentum caſtigauit, & contra eorum fautores non ſemel ad Regium Senatum conſtanti pectore acceſſit; permanſit autem in regimine eiuſdem S. Tribunalis, vſque ad annum 1607. & mortuus eſt. *Ex Monum. Inquiſ. Toloſ.*

Clemens Pontifex de communi mortalium ſalute ſollicitus Magiſtrum Ordinis monuit, vt in hæreticorum prouincijs viros cordatos, doctos, zelumque Dei habentes deſtinaret, qui rem catholicam contra inſultantes hæreticos ſuſtinen-

nentes, ſanctam Eccleſiam, atque fidem ab illorũ oblatrationibus defenſarent. P. Hippolytus igitur Beccaria diſtributis in Galliæ prouincijs, atque Germaniæ partibus filijs ſuis, ad Apoſtolicum illud miniſterium aptioribus, eos murum, & antemurale contra hæreticorum impetus coſtituit, vt lingua, calamo, ac diſputationibus tanquam telis acutiſſimis eos configerent, ac proſternerent; & vt id præſtarent ardentius, ipſemet in Hungariam, Morauiam, Sileſiam, Ruſſiam, Poloniam, vtramque Germaniam ſuperiorem, & inferiorem ſolus, ſine exemplo proceſſit, incommoda innumera ſuſtinendo, & in terris hæreticorum in habitu Ordinis publicè ſine metu incedendo: quod cum Pontifici Clementi innotuiſſet, illum tanquam Angelum è cœlo datum veneratus eſt, deinceps. *Ex eius Regeſt. & Plod.*

ANNO 1596. Apud Synarum Aſiæ Regna vaſtiſſima noſtrorum Prædicatorum Euangelij vox inſonuit; Patribus Antonio ab Archidiacono, Bartholomæo Lopez, Alphonſoque de S. Dominico in Religioſiſſima Pilippinarum Prouincia permanentibus; in qua cœnobia erexerunt; & ſua ſancta prædicatione, tam in eiſdem Regnis, quàm apud Manilam, nobiliſſimum Philippinarum, atque Aſiæ emporium; Synanſij populi multa millia ad Catholicam fidem attraxerunt. *P. Ioannes de Sanctis p. 2.*

Eodem anno in præfata prouincia Phylippinarum aliqui ex noſtris Prædicatoribus idioma Synarum edocti, libros ediderunt; vt prædicatores illius gentis, facilius, atque promptius, Chriſti fidem eiſdem annunciarent. Cathechiſmos quoque ad Synenſes populos in fide erudiendos, compoſuerunt: quibus, vix credi poteſt, quanta fidei incrementa catholica Religio ibi ſuſceperit. Inter hos P. Thomas Maior de cœnobio Oriolen. fidei Symbolum impreſſit, & P. Dominicus Nieua de Valliſoletano conuentu Chriſtianæ fidei Memoriale euulgauit, in quibus præcipui fidei noſtræ articuli, & myſteria manifeſtantur, & conuenientia legis Chriſti cum humano intellectu, & naturali lege demonſtrantur. *Fernandez.*

In Regnum quoque nouæ Granatæ apud Indos, verbum Chriſti diſſeminaturi ingreſſi ſunt Patres noſtri, Bernardinus de Villoa, Io: Paternino, Franciſcus Lopez, Antonius Maldonat, Antonius de Miranda, Franciſcus de Vanegas, Antonius de Rupe, Petrus de Quinnones, Antonius Xaramillo, Franciſcus Cabezas, Aloncius Roquillo, Io: Martinez, Thomas de Acugna, Ludouicus Gaſpar, Reginaldus Galindes, Bartholomæus de Foro, Petrus de Valderama, Angelus Seraphim, Iacobus Mancera, Ludouicus de Figuero cum alijs pluribus ſocijs, & conuerſis ſibi auxiliaturis. Hi quidem omnium primi fuère, qui Regnum illud ſalutifera Sancti Euangelij prædicatione ſedulo illuſtrarunt, tantoque cum animarum fructu, vt die prima Auguſti anno 1598. omnia regionis illius Idola in Vrbibus de Teunxa &c. de Ramirique combuſſerint. *Lefeburè.*

Eodem anno, cum duæ Mulieres in terra Plurij (quæ ſita in Valle Clauennæ poſtmodum iuſto Dei iudicio, regnante Paulo V. repentè tota ſubmerſa eſt ſub aquis), ex Lutheri, ſeu Caluini ſecta ad Catholicam fidem tranſiſſent opera Bernardini Parochi eiuſdem Caſtri, idque Thomæ Caſellio Lutherano miniſtro ibidem diſplicuiſſet; orta inter Bernardinum & Thomam controuerſia de ſacrificio miſſæ, ob quod mulieres catholicam fidem fuerant amplexæ, decretum eſt inter illos deueniendum eſſe ad publicam, & ſolemnem diſputationem. *An Miſſæ Sacrificium fuerit à Chriſto Domino inſtitutum.* Quòd cum præſtare non poſſent, niſi

niſi de ſuperiorum licentia; facta Congregatione Dominorum Rhetiorum apud Coijram, inſtantibus Caluiniſtis, & Lutheranis miniſtris obtuntur eſt decretum confirmatiuum prædictæ diſputationis; Catholici verò conuenerunt proprium Epiſcopum, & Inquiſitorem Comenſem P. Ioannem Dominicum de Rauenna, qui monita ſacra congregatione S. Inquiſitionis, ac Summo Pontifice, diſputationem in ſequentem annum inſtantem ex concordia tranſtulerē. *Nazarius in ſuis Opuſculis.*

Apud Valentiam congregatum eſt hoc anno Generale Capitulum Ordinis pro eiuſdem conſeruatione, & incremento; mandatumque fuit fratribus vniuerſis, vt in fide ſtabiles, peccatores ad conuerſionem, atque Infideles ad agnitionem veritatis, vitæ inculpatæ exemplo, ſacriſque prædicationibus, perducere ſatagerent, memores multorum ex ipſis, qui ſanctè, ac gloriosè, ab vltimo capitulo in domino obierant. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

P. Angelus de Pientia linguarum peritia commendabilis, atque doctrina conſpicuus ſcripſit libros quinque contra Mahumettanam Sectam, Italico ſermone, hoc anno impreſſos. *Lucarin. in Bibliot.*

ANNO 1597. Conſultatione facta Romæ in Generali S. Inquiſitionis Congregatione coram Clemente VIII. Pontifice Max. habita, de diſputatione *de ſacrificio Miſſæ* facienda, ſuperiori anno recenſita, cum illam recuſare, abſque euidenti ſcandolo Catholicorum, non poſſet; aliaque ex parte D. Bernardini Parochi ſufficientia non ſatis innotuiſſet, in Curia decretum eſt P. Paulum Nazarium, in Conuentu S. Mariæ Gratiarum, Mediolani primarium Sacræ Theologiæ Lectorem debere in arenam cum Miniſtro hæretico deſcendere. Datis ergo litteris à Card. S. Seuerinæ Congregationis Præfecto ad Archiep. Mediolanen. Card. Federicum Borromeum hac de re, Nazarius Plurium acceſſit, ibique ſtatutis diebus cum Caſellio non ſemel diſputauit, ac tandem ita manifeſtè hominem confudit, ac conuicit, vt in publicum prodire vlterius non auderet. Monitam ergo voluit Nazarius Sacram Congregationem de ijs, quæ acciderant, à qua, etiā nomine Pontificis Maximi de peractis commendatus eſt; indeque Nazarij geſta encomium apud doctos inuenerunt, recuſante ipſo animarum curam per Inſulas ſuſcipere. *Ex Opuſculis eiuſdem Nazarij, & Plodio.*

Pauperes, ſed Apoſtolicæ Sedi fideles, noſtri Fratres Armeni hoc anno à Turcis Neſtorianiſque hæreticis perſequtiones, atque afflictiones multas, & malas patiuntur, nam P. Nicolaus Fridonis Arciepiſcopi Vicarius, & P. Raphel Prior conuentus Chiauhenſis, cum multis alijs Fratribus fuſtigati, & vulnerati in odium catholicæ fidei è ſuis conuentibus exulare coacti ſunt, poſt direpta horum bona, quæ in ſuam alimoniam oſtiatim mendicauerant. *Grauina de ſtatu Chriſt. en Armenia p. 2. cap. 2.*

Apud Orientales Indos multa quoque patiuntur à Barbaris Gentilibus noſtri Apoſtolici Miſſionarij, ibidem in vinea Dumini ex corde pro infidelium conuerſione ad Chriſtum laborantes; etenim Fratres Simon de Pietate, & Petrus Vſuſmaris, poſt plurimos Gentiles ad Catholicam fidem adductos ſuis feruidis exhortationibus, poſt deiecta Idola, eractaque ſacra templa à Barbaris Malabritanis in odium euangelicæ prædicationis trucidati ſunt. *Io: de Sanctis.*

Inſuper P. Gaſpar de Aſſumptione, & ipſe Apoſtolicus Miſſionarius in eiſdem Indijs, dum è Bengalenſi Regno Goam proficiſceretur ſacrum prædicationis miniſterium alijs populis exhibiturus, à Ma-

à Malabritanis in itinere captus perimitur, corpore in flumen proiecto, ſpirituque ſanguinea laurea inſignito ad cœleſtia properante gaudia. *Ex eodem Ioanne.*

Datur cura gregis Chiſti à Pontifice Max. Clemente in Eccleſijs, Cartaginen. P. Ioanni de Drada, & S. Iacobi de Cloro in Indijs P. Dominico Salinas. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Conuentus Ordinis S. Auguſtini in ciuitate Aſpyriæ in Hiſpania cum Eccleſia, S. Nicolao Tolentinati dicata, ſupplicante populo illius, Apoſtolica, atque Regia Philippi auctoritate noſtris Prædicatoribus datur incolendus; vt ſuis ſacris monitionibus, prædicationibus, atque Beatiſſ. Virginis de Roſario deuotione fiant illis in ſalutem. *Lefeb.*

Sublato apud Neapolim de Terra viventium Miranda, Clemens Pont. delegit Magiſtrum Sacri Palatij P. Ioannem Baptiſtam Lancium Rhegienſem ex Lombardiæ Prouincia ad inſtantiam noſtri Card. Bernerij, ex Secretario Congregationis Indicis aſſumptum: virum, tum in cathedris regendis, tum in ſacræ Inquiſitionis tribunali adminiſtrando aptiſſimum; At heu citò nimis defecit, ſequenti anno ad reddendam rationem villicationis ſuæ à Deo euocatus. *Lucarin.*

ANNO 1598. Glorioſus Chriſti Athleta D. Franciſcus Calaſſa Goenſis apud orientales Indos in Inſula Solor, cum multos ex Idololatris ad Chriſtianam fidem ſuis ſacris prædicationibus, atque ſanctitate vitæ attraxiſſet, Idola confregiſſet, eorumque templa diruiſſet, à Barbaris gentilibus ſpiculis confoſſus, ſanguine laureatus cœlum conſcendit; in æternum regnaturus cum Chriſto. *Io. de Sanctis 2. p.*

Franciſcum ſequutus eſt ad gloriam per conſimilem ſanguinis effuſionem P. Paulus conuerſus, qui in Regno Moga, dum quoſdam Luſitanos ad mortem virili pectore pro Chriſti nomine ſubeundam publicè hortaretur, ipſique in confeſſione veræ fidei conſtantes perſeuerarent, à Gentilibus cum ipſis trucidatus, ſimul omnes per ſanguinis palmam cœleſtibus ſpiritibus ſociati fuère. *Io. de Sanctis.*

Per Alphonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis obitum, cum Ferrarienſis ſtatus eſſet deuolutus ad Apoſtolicam Sedem, & Cæſar fratris filius nothus, Ducatum ſibi arrogare multorum Principum interceſſione conaretur, & Clemens VIII. Pontifex glorioſiſſimus eundem armorum apparatu, atque eccleſiaſticis cenſuris ſibi ſubijcere niteretur, neque inueniret, qui interdictum, & cenſuras Ferrariæ publicaret, P. Gregorius Seruantius de conuentu Mineruæ, vir doctus, ac pius, acceſſit ad Pontificis Max. pedes, ſeque obtulit, diras Apoſtolicas in Ferrarienſis ſtatus incolas promulgaturum. Ferrariam igitur ingreſsus infracti animi vir, nocte interdictum, & cenſuras cathedrali Eccleſiæ affixit, receſſitque, & hoc modo tumultu in populo excitato, Cæſar de deditione Ferrarienſis Ducatus cogitans, illum Clementi tradidit, à quo abſolutionem, cum ſuis ſequacibus, à cenſuris obtinuit. Miratus igitur Clemens Pontifex Gregorij conſtantiam, illum ſecum Ferrariam ducens, Treuicanum Paſtorem creauit, qui vltimo Clementis Pont. anno dimiſsa Infula, Camerinumſe recipiẽs, ibi quieuit in pace, cui P. Nicolaus Rodulphius, (à quo prædicta accepimus) Mag. Ord. eius in Philoſophicis diſcipulus ſepulchralem lapidem cum nobili elogio, necnon & Miſsæ ſacrificium perpet. an. 1630. conſtituit. *Lefeburé.*

Ordo S. Benedicti in toto Aragoniæ Regno, eiuſque Prouincijs à Mag. P. Hieronymo Xauierre Cæſarauguſtano, (qui poſtmodum Magiſter Ord. & S.R.E. Cardinis euaſit) & P. Andræa Balaguer

Aaaa Mag.

Digitized by Google

Mag. ad Epiſcopatum de Origuela poſteà aſſumpto, Apoſtolica Clementis, & Regia Philippi, auctoritate viſitatur, atque in priſtinum regularis vitæ nitorem reſtituitur. *Lefeburè.*

Aſſumuntur multi ex Prædicatoribus à Clemente Pontifice ad dirigendas oues Chriſti variarum Eccleſiarum in viam pacis; & quidem P. Bernardus del Nero cõſtitutus eſt Paſtor Eccleſiæ Biſſinianen. P. Io. Gregorius de Padella, Ciuitatis Ducalis. Et P. Reginaldus de Lizarauga, Ciuitatis Imperialis in Indijs. *Ex Vghello, & Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Dantur hoc anno cœlo bina poma lectiſſima ex Dominicano viridario, quorum fit memoria in Actibus Cap. Generalis apud Neapolim anno 1600. celebrati. Fuit eorum vnũ P. Vincentius Traina de S. Stephano Supprior conuentus S. Zitæ de Panormo, qui abſtinentia raræ, carnes non niſi vrgente morbi neceſſitate comedit: in vigilijs, & orationibus aſſiduus, corpus die, noctuque cilicijs, ac flagellis cruentabat; infirmis ſua manu miniſtrabat, & pauperes de ſuperiorum licentia proprijs ferculis recreabat. Denique multis miraculis clarus obdormiuit in Domino, apud S. Zitã maximo populi concurſu Panormi ſepultus. *Ex eiſd. Actis.*

Alterum fuit P. Paulus de S. Maria Conuerſus, qui euolauit in cœlum in Hiſpalenſi conuentu Prouinciæ Bethicæ. Hic viuens, atque mortuus pluribus claruit miraculis; erga pauperes ſumma charitate affectus, cuncta comeſtibilia, quæ ſupererant Religioſis conuentus colligebat, illiſque humaniſſimè porrigebat, portarij conuentus munus adimplens; vnde Pauperum pater comuni voce dicebatur, ad cuius ſepulturam factus eſt concurſus magnus populi, imò & Magnatum defuncti manus deoſculantium, & laudantium Deum, qui in ſeruis ſuis ſemper eſt mirabilis. *Ex Act. eiuſdem Capit. Gen. Neap.*

Tandem luctuoſus fuit annus hic Ordini ob mortem Card. F. Michaelis Bonelli B. Pij V. Pronepotis, Cardinalis Alexãdrini dicti, Ordinis noſtri, & filij, & Protectoris, in infirmitate à Pontifice Clemente viſitatus, Apoſtolica benedictione conſolatus, atque de imminenti morte monitus, qui diem clauſit extremum Albanen. Epiſcopus 4. Kal. Aprilis ætatis ſuæ anno 57. in noſtra S. Mariæ ſuper Mineruam Eccleſia tumultuatus ſub lapidea tabula, quam ſibi pro ſepultura elegerat B. Pius V. ante aram maximam. Tranſlato poſtmodum corpore ad nouum ſepulchrum ab eodem Clemente Pont. illi conſtitutum. *Ex libro emortuali Eccleſiæ noſtræ. Abbas Iuſtin. de Conc. Trid.*

Rapitur è mortalium oculis Lancius, daturque Magiſter Sacri Palatij, promouente Petro Card. Aldobrandino apud Clementem VIII. P. Io. Maria Guanzellus de Briſighella, orator celeberrimus in Romana Curia, qui anno 1607. a Paulo V. ad Polymnianen. Eccleſiam euectus vixit in ea decem & ſeptem annos. *Lucarin. & Vghell.*

ANNO 1599. apud Indiam Orientalem in Inſula Solor P. Io. Trauazos Battalenſis Luſitanus, & P. Melchior Conuerſus, dum gentilium conuerſioni intenderent, multoſque ex eis ſacro regenerationis lauacro Eccleſiæ ſociarent, vrgentibus Idolorum ſacerdotibus, ab eiſdem immaniter trucidati ſunt, ſicque per ſanguinem coronati, in cœlum conſcendere promeruère. Eodemque die duo adoleſcentes ex ſeminario Fratrum Prædicatorum, qui litteris, ac rudimentis chriſtianæ pietatis imbuebantur, ab eiſdem gentilibus, oculis erutis, lingua abſciſſa, & brachijs fruſtatim præciſis, eò quòd Chriſtianam fidem relinquere recuſarent, glorioſam æternitatis palmam promeruere. *Io. de Sanctis. p. 2.*

Capitulo Ordinis Victoriæ in Regno Ca-

Caſtellæ F. Franciſcus d' Elgado Prouincialis Andaluziæ, ſeu Bethicæ ex noſtris Prædicatoribus Apoſtolica Clementis, Regiaque Philippi Regis auctoritate præfuit, atque ſeruandas ordinationes tradidit, quibus ordinem ipſum in meliorem formam reſtituit. *Lefeburè*.

Dominicus de Maroecos Aethiops, Regis de Feſſa filius contemptis ſæculi diuitijs, ac blandimentis, quibus facillimè anima irretitur, ad prædicatorum Ordinem confugit in quo ſub paupertatis regula vitam auſteram ducens, eximius verbi Dei concionator effectus eſt, multoſq; gentiles ſuo exemplo, atque prædicatione ad Chriſti fidem attraxit. *Lefeburè*.

Cum variæ altercationes ſuſcitarentur à Fratribus Minoribus circa ſtigmata S. Catharinæ, contendentibus ipſis ſolius S. Franciſci imagines cum ſacris ſtigmatibus pingendas eſſe, non verò illas S. Catharinæ, Clemens Pont. cauſa commiſſa Cardd. Congregationis Sacrorũ Rituum interim nil innouandum decreuit, dato Breui Apoſtolico hac de re, quod eſt in lib. à nobis impreſſo Conſtitution. Ordinat. Capit. Gen. §. de Fratribus Minoribus pag. 412.

Aſſumuntur ad regimen nouarum ouium Chriſti in partibus Indiarum occidentalium à Pontifice Max. P. Auguſtinus de Auila factus Archiepiſc. S. Dominici, & P. Martinus Vaſquez de Arze datus Epiſcopus de Puorto ricco. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont. Clementis VIII.*

Hoc anno aperto ſepulchro B. Iuonis Mahyeuc Rhedonenſis Epiſcopi in Armorica, ante quinquaginta quinque annos cum ſanctitatis opinione, ac miraculorum patratione vita functi, illius venerandum corpus ab omni prorsùs labe corruptionis, tum in carne, tum in membris ac veſtibus intactum, cunctis ſpectantibus, vehementer attonitis, repertum, publicæ venerationi expoſitũ fuit. *Lefeburè*.

Circa hęc tempora Patres noſtri Euangelij Ieſu Chriſti, Catholicæque fidei in Aſia promotores, in Regnis de Ior, de Patan, & de Sian gentilibus illis eam annunciabant non ſine euidenti vitæ mortalis periculo, nam cum multos ad Ieſu Chriſti venerationem ſuis ignitis eloquijs in dies attraherent; Idolorum ſacerdotes in eos frementes, cum Rege egère, vt ex regnis ipſis, vel eijcerentur, vel morte crudeli interirent; tandemque ex eiſdem abire fuère coacti, vt ad alias inſulas declinantes, in Eccleſiæ horrea copioſiorem congregarent meſſem. *Ex Relat. ad Sacr. Congr.*

ANNO 1600. Dum annus Iubilæi maxima cum lætitia celebratur in Vrbe, Dominicano ſanguine irrigatur Catholica Eccleſia in varijs Orbis partibus. In Anglia P. Robertus Nuttures apud Bancaſtrum, poſt moleſtiſſimos carceres continuo viginti duorum annorum curſu toleratos pro catholica fide, ab ipſo contra hæreticos propugnata, ab eiſdem patibulo ſuſpenſus, antequam animam efflaret, exenteratus, corde, ac viſceribus extractis, in multas partes conciſo corpore; Sanctorum conſortio adiunctus eſt. *Lopez p. 4. hiſt. Ord.*

Eodem anno P. Io: Maldonatus, & P. Alphonſus Ximenez Hiſpani, concionatores feruidi, cum multos Gentiles in Inſulis Philippinis ad fidem Chriſti perduxiſſent, atque ab eiſdem diſcedentes ad Camboiæ Regnum, dilatandæ fidei cauſa ſe conferrent, Regis Syan iuſſu in itinere capti, necati fuerunt in odium Chriſtianæ Fidei, quam prædicabant, P. Alphonſo Haſta transfoſſo, & P. Ioanne Bombardæ globo interempto *P. Io. de Sanctis. p. 2.*

Eodem pariter Iubilæi anno iubilauit in cœlis per ſanguinem P. Ludouicus à Fonſeca in Regno Syan Apoſtolicus Miſſionarius, qui cum plures Idololatras ad

 fidem

fidem Chriſtianam perduxiſſet, & perduceret, quadam die, dum Miſſæ ſacrificium peragebat, ad altare trucidatus, factus eſt victima ſub tanto ſacrificio. *Io: de Sanctis ibidem*.

Reuerſus in Italiam Magiſter Generalis Beccaria, poſt celebratum in Hiſpania, ſeu Aragonia, apud Valentiam Generale Capitulum Ordinis, in Vrbe aliquamdiu, apud Clementem Pontificem qui vnicè integritatem illius diligebat, permanſit, deinde aſſumpto itinere Neapolim verſus, celebraturus ibidem alterum Capitulum, Conuentùs Neapolitanos viſitauit, & in regulari obſeruantia firmauit, & terminato Capitulo infirmatus ad mortem, quieuit in pace in vigilia S. P. Dominici die 3. Auguſti ætatis ſuæ anno 51. communibus filiorum ſuorum lachrymis parentatus, & corpore ſolemni pompa ibidem ſepulto. *Plodius*.

Clarebat hoc tempore in Romana Curia P. Alphonſus Ciacconus Biacenſis de Bethica Prouincia, Apoſtolicus in Liberiana Baſilica Pœnitentiarius à Gregorio XIII. inſtitutus, vir eruditione omnigena clarus; qui poſt plurimos euulgatos in Vrbe ingenij ſui partùs fœcundos, in lucem quoque edidit ſub Clemente VIII. librum peregregium de Geſtis & vitis Summorum Pontificium, & S.R.E. Cardinalium cum eorum gentilitijs ſtemmatibus, in eodem impreſſis; verè eruditum; verè laborioſum, verè optimum Opus, quod iterum ſub Vrbano VIII. additionibus Andrææ Venturelli excuſum, nouiſſimè ſub Clemente Decimo impreſſum eſt multorum additionibus auctum, quod cum Clementis IX. Pontificatu completur. Scripſit item, licet non eddiderit vberem Bibliothecam omnium ſcriptorum Eccleſiaſticorum; quam (inquit noſter Alphonſus Fernandez in concertatione Prædicatoria) Antonius Poſſeuinus illuſtrauit.

Caput XIV.

P. HIERONYMO XAVIERRE Magiſtro Generali LII.

ANNO 1601. Congregatum eſt Romæ Generale Capitulum pro nouo Magiſtro Ordinis eligendo, in quo Pater Hieronymus Xauierrus Prouincialis Aragoniæ in ſecundo Scrutinio Salutatus eſt Magiſter, concurrente Patre Paulo de Mirandula Ordinis Vicario, ac Procuratore ſub Generali Beccaria. Placuit ſupra modum electio facta Pontifici Maximo Clementi, vtpotè de viro conſpicuo, cuius doctrina, virtutes, & mores eidem innotuerant. Quare ab eodem benigniſſimè receptus, cuncta, quæ in Ordinis commodum petijt, impetrauit. *Plodius*.

Terminatis Ordinis negotijs in Vrbe, exóſculatuſque Pontificis pedes ex Vrbe diſcedens, Romanam, Lombardiæ, atque S. Dominici Venetiarum Prouincias viſitauit, & apud SS. Ioannis & Pauli Conuentum, ſecundum Generale Capitulum habuit. Inde in Hiſpaniam digreſſus, per Prouincias Galliæ tranſiens, eaſdem inuiſit, ſicut deinde Aragoniam: quibus laboribus perfunctus, in Hiſpaniam penetrauit, vbi à Philippo III. Rege humaniſſimè receptus, Valliſoleti Generale Capitulum congregauit anno 1605. Ibi ab eodem Rege propriæ conſcientiæ in ſacramentali confeſſione director aſſumptus

tus

ſumptus, cum retenſione Magiſterij Ordinis, tale munus exercuit, vſque ad annum 1607. quo ad nominationem eiuſdem Regis inter S. R. E. Cardinales cooptatus eſt. At heu, præproperè nimis è mortalium oculis raptus eſt; nam ſequenti anno apud Valliſoletum quieuit in pace in Neapolitano Regno Prorex deſtinatus non ſine ſuſpicione veneni. *Plodius*.

Soror Petronilla de Caſtro natalium præſtantia venerabilis, & vitæ ſanctitate mirabilis, in Monaſterio ſanctimonialium noſtrarum D. Agnetis apud Cæſaraguſtam à teneris annis educata, atque virtutibus edocta, bonis operibus onuſta, & miraculis pluribus coruſcans in cœlum conſcendit. Dum autem ægrotaret patientiam, & charitatem Sororis Conuerſæ infirmariæ mirata, eidem dixit; quid vis vt faciam tibi pro omnibus beneficijs mihi collatis? quæ reſpondit, nil aliud à te Petronilla peto, niſi vt à Sponſo tuo diſſolutionem corporis mei impetres, vt cum Chriſto eſſe poſſim quàmprimùm: hoc faciam, ſubdidit illa, & expirauit: Nec mora, eam paucos poſt dies ſequuta eſt ad gloriam Infirmaria. *Marcheſius in Diario Sacro tom. 3.*

Apud Occidentales Indos P. Io. Goſtanzo Gentilium conuerſioni infatigabili ſtudio vacabat & Religioſi alij Dominicani, per ciuitates & Regna pergentes, nomen Ieſu Chriſti portantes, Euangelicumque ſemen animi conſtantia inuicta ſeminantes, vbique & cum gaudio maximo fructum in Eccleſiaſtica horrea per eorum ad fidem catholicam conuerſionem congregantes, euecto inter barbaras nationes Sanctiſs. Crucis trophæo, Idolorum ſimulacris confractis, templis dirutis, Ariſque deſtructis, cum Eccleſiarum conſtructione, Altarium erectione, atque Eccleſiaſticorum Sacramentorum ſedula miniſtratione. Doluit de hoc ſupramodum ille, qui non ſtetit ab initio in veritate, & concitatis in eos Principibus tenebrarum, afflictionibus multiplicibus Seruos Dei miſerabiliter vexauère gaudentibus ipſis, & exultantibus, quod eſſent digni pro nomine Ieſu talia pati. Supra 26. annos indefeſſo labore in aſſumpto Apoſtolico miniſterio conſumpſit Ioannes, tandemque meritorum ſuorum præmium à Deo recepit circa annum 1630. *Ex relat. ad Cong. & Arch. Mag. Ord.*

Apud MontemPeſſulanum in Gallia, vrbem ab hæreticis oppreſſam, P. Sebaſtianus Michaelis ad tres continuos annos ſacras prædicationes in noſtra Eccleſia feſtiuis diebus habuit, quibus hæreticorum verſutias, calliditates, & malitias in euertendis, mutilandis, ac falſificandis Sacræ Scripturæ, necnon Euangeliorum textibus demonſtrauit, maximo cum eorundem fructu; quam, veritate cognita, abiuratiſque erroribus, Catholicam fidem, complures amplexati ſunt, & prælo datis tribus reſponſionibus argumentis hæreticorum miniſtrorum, eorundem ora, præſertim iniqui Theodori Bezæ hæreſiarchæ ita compeſcuit; vt nec mutire quidem deinceps auſi fuerint, exultantibus ſupra modum Catholicis, nec hæreticis victoriam negantibus. Quia verò Beza ſuam peſtilentiæ cathedram Geneuæ fixerat, & ad MontemPeſſulanum ſæpè ſæpiùs excurrebat, ſuos aſſeclas in perfidia hæreticali confirmando; cum Paulo V. Pontifici Max. innotuiſſet, eundem P. Sebaſtianum Generalem Inquiſitorem, Auenionenſi ſtatu inſtituit, qui infatigali diligentia contra hæreticos inquirens, eos è ſibi creditis locis eliminauit, pluribus ſeculari brachio relaxatis, vir verè Apoſtolicus, Regularis obſeruantiæ in Gallia reſtitutor, & tantùm auctoritate valuit, vt pauper, & inops apud Pariſios Conuentum Sanctiſs. Annuntiatæ ſub rigoroſa regulari obſeruantia fundauerit. *Fernandez Lopez. p. 5.*

Laborabant hoc anno, & tempore indefeſſo opere in gentilium conuerſione apud Orientales Indos noſtri Prædicatores fructum magnum ex ſuis prædicationibus, cum Idolorum euerſione, percipientes, at non ſine ſanguinis effuſione: Nam P. Paulus de Meſquita ab inſula Solor Matacam verſus nauigans, ab Hollandis pyratis hæreticis captus, & Dominicanus agnitus, in odium fidei & Dominicanæ Religionis hæreticis infenſiſſimę, coram alijs iugulatus eſt, relictis cœteris catholicis eiuſdem nauis intactis. *P. Io: de Sanctis.*

Inſuper P. Gaſpar de Sà, & P. Emanuel de Lambuano ex Inſula Solor Goam verſùs nauigantes, cauſa promulgationis Euangelij Ieſu Chriſti, à Mahumetanis barbaris Inſulæ Dachem capti, in odium chriſtianæ veritatis crudeliſſimè trucidati, fœlicem ſpiritum per ſanguinis effuſionem cœlo dederunt. *Ex eodem Io: de Sanctis.*

B. Raymundus de Peniafort. Gregorij IX. Pontificis aliquando Summus Pœnitentiarius, ac Capellanus, qui propè centenarius obdormierat in Domino, miraculis, & virtutibus conſpicuus anno milleſimo ducēteſimoſeptuageſimo quinto, ipſo Epiphaniæ die, cœlo illatus, tandem à Clemente VIII. Pontifice Max. ſolemni canonizationis ritu in Sanctorum Album adſcribitur hoc anno 3. Kal. Maij. *Bzouius.*

ANNO 1602. In Inſula Pagua propè Solor apud Orientales Indos Dominicanus ſanguis in propagatione Euangelij effunditur, P. Hieronymo Maſcarennas, dum Gentilibus Euangelium pacis annunciaret, ab eiſdem trucidato. *Io. de Sanctis.*

Item in eiſdem Oriētalibus Indijs apud Regnum Cambriæ, cum P. Syluester Figueretus, vir Apoſtolicus, verbū Dei annunciaret, inculpatæque vitæ exemplo cunctis admirationi eſſet, trophæum Crucis ibidem extulit in Idolorum euerſionē, verique Dei adorationem, vti de facto cum veræ fidei incremento maximo contigit, ſacerdotem principaliorem Idolorum ad fidem attraxit, pro qua & martyrium pertulit proprio ſanguine baptizatus. *Io. de Sanctis, & Marcheſius in Diario Sacro tom. 1.*

Eodem anno Prædicatores inuicti pugiles Catholicæ fidei, ad Imperium Iaponicum accedentes primam eccleſiolam, primamq; habitationem erexere in Inſula Coxiquia, Regni de Sateuma, idque de Regis illius licentia: Hi verò fuère primi miniſtri Apoſtolici ibidem Prædicatores, P. Franciſcus Morales Vicarius Prouincialis, P. Thomas Hernandez, P. Alphonſus de Menna, P. Thomas de Zumarraga, & Io. Conuerſus, at poſt aliquod temporis vlteriùs penetrarunt, Euangelium Chriſti annunciantes. *Orſanel. in hiſt. Hiaponen.*

Eodem anno P. Azarias Fridonis Armenus electionis ſuæ in Archiepiſcopum Armeniæ beneficium confirmationis, & conſecrationis conſequuturus à Clemente VIII. Pontifice Max. in Vrbem venit, cum priùs multa aduerſa, atque incommoda à Turcis pertuliſſet, atque à Patriarcha ſchiſmatico Armeno pluribus muneribus fuiſſet ad ſui venerationem prouocatus, quæ virili conſtantia reſpuit, reiecit, & contempſit, ſupremum Eccleſiæ viſibile Caput, & Paſtorem Clementem Romana in Vrbe veneraturus. Romam igitur die 15. Auguſti, Aſſumptioni Dei Genitricis Mariæ ſacra huius anni, poſt vndecim aſſumpti itineris decurſos menſes, ingreſſus eſt. Cumque corām Pontifice Max. ſacros oſculaturus pedes procubuiſſet, ab eodem perhumaniter receptus, & de ſacris latinis ritibus interrogatus, dimiſſus eſt, iniuncto conſecrationis munere noſtro Card. Aſculano, eidem

imper-

impertiendo; quod anno 1604. adeptus eſt, informato priùs Clemente, atque ſacro Cardinalium Collegio de Chriſtianitate in Armenia exiſtente, eiuſque deuotione, ac obedientia erga Sanctam Romanam Eccleſiam, atque Apoſtolicam Sedem, deque perſequutionibus Turcarum ſibi, Fratribus, & catholicis Armenis illatis. Et tandem ſacris donarijs, imò & pecunijs multis auctus, in ſuam Eccleſiam reuerſus eſt. Gauiſus eſt igitur ſupramodum Clemens Pontifex de Chriſtianitate illa, quæ tanquam Roſa inter ſpinas tot mahumetanorum, ſtudio, ac labore Prædicatorum, ad quadringentos annos, & ſupra, Deo bonorum omnium auctore cooperante, ſeruata eſt illæſa, & fidelis. Apud Inſulas verò Philippinas factus eſt Archiepiſcopus Manilien. P. Michael Benauides, magnarum virtutum vir, qui omnem adhibuit operam pro conuerſione infidelium ad Chriſtum. *Ex Act. Conſiſt. Clem. Pont. Galanus in Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Latina.*

Cum Prædicatorum opera multi hæretici in Polonia abiurata hæreſi, ad Catholicam fidem reuerterentur, vigilante, in hoc Prouinciali Poloniæ P. Alberto Secouio, is zelo promouendæ catholicæ fidei ſuccenſus, auctoritate Apoſtolica ſibi à Clemente VIII. Pontifice Max. cōceſſa, deſtinauit in maioribus conuentibus duos ex ſibi ſubditis Fratribus Pœnitentiarios Apoſtolicos, in minoribus verò, vnum, ad excipiendas eorundem abiurationes, confeſſiones, & anteactorum criminum deteſtationes: quo facto innumeri, abiurata hæreſi, reconciliati ſunt S. Matri Eccleſiæ. *Bzou. cap.* 11.

Apud Hollandiam, vnitaſque hæreticorum Prouincias non dormitabant Patres noſtri Miſſionarij in illorum conuerſione ad Chriſtum, & confirmatione catholicorum in amplexata Orthodoxa fide, Sacramenta illis miniſtrantes, ac de no- ac ſacras exhortationes habentes. Quare perſequutiones multas experti ſunt à Prædicantibus, apud Magiſtratus præfectos inſtantibus, carceribus addictis aliquibus ex eis, fame, ac ſiti vexatis diebus multis, atq; exilio tandem punitis, ad alias partes declinare coactis, dolentibus ſupra modum catholicis de illorum iactura. *Ex Relat. in Arch. Ord. exiſten.*

ANNO 1603. P. Michael Benauides Archiep. Manilæ apud Philippinas Inſulas ſuarum ouium vigilantiſſimus cuſtos, maximam gentilium multitudinem Eccleſiæ aggregauit, & per plures annos Manilenſem, & Segouien. Eccleſias moderatus, plura dæmonum delubra deiecit, lucos ſuccendit, Idolaque confregit, & Chriſtiana templa, etiam permangnifica à fundamentis excitauit, atque æterno Deo, viuo & vero dicauit miraculis coruſcans, ob quæ in ſumma veneratione habebatur à populis illis. Inter ea autem vnum maximè iuuit ad conuerſionem eorundem: Nam quodam die feſto, quod ſolemniter celebrabatur in noſtro Prædicatorum templo, viderunt lucem magnam è cœlo ſuper Conuentum, & Eccleſiam deſcendentem, in qua baptiſmus adminiſtrabatur Neophitis, & in eadem luce ſcalam fulgentiſſimam, per quam nouiter baptizati cœlum conſcendebant, qua viſione allecti, currebant cuncti ad Archiepiſcopum, dicentes, feſtina nos baptizare, vt in nomine Domini tanta luce perfruentes, cœlum conſcendamus. *Lopez.* 24.

Antequam verò Benauides ad Archiepiſcopalem infulam fuiſſet aſſumptus, Synarum linguam edoctus (nam primus fuit ex Apoſtolicis Miſſionarijs, qui Synarum lingua Euangelium Chriſti populis illis annunciauit) in ampliſſima Regna illa penetrans, & verbum Dei annuncians ab idololatris captus, atque in vincula coniectus, crudeliſſimè pro Domino Ieſu Chri-

Chriſto flagellatus fuerat, & multa inedia maceratus, tandem dimiſſus conualuit, & fortior factus, prædicationem euangelicam iterum ardentiùs aſſumpſit. *Lopez ibidem.*

E viuis ſublata, vt æterna morte interiret, Elizabetta Angliæ impia Regina hoc anno Aprilis 4. Fratres Prædicatores, qui ſub ſæculari habitu in Anglia deliteſcebant, vires, & ſpiritus fiduciam alacrius reaſſumentes, catholicos in fide Ieſu Chriſti confirmauerunt, ſacramenta illis miniſtrantes, & nouam meſſem in horrea Eccleſiæ in dies congregantes. Quare Magiſter Ordinis alios operarios in eorum adiutorium ex vicinis Prouincijs in Angliam miſit, mandauitque Prouinciali Hiberniæ, vt illis præſtò eſſet, auxiliumque in omnibus præberet. *Ex Regeſt. eiuſd. Mag. Ord.*

Mandante Clemente Pontifice P. Gregorius Lombardellus, vertente cauſa coram Sanctitate ſua, & Congregatione Sacrorum Rituum, vt dictum eſt ſupra, inter Fratres Minores, & noſtros, ſcripſit de veritate ſtigmatum S. Catharinæ Senenſis; necnon & materna lingua Senenſi, ſummarium diſputationis factæ inter Prædicatores, & Minores de veritate dict. ſtigmatum. *P. Ambroſius Gozeus.*

P. Gaſpar Sà Portugallenſis in Bengalenſi Regno Sacra Euangelij animata tuba, cum multos ex infidelibus ad Ieſu Chriſti venerationem per ſacrum Baptiſma attraxiſſet; deficientibus Euangelij miniſtris, morte conſumptis, conſcenſo nauigio, Goam verſus iter aſſumpſit, vt ſuperiores noſtros de neceſſitate Miniſtrorum Apoſtolicorum in ea regione edocèret: At cum Idololatris ſecum nauigantibus Catholicæ fidei, amplexum predicaret, tædio illi affecti qui, Idolorum cultum profitebantur, ſeruum Chriſti lancea transfoſum in cœlum direxere. *Marcheſius in Sac. Diario tom. 1.*

Nobiles Viri ciuitatis Neapolitanæ, non immemores meritorum Eccleſiæ Doctoris S. Thomæ Aquinitatis, qui ſua ſapientia, ne dum patriam, verùm & totam Chriſtianam Rempublicam plurimum illuſtrauit, eundem in propriæ Ciuitatis Patronum eligentes, apud Clementem Pontificem inſtitere, vt factam electionem approbare, & confirmare dignaretur: quod ille per Apoſtolicum Breue in hunc modum præſtitit.

Dilectis filijs Nobilibus Viris Indico de Guenara & alijs Deputatis Ciuitatis Neapolis, &c.

CLEMENS PP. VIII.

Dilecti filij Nobiles Viri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. In quo Nos paſtoralis officij noſtri cura excitati elaboramus tantopere, vt hominum cogitationes omnes ad cultum Diuinum, atque ad Sanctorum venerationem intendantur, in id, vos ſpontè ferri cum videamus, inenarrabili certè lætitia in Domino exultamus. Gratia Dei facitis, quod facitis, & Gratia Dei in vobis vacua non eſt, cum donis cæleſtibus cumulati gratos vos exhibeatis, memoreſque beneficiorum aucta in Deum pietate, atque in Sanctos eius reuerentia. Quarum quidem cogitationum, ſicut auctorem verum Deum maximè oportet agnoſcere, ita etiam affirmandum eas ipſas pijs precibus eorum, in quorũ tutela Ciuitas iſta eſt, ad aures diuinæ Maieſtati acceptas eſſe magis. Proinde piè, prudenterque cogitatis de nouo Ciuitati Patrono aſciſcendo Ciue Veſtro, diuinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ ſanctitate, & miraculis claro Thoma Aquinate, cuius doctrinæ tantum ſemper fuit tributum, aut chriſtianæ etiam eruditionis ſuæ diuinum illud habeat teſtimonium. Bene de me Thoma ſcripſiſti. Tali vos, tantoq; deprecatore, quia iure arbitramini diuinos theſauros faciliùs vobis poſſe patere, ſuppliciterque, ac demiſsè roga-

rogatis, vt ad reliquos patronos iſtius Ciuitatis is quoque adiungatur. Nos auctoritate noſtra Apoſtolica, pium, ſanctumque veſtrum iſtud conſilium probamus, vobiſque, vt id liceat concedimus. Quod ſi quid, & preces noſtræ valent, pro vobis etiam humillimè ſupplicamus, vobis idem vt præſtò ſit, veſtraſque orationes pio è corde profectas porrigat diuinæ Maieſtati, curetque vt vobis ſint eadem ſalutares. Vnum id monemus Ciuitatem iſtam, tanquam nouo ſponſo è Cælo venienti occurrere oportere circundatam monilibus, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo, vt ille veſtimentorum hoc eſt bonorum operum odore ſuauiſſimo captus, charitatis vinculo ſponſæ adhæreſcat arctiore. Ratum id habeat, qui bonis omnibus propitius eſt Deus, & quam Nos ad augendum pietatem veſtram vobis nunc benedictionem impartimur, ſua idem ſanctiſſima gratia proſequatur cumulatiſſimè. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXII. Nouembris M. DC. III. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo, &c. Ex Regeſt. Vaticano 2938. fol. 31. & Breui 36.

ANNO 1604. Hoc quoque anno ſanguis ſacratus Dominicanus in dilatatione Euangelij à Prædicatoribus effunditur, ſed permanent immobiles vitæ perennis gratia; nam cum P. Petrus Morenus de Segobienſi conuentu, & alij quinque ſocij Prædicatores, in adiutorium Apoſtolici miniſterij à ſuperioribus noſtris illi dati ad vineam Domini Iaponenſem Euangelio excolendam, nauigio vecti properarent, apud Guadalupenſem Inſulam, Barbarorum ſagittis confixi, gloriosè in Domino obière, quorum corpora cum Chriſtiani ſepelire in terra decreuiſſent, multa ſanctitatis ſigna dedère, fulgoris, fragrantiæ, atque integritatis. *Ex Act. Capit. Gen. Pariſien. anno 1611. celeb.*

Eodem anno apud Africanas oras in Regno Congi, & Angulæ P. Antonius de S. Stephano Regnorum illorum Paſtor vigilantiſſimus ſedulò Gentilium conuerſioni incumbens, plures in gremium S. Matris Eccleſiæ attraxit inculpatæ vitæ ſuæ exemplo, ſacriſque prædicationibus; ſuperſtitionibus, & ignorantijs idolatriæ diſſipatis. *Fernandez.*

P. Hieronymus Almonacirius Hiſpanus hæreticorum hoſtis acerrimus, ſacræ Theologiæ, & ſacrorum librorum peritia illuſtris, Senatus ſupremi Generalis Inquiſitionis in Hiſpania cenſor factus, tamquam leo rugiens contra hæreticos, atque iudaizantes proceſſit, ex quibus aliquos condignis ſupplicijs affici voluit in aliorum exemplum. Scripſit ſuper Cantica Canticorum opus egregium, euolauitque in cœlum hoc anno, laborum ſuorum præmia conſequuturus æterna. *Fernandez.*

Laudabili conſtantia in Gentilium conuerſione ærumnoſos labores exantlabat apud Orientales Indos P. Ioan. de Pietate Luſitanus de Azcitomenſi conuentu, vir verè Apoſtolicus, conuerſioniſque infidelium ad Chriſtum cupidiſſimus, à mundanis honoribus ſatis ſuperque alienus, dum hoc anno nil tale cogitans à Clemente Pont. ouium Eccleſiæ de Machao renunciatur Paſtor, qui licet reluctans, Pontificię voluntati acquieuit, nil conſueti laboris omittens animas cœlo lucrifacturus, de quo ſub ann. 1611. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont. & Capit. Gen. Pariſini eiuſdem anni.*

Iacobus I. Angliæ Rex antequam Metropolim Regni ingrederetur, edictum euulgauit ſub pœna capitis, vt omnes Religioſi, & ſacerdotes, ex ſibi ſubditis Regnis, & prouincijs exularent. Quare coacti ſunt etiam Prædicatores ex Anglia diſcedere, peſſimè à Caluiniſtis illis tractati; pluribus tamen ibidem, pro confouendis fidelibus in occulto,

culto, cum euidenti vitæ periculo, remanentibus. *Lefeburè.*

Grauis quæſtio hoc tempore de gratia, & libero arbitrio agitatur coram Pontifice Max. Clemente, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patre Magiſtro Thoma de Lemos Hiſpano viro ſapientiſſimo, & in doctrina Auguſtini verſatiſſimo pro Dominicanis diſputante; diuinorumque auxiliorum efficaciam acerrimè propugnante.

P. Ioan. è Corduba nouæ Hiſpaniæ Prouinciæ in America moderator conuerſioni gentium totus addictus, ſcripſit vocabularium linguæ Zapotecæ, vt faciliùs Fratres Indorum ſalutem promouèrent. *D' Auila lib. 2.*

Dum apud infideles inſudabant Prædicatores, vt catholicam fidem dilatarent, in Hiſpania laborabant alij, vt eandem à nouis falſis ſententijs, pietati Chriſtianæ aduerſantibus; vindicarent. Propterea P. Franciſcus d'Auila Abulenſis, nobilis genere, ſed ſcientia, virtutibus, & pietate nobilior, ſcripſit librum contra nouam opinionem aſſerentem licere per literas peccata ſua confiteri; quod fuit ab Apoſtolica Sede reprobatum, ac damnatum. *Plodius.*

Patre Dominicus Grauina verò ſcripſit librum de Eccleſia Armena, eiuſque deuotione erga Apoſtolicam Sedem, & de Chriſtianitate illa per Fratres Prædicatores in Eccleſiaſticis ritibus directa, & cuſtodita.

P. Petrus Pichius de Trebio defuncto P. Sirleto Hebræorum in Vrbe prædicatore, in eius locum ſubſtituitur, vir doctiſſimus, qui & lingua, & calamo eorumdem conuerſionem ad Chriſtum procurauit: nam librum inſcriptum: *Teatro della Paſſione, e morte del Meſſia contro gl' Hebrei* euulgauit anno 1618. in Vrbe impreſſum. Multos ex eis ad ſacrum baptiſma adduxit, tandemque ſenio confectus in ſuam patriam ſe recepit ſub Vrbano VIII. vt vidimus.

P. Auguſtinus Quintius Spalatenſis, Curzulanus Epiſcopus à Clemente VIII. creatus, de quo nulla fit memoria in noſtro ſacro Theatro Dominicano eam Eccleſiam, ac populum piè prudenterq; regebat, qui hoc anno ſe ſubſcripſit Illyricę grammaticę imprimendę, vt vidimus, ac legimus, deceſſitq; ſequenti anno, quo datus eſt illi in Eccleſiæ regimiue ſucceſſor P. Raphael Ripa, vt in noſtro ſuprad. Theatro retulimus. *Ex eod. libro.*

ANNO 1605. ſub Paulo V. in Regno de Chile multitudine barbarorum ad arma concurrente, quinq; Hiſpanorum vrbes dirutæ ſunt, quinque domibus Prædicatorum cum eorum Eccleſijs ſolo æquatis, quorum incolæ Fratres, Gentilium conuerſioni, & neophytorum inſtructioni de rebus Catholicæ fidei intenti, partim à barbaris trucidati, partim in captiuitatem fuère abſtracti. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1608. & Relat. Prou. Indiarum.*

In Vrbe Valdiuia P. Petrus Pezoa ibidem Prior conuentus noſtri ab Indis haſta tranſuerberatus, occiſus eſt, dum barbaros illos, Chriſtianæ virgini vim inferre intentantes, increparet, quam tamen ſuis exhortationibus, ac precibus, dum ſanguinem effunderet, à ſtupro liberatam, vt in propoſito virginitatis conſeruandæ permaneret, edocuit, puriſſimumque ſpiritum ſanguine purpuratum cœlitibus conſociauit. *Ex eiſd. Act.*

F. Io. à Vega Conuerſus in eadem Vrbe ſanguinem ſuum glorioſè quoque effudit pro defenſione ſacrarum imaginum; nam cum quadam die Barbarum in publico foro lancea ſacras Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatiſſimæ eius Genitricis imagines confodientem, & diſcerpentem videret, ardore charitatis in Deum ſuccenſus, de facinore reum reprehendit, à

quo

quo eadem lancea confoſſus, benedictione Barbaros ſuauiter impertita, in cœlum euolauit. *Ex eiſdem relationibus*.

P. Sebaſtianus Cataneus Mediolanenſis de cõuentu Gratiarum Chiemen. Epiſcopus, Suffraganeuſque Salisburgen. poſtmodum Coadiutor Viglieuanen. cum futura ſucceſſione, de quo ſupra, vir doctiſſimus, & catholicæ fidei zelator feruidus, dum eſſet in Germania, ſcripſit & euulgauit Enchiridion eorum, quæ in controuerſiam ab hæreticis vocabantur, ſectariorumque deliramenta damnauit. Scripſit quoque de cenſuris eccleſiaſticis ab eiſdem hæreticis conculcatis; necnon & plura alia in catholicorum commodũ, atq; hæreticorum confutationem. *Gozæus*.

Apoſtolici Miſſionarij P. Franciſcus Morales cum ſuis ſocijs ſupra an. 1602. recenſitis, hoc anno inuenientes gratiam in conſpectu Principis, Toni dicti, in interiorem partem Inſulæ Coxiqui, in Regno de Sateuma penetrantes, nouum conuentum cum Eccleſia pecunijs eiuſdem Toni erexère, & hic oryzæ ſaccos ducentos annui redditus pro eorum ſuſtentatione illis attribuit; quos tamen ipſi, paupertatem ſectantes, reſpuère, gentium conuerſioni totaliter intenti. Ibi fructus non modicos Eccleſiæ ſanctę dedère iactis primis fundamentis promulgationis Euangelij. *P. Hyacinth. Orſanell. in hiſt. Chriſtianit. Iaponiæ*.

P. Antonius de Viſitatione Luſitanus peractis ſtudiorum curſibus ad orientales Indos tranſijt, & apud Goam Metropolim Tribunali S. Officij inſeruiuit; propter quod tribulationes multas, & malas expertus, nobilem ſibi præparabat in cœlis manſionem, quam conſequtus eſt die 16. Februarij, poſt multos ſacro lauacro Chriſto regeneratos. *Marcheſius in Sacro Diario tom. 1.*

In Aſiam apud Cambayæ Regnum quatuor ex noſtris ſalutis animarum ſitientiſſimi de Congregat. Indiarũ orientalium circa hæc tempora ingreſſi ſunt, Euangelium Ieſu Chriſti Barbaris illis Idolatris euangelizaturi; qui cum inueniſſent gratiam in oculis Regis, euangelium ſeminantes in cordibus populorum illorum, non modicum fructum colligentes Eccleſiæ ſanctæ dedère, multis ex eis ſacro lauacro regeneratis; Rege ipſo quoque non ſemel eorum prædicationibus aures porrigente. Annis pluribus in eiſdem Regnis permanentes, & per illa diſcurrentes, Sacramentaque miniſtrantes Eccleſias fundauère, & altaria Omnipotenti Deo, Rege ipſo non contradicente, erexère. At ærumnoſis laboribus fracti Religioſi illi, cum coadiutores miniſtros non haberent, deficientibus per mortem ipſis, remanſit vinea Domini illa inculta. *Ex Archiu. Ordin.*

ANNO 1606. In Regno Chile ſanguinem in dilatatione catholicæ fidei, vberrimum effudère Prædicatores. Nam in villa Ricca, vbi paruum conuentum cum Eccleſia habebant pro Gentilium illorum conuerſione, ex quibus copioſam multitudinem Deo per ſacrum baptiſma obtulerant, concitata barbarica plebe à Sacerdotibus Idolorum, trucidati ſunt omnes eiuſdem cœnobij Fratres, videlicet P. Paulus à Buſtamante ibidem ſuperior, P. Ferdinandus Ouandus, vnus Nouitius Conuerſus, & quatuor alij Fratres Apoſtolici ibidem Miſſionarij. *Ex relationibus ſupradictis*.

In Engolt verò cum P. Martinus de Sanctis tantam barbarorum multitudinem ad Catholicam fidem traxiſſet, vt Eccleſiolam pro ſacramentis eiſdem miniſtrandis conſtruere neceſſe iudicaret; id verò in deteriorem partem accipientes Sacerdotes Idolorum (quibus damnum oblationum imminebat) eundem trucidatũ, atque in ſanguine volutatum in cælum direxerunt. *Ex ſuprad. Relationibus*.

Bbbb 2 P. Chri-

P. Chriſtophorus à Buiza Apoſtolicus miſſionarius, cum apud Duau Idola euertiſſet, & lucos igne conſumpſiſſet, pluribus gentilibus ad fidei catholicæ amplexum adductis, ab eiſdem barbaris immaniſſimè, dum concionem ad populum haberet, trucidatus, ſanguine laureatus perrexit ad Chriſtum. *Ex eiſdem relationibus.*

In Poloniæ Regno plures Prædicatores inuictiſſimi pectoris, Catholicæ fidei propugnatores pro ea dimicarunt; qui hæreticorum conuerſioni intenti, eorundem plurimos, abiurata hæreſi, ad Catholicam Eccleſiam adduxère ſuis doctiſſimis congreſſibus, feruidis diſputationibus, atque ignitis eloquijs; inter quos eluxère P. Bartholomæus Præmislienſis Cathædralis Cracouien. Eccleſiæ Eccleſiaſtes inſignis. P. Seuerinus Cracouien. in hæreticis confutandis vnicus. P. Hyacintus Suſcius, P. Martinus Nepelſius, & P. Seuerinus Tarnouius. Quapropter ab illis in vniuerſa Polonia Catholica fides conſtabilita fuit, catholicis multis (qui circa fidem vacillabant) in ea roboratis. *Bzouius Cap.* 11.

P. Cyprianus Vbertus Pedemontanus catholicæ veritatis propugnator inuictus, in diuinis ſcripturis verſatiſſimus, necnon & hæreticorum aduerſarius indefeſſus, per quadraginta duos annos Inquiſitoris munus obiuit, hæreticoſque, ac ſtryges ſeuerè caſtigauit. Præter opera multa, ſcripſit librum de Illuſtrioribus Inquiſitoribus Ordinis. *Plodius.*

P. Dominicus de Valderama Amerieus in Vrbe Quitenſi apud Pyru natus, (promouente Paulo Pontifice ad præſentationem Philippi Hiſpaniarum Regis), vir pijſſimus, zeloque lucrandarum Chriſto animarum feruidus, fit Archiep. Inſulæ Hiſpaniolæ, quæ S. Dominici dicitur, dje 30. Auguſti, translatus poſt duos annos ad Eccleſiam de la Paz in Regno Peruano. *Ex Act. Conſiſt. eiuſdem Pont.*

Laborabant apud Occidentales Indos noſtri Prædicatores, vt gentilium animas, Chriſti ſanguine redemptas, de infernalis leonis faucibus eriperent, cœleſtibus ſpiritibus ſociaturi, laboribus, ærumnis, improperijs, fuſtigationibus, afflictionibuſque cunctis contemptis. Eminebat autem inter illos P. Didacus de Santander, qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, inuicta animi conſtantia per viginti ſex, & vltra annorum continuum decurſum, laboribus, ſudoribuſque immenſis in Barbarorum illorum conuerſione ad catholicam fidem totus fuit; nec ſine fructu: nam dirigente S. Spiritu multorum corda, execratis Idolis, Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, amplexati, per ſalutis ſemitam direxère greſſus ſuos in vitam æternam; vnde, & Idolis confractis, & eorum templis dirutis, in conuerſorum ad Catholicam fidem ſpiritale ſolatium, Eccleſias conſtruxit, Aras æterno Deo viuo & vero erexit, & Ordinis conuentus inter illos ſtabiliuit, Crucis vexillo inter eos triumphante. Deceſſit autem operarius vineæ Chriſti electæ circa annum 1630. condignam mercedem ab illo percepturus. *Ex Arch. Mag. Ord. & relat. ad S. Cong.*

ANNO 1607. Apud Iaponum Imperium in Regno Figen Apoſtolici noſtri miſſionarij à Rege benignè recepti, conuentum ſub inuocatione Beatiſs. Virginis de Roſario erexerunt cum Eccleſia, in qua plures gentiles ab Idolis auerſos, per ſacrum regenerationis fontem Chriſto filios multiplicarunt, & ſequenti anno ab eodem Rege obtinuerunt alia duo loca pro domorum conſtructione cum templis, capacibus populi ad conciones audiendas confluentis. Quare cooperante Spiritu Sancto, corda illorum inflammante, multitudo Iaponum,

vero

vero Deo, execratis Idolis, combuſtis lucis, atque deiectis Aris, adhæsère, P. Thoma de Spiritu Sancto cum P. Alphonſo de Mena, & alijs Prædicatoribus prędicationem euangelicam dirigentibus. *Ex literis directis ad Capitulum Generale Pariſinum an. 1611.*

Eodem anno de mandato Pontificis Pauli V. P. Gregorius Seruantius, Treuicano Epiſcopatu iam ſub Clemente VIII. dimiſſo, ſcripſit librum eruditiſſimum in defenſionem poteſtatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, contra opuſculum, Venetijs emanatum ſuppreſſo nomine (quod P. Pauli Seruitæ ereditum eſt) aduersùs Breue Pauli V. cenſurarum in Venetum Senatum ſuperiori anno datum: Quod opus egregium maximo in prætio ab omnibus doctis habitum eſt ſupra cuncta alia ſcripta hac de re edita. *Plodius.*

P. Hieronymus Xauierrus Aragonenſis Cæſarauguſtanus Magiſter Generalis Ordinis, & Philippo III. Hiſpaniarum Regi à ſacris confeſſionibus, ad nominationem eiuſdem Philippi promouetur ad ſacram purpuram, inter S. R. E. Cardinales cooptatus hoc anno ſub Tit. S. Sixti in Ieiunijs quatuor temporum Aduentus Domini, vir Maximi ingenij, & prudentiæ. *Ciacconus.*

P. Marcus Armenus Paſtor viduatæ Eccleſiæ Armenæ proper obitum Azariæ Fridonis datus eſt à Paulo Pont. vt illam in veneratione Apoſtolicæ Sedis, atque fide S. R. E. contra Schiſmaticos Armenos continèret, qui ſuſcepto conſecrationis munere, dum loca ſancta viſitans, ſe præpararet ad iter ſuam Diœceſim verſus, in Vrbe deceſſit hoc eodem anno: in cuius locum Pontifex Paulus, ne Eccleſia longo tempore viduata remaneret cum populi illius detrimento, P. Matthæum Eraſmum Armenum in Italia exiſtentem Archiep. creauit, & ſacris donarijs onuſtum in illam direxit, quam vſque ad annum 1620. ſanctiſſimè rexit pluribus ſchiſmaticis ad Apoſtolicæ Sedis venerationem adductis. Nec non promouit ad regimen Polymnianen. Eccleſiæ. P. Ioannem Mariam Guanzellum Magiſterum Sacri Palatij, in cuius locum pręficitur Mag. P. Auguſtinus Galaminus, de quo immediatè dicetur ſequenti anno. *Lucarin. & Vghell.*

P. Andreas Garge Venetus ab eodem Pont. Max. Syren. Epiſcopus in partibus infidelium creatus, vt zelo promouendæ Catholicæ fidei, quo pollebat maximo infideles illos ad agnitionem veri Dei perduceret, atque ibidem exiſtentes catholicos in aſſumpta fide conſolidaret, ad regimen ſibi ereditarum ouium pergens, tanquam Paſtor bonus animam ſuam pro ouibus ſuis conſtanti pectore poſuit, ab infidelibus Schiſmaticis patibulo tandem ſuſpenſus, de quo an. 1632. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Caput XV.

P. AVGVSTINO GALAMINO

Magiſtro Generali LIII.

PRomoto antecedenti anno ad purpuram Xauierre, celebratum eſt anno 1608. in Vrbe Generale Capitulum, in quo ex vnanimi Patrum voto ſalutatus eſt Magiſter Ordinis P. Auguſtinus Galaminus, qui in minoribus ſacro Tribunali S. Inquiſitionis addictus, Brixiæ, Placentiæ, Genuæ, atque Mediolani, eidem præfuit. A Clemente VIII. in Vrbem accitus, & Commiſſarius Generalis S. In-

S. Inquiſitionis inſtitutus, à Paulo V. ad Magiſterium Sacri Palatij erat euectus, duo Generalia capitula celebrauit Romæ 1608. & Pariſijs 1611. in quibus multa pro regularis obſeruantiæ, & ordinis incremento; necnon & proximi ſalute ordinata ſunt ab eo, viro verè pio, & inculpatæ vitæ. *Plodius.*

Anno eodem indefeſſo labore procurabant in Imperio Iaponico noſtri Apoſtolici Miſſionarij Gentiles illos trahere ad Chriſtum per fidem Catholicam, circumeuntes, & euangelizantes vbique in Regno Satecumæ. Acceſſit ad eos aliquando miles quidam nobilis maximo in pretio à Rege habitus, & edoctus de fide, petijt baptizari. Renuerunt noſtri illico conferre eidem baptiſma; quia Regio ſtatuto decretum erat, vt ſi quis miles propriam legem deſereret, ſententiam capitis incurreret; precibus ipſius tandem acquieſcentes noſtri, eumdem ſacro lauacro Chriſto Domino regenerauère, Leonis nomine inmpoſito. Re ad Regem delata, dedit illi optionem, vt aut eiuraret ſuſceptum baptiſma, aut pœnam mortis infra triduum ſuſtineret. Circuiuit tunc per vicina caſtella miles (non enim vinctus fuerat) quærens aliquem miniſtrum Euangelij, & in Fratrem conuerſum noſtrũ incidens, ab eo in fide confortatus eſt; vt mortem non timeret edoctus, deditque illi B. Virginis Roſarium, cum Crucifixi imagine papyracea, & benedictione à Fratre ſuſcepta ad Regem reuerſus, dixit ſe aſſumptam fidem Chriſtianam execrari non poſſe, ac proptereà ſeſe ad mortem paratum. Cumque Rex imperaſſet vt decollaretur; genuflexus Roſarium ex ſinu cum imagine papyracea eduxit, & orauit, deoſculando ſæpè illa pietatis monumenta; deinde imaginem complicatam in ſinum repoſuit, Roſariumque ſiniſtro brachio aduoluit; & ad ſpiculatorem conuerſus inquit: *Da mihi mortem temporalem, vt æternam conſequar vitam*, & truncato capite, in cœlum euolauit 17. Nouembris, ſanguinem eius pro magno munere colligentibus adſtantibus catholicis. *Orſanell. cap. 2.*

Ad Regis Gongi petitionem hoc anno Fratres Prædicatores ad illam vineam Domini in Aetyopia ſitam, quam ipſi primi plantauerant anno 1491. vt ſupra retulimus, ſeſe contulère, Paulo Pontifice annuente, & cœnobia cum Eccleſijs ædificantes, in eis Gentiles plurimi baptizati ſunt, Patribus Dominico de Cruce, Ferdinando de Aſſumptione, Laurentio ab Auenna, & Gundiſaluo Carualio, Apoſtolicis miniſtris ad hoc ſelectis. *Ex Relationib. miſſis ad Capit. Pariſien.* 1611.

Eodem anno, & ſequentibus P. Gilbertus Spectius hæreticæ prauitatis Inquiſitor apud Coloniam, qui hoc anno ad Generale Capitulum in Vrbe celebratum Diffinitor acceſſit, ſtrenuam nauauit operam contra hæreticos Caluiniſtas, & Lutheranos, cum eiſdem congreſſus habendo, atque eorumdem vafritiem populis manifeſtando, vt Catholicos in fide confirmaret, & hæreticos ad amplexum illius prouocaret. *Plodius.*

In Regno autem Galliarum propriæ profeſſionis onus exequturi noſtri Prædicatores, inſurgebant in Lutheranos, Caluiniſtas, atque Hugonottos aſſiduis congreſſibus, diſputationibus, atque prædicationibus: In prouincia Occitana P. Ioſeph Bergouignon S. Theol. Mag. qui poſtmodũ Carcaſſonenſis Inquiſitor euaſit: In Toloſana P. Ioſeph de Ibræis, qui in Agennenſi Vrbe, & adiacentibus villis res Catholicorum mirum in modum promouit: P. Io. à Verniano, qui apud villas Baygneres, Lordum, & Benac contra ſcaturientes hæreticos diù prædicauit, licet ab eis minis, & iniurijs laceſſitus: P. Ludouicus Caſtes, qui in Agenenſi ciuitate plures hæreticos ad catholi-

cam

cam fidem perduxit: & P. Iornierus Mag. qui apud Montempeſſulanum diù manẽs, ſacras conciones ſingulis diebus feſtiuis contra Hugonottos, eorumque errores, in noſtra Eccleſia habuit pluribus annis. *Ex Relat. ſuprad.*

Moritur Valliſoleti (heu cito nimis) 8. Septemb. hoc anno maximo Religionis damno, dum plurima in ſingulare Ordinis incrementum expectarentur bona noſter Cardinalis Xauierrus, (ex propinato veneno quidam credidère,) deſtinatus Prorex in Neapolitano Regno, à Philippo III. Hiſpaniarum Monarcha. *Plodius*.

ANNO 1608. In Hybernia Fratres Prædicatores indefeſſis laboribus ac ærumnis inſudabant & in catholicis in fide conſtabiliendis, & hæreticis ad illam conuertendis (ſæuiente perſequutione Georgij Bingami Angli, Conaciæ, Præſidis) & inter eos maximè optimus Senex P. Thaddæus ò Duanus catholicæ Religionis mirificus zelator, & propagator, properquam multa mala paſſus ab hæreticis, eiſdem ſummè exoſus erat. Captus aliquando a militibus hæreticis caſtri Bureis dolenſis præſidiarijs ad vnum omnes conuertit, adeo, vt relicta hæreſi cum ſagrilega militia, ſinguli per patriam ſeſe diſperſerint, nec vnquam redierint ad hæreticos. Cum autem Georgius Præſes nobilium Catholicorum facultatibus inhians, plurimos illorum vltimo ſupplicio adiudicaſſet, Thaddæus, illos hortabatur, vt in fide ſtabiles, & in opere permanerent efficaces, ſubdens aliquando. *Georgius Eccleſiam, & patriam noſtram non perſequetur amplius*. Nam paulo poſt ille à ſuis inimicis interfectus ſcelerum ſuorum condignam luit pœnam. Cum autẽ in ſacramentorum miniſterio catholicis Thaddæus noſter aſſiduus eſſet, annorum pondere tandem grauatus, cœpit infirmari ad mortem, cumque nobiles circumſtantes deflerent eius deceſſum, eò quod deficeret illis catholicus Sacramentorum miniſter, & Pater dilectiſſimus, ſubridens dixit illis. *Bono animo eſtote fideles, quia bonum Dominum habemus, qui nec patietur vos ſine Sacerdote eſſe, nec me ſine fratre Ordinis mei hinc migrare*. Ita factum eſt; nam ſequenti die adfuit ex Portugallia P. Daniel Criedega, qui & Thaddæum præmiſit ad gloriam hoc anno, & fideles adiuuit ad ſalutem in futurum. *Ex Act. Capit. Gen. Hom. 1656.*

In Regno autem Peruano inuigilabat negotio fidei promouendæ P. Chriſtophorus Rodriguez ibidem miſſionariorum Generalis Vicarius, qui cum meſſem copioſam in Eccleſiæ horrea congregaſſet, Hiſpaniarum Rege poſcente, à Paulo V. Pontifice Inſulæ Hiſpaniolæ, ſeu S. Dominici, Archiepiſcopus conſtitutus eſt hoc anno, vir verè Apoſtolicus, verè ſanctus, qui Angelicæ vitæ ſuæ exemplo (atque eleemoſynarum in pauperes profuſione ſibi latam ſtrauit viam ad æternitatem) ouibus proprij paſtoris liberalitatem in pauperes mirantibus. Mexicanę autem Archiepiſcopali Eccleſię præficitur à Pontifice Paulo P. Garſias de Enguera, fuitque etiam diù Mexicanus Prorex maximo pauperum commodo, quibus cuncta, quæ habebat, ſubminiſtrabat ex corde, *Pauperum Pater*, propterea communi elogio nuncupatus. *Gil. in Teat. Eccleſ. Hiſp.*

P. Auguſtinus Galaminus Sacri Palatij Mag. in celebratis hoc anno Generalibus Comitijs Romæ, cum pace maxima eligitur Ordinis Magiſter, in cuius locum ſubſtitutus eſt Sacri Palatij Magiſter P. Ludouicus Yſtella Aragonen. Ord. Vicarius, vir doctiſſimus, atque Theologus præſtantiſſimus, apud Pontificem Max. in exiſtimatione habitus, qui raptus eſt de terra viuentium ann. 1614. in Minerua ſepultus. *Lucarin.*

Inſtituitur hoc anno Regienſis Inquiſitor·

ſitor in Lombardia P. Mag. Seraphinus de Callio, infracti animi vir, qui pro defenſandis iuribus ſacri Tribunalis, recuperandis bonis eidem relictis, necnon compeſcendis quorundam nobilium laxatis moribus plurimùm inſudauit, etiam cum vitæ diſcrimine; cunctaque prudentia duce, ad optatum finem perduxit, ibidem vſque ad annum 1614. permanens Inquiſitor. *Ex Relat. eiuſd. Archiu.*

In Toloſana Ciuitate autem viriliter dimicabat contra effrontes hæreticos ſapientiſſimus vir P. Iacobus Lapatice, orationibus, concionibus, atq; diſputationibus, verbo & ſcripto (quo illorum falſas doctrinas impugnauit, & detexit) cum eis concertationes aſſiduas habendo, quorum multos abiuratis erroribus ad catholicam fidem attraxit, & plures alios iuxta ſacrorum canonum ſanctiones caſtigauit, ob vitæ ſanctitatem, morumque candorem apud Regium Senatum in veneratione maxima habitus. Tandem laborum pro catholica fide exantlatorum præmia percepturus, capularis ſenex quieuit cum Chriſto. *Ex Monum. huius Inquiſ.*

Eodem anno in Eccleſia noſtra S. Mariæ ſuper Mineruam, mandante P. Magiſtro F. Ambroſio Brandio de conuentu eodem, tunc Priore, & apud Clementem VIII. prædefunctum Apoſtolico Prædicatore, in Italia tota famoſo, ortum habuit mos laudabilis, in Eccleſia Dei conſtabilitus, pulſandi iteratis ictibus maiorem campanam hora noctis prima ad fundandas preces in animarum Purgatorij ſubſidium (quam conſuetudinem antecedentibus annis, dum Prioris Prouincialis prouinciæ S. Petri Mart. necnon & prædicatoris munere apud Sereniſſ. Sabaudiæ Ducem Taurini fungeretur, ibidem primò, in alijs prouinciæ eiuſdem poſtmodum locis, & Eccleſijs ſuæ curæ ſubiectis iam introduxerat). Quod cum ſingulis diebus fieri audiſſet Paulus V. certioratus de re, Apoſt. decreto in cœteris Vrbis Eccleſijs id exequi voluit, & mãdauit; quod & poſtmodum in eunctis alijs Chriſtiani orbis obſeruatum eſt. Deceſſit tandem tantus Pater capularis ſenex nonagenario maior in hoc ſuo conuentu anno 1645. vt vidimus: ſupadicta verò non ſemel ex eius ore ſuſcepimus, eſtque in monumentis Archiuij conuentus factum regiſtratum vt legimus.

ANNO 1609. P. Damianus de Valaguer cum per multos annos apud Indos infatigabili ſtudio infidelium conuerſioni inſudaſſet prædicando, cathechizando, baptizando, ſacramentaque miniſtrando, à Patribus Capituli Prouincialis Manilen. Vicarius in Abulũg factus, vt populum illum ab Idolorum cultu reuocaret, in fame ac ſiti vitam duxit afflictiſſimam, ita vt in magnis ſolemnitatibus nigro elixato pane, atque lutuoſa aqua pro magno munere enutriretur; ex quo factum eſt vt vigilijs, ac laboribus fractus, æternam retributionem percepturus euolauerit in cœlum, communibus ſibi crediti populi lacrymis parentatus. *Marcheſius in Diario Sacro tom. 3.*

Anno eodem apud Iaponicum Imperium feruidiſſimi Chriſti athletæ, atque catholicæ fidei pugiles PP. Hyacintus Orſanel, Io: de Hormaza, Alphonſus Mena, Io: Rueda, Ioſeph à S. Hyacinto, Thomas à Spiritu Sancto, & Franciſcus Morales in Regnis Santzuma, & Figen, necnon apud Nangaſacum euangelium Ieſu Chriſti annunciantes, Idola deiecère, aras euertère, ſuperſtitioneſque fugauère, baptizatis pluribus gentilibus, Eccleſijs conſtructis, ac conuentibus Ordinis, in eorundem populorum ad fidem accedentium commodum, inſtructionem, atque ſalutem. *Ex relat. ſuprad. ad Capit. miſſis.*

Inter multos, qui Chriſtianam fidem ibidem ſunt amplexi, fuère, Ioannes cum filio

Digitized by Google

filio ſuo Petrò annorum ſex, & Michael cum Thoma filio annorum duodecim, qui omnes damnati ad mortem, poſt longam Ioannis, & Michaelis quatuor annorum in carceribus macerationem, quibus à Prædicatoribus in fide conſolidati, & aſſiduis litteris conſolati fuerant, truncato capite felicem ſpiritum Deo reddidère proprij ſanguinis aureola ſacra redimiti hoc anno, quo P. Franciſcus Morales cum cunctis alijs Prædicatoribus Euangelicis eiectus fuit ex Santeuma. *Orſanel.*

Antequam verò abirent Prædicatores ex Santeuma Vicarius eorundem miſit P. Ioſeph de S. Hyacintho ad Miyacum, vt ibidem fundaret Eccleſiam ſub inuocatione Sanctiſs. Roſarij B. Virginis pro conſolatione illorum fidelium, in qua primum Miſſæ ſacrificium, maxima ſpiritus exultatione eorundem celebratum fuit ſequenti anno die 25. Ianuarij Conuerſioni Doctoris Gentium ſacra. *Orſanell.*

In Inſulis Philippinis glorioſè deceſſit P. Io. de Caſtro primus fundator Prouinciæ Sanctiſs. Roſarij Philippinarum, vir Spiritu charitatis plenus, qui poſt multos labores pro fidei dilatatione toleratos, in Regno Chinæ maximè, poſt vincula, & carceres, recuſato etiam Epiſcopatu à Catholico Rege ſibi oblato, in paupertate deliteſcens, viliſſimo ſtrato contentus, quo inſtante vitæ termino dumtaxat vſus, factus diues vita pura, euolauit in cœlum vir verè ſanctus, verè Apoſtolicus. *Ex Act. Capit. Gen. Pariſijs* 1611.

Reuerendiſſimus Pater Magiſter Generalis Ord. Prædicatorum, vir vitæ ſanctitate mirabilis, ſalutis animarum cupidiſſimus, atque hæreticorum hoſtis à iuuentute, graſſantem hæreſim in Gallia comprimere, atque eradicare totis viſceribus deſiderans, nouam Congregationem in eadem ex ſibi ſubditis Fratribus, zelum Dei habentibus, cuius peculiare inſtitutum eſſet contra hæreticos dimicare gladio ſpiritus, inſtituit, de conſenſu Pauli Pontificis, & Galliæ Regis Henrici IV. Patre Sebaſtiano Michaelis Vicario eidem præfecto, qui adamuſſim Conſtitutionum noſtrarum obſeruatores eſſecti, aſſiduis orationibus, ieiunijs, diſciplinis, ac vigilijs; necnon & calamo, lingua, prædicationibus, diſputationibus, ac congreſſibus cum hæreticis decertarent; quæ Congregatio in Pariſienſi Capitulo anno 1611. fuit ab Ordine approbata, atque Congregatio Gallicana dicta; ad quam cum ex ſingulis Galliæ Prouincijs concurreret Religioſi, ſalutis animarum ſitientes, breui tempore tantùm eadem Congregatio inualuit; vt Euangelij miniſtros in ſingulas ciuitates, villas, & oppida miſſionarios mitteret Fidei orthodoxæ prædicatores, qui hæreticos doctrina ſana confundentes, atque ab hæreſis mortifero ſomno excitantes, indefeſſo labore ad ouile Chriſti reducere conarentur. Vix verbis exprimi poteſt, quot vberrimi fructus in Eccleſiam promanauerint ex hac noua Congregatione, quam Pontifices priuilegijs maximis munire voluerunt, vt hæreticis ipſis fieret in ſalutem, atque Catholicis in fulcimentum. *Ex Actis eiuſdem Gen. Capitu Pariſien. an.* 1611. *celebrat.*

Nobilis Eccleſiæ Archiep. Auenionen. cura demandatur à Paulo V. Pont. Max. P. Stephano Dulcio aliquãdo Priori S. Mariæ ſuper Min. & in Rom. Curia Epiſcoporum examinatori, qui talem Eccleſiam ſummo zelo, & cum honore Apoſtolicæ Sedis rexit. *Gall. Chriſt.*

ANNO 1610. P. Andræas Bobius Sacræ Theologiæ profeſſor, de conuentu Fauentino Lombardus, vir religioſiſſimus, catholicæ fidei propugnator famoſus, ſalutiſque animarum cupidiſſimus, Apoſtolicus miſſionarius deſtinatus in Vualachiam, aſſumpto ſocio P.

Matthæo de Vlonis Morauo ex conuentu Leopolienſi, pro Euangelio Ieſu Chriſti propagando, laboribus, ac periculis innumeris toleratis, nonnullas Eccleſias ſub Romano ritu fabricauit, ſchiſmaticoſque hæreticos plures ad Eccleſiæ venerationem perduxit. Per Valachiam rediens, ab hæreticis militibus Dominicanam Religionem perhoreſcentibus, atque catholicam fidem deteſtantibus, tanquam agnus à lupis captus, & trucidatus, crudeli morte peremptus eſt; cuius ſocius arrepta inter denſas ſiluas fuga, ex eorum manibus, atque oculis incolumis euanuit Deo prouidente, ne tanti Patris agonem glorioſum obliuionis tenebræ inuoluerent. *Ex dictis relationibus*.

P. Dominicus à Nieua apud Iapones, atque Philippinas pro promulgatione Euangelij, ac Gentilium conuerſione apoſtolicus operarius in vinea Domini; vt gentem illam faciliùs ad catholicam fidem attraheret, atque in pietate erudiret, in lingua, & characteribus Synarum edidit librum pernotatum : *Memoriale Chriſtianæ vitæ*, ex cuius lectione multiplex percipitur fructus in via Dei à nouiter conuerſis ad fidem. *Plodius*.

P. Io. Ramirez quoque, vir pietate chriſtiana, ac dicendi facundia clarus, ex Hiſpania in Americam occidentalem Apoſtolicus miſſionarius pro gentium conuerſione profectus, tantùm Eccleſiæ fructum dedit, vt propterea à Catholico Rege nominatus fuerit Epiſcopus de Guatimala. Scripſit librum, cui titulus: *Campus Floridus*, in hiſpanica lingua, quo accenduntur fideles nouiter ad fidem cōuerſi ad virtutum Chriſtianarum amplexum, & hoc anno laborum ſuorum condigna prę̨mia percepturus, valè dixit mortalibus. *Fernandez inter Script. Hiſpan.*

P. Ludouicus de Soto maior, & ipſe hoc anno ergaſtulo corporis ſolutus laborum ſuorum, pro Eccleſia Catholica fide, atque Apoſtolica Sede, exantlatorum prœmia conſequuturus, perrexit ad Dominum. Hic pietate inſignis, charitate mirabilis, virtute commendabilis, Concilio Tridentino Luſitanię Regis nomine aſtitit Theologus præſtantiſſimus, vbi in concertationibus, & diſceptationibus peractis, doctiſſimi, eruditiſſimi, ac grauiſſimi viri nomen obtinuit. Concilio Tridentino fœliciter abſoluto in Luſitaniam reuerſus, ſacræ Scripturæ prælectionibus in Conimbricen. Academia reliquum vitæ tempus tranſigere decreuit: At Pontifice Max. Clemēte ſedente, dum humilitatis ergo propria ingenij ſui monumenta ſub tenebris relinquere decreuiſſet, eadem in communem vtilitatē euulgari per impreſſionem, præcepto ſibi per Apoſtolicum Nuncium impoſito, permiſit, ac ſtatim cuncta pro Pontificis Max. voluntate ſcripta ſua imprimenda tradidit, quæ fuère, ſuper Cantica Canticorum, & Epiſtolas B. Pauli. Vitæ ſanctitate denique clarus, anno ætatis 84. obdormiuit in Domino in feſto Pentecoſtes hora 3. qua Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in igneis linguis deſcendit. *Poſſeuin.*

Migrauit à ſæculo, vt in æternum cum Chriſto viueret P. Seuerinus Lubomblius Cracouienſis, Eccleſiaſtes Polonorum omnium doctiſſimus, & diſſertiſſimus, cui tanta fuit eruditio, vt omnes inter hæreticos controuerſas materias optimè calluerit; tanta memoria, vt ferè omnes Patres, ac in primis Diuos Auguſtinum, & Thomam mente affixos tenuerit; tanta fœlicitas in diſputando cum hæreticis frequentiſſimè, vt ſemper victor ex hac arena diſceſſerit; tanta vis dicendi pro concione, vt plurima hæreticorum, & perditorum millia ad Catholicæ fidei veritatem, atque ſanctiorem viuendi normam in Polonia adduxerit: tanta apud Reges, & Magnates auctoritas, vt Heliam noſtri temporis eundem dicerent;

Digitized by Google

rent; & tanta apud hæreticos æſtimatio; vt neminem magis, qui eorum fallacias detegeret, & confunderet metuerent. *Bzou. in Annal. ad annum* 1398. *nu.* 13.

Eodem anno P. Seuerinus præmiſit ad gloriam P. Bartholomæum Præmlslienſem eiuſdem profeſſionis Dominicanæ famoſum virum, libertatis Eccleſiaſticæ vnicum defenſorem, hæreticorumque oppugnatorem acerrimum, & indefeſſum, qui decem & octo annorum continua ſerie Cathedralis Eccleſiæ Cracouienſis diſertiſſimus Eccleſiaſtes, innumeros hæreticos, & ſchiſmaticos ad agnitionem veritatis, & S. Matris Eccleſiæ venerationem adduxit. *Bzou. in Annal. lib. vbi ſupra.*

Archiepiſcopus Auenionen. P. Stephanus Dulcius, de quo ſuperiori anno, mortuo Friderico Archiepiſco Vrbinate Prolegato Auenionenſe, in eius locum Auenionenſis Prolegatus conſtitutus eſt à Paulo V. Pontifice Max. rexitque Auenionenſem ſtatum, vigili prudentia, & fidelitate magna erga Apoſtolicā Sedem, eundemque Summum Pontificem, pauperum pater effectus, quibus coeca manu aurum & argentum, ad ſubleuandas miſerias, miniſtrabat. *Gallia Chriſt.*

Laborum ſuorum, pro dilatatione Euangelij multo tempore effuſorum, premia conſequitur P. Hieronymus Martel hoc anno, ab eo, qui dixit. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Nam cum apud Granatam ortus, in regnum Peruanum profectus eſſet, in conuentu Guſquenſi dominicanam profeſſionem emiſit; & infidelium conuerſioni addictus, in eo apoſtolico munere vitam conſumpſit, ſeptuagenariuſque compleuit; à populis illis, vt ſanctus veneratus, ex quibus copioſam multitudinem ad fidem catholicam, inculpatæ vitæ exemplo, ignitoque ſacro eloquio attraxerat, confluente innumerabili multitudine ad illius funera, ritu ſolemni peracta. *Marcheſius in Diario tom.* 3.

P. Benedictus Herculanus Peruſinus Inquiſitor zelo promouendæ cathol. fidei, candoriſque illius conſeruandæ, poſtquam annos duodecim ſacro illi tribunali præfuit, atque blaſphemias in Deum, & ſanctos, quibus abundabnt Peruſini, ex eiſdem, aliſque ſibi creditis populis eradicaſſet timore maximo eiſdem in cuſſo, depoſito carnis onere perrexit ad Chriſtum; cui in munere eodem ſucceſſit P. Vincentius Herculanus germanus frater, qui virtutes, & zelum anteceſſoris æmulatus, delinquentes condignis pœnis caſtigauit, licet infirma ſemper vteretur valetudine. *Ex Archiu. eiuſd. Inquiſit.*

ANNO 1611. Celebrata ſunt Ordinis Comitia apud Pariſios, in qoibus confirmata eſt Congregatio Gallicana pro extirpatione hæreſum in Gallia inſtituta; & denunciati ſunt Fratribus cunctis progreſſus maximi, quos in conuerſione gentium faciebant Religioſi noſtri in Inſulis Philippinis, & quomodo iam penetraſſent in Magnum Chinæ Regnum, vocati illuc ab Illuſtriſs. Dom. P. Ioanne de Pietate Epiſcopo ciuitatis de Machao ex Ordine noſtro aſſumpto, vbicum meſſis multa eſſet in horreum Eccleſiæ congreganda, operarij pauci videbantur: ac propterea multi alij Apoſtolici miſſionarij illuc deſtinati ſunt ipſo petente, vberiores fructus nouorum fidelium S. Matri Eccleſiæ daturi, prout factum eſt. *Ex Act. eiuſd. Capit. Gen.*

Termiuato Capitulo Generali Ordinis, dum Magiſter Generalis Auguſtinus Galaminus Prouincias Galliæ viſitaret, frateſque in ſuis capitulis ad inſequendos hæreticos, Catholicæ Eccleſiæ hoſtes monèret, à Paulo V. Pontifice Maximo die 17. Auguſti S.R.E. Card. Tit. S. Mariæ de Aracœli creatus abſque mora, arrepto itinere Romam versùs, ad Pontifi-

cios pedes acceſſit, iuſſus vt ordinis ſupremam curam gereret, vſque ad alterius Magiſtri Generalis electionem, ſequenti anno in feſto Pentecoſtes habendam. *Plodius*.

In Germania ſuperiori P. Paulus Lacumulanus Friſacenſis conuentus Prior, & P. Seruatius Iungling Prior Prouincialis ibidem, hæreticorum conuerſioni inſudantes diſputationibus, plures ad Eccleſiæ gremium, abiuratis erroribus, reduxerunt. *Fernandez*.

In Regno de Figen perſequutiones non modicas patiuntur qui ad fidem catholicam à miniſtris noſtris Apoſtolicis, atque alijs conuerſi fuerant, & cum ipſis Religioſi, in varias partes diſiecti ad euitandum furorem miniſtrorum Imperatoris Iaponici, qui eorum ſanguinem ſitiebat. Quare hinc inde exulare coacti herbis, lutuoſiſque aquis enutriti, in fame, & ſiti, nuditate, & frigore, ſe hoſtias viuentes Deo offerebant in odorem ſuauitatis. *Orfanel*.

Eodem anno Auguſto menſe Iaponicum Regnum ingreſſi ſunt P. Alphonſus Nauarrete, & P. Dominicus de Valderama alter ab eo, qui ſub anno 1606. relatus eſt, factus Archiep. Inſulæ Hiſpaniolæ, verbum Dei, atque Euangelium pacis nunciaturi Gentilibus illis, pro quorum ſalute mundi Redemptor Ieſus Chriſtus Crucis patibulum ſubire dignatus eſt: ibi ambo viriliter inſudarunt conuerſioni eorum, & Alphonſus maximè, cum eſſet dux verbi, pro quo tandem ſanguinem effudit, & vitam. *Orfanel*.

Ingreſſus Iaponum P. Alphonſus Nauarrete, apud ciuitatem de Nangaſac pedem fixit, ibique euangelium prædicauit & multos ad fidem Chriſti adduxit, charitatis operibus totus addictus; interquas eminet illa, qua cunctorum etiam infidelium corda, & animos ſibi attraxit. Nam cum Barbari illi ſuos infantes, & pueros parentum auxilio deſtitutos, proicerent in vijs, ac campis à beſtijs deuorandos, ipſe Alphonſus collectis pecunijs, ex eleemoſynis, etiam infidelium, hoſpitale, in quo illi alerentur, fundauit, quod & ſufficientibus redditibus ditauit. Item & aliud Xenodochium pro pauperibus infirmis erexit, quibus & neceſſaria ad victum, vitamque temporalem, & etiam æternam miniſtrabantur cum Sacramentis omnibus, erudiebanturque in catholica lege; quo facto catholicæ fidei multa acceſſerunt incrementa. *Ex proceſſu formato pro illius Beatificatione*.

P. Io. Eſpilla de Alcantara in Salmantina Vniuerſitate Scoticæ Cathedræ moderator, cum eſſet Beneuentano Comiti Proregi Neapolitano à ſacris confeſſionibus, à Paulo V. creatus eſt paſtor Eccleſiarum Acheruntinæ, & Mataranæ, vt oues illarum dirigeret ad ſalutem. *Vghell. Ital. Sac.*

Caput XVI.

P. SERAPHINO SICCO Magiſtro Generali LIV.

COllecto Prouincialium, Diffinitorum, Electorumque Generali congreſſu in Vrbe anno 1612. in feſto Pentecoſtes, pro noui Magiſtri electione habenda, cui tunc pro prima vice interfuère vocales ex Indiarum Prouincijs, ferè omnium Patrum conſenſu in primo ſcrutinio electus eſt Magiſter P. Seraphinus Siccus de Papia Procurator, & Vicarius Generalis, ab eodem Galamino inſtitutus, vir

vir regularis obſeruantiæ amator, in gradibus, & gratijs concedendis, ab initio regiminis vſque ad finem circumſpectus, & difficilis. In Ordinis, gubernio grauis, in puniendis defectibus rigoroſus, à diſpenſationibus concedendis admodum reſtrictus. Capitula Generalia celebrauit, primum electionis ſuæ Romæ, ſecundum Bononiæ 1615. tertium Vlyſſipone 1618. quartum Mediolani 1521. vltimum Toloſæ 1628. quo terminato, cum in Vrbem reuerteretur, clauſit diem extremum prope Auenionem, eius obitu menſe Nouembri die 13. in Vrbe nunciato, vt vidimus, & audiuimus.

Pater Seraphinus Capponius, dictus de Porreta, vir pijſſimus, & in ſcholaſtica doctrina eximius, doctiſſima commentaria ſuper Summam Diui Thomæ, quæ in pretio maximo habentur, ſcripſit, in quibus oſtendit, quòd idem Angelicus Doctor in omnibus ferè articulis eiuſdem Summæ confutat ſpecialem hæreſim, vel errorem, non ſolùm ex damnatis ab Eccleſia ante eundem Sanctum Doctorem, ſed etiam ex omnibus ijs, quos poſt eiuſdem fœliciſſimum deceſſum Eccleſia reprobauit, & damnauit; quæ volumina authoritatibus ſacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum referta dignoſcuntur; ſunt enim veluti Armamentaria, ex quibus Catholici pugiles hæreticorum veſana dogmata confodiunt, & euertunt. Edidit quoque Commentaria ſuper Euangelia, in quibus non tantùm hæreſes deſtruit, ſed fidem aſtruit. Scripſit quoque Poſtillam ſuper Symbolum fidei, vt in fide quoſdam nobiles dubitantes ſtabiliret. *Plodius, & Altamura in Bibliotheca Ord. Prædicatorum*

Iaponicum Regnum ingreſſi ſunt hoc anno Pater Balthaſar Fort Vicarius Miniſtrorum Euangelij in eo Imperio inſtitutorum cum tribus allijs illuc directis à Patre Michaele de Sancto Hyacintho Prouinciali, qui manus ſuas miſerunt ad fortia inter Barbaros illos vexillum Sanctæ Crucis, & nomen Domini portantes, ex quibus plurimi Chriſto adhæſerunt, occulti autem exularunt propter metum Iaponici Imperatoris, crudeli morte perimentis cunctos, qui Chriſtianæ fidei adheſiſſent *Orſanell.*

Pater Coſmas Morelles de Prouincia Aragoniæ, in Colonienſis ſtudio Regens, nonnulla ſcripſit contra hæreticos, cum eiſdem pluries diſputando, cum ſui, & Ordinis laude, atque hæreticorum confuſſione, cui in laborum ſuorum præmium collatum fuit magiſterium ſub hoc titulo in Capitulo Pariſien. 1611. *Ob multa, & ſingularia beneficia, quæ in partibus Germaniæ Ordini præſtitit, varioſque labores, quos diſputando, & ſcribendo in Catholicæ Religionis propugnationem, hæreſiſque extirpationem pertulit, & in dies perfert, &c.* Ex Actis eiuſdem Capit.

Conſtantes erant in bello ſpirituali contra inſanientes hæreticos in Hollandia, cœteriſque vnitis Prouincijs Patres noſtri Apoſtolici miſſionarij, inibi latitantes, catholicos in fide ſuis feruidis exhortationibus, monitionibus, ſacramentorumque miniſterijs confirmaturi, ex quibus aliqui detecti, prædicantium liuore, exilio, ac carceribus caſtigati, in alias partes abire, ac declinare coacti fuère, quorum afflictiones, ac vexationes ſuis locis referemus. *Ex Relation. ad Sacram Congregationem dat.*

ANNO 1613. cum Prædicatores noſtri in Regno de Figen apud Iapones quoſdam Chriſtianos nouiter ad fidem conuerſos, ad ignem damnatos in fide confortaſſent, atque ad mortem ſuſci-

ſucipiendam pro Dei amore animaſſent, emanato contra eos Regio edicto, vt ſtatim ex Regno ſub mortis pœna diſcederent, P. Io: de Rueda Vicarius inter illos ad ſocios P. Alphonſum de Manna, P. Hyacinthum Orfanellum, & P. Ioannem de Rueda conuerſus dixit: Eya Fratres milites Chriſti chariſſimi, præceptum Domini eſt, dicentis, *Cum vos perſequuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam*. Vnuſquiſque ex nobis vadat quò dirigitur à ſpiritu æterni Patris, & fructum ſuum afferat; Si enim hìc manſerimus, moriemur quidem omnes in ſimplicitate noſtra; at qualem vtilitatem exhibebimus tot alijs Chriſtianis, qui in alijs Regnis conſolationem à nobis expectant, & tot alijs gentilibus in tenebris manentibus? Hiſque dictis exuens religioſum habitum, Iaponicum induit, & diſceſſit Omuram versùs conſolaturus fideles ibidem exiſtentes: ſocij autem in alias partes hinc inde declinantes, fructum in Euangelio fecerunt non modicum, iam conuerſos ad fidem confortantes in aſſumpta illa; gentiles autem ad Ieſu Chriſti venerationem per ſacrum baptiſma perducentes. *Orfanel.*

Dum P. Io: de Rueda ex Regno de Figen eiectus hinc inde errabundus circuiret confortans fideles in fide, declinaturus ad ciuitatem de Firando, à quodam Gentili nobili receptus hoſpitio, eiuſdem domus mulieres, nempe filiam, & vxorem illius, quæ Chriſtianæ erant, & confeſſionem Sacramentalem per multos annos ex carentia ſacerdotum non emiſerant, à peccatis abſoluit, & filios cunctos in tenera adhuc ætate clam baptizauit, & abijt; profectuſque vlteriùs multos conuertit ad Chriſtum, quos in fide edoctos ſacro lauacro regenerauit. *Orfanel.*

Alij autem eius Socij Nangaſac versùs dirigentes inter, ciuitatem de Tamari ingreſſi ſunt factus eſt illicò cōcurſus magnus Chriſtanorum ad illos clamantium *Benedicti qui veniunt in nomine Domini*; vt confiterentur peccata ſua; timentes verò Euangelij miniſtri, ne tumultus fieret in populo gentili, ex ciuitate egreſſi, ſe in templum Idolorum dirutum recepère, vbi tota ſequenti nocte Chriſtianos illos conſolatorijs verbis reficientes, ſpiritualibus Sacramentis recreauère, ipſorum filios baptizantes, atque catholicam fidem edocentes. Quibus peractis ad aliam ciuitatem proceſsère Sacramenta pariter miniſtraturi: Inter eos autem Chriſtianos, quos ſalutaribus Sacramentis confortarunt, fuerunt tres, Michael, Linus, & Maxentia, qui paulò poſt viui cremati ſunt, inuenti in fide conſtantes, atq; in opere efficaces. *Orfanel.*

P. Balthaſar Fort Vicarius Miſſionariorum in Iaponia cum ſocijs in promulgatione Euangelij Ieſu Chiſti moleſtias, ac afflictiones innumeras perferens, gaudebat in Domino ſemper, videns vberes fructus, quos ignitis ſuis eloquijs Deus in Gentilibus illis producebat. Quapropter die, ac nocte ærumnoſos labores multos ſuſtinentes illi, Idolorum templa euertère, aras deſtruxère, & Ieſu Chriſti nomen inter barbaros illos amabile reddidère. *Orfanel.*

P. Coſmus Morelles, de quo anno antecedenti, diſputationem eruditiſſimam in lucem edidit contra Caluiniſtas, prope Francofurtum habitam, de valore operum noſtrorum, in qua doctiſſimè eorundem fallacias, atque argumenta ſoluit. Inſuper alia contra hæreticos ſcripſit, & egit, ita vt vix dici poſſit quantū Catholica Religio in Germania debuerit acerrimo iſti Doctori, & fidei propugnatori; quo authore triumphos maximos ſæpe ſæpius Catholici à Caluiniſtis, & Lutheranis reportauère. Hunc inſignem virum Inquiſitorem Colonienſem factum vidimus in Vrbe circa annum 1630. ſtatura

tura

tura mediocri, canitie, & pingui facie venerandum, & grauem. *De quo Plodius p. 4.*

P. Thomas Pallauicinus conſtituitur à Paulo V. Pont. Sacræ Congregationis Indicis Secretarius poſt Picum, quo in munere Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit annos duos, poſt quos debitum humanæ fragilitatis perſoluit in Palatio Vaticano, delatus ad Mineruam pro ſepultura. *Ex regeſt. eiuſd. Cong.*

P. Io. Pontanus Sacræ Inquiſitionis Cenſor, hæreticorum maſtyx indefeſſus, ſcripſit volumen prænotatum: *Prima pars Monarchiæ ſpiritualis Romanæ*, opus eruditiſſimum, & tanto viro dignum. *Fernandez.*

ANNO 1614. P. Nicolaus Coeffeteus, Eccleſiaſtes celebris Regũ Galliæ Henrici IV. & Ludouici XIII. hæreticis infenſiſſimus, ſcripſit contra eos multa volumina, quæ in lucem partim hoc anno, partim ſequentibus edita ſunt Gallico idiomate, vt popularibus magis fierent in ſalutem. Scripſit primò contra Lutheranos, & Caluiniſtas, qui magis in Gallia graſſantur, referens ſingulos illorum errores, ac deliramenta, quæ eſſe apertè contra ſacra Dei Euangelia, atque communem Sanctorum Patrũ, & Conciliorum doctrinam oſtendit, & impugnat. Alterum librum, cui titulus: *Miranda Sacratiſſima Euchariſtia.* Alterum *De Sanctiſſima Euchariſtiæ Sacramento* aduersùs eoſdem hæreſiarcas, & impium Molinæum. Item opuſculum apologeticum contra Molinæum, eiuſque doctrinam peſſimam. Scripſit quoque librum aduersùs volumen, quòd Iacobus Rex Angliæ in fauorem hæreſis euulgarat. Edidit quoque volumina quatuor controuerſiarum aduersùs modernas hæreſes. *Plodius.*

Eodem anno Potentiſſimus Rex Philippus III. Iulio menſe pro ſua ſingulari erga Prædicatores benignitate, animaduertens fructus, quos Catholicæ fidei, atque Sanctæ Matri Eccleſiæ dabant vberrimos in Tribunalis S. Inquiſitionis miniſterio, potiſſimum in ſuis vaſtis Hiſpaniæ Regnis, ad Supremos, ac Generales Sanctæ Inquiſitionis ſuorum Regnorum Senatus, in Regia Curia Matriti, & Vlyſipone aſſiſtentes duos ex eadem familia Patres, Inquiſitores Generales perpetuò futuros aſſumpſit; Matriti quidem pro prima vice Reuerendiſs. P. Ludouicum Aliagam Confeſſarium ſuum, & de Supremo ſtatus Senatu; Vlyſipone verò P. Emanuelem Coellum, qui fuerat Luſitaniæ Prouinciæ Prouincialis, ex quorum zelo, eruditione, ac conſilio multa incrementa catholicæ fidei prouenère, & prouenire dignoſcuntur. *Ex Actis Capit. Gen. Bonon. denunciat. 2.*

Exijt edictum Ianuario menſe huius anni ab Imperatore Iaponico, rebellionem in populo pertimeſcente, miſſum cunctis Gubernatoribus ſuorum Regnorum, & ciuitatum, quo Religioſi, & Eccleſiaſtici omnes iubebantur ex ſuo Imperio exire, ſub pœna mortis, atque ad ciuitatem de Nangaſac properare, vt ibi nauigijs impoſiti, è ſuo Imperio abueherentur.

Congregati ſunt igitur Religioſi omnes, & cognoſcentes eiectionem ſuam ex Imperio Iaponico, nauigijs in aliena Regna transferendi perniciosiſſimam futuram Chriſtianitatibus illis, decreuère publicis ſupplicationibus diuinam bonitatem interpellare, vt miſereri dignaretur fidelium ſuorum, qui tanquam oues gregis Chriſti à lupis illis, diaboli miniſtris, erant deuorandi. Primi igitur fuère noſtri Prædicatores, qui elata cruce cum Acolytis die 9. Maij in feſto Pentecoſtes ſolemnem proceſſionem per ciuitatem de Nangaſacco habuerunt cum populi multitudine, plangente ammiſſionem faciendam miniſtrorum Euangelij, ex quibus tamen

men multi latitantes remanſère ibidem. *Orſanellus*.

Igitur publicato edicto, Religioſi omnes, cum quibuſdam Clericis menſe Martio in vrbe Nangaſacenſe conuenère PP. Dominicani, Minores, Auguſtiniani, & Ieſuitæ Apoſtolici miniſtri Euangelij in vaſtiſſimo illo Imperio, & cum illis famoſus vir Capitaneus Don. Iuſtus Hiſpanus, vt cuncti ex Imperio Iaponico deportarentur, interdicto ſub capitali pœna regreſſu, prout factum eſt. *Orſanell.*

Ingraueſcente autem perſequutione contra conuerſos ad fidem in Iaponia, & Religioſos, tam noſtros, quàm alienos, Euangelij miniſtros, qui illos ad Catholicam fidem vocabant, multi ex eis varijs modis afflicti, nudi per ciuitatem, etiam mulieres ducebantur, poſtmodum hæ ad lupararia, & ligati deinde ad palos, tam maſculi, quàm fœminæ, à diabolica plebe, ſtercore, luto, aqua, ſaxis, alijſque ſpurcitijs vexabantur; quo facto mulieres, & puellæ multæ, ſe à Chriſto alienauère per eius ſanctæ fidei abnegationem, ne dehoneſtarentur tantis ludibrijs, hocque Martio menſe factum eſt. *Orſanell.*

Interim noſter P. Ioſeph de S. Hyacintho à P. Vicario noſtrorum miſſionariorum miſſus eſt ad Myacum, vt Chriſtianitatem illam ſuis ſacris eloquijs, atque Sacramentorum miniſterio conſolaretur; at quia in religioſo habitu difficilis nimis illi erat acceſſus, ſumpto hiſpanico ſæculari indumento ad illam perrexit, & vix verbis exprimi poteſt quantum fructum fecerit in itinere, aliquibus per ſacram confeſſionem à peccatis abſolutis, alijs per Sacramenti Euchariſtiæ miniſtrationem in ſpiritu recreatis, alijs in fide nutantibus conſtabilitijs, cœteriſque in Domino confortatis. *Orſanell.*

Non defuère eodem tempore, & anno in Italia, qui gentes ad Chriſtum, & Sanctam Matrem Eccleſiam trahere nitebantur. P. Camillus Baglianus Mediolanenſis, eruditione præclarus, & Catholicæ fidei propugnator indefeſſus, Taurinenſis Inquiſitor, omnem adhibebat operam, vt hæreticos apud Geneuam manentes ad Eccleſiæ gremium reuocaret; ea propter habebat ibi miniſtros ſuos in abſcondito, qui illum de cunctis, quæ ibidem fiebant ab hæreticis, admonèrent, libros contra catholicam religionem impreſſos ad ſe mitterent, & volentes redire ad Sanctam Matrem Eccleſiam, etiam pecunijs ſubleuabat; quare eo Inquiſitore multi Geneuenſes ad eius pedes prouoluti Caluini hæreſes abiurauère, indigentibus eleemoſynis ſuffultis copioſis; quibus pietatis operibus Pauli V. Pontificis Sanctiſs. gratiam promeruit, à quo etiam oblatas Infulas recuſauit; vt animas Chriſto lucri faceret. *Plodius*.

Deceſſit hoc anno apud inſulas Philippinas egregius vir Franciſcus Blancus indefeſſus fidei catholicæ ibidem propagator, qui, vt chriſtianam pietatem firmiùs in cordibus fidelium nouiter per ſacrum baptiſma ad chriſtianam veritatem accedentium radicaret, edidit librum Tagalico idiomate, de deuotione Sanctiſſimi Roſarij B. Virg. aliumque de Sanctis Eccleſiæ Sacramentis, qui vtilitatem maximam fidelibus illis attulerunt, & in dies afferunt. Migrauit ab hoc ſæculo maxima cum ſanctitatis opinione, à Chriſtianitate illa velut ſanctus honoratus. *Fernandez*.

Eodem anno glorioſiſſimus Rex Philippus III. Hiſpaniarum Monarcha, datis literis in Excuriali 24. Septemb. ſummopere Ordinem Predicatorum commẽdantibus, quem aſſerit inſtitutum in Eccleſia Sancta Dei pro defenſione fidei catholicę, augmento illius, atque hæreſum extirpatione, P. Mag. P. Thomam Cuellum ex qualificatore S. Officij in Regno Portugalliæ, fecit vnum ex Generalibus Inquiſito-

ſitoribus, ſeu miniſtrum Conſultorem in Generali S. Inquiſitionis tribunali eiuſdem Regni pro conſeruanda in eo illibata catholica fide, comprimendis Iudæis & malis chriſtianis coercendis. *Lopez p.5.*

Defuncto Yſtella ſacri Palatij Magiſtro Paulus Papa V. P. Mag. Hyacintum Petronium Romanum Sacri Palatij Magiſtrum aſſiuem ſuum nominauit, & in collegio Mineruæ Regentem ſtudiorum, qui octo annos Apoſtolicæ Sedi in demandato ſibi munere fideliter inſeruiuit, factus poſtmodum à Gregorio XV. Melphitenſis Paſtor, & ab Vrbano VIII. in Neapolitano Regno S. Congreg. S. Officij Miniſter. *Lucarinus.*

ANNO 1615. Celebratum eſt Generale Capitulum apud Bononiam, in quo circa nouam congregationem Gallicanam contra hæreticos fundatam anno 1509. hæc fuère decreta. *Approbamus, & confirmamus congregationem noſtram reformatam Occitanam S. D. N. Pauli Papæ V. auctoritate, ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Francorum Regis Henrici Quarti ab Illuſtriſs. D. Card. de Aracœli tunc noſtri Ord. Generali Magiſtro erectam, & in duobus immediatè ſuccedentibus Capitulis Generalibus Pariſienſi, & Romano confirmatam.* Fuère igitur huius congregationis Patres ſupra ſexaginta, prædicatores inſignes, ac feruidi, per Vrbes, & villas Regni incendentes, & prædicantes Euangelium Dei, fidem Chriſti, & ſymbolum Apoſtolicum, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientię verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, hæreticos oppugnantes; catholicos in veritate confirmantes, maximo cum hæreticorum damno, ac liuore. *Ex Act. Capit.*

Inſurrexère quoque ex prouincia Toloſana, Franciæ, atque Congregatione Gallicana alij noſtri Religioſi, zelo feruidi, qui gladio ſpiritus oris ſui in hæreticos inuecti, prædicantes vbique, hæreticos confundebant, hæreſim carpebant, debellabant, deſtruebant, eiuſque deliramenta detegebant, & reprobabant, atque è mortalium cordibus euellebant, Deo, à quo bona cuncta procedunt, cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Fernandez.*

Inuigilabat quoque ſuper gregem ſibi commiſſum (ne hæreticorum pice peſtifera coinquinaretur) egregius ille vir P. Petrus Girardellus Gallus Inquiſitor Toloſanus hæreticorum hoſtis acerrimus, eiſdemque infenſiſſimus, quorum plurimos varijs ſupplicijs affecit, & carceribus addixit: qui tandem ingraueſcente ætate à Magiſtro Ordinis Nicolao Rodulphio ſocius aſſumptus, in hoc noſtro conuentu Mineruæ diem clauſit extremum anno 1633. prout vidimus.

Apud Imperium Iaponicum inſudabant miniſtri Euangelij, tam ex Prædicatoribus, quàm ex alij, ſacris ordinibus ne ibidem verbum Dei plurimo cum ſanguine ſeminatum, euaneſceret; nam licet plures ex eiuſdem finibus eiecti, & nauigijs ſuperiori anno impoſiti, ad alia regna declinauerint; tamen apud Nangaſacum, & circumuicinas vrbes multi remanſerunt ex noſtris, deliteſcentes in chriſtianorum domibus, illo confortaturi ne à veritate Euangelica recederent propter gentilium perſequutiones, quibus multi ſæculares fuerunt martyrio coronati; & tandem poſt illos etiam Religioſi ipſi, vt dicetur. *Orfanel.*

P. Leonardus Polonus in ſacra Theologia Baccalaureus etiam ipſe multùm in reducendis Polonis Schiſmaticis, & hæreticis ad S. Matris Eccleſiæ vnionem inſudauit. Nam cum hæreticorum prædicantes, & alij eorumdem fautores ſacrorum Bibliorum codicem in multis vitiaſſent, ipſe eorundem fidam lectionem in Polonicum idioma vertit, vt ignaram plebem ab hęreticorum nequiſſima tranſ-

latione auerteret : *Bzouius cap.* 12.

Hoc anno vnus ex noſtris Prædicatoribus, cuius nomen eſt in libro vitæ, Apoſtolicis miſſionibus pro conuerſione Idololatrarum vſque in Regnum de Bungo primus omnium penetrans, ibi Chriſtianitatem inſtituit, populum in rebus fidei edocuit, atque Sacramento Sacræ Euchariſtiæ in eodem firmauit, & confortauit; at quia oportebat ipſum etiam alijs ciuitatibus euangelizare, ad illas properauit. Quare fideles illi omni euangelij miniſtro deſtituti, conqueſti fuerunt apud Prouincialem Philippinarum, illicò alios Religioſos delegantem, qui, magnos progreſſus fecerunt in fide; ita vt pro illa mori non trepidauerint. *Orſanel.*

In Hybernia P. Rolandus de Burgo ex comitibus Clanricardiæ virtutibus præclariſſimus, hæreticorumque hoſtis accerrimus, Prouincialis Hyberniæ, ſingulis Dominicis diebus, alijſque feſtiuitatibus, tam in hyeme, quàm in æſtate ſub ardore ſæuientis in catholicos perſequutionis, excurrebat ad multa milliaria per vicos, & Caſtella prædicans euangelium Ieſu Chriſti, conſolidaturus gentes in fide, recitatione Sanctiſs. Roſarij puplicè facta. Quare ab hæreticis ad mortem quæſitus non ſemel, diuina ope ſeruatus illæſus, hoc anno meritis onuſtus, euolauit in cœlum, à fidelibus tanquam ſanctus in vita, & morte inuocatus. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1656.

P. Franciſcus Magdalenus Capiferreus Romanus, in Collegio Græcorum Vrbis Rector, conſtitutus eſt Sacræ Congregationis Indicis Secretarius poſt Pallauicinum prædefunctum menſe Decembri ſuperioris anni. Fuit Franciſcus vir nobilis in Mineruæ ſtudio Baccalaureus, ſingularis obſeruantiæ, & abſtinentiæ, Prouincialis Romanus, quo in munere deceſſit apud Peruſium Auguſto menſe an. 1633. vt vidimus.

Hæc ſunt obſequia, quæ hoc ſæculo quarto continuata fœcunditate Dominicana Religio, feruida Charitate effulgens, Eccleſiæ Sanctæ Dei, ſedique Apoſtolicæ lætabunda dedit.

Benedictus Deus.

PARS

Digitized by Google

PARS V.

DE OBSEQVIIS PRAESTITIS Seculo V.

NON tepuit & hoc à fundatione Ordinis quinto ſeculo Prædicatorum feruor in Deum, & Charitas in proximum: licet enim obſequia ſuperiori ſeculo Catholicæ Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi ab ipſis præſtita fuerint, vt vidimus, eaque ſat cruenta, ærumnoſos labores, ſanguinis profuſionem, & neces vndique redolentia; in hoc tamen, non in Gallia, neque in Germania, alijſque Septentrionalibus regionibus ab hæreticis iam frænatis, & depreſſis effuſum ſanguinem eorundem in ſanctæ fidei dilatatione recenſebimus, ſed in Anglia, nouiſque adinuentis Indiarum Orientalium, & Occidentalium Regnis, in quibus pro ſtabilienda Ieſu Chriſti fide,atque annunciando Euangelio illum copiosè effudère, labentem vitam contemnentes, æternam conſequuti; de quibus ſuo loco & tempore tractabimus.

Cum Inſulę Philippinæ ob ſitum ac viciniratem opportuniſſimæ viderentur ad frequentandas inde Apoſtolicas Miſſiones in Iaponiam & vaſtiſſimas Chinarum regiones, primitus quidem illic introducta fuit noſtrorum Fratrum Congregatio, & hæc ſub eo titulo ibidem perſtitit, vſque ad annum 1592.quo demum in Prouinciam erecta fuit, hoc ſolo fine, vt auc-

ta his incrementis plures deinceps operarios quotannis emittere poſſet ad propinqua Iaponum & Chinarum Imperia. Sic teſtantur Acta ſubſecuti anno 1596. Capituli generalis Valentini, Denunciatione vltima, his verbis: *Denunciamus, quòd anno 1592. ſub titulo Beatiſsimæ Virginis de Roſario in Prouinciam erecta fuit Congregatio noſtrorum Fratrum, qui in Inſulis Philippinis pro Infidelium conuerſione &c.*

ANNO 1616. Paulo V. Pontifice Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam fœliciter gubernante: necnon, & P. Seraphino Sicco Prædicatorum Ordinem optimè regente, glorioſus Chriſti athleta P. Alphonſus Nauarrete Vicarius Patrum noſtrorum euangelizantium apud Iaponem Ieſu Chriſti Euangelium, cum audiſſet Chriſtianitatem in ciuitate de Omura ob fideles multos per martyrium Deo conſecratos langueſcere; & vigente in Chriſtianos perſequutione, multos à fide defeciſſe, Spiritu Sancto cor eius inflammante, decreuit ad eam ciuitatem ſub ſæculari habitu properare, vt fides ibidem ſubſiſteret, & fidelium corda per Sacramentorum ſumptionem conſtabilirentur in amore feruido erga Ieſum Chriſtum. Re igitur cum alijs noſtris Patribus communicata, eis præfecto Vicario P. Franciſco Morales, cum P. Hernando Auguſtiniano Omuram perrexit, vbi & fideles illos in Domino confortauit, & Sacramentorum adminiſtratione in fide corroborauit. *Orfanel.*

In Iaponum Imperio Prædicatores pro dilatatione Euangelij Ieſu Chriſti ſtrenuè deſudabant, in hæreticos viriliter decertabant Inquiſitores in Italia, ne ſuis peſſimis dogmatibus puritatem Catholicæ fidei violarent, ſeuerè in eos animaduertentes.

Mittitur à Pontifice Max. Paulo V. in Perſidem P. Matthæus Eraſmus Armeniæ Archiep. cum P. Auguſtino Pacenſe, & P. Paulo Maria Citadino ex noſtris, necnon & P. Benigno de S. Michele Romano cum quibuſdam alijs Fratribus Carmelitis diſcalceatis, & Auguſtinianis, vbi non tantùm plurimos ſchiſmaticorum, & hæreticorum, Giulſanorum, Chaldæorum, Arabum, Neſtorianorum, Georgianorum, & aliorum, verùm etiam Melchiſedech Armenorum Patriarcham ſchiſmaticum ad puriſſimę veritatis agnitionem perduxerunt. Quin & ipſum quoque Perſarum Regem, qui catholicis Sacerdotibus, ex Europæis Regnis venientibus facultatem prædicandi, Miſſamque publicè, & priuatim celebrandi permiſerat, ad legationem honorificam Paulo Pontifici Max. induxerunt. *Bzouius in Annal. Eccleſiaſt. ad ann. 1471. ſub numer. 25.*

Vt in nouella Prouincia Philippinarum commodiùs erudirentur noſtri Fratres ad Apoſtolicas Miſſiones, tam ibi quàm foris in Iaponia & China obeundas, eidem Prouinciæ anno 1615. in generali Capitulo Bononienſi prouiſum fuit de Gymnaſio, ſeu Studio generali Manilæ conſtituendo, iniunctumque Prouinciali, vt illi Vniuerſitati optimos S. Theologiæ Lectores præficiat, & Scholaſtica exercitia ſolicitè aſſiduèque promoueat, ne vnquam illic perenne Seminarium idoneorum pugilum Fidei orthodoxæ deficiat. Errores Marci Antonij de Dominis, iubente Pontifice Max. Paulo V. impugnauit doctiſſimè, & proſtrauit P. Nicolaus Couſſeteau Regum Galliæ Eccleſiaſtes inſignis, *Bzou. in Annal. ad an. 1479. num. 13.*

P. Dominicus Marquete ad occidentales Indos Apoſt. miſſionarius, apud Regnum de Tucaman inuicta animi conſtantia Gentilibus Euangelium Chriſti annunciabat, fructu non modico in eccleſiaſtica horrea illato hoc anno, cum altarium

Digitized by Google

tarium erectione, eccleſiarumque pro fidelium nouiter baptizatorum ſpirituali cõſolatione, & gaudio conſtructione. *Ex relat. ad Sac. Cong. & Mag. Ord. miſſis.*

Non impari zelo, ſalutiſque animarum deſiderio Euangelij ſemen ſeminabant apud orientales Indos alij Prædicatores, & inter eos Apoſtolicus vir mirabilis P. Ludouicus de Andrada ſuperioribus annis non ſemel repetitus, cum P. Ioanne de Annuntiata, qui apud Larantucam Regni Metropolim in Inſula de Ende (cuius incolæ, neque Deum, neque Solem, neque Idola venerantur, neque ſuperſtitioſè alicui aderent,) gladio oris ſui eorum corda vulnerantes; imo, & Regem ipſum allicientes (huius beneuolentia captata) publicè prædicantes, copioſam populi illius multitudinem, diuina eluceſcente gratia, ſacro lauacro vitæ æternæ regenerauère, duaſque eccleſias inibi conſtruxère, Crucis vexillum erexère, atque domus pro Religioſorum inhabitatione, illos in ritibus, atque Domini lege informantium, & confirmantium, conſtabiliuère. *Ex relat. datis ad S. Cong. & Mag. Ordin.*

ANNO 1617. Cum meſſis quidem multa eſſet, operarij verò pauci in ciuitate Omura, P. Alphonſus Nauarrete ex Valliſoletano conuentu Prouinciæ Hiſpaniæ Vicarius noſtrorum Patrum apud Iaponum Imperium Euangelium prædicantium, vocauit aliquos, vt ex Nangaſaqua Vrbe, vbi in ſæcularium ædibus deliteſcebant, ad ſe venirent, & Chriſtianitatem illam Sacramentorum adminiſtratione recrearent; quòd illi ſtatim præſtitère. Notum autem factum eſt id Imperatori, qui mandauit illicò Religioſos cunctos incarcerari, atque mortis pœna puniri. His P. Alphonſo nunciatis, dimiſſis Religioſis in alias partes, & Regna; vt ibi nouas Chriſtianitates fundarent, & fundatas conſolidarent in verbo veritatis, & Chriſti fide; ipſe & P. Hernandez Auguſtinianus ad aliam ciuitatem declinantes, & propriæ profeſſionis religioſum habitum ſumentes, (nam in ſæculari hiſpano habitu, ne cognoſcerentur à Gentilibus, incedebant) expectabant intrepidè milites miſſos, vt caperentur; ne viderentur fugere mortem, quam alijs ſubeundam prædicabant, pro Chriſto: dum igitur illic Sacramenta miniſtrarent depræhenſi, atque in Inſulas de Tacaxima perducti, (quæ dicuntur Inſulæ Spinarum:) ibidem ambo decollati ſunt die octaua ſolemnitatis Corporis Chriſti, quæ in diem primam Iunij incidit, proiectis in mare ſacris corporibus, ne illa venerarentur Chriſtiani. Nunciato igitur alijs Religioſis eorum fœlici conſummato agone pro Chriſto, laudauerunt Dominum quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius; & feruentiori ſpiritu conuerſioni Gentium addicti, expectabant & ipſi miſericordiam Dei per martyrij palmam, qua tandem fuère digni effecti, vt dicetur. *Orſanell.*

Cum ex morte prædictorum glorioſorum ſeruorum Dei contriſtati nimis fuiſſent fideles Omuræ, qui in magna copia erant, pertimuerunt noſtri, ne ibi fides ob exortas perſequutiones diſſiparetur: itaque P. Franciſcus Morales ab eiſdem Vicarius nouiter electus, miſit illuc P. Thomam de Zumarraga, & P. Ioannem de Rueda, vt chriſtianitatem illam in fide ſolidarent, Sacramentorum, adminiſtratione, atque ſacra prædicatione adiutos à P. Apollinare Minorita, qui omnes die, ac nocte Sacramenta fidelibus illis miniſtrare nõ deſtitère per quadraginta quinque dies, quibus tranſactis, in vincula coniectus eſt P. Apollinaris Minorita die 7. Iulij, & poſt quindecim dies P. Thomas de Zumaraga noſter, cum quibuſdam alijs ſæcularibus, P. Ioanne tunc abſente, quos omnes in domum cuiuſdam diuitis

depo-

depoſitauerunt loco carceris; at cum eſſet & ipſe Catholicus, introduxit ad illos Sacerdotem ex Prædicatoribus in vicina domo latitantem, qui cunctos vinctos per ſacramentalem confeſſionem abſoluit, ſacra Euchariſtia in fide confortauit, & data eiſdem benedictione abijt. Sequenti verò nocte omnes nauigio impoſiti, atque in vicinam Inſulam de Tacabuco perducti, ne à Chriſtianis viderentur, ibidem truncato capite, per ſanguinis effuſionem in cœlum conſcendère die Sabbati, in vigilia feſtiuitatis ſanctiſſimi Roſarij B. Virginis. *Orſanell.*

Die 1. Octob. eiuſdem anni, cum Gaſpar Ticoirus, & Andræas Yoxida Iaponenſes confratres ſanctiſſimi Roſarij, diſcipuli, & filij Venerabilis Serui Dei Alphonſi Nauarreti, ab eo ad catholicam fidem conuerſi, miniſtros euangelicos in ſuis domibus hoſpitio reciperent, atque conuerſos ad fidem ab eodem Nauarreta, in doctrina Chriſtiana inſtruerent, apud Nangaſaccum capite truncati, glorioſum pro Chriſto ſubière agonem. *Ex proceſſu beatificat. eorund.*

P. Thomas de Zumaraca, de Spiritu Sancto dictus, Salmantini conuentus alũnus, zelo propagandi catholicam fidem in Iaponiam perrexit, vbi cum multos infideles ſacro lauacro regeneraſſet, Iulio menſe à barbaris captus, & in vincula coniectus eſt; & licet in ijs variè afflictus; Apoſtolicum tamen miniſterium adimplens, ibidem confeſſiones fidelium audiebat, baptizabat, & Catholicos in aſſumpta fide conſolidabat. Tandem poſt longum carcerem lento igne, viuus conſumptus eſt, vt dicetur infra. *Lopez p. 5.*

ANNO 1618. Perſeuerabant noſtri Prædicatores apud magnum Iaponum Imperiũ in prædicatione Euangelij, amiſſis licet per ſanguinis effuſionẽ ſocijs de quo monitum priùs P. Prouincialem Sanctiſſimi Roſarij Philippinarum, rogauerunt vt & alios operarios mitteret adiutores meſſis illius copioſæ, ſperantes & ipſi, qui erant reſidui, per Dei miſericordiam in breui martyrij palmam ſe conſequuturos. *Orſanel.*

Interea P. Io: de Rueda apud ciuitatem de Ianagra, Euangelium Ieſu Chriſti Chriſtianitati illi annunciabat, eorum confeſſiones audiebat, Sacram Euchariſtiam miniſtrabat, atque vt in aſſumpto propoſito moriendi pro confeſſione Ieſu Chriſti permanerent, hortabatur. Erat ibi Paulus Tarobioye, à noſtris Dominicanis ad fidem attractus, ac propterea noſtro Ordini addictiſſimus, qui cum aduentum P. Ioannis audiſſet, ad eum acceſſit, atque feruentibus exhortationibus, vt in ſuſcepta catholica religione perſeueraret, etiam cum amiſſione bonorum temporalium, quibus affluebat, edoctus, poſt generalem peccatorum confeſſionem, & aſſumptam ſacroſanctam Euchariſtiam, petitamque veniam ab alijs Chriſtianis, & acceptam benedictionem à P. Ioanne, intrepidus Roſario collo appenſo ad Tonum, ſeu Viceregem acceſſit, & fidem catholicam profeſſus, die 13. Aprilis, quæ fuit feria ſexta in Paraſceue, capite truncato, glorioſo agone palmam promeruit. *Orſanell.*

Creſcente perſequutione in Chriſtianos, & miniſtros Euangelij, latitabant ipſi, donec alij adiutores aduenirent, ne Chriſtianitates illæ Euãgelij operarijs deſtitutæ, ad idololatriæ vomitum redirent. Cum verò quidam nobilis Io: Matazayemon hoſpitio recepiſſet aliquos ex noſtris apud Buien. fidem catholicam diſſeminantes, quam etiam ipſe Io: cum filio ſuo Thoma amplexatus fuerat, re ad Tonum delata, Ioannem cum filio, & duabus mulieribus iugulari voluit, quo pacto cœleſtis palmam triumphi conſequuti sũt lætantes. *Orſanell.*

Eodem anno Auguſto menſe, ex Manila

nila ad Iaponum in adiutorium eorum miniſtrorum Euangelij, qui remanſerant tres Religioſi Minores, duo Auguſtiniani, & quatuor Dominicani à Superioribus ſuis miſſi, P. Angelus Ferrer ex noſtris, vt apud Iapones maneret; alij autem tres, quorum caput erat P. Io: de S.Dominico, vt in Regnum de Corai penetrantes, fundarent ibi Chriſtianitatem, & Eccleſias, reducentes infideles per ſacrum baptiſma ad ouile Domini: at cum ex nauigatione fuiſſent reiecti, in Imperio Iaponico permansère, ſuum Apoſtolicum miniſterium ibidem exequentes. *Orſanel.*

Dum apud Iaponicum Imperium opera ſalutis operebantur hoc anno Prædicatores, vt Gentiles ad Chiſti fidem per ſacram prædicationem, & ſanguinis effuſionem attraherent, apud Regnum Galliæ P. Nicolaus Coeſetau Henrici IV. & Ludouici XIII. Regum Eccleſiaſtes, ſeu concionator, calamo, ſudoribus, & atramento Caluiniſtas, alioſque hæreticos ad fidem catholicam adducere conabatur: nam præter opera recenſita ſub an. 1614. euulgauit quoque contra eoſdem hæreticos librum de Gratia, & peccato, atque Prædeſtinatione, & alterum prænotatum *Hercules Chriſtianus* Duci Humenæ dicatum, in quo agit de virtute, quam habere debet vir eatholicus contra vitia, atque hæreticos, hæreſumque nouitates. *Plod.*

In Inſulis Philippinis nouus Apoſtolicus Euangelij miniſter hoc anno miſſus à Priore Prouinciali illius Prouinciæ P. Io: de Sancto Dominico ſupra relatus, cũ Gentium conuerſioni indefeſſo labore totus eſſet addictus, & in Chriſtianorum confeſſionibus audiendis, atque ſacra Euchariſtia miniſtranda noctes conſumeret inſomnes, accuſatus apud illarum Prouinciarum Proregem, in vincula coniectus eſt apud Omuram in fine huius anni. *Orſanel.*

Eodem anno P. Petrus Pichius de Trebio in Vmbria, apud Romanam curiam à Clemente VIII. vltimis ſui pontificatus diebus Prædicator ad hebræorum in Vrbe conuerſionem inſtitutus, in lucem edidit librum prænotatum: *Trattato della Paſſione, e morte del Meſſia contro gl'hebrei*, in quo oſtendit per Scripturas ſacras, iam conſummatum eſſe tempus aduentus Meſſiæ. Fuit Petrus vir doctiſſimus, in lingua Hæbraica, atque Arabica verſatiſſimus, qui de mandato Pauli V. cum quodam Epiſcopo in Oriente, ſacrorum Bibliorum volumen in Arabicam linguam conuertit, pluries ea de re ſupplicantibus apud Apoſt. Sedem Patriarchis, & Epiſcopis orientalibus ſchiſmaticis. Inceptum eſt opus, traductis aliquibus libris, qui in ædibus de Propaganda Fide exiſtebant; at Pichius cum ex nimio labore, & annorum pondere infirmatus fuiſſet, Trebium ſuam patriam ad immutandum aerem petijt, ibique morbo ingraueſcente expirauit, poſtquam per viginti annos, & vltra in prædicatione coram hebræis habita, multos eorundem ad fidem attraxiſſet, vt vidimus.

Eodem an. exarſit Rebellio validiſſima in Regno Bohemicæ à Principibus proteſtantibus hæreticis, & Luthæranis contra regnantẽ Imperatorem Ferdinandum II. prætextu conſeruationis ſuæ Religionis; & à perduellibus capti Imperatoris miniſtri apud Pragam, per feneſtras arcis, (altas 40. cubitis) præcipites dati ſunt, Deo mirabiliter eos à morte, & damno quocunque præſeruante, vt pote catholicos optimos, cauſam veræ fidei defenſantes: hæc maximè operante Comite Turriano, qui Pragenſes ciues, directoribus Regni mox inſtitutis, iuramento ſibi obſtrinxit, Patres Societatis Regno eiecit, vicinas prouincias Morauiæ Sileſiæ, & Luſatiæ ad eandem defectionem ſollicitauit. Perſequutiones multas

& ma-

& malas paſſi ſunt tunc temporis noſtri Patres cum bonorum direptione ab hæreticis facta; cumq; de hoc conquereretur coram principalioribus exercitus Ducibus P. Antoninus Tortellius Aretinus Prouincialis Bohemiæ ex Romana Prouincia, mandauerunt illi Regni Directores, vt ipſis Sacramentum, ſeu iuramentum fidelitatis præſtaret cum quibuſdam clauſulis auctoritati Summi Pontificis contradicentibus, quibus ille viriliter detrectauit, etiam cum vitæ diſcrimine, aſſerens ſe catholicum, & Religioſum eſſe, Apoſtolicæ Sedis, Summique Pontificis, deuotum veneratorem. Dimiſſus ergo eſt, alio tempore de poteſtate Pontificis diſputaturus. *Ex Relat. P. Mag. Lauri poſt P. Tortellium in eadem Prou. Boemiæ Prouincialis, adhuc ſuperſtitis in Conuentu Tiburtino.*

Anno eodem à P. Mag. Iacobo Cotta de Conuentu Mineruæ prima vice *Nouena* celebrata eſt, ab ipſo primò inuenta, in qua per nouem ante Natiuitats Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolemnitatem continuatos dies, expectatio partus B. Virginis, quotidianis ſermonibus, ſacris ad pietatem exhortationibus, atque Roſarijs celebratur: quòd pium exercitium cum animarum fructu, vſque in hodiernum diem magno populi concurſu proſequitur Dominicana familia; imò & amplexati ſunt poſtea plures diuerſorum Ordinum Religioſi, & in toto penè Orbe Chriſtiano inualuit; prout audiuimus à Patribus noſtris antiquioribus conuentus Mineruæ, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.

P. Hieronymus Zambecarius nobilis Bononienſis, Regij Lepidi in Lombardia Inquiſitor, cum in ſuo munere exequendo, nec etiam nobilibus parceret, atque hac de re ab amicis monitus, conſtāti pectore in aſſumpto zelo permanère vellent, multas perſequutio nes, & damna ſuſtinuit. Tandem, cum ad Corrigium ſuæ ditionis locum pro iniuncti muneris exequtione acceſſiſſet, proceſſu terminato, Regium repetens, in via ab impijs ſicarijs agreſſus, fuſtigatus, atque grauiter in capite ad mortem percurſus, effuſo copioſo ſanguine infracti animi ſui conſtantiam propalauit. Scelere Paulo Pontifici, necnon Sacræ Congregationi S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis nunciato: tanti facinoris cognitio cauſæ demandata eſt à Pontifice Max. & Cardinalibus P. Inquiſitori Mediolanen. ipſo Hieronymo ab Vrbano VIII. poſtmodum Alliſano Epiſcopo creato. *Ex Regeſt. Inquiſit. Regien.*

ANNO 1619. Creuère perſequutiones Iaponenſi in Imperio contra Religioſos, miniſtros Euangelicos, & Chriſtianos, ibidem catholicam fidem amplexantes; nam cum P. Alphonſus de Menna Ord. noſtri apud Nangaſacum, in domo cuiuſdam Chriſtiani latitans, ab illius ſeruo, tanquam altero Iuda, fuiſſet proditus, die Iouis 14. Martij captus, in vincula, & carceres coniectus eſt, & cum eo quidam eius familiaris, qui ſequenti die tormentis afflictus, dixit, duos alios Patres Prędicatores apud Nangaſacum eſſe; & vnum quidem in domo Andrææ Tocuan commorari, P. Franciſcum Morales nuncupatum, Vicarium Prouincialem miſſionariorum, & principaliorem Euangelij miniſtrum, quem inuenientes, in eundem carcerem cum P. Alphonſo de Menna detrusère, vbi P. Franciſcus conſolatoriam epiſtolam ſcripſit Hiſpanis in Nangaſaco exiſtentibus, datam die 8. Maij huius anni. *Orſanel. & ex proceſſu fabricato pro eorum beatificatione.*

Interea cum hæc ibidem agerentur, apud Omuram in carceribus detentus P. Io: de S. Dominico, & peſſimè tractatus, dum audiendis confeſſionibus illorum Chri-

Chriſtianorum eſſet totus, intentus, laboribus, vigilijs, ac fœtore carceris maceratus, glorioſus Chriſti confeſſor effectus, ad Chriſtum perrexit 19. Martij huius anni. *Orſanel. & ex eodem proceſſu.*

Proceſsère vlteriùs Gentiles illi in perſequutione fidelium, & comprehenderunt Paulum apud Nangaſacum, Dominicanis miſſionarijs inſeruientem, qui P. Alphonſum Nauarrete comitatus ad martyrium fuerat, ex Omura exeuntem, cuius officium, (à Patribus noſtris illi impoſitum) erat cathechizare Gentiles ad fidem catholicam venientes, libroſque ſanctos baptizatis legere: necnon, & illos in deuotione ſanctiſſimi Roſarij erudire; propter quæ captus, in vincula coniectus eſt apud Nangaſacum; at quia ibidem prædicabat, & baptizabat venientes ad Chriſti ouile, ex Nangaſaco, ad Omurenſes carceres cũ traſtulere. *Orſanel. & ex proceſſu.*

Miſſi ſunt à Prouinciali Philippinarum in Regnum de Bungo, vltra relatos ſupra an. 1615. alij Sacerdotes pro Chriſtianitate illa conſeruanda in catholica fide, vbi cum à Tono, hoc eſt ſupremo Gubernatore, Ciuitas fuiſſet imbuta, quibuſdam ſuperſtitioſis ritibus, puritati catholicæ veritatis aduerſantibus, illam ab eiſdem expugnare, atque in catholicæ fidei ſacris dogmatibus conſtabiliuère, innumeris idololatris ad Chriſti venerationem per ſacrum baptiſma adductis. *Orſanel & ex proceſſu eodem.*

Nunciata P. Prouinciali Philippinarum captiuitate ſuorum Religioſorum Franciſci Morales, & Alphonſi de Menna, atque P. Ioannis de Sancto Dominico pretioſa in conſpectu Domini morte, P. Didacum Colliadum in eorum, qui remanſerant, adiutorium ad Iaponem miſit, virum verè Apoſtolicum quem an. 1632. ad Magiſtrum Ordinis Nicolaum Rodulphium accedentem, & ad ſacram Congregationem de Propaganda fide ſub Vrbano VIII. in Vrbe vidimus; hic negotio dilatandæ fidei apud Iapones aſſumpto, & ibidem damnatus ad mortem per publica edicta paſſim conſpicuis locis appenſa, eadem pluries legit, diuina ope ſeruatus illæſus, vt nobis non ſemel retulit ipſe, & tandem in Iaponiam reuerſus, glorioſus Chriſti Athleta occubuit, vt audiuimus *Orſanel. & ex proceſſu eodem.*

Inſudabat quoque hilari animo in Gentilium conuerſione P. Thomas Maior, dictus de Spiritu Sancto, Hiſpanus de Setabitano conuentu, qui zelo propagationis veræ fidei in Inſulas Luzonas, & Iaponenſes penetrauit, vbi cœleſtis doctrinæ remotiſſimis illarum gentium populis lumen inuehendo, multos idololatras Chriſto filios dedit, & Synarum idiomate fidei ſymbolum euulgauit. *Fernandez.*

In Iaponia lento igne viui conſũpti ſunt apud Nangaſacum 18. Nouemb. huius anni, coram adſtante copioſã vtriuſque ſexus, & legis, ſcilicet Chriſtianæ, & Iaponicæ multitudine, quatuor Confratres Sanctiſs. Roſarij, à noſtris miſſionarijs inſtructi, & inſtituti ad catechiſmum eorum, qui conuertebantur, & ad ſubueniendum in neceſſitatibus, tam ijs, quàm Religioſis euangelizantibus, ac prouidendum de hoſpitio, & neceſſaria refectione. Iſti autem glorioſi Athletæ fuere, Andræas Tocuam, Io. Xoum, Coſmas Taquea, & Dominicus George; qui cœleſtes manſiones penetrarunt. *Ex proceſſu beatificat. eorum.*

P. Sebaſtianus Pons, & ipſe Hiſpanus, ſed in S. Maximini conuentu S. Theologiæ Lector eruditus, ſcripſit libros duos aduersùs hæreſes Hugonottorum, & Caluiniſtarum. *Fernandez.*

Eodem anno, & menſe, die tamen 27. alij vndecim Confratres Sanctiſſimi Roſarij, ſua munia, ad quæ fuerant à Miſſionarijs noſtris Patribus electi, nempe cathechizandi baptizandos, hoſpitioque

recipiendi Euangelij miniſtros,adimplentes, capti, & in arctum carcerem coniecti, ibique variè afflicti; tandem truncato capite, glorioſi Chriſti athletæ effecti, palmam conſequuntur: Nomina autem eorum ſunt Bartholomæus Xiqui, Antonius Quimara; Io. Ioanega, Alexius Nacamora, Leo Naxauiſco; Michael Taxita; Matthias Carazza; Romanus Minota; Matthias Natanu; Io. Mathyama; D. Thomas Cotenda, omnes Iaponenſes. *Ex proceſſu beatificatione eorundem*.

Vocatus eſt noſter Prouincialis Bohemiæ P. Antoninus Tortellius, (de quo anno præcedenti, (à directoribus Regni Bohemiæ in Vrbe Pragenſi, coram nobili Procerum, & ciuium corona, diſputaturus de auctoritate Papæ cum quodam Prædicante primario ex Lutheranis: & orationibus communibus Fratrum, & Sororum noſtrarum munitus, ad locum certaminis accedens, audiuit Prædicantem ſuperbum magna cum iactantia tria argumenta proponentem; cumque ille, & adſtantes Fratres ad Deum, & B. Virginem ex corde orationes repeterent pro ſuſcepta cauſa catholicæ fidei, reſpondit ad obiecta tanta cum doctrinæ profunditate, & modeſtia, vt confuſus aduerſarius obmuruerit, & infra tres dies animam in infernum euomuerit, laudantibus fidelibus Dominum, qui non deſerit ſperantes in ſe. *Ex eiſdem relat. P. Mag. Lauri qui ſup. anteced. anno*.

Illuſtrabat ordinem, & Eccleſiam ſuis virtutibus, & præfecturis P. Ludouicus Aliaga, Philippo III. Hiſpaniæ Regi à ſacris confeſſionibus, & Generalis Hiſpaniarum Inquiſitor, qui & Archimandrita magni monaſterij S. Saluatoris de Meſſana creatus eſt hoc anno à Paulo Pontifice. *Pyrrhus Sicil. Sac.*

Cum Marcus Antonius per Dominis Spalaten. Archiep. in Anglia reliquias catholicæ fidei, quæ ibidem latitabant perdere niteretur; res ad Pontificem Maximum Paulum delata, mandauit ille D. à Balneo in Germania Inferiori apud Bruxellam Apoſtolico Nuntio (qui poſtea ab Vrbano VIII. ſacram purpuram promeruit), vt cordarum virum, doctumque in Angliam mitteret, qui Marcum Antonium de retractandis ijs, quæ à Catholica Eccleſia aliena docuerat, admoneret, Romamque ad implorandam ab Apoſtolica Sede veniam induceret. Pijs Pontificis Maximi votis ſatiſfacturus Nuntius, P. Magiſtrum Iacobum Regulum Ceſenaten. Dominicanum Teologum ſuum, virum doctiſſimum; & ad id muneris inter cæteros aptiorem iudicatum in Angliam miſit, qui Marcum Antonium conueniens validiſſimis rationibus, ad petendos Apoſtolicos pedes induxit, ac ſociauit. In Vrbem venit Archiepiſcop. & ad Pauli Pontificis pedes prouolutus, cauſam ſuam coram Congregatione S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis dixit. At cum tentata fuga, in Angliam, quò ab hæreticis reuocabatur, reuerti cogitaret, in Arcem S. Angeli detruſus, ibidem impœnitens, deceſſit de quo infra ad annum 1624. P. Regulus verò ab infulis alienus Prior conuentus S. Sabinæ in Vrbe, annuente Pontifice effectus eſt, qui à Cardinali de Harrach Archiepiſc. Pragen. in ſuum Theologum poſtmodum adiectus, cum pluribus annis Cardinali inſeruiſſet, tandem ſub Vrbano VIII. in Italiam reuerſus annorum pondere grauatus obijt, in cuius locum ſucceſſit Theologus P. Mag. Dominicus Laurus ex conuentu noſtro Tiburtino, qui ſupradicta, adhuc modò ſuperſtes in eodem conuentu, cuncta enarrauit nobis.

Suborris reuolutionibus in Peruano Regno contra Philippum II. ſeu potiùs contra malos illius miniſtros, & in Re-

gia Au-

gia Aula nunciatis, cogitauit Rex de mittendis illuc viris præſtantiſſimis in regimine, armis, & doctrinis, qui populos illos ad regiam obedientiam reuocare poſſent. Inter viros religioſos, & doctos illuc miſſos Euangelij, ac verbi Dei miniſtros, vnus fuit Pater Benedictus de Sarandiglia è Conuentu Placentino Hiſpaniæ, cuius virtutum fama in Hiſpania nota erat; hic cum aliquibus ſuis ſocijs conſcenſo nauigio in ætate quadraginta quinque annorum, cum ad Peruanum Regnum perueniſſet, ſua prædicatione, conſilio, atque monitione multùm vtiliter perfecit pro Regni quiete. A Superioribus noſtris in Cicamam miſſus, ibidem verbum Dei euangelizaturus, & chriſtianitatem, & conuentum Ordin. & Eccleſiam conſtruxit, opera P. Petri Aparitij noſtri adiutus. Erat Benedictus in ſua prædicatione velut alter Elias, zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, & conuerſione idololatrarum illorum, ex quibus multitudinem copioſam ad Chriſtum per ſacrum lauacrum attraxit; in confeſſionibus audiendis aſſiduus, circuibat per ciuitates, & caſtella euangelizans, & pœnitentium confeſſiones infatigabili ſtudio audiens: donec tandem laboribus fractus, vltimum ſibi imminere iam iam diem cognouit. Cum autem die quadam inconſolabiliter lugèret coram Religioſis noſtris, interrogatus de planctu, reſpondit. Videbitis Fratres ciuitatem regiam de Truxillo ædificijs, diuitijs, ac populo potentem, deſolatam, itaut non relinquatur lapis ſuper lapidem propter tirannidem Commendatorum, qui conculcata omni iuſtitia, aurum ex pauperum viſceribus, ſiti maxima extorquent, quod & euenit die 14. huius anni, tota ciuitate corruente ex multiplicatis terræmotibus, & oppreſſa innumerabili populi multitudine. *Marcheſius tom. 2.*

ANNO 1620. Cum Patres noſtri Apoſtolici Miſſionarij apud Iaponiam eſſent numero pauci, ſcripſerunt P. Prouinciali Philippinarum, vt alios operarios eligeret ad continendos populos illos in aſſumpta fide Catholica, nouoſque ad illam inducendos. Quare tunc P. Aloyſium Flores, virum doctiſſimum, & ſalutis animarum cupidum ad eos miſit, ſcribens, ſe & quatuor alios habere paratos in prędicationem Euangelij, quos opportuno tempore mitteret; nam tunc nauta, dumtaxat vnicum P. Aloyſium cum P. Petro de Tuniga ex Religioſis deferre voluit in Iaponiam ob timorē emanatorum edictorum contra naucleros, nauiumque gubernatores, deferentes Religioſos, & alios miniſtros Euangelij in Iaponicum Imperium. Dum igitur conſcenſa naui prædicti duo pugiles Chriſti in Iaponiam properarent, in Hollandos mercatores inciderunt, qui eoſdem Religioſos cognitos, in vincula, innumeris moleſtijs vexatos, & afflictos, detruſère, quos Catholici mercatores, neque etiam auro redimere potuerunt. Ita P. Orfanel noſter teſtatur in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica Chriſtianitatis Iaponenſis, qui & ipſe glorioſus athleta ibidem effectus ſanguine triumphauit. *Orfanel.*

In tot, ac tantis anguſtijs conſtituti noſtri Patres Miſſionarij, Deum die, noctęque interpellabant, ieiunijs, vigilijs & orationibus, lacrymiſque aſſiduis inſtantes, vt ſibi patrocinari dignaretur contra tantas infidelium perſequutiones nouo populo Dei illatas: & ecce menſe Iulio apparuit eis Breue Apoſtolicum ex Vrbe delatum, quo Paulus V. ſuper eos miſericordia motus, paternis viſceribus condolebat ipſorum miſerijs, atque eos conſolabatur adhortans, vt in aſſumpto Apoſtolico miniſterio viriliter decertarent, promulgando impauidè Euangelium Ieſu Chriſti, qui æterna præmia illis præ-

parauerat in cœlis; dans eis Apoſtolicam benedictionem; & multas indulgentias concedens ijs, qui ipſos, & alios Chriſtianos in carceribus detentos, viſitarent, eleemoſynis ſubleuarent, atque factis, & verbis præſtò eiſdem eſſent. Factum eſt ergo gaudium magnum inter illos laudantes Dominum, qui non deſeruit ſperantes in ſe: & feruentiorem ſpiritum induti, contemnebant temporalem mortem, vt gentilibus illis fierent in ſalutem. *Orſanel.*

Menſe Auguſto die 16. eiuſdem anni apud Ciuitatem de Concora in Imperio Iaponico, in Prouincia Bigon, dum aliqui confratres Sanctiſſimi Roſarij in adiutorium miniſtrorum Euangelij Ord. noſtri aſſumpti, vt baptizandos ad Chriſti fidem à P. Alphonſo Nauarrete conuerſos erudirent in ſacra doctrina Chriſtiana, alijſque fidelibus indigentibus pietatis opera exhiberent, ſua munia fideliter compleuerunt, ſed capti, atque in vincula coniecti, & ludibrijs affecti, tandem crucifixi ſunt, capite in terram verſo. *Tanquam qui à terra in cœlum iter facerent*, (vt inquit S. Ioan. Chryſoſtomus ſerm. de Beato Petro Apoſtolo.) Hi verò fuerunt, Simon Quiota, & Magdalena eius vxor, Thomas Gongora, & Maria eius vxor, cum Iacobo filio, omnes Iapones. *Ex Proceſſu beatificat. eorundem.*

P. Gaſpar de Spiritu Sancto vltimis huius anni menſibus Apoſtolicus miſſionarius in Inſulam de Enda, populum illum ad Catholicam fidem ſuis ignitis eloquijs, atque inculpatæ vitæ exemplo attracturus, mittitur, cui dati fuère coadiutores duo alij ſequenti anno recenſendi; vt ex relationibus Mag. Ordin. directis habemus.

ANNO 1621. De Barbarorum tyrannide duo glorioſi pugiles Chriſti ſanguine laureati triumphauère PP. Simon Matris Dei de Cochim, & Ioannes Baptiſta Delafortezza de Malaca. Qui in illius exordio, 20. Ianuarij ſeipſos in odorem ſuauitatis Martyrum Regi Chriſto ſacrificauère. Nam cum à P. Ioanne de Annunciatione miſſionum præfecto, ſuperiori anno in P. Gaſparis de Spiritu Sancto adiutorium apud Inſulam de Enda promulgatione Euangelij labore indefeſſo laborantis directi fuiſſent, conſcenſa naui, ventorum vi Malauam, Maurorum impium municipium delati, & Prædicatorum Ordinis Religioſi agniti, à barbaris illis capti, atque multipliciter afflicti, tandem clauis in eorum capita infixis, poſt truncata brachia, atque crura, extracto corde, atque cum caprearum iecore aſſato, & manducato, fœlicem ſui ſacri miniſterij concluſère curſum. At quod mirabilius videtur, poſt non multos ab effuſione ſanguinis dies, adſtante in communi Ciuitatis Malaqueiæ foro populi multitudine copioſa, adſtitère illico tres præfati Religioſi impiorum manibus perempti, PP. Auguſtinus de Magdalena, de quo anno 1618. Io: Bapt. de Malaga, atque Simon de Matre Dei, proprio Ordinis habitu induti, facieque lumine corruſcante; ad quos viſendos cateruatim Mauri illi ruentes, quos paulò ante manibus proprijs trucidauerant, integros, ac viuos contuebantur, nemine ex ipſis illos interrogare præſumente: & poſt aliquantum temporis ab illorum oculis receſsère. *Ex eiſdem Relat. ad Mag. Ord.*

Vt parem conſequerentur de Catholicæ fidei perfidis hoſtibus cruento in agone palmam, Pater Dominicus Caſtellet, & Pater Petrus Vaſquez ſocius in Iaponicum Imperium de Superiorum voluntate penetrarunt hoc anno, in quod cum ſimulato mercatorum habitu penetraſſent, æternitatis merces ore facundo populis illis, à veritatis via in Idolorum

cultu

cultu aberrantibus, abſque auro, & argento, & abſque vlla commutatione diſpenſarent pretio breui tempore per ſanguinis effuſionem à Petro ſocio prius conſequuto; à Dominico verò poſt multos labores, & ærumnas, poſt plures, & plures datos cœlo ex barbaris illis, poſtque illatam in Eccleſiæ horrea copioſam meſſem, vt dicetur infra. *Ex relat. ſuprad.*

Apud Iaponiam cum Dominicus Matzuuo hoſpitio recepiſſet duos Religioſos Franciſcanos, Euangelij miniſtros, re ad tyrannum delata in carcerem coniectus cum ſe Chriſtianum eſſe fateretur, damnatus fuit ad mortem, viuus comburendus; cumque vxor eius, & filij ad carcerem properaſſent deprecaturi, vt eiurata catholica fide, in priſtinam libertatem ſeſe aſſereret, hoc Frater Ioſeph de S. Hyacintho Dominicanus reſciens, ſtatim ad carcerem cucurrit, & Dominicum amplexatus, per ſacramentalem confeſſionem è peccatis omnibus abſoluit, alioſque ad mortem cum ipſo damnatos, vſque ad locum patibuli adoſciauit, & in fide confirmatos, tranſmiſit ad gloriam die 14. Februarij huius anni, in ſæculari habitu incedens. Ita P. Orſanel noſter, qui ſuam protraxit hiſtoriam Eccleſiaſticam Chriſtianitatis Iaponen. vſq; ad hunc annum, quo & ipſe propter catholicam fidem carceribus addictus eſt, ſucceſſitque illi P. Didacus Gugliadus Vicarius Prouincialis inter ipſos Euangelij miniſtros, qui eandem proſecutus eſt, vſque ad integrum annum 1622.

Mortuo ſuperiori anno maximo cum Catholicæ fidei damno P. Matthæo Eraſmo Archiepiſcop. Naxiuanen. Armeno, de quo ſupra ad anno. 1616. P. Paulus Maria Cittadinus aliquando in Perſide Apoſtolicus cum præfato Archiepiſc. miſſionarius, qui Armenam linguam optimè callebat, delectus eſt Armeniæ Archiepiſcopus bonis operibus, ac meritis animam ſuam ditaturus. Hic completa Apoſtolica miſſione in Perſide, Vrbem, repetens, exoſculatis Pontificijs pedibus, atque à Paulo benigniſſimè receptus, cum ageretur de mittendo illo Epiſcopo in loca à Turcis occupata, ex Vrbe diſcedens, inconſultis Superioribus Neapolim. ſe recepit, & apud Patres Carthuſianos aliquamdium permanens, eorundem habitum induit. Id cum innotuiſſet Magiſtro Ordinis Patre Seraphino Sicco, conqueſtus eſt apud Pontificem de Carthuſianis, quòd ſe inſcio, Paulum Mariam ſuo habitu induiſſent, vnde mandauit illicò Paulus ipſum Ordini reſtituendum; qui in Vrbem reuerſus, cœnobio Sancti Sixti per aliquot menſes permanſit; & nondum tranſacto anno ab eodem Pontifice Maximo Myren. Archiepiſcopus Suffraganeuſque Naxiouanen. Armenæ Eccleſiæ cum futura ſucceſſione hoc anno creatus eſt. Properauit ipſe ad ſuam Myren. Eccleſiam, vbi cum reſidèret, & Chriſtianis illis ſibi creditis multa pietatis opera exhibèret, audito Matthæi Eraſmi Archiepiſcopus obitu, in Armeniam ad ſibi creditas oues, verbo, & exemplo paſcendas, properauit; vbi Apoſtolicam vitam degens, chriſtianos illos, tanquam filios vnicè dilexit, & per ſalutis ſemitam direxit, vſque ad annum 1627. quo laborum ſuorum præmium percepturus, perrexit ad Chriſtum, communibus filiorum lachrymis parentatus. *Plodius, & Galanus.*

Euehitur ad purpuram hoc anno P. Deſiderius Scalia Generalis Commiſſarius S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis à Paulo V. Pontifice die 11. Ianuarij: nominatus ab eodem Pont. Max. Melphien. Epiſcopus, quam Eccleſiam conſequutus eſt à Gregorio XV. ſucceſſore, ipſo Paulo poſt paucos dies è mortalium oculis ſublato. *Ciacconus.*

Patres

Patres Io. Baptiſta de Malaca, & Simon de Matre Dei cum anno 1620. in Inſulam de Enda Euangelium Ieſu Christi barbaris illis annunciaturi nauigaſſent, ventorum vi in Lamalaram eiecti fuère, vbi à chriſtianis aliquibus ibidem exiſtentibus charitatiuè recepti, tanquam Angeli de cœlo miſſi, eiſdem vſi ſunt in rebus ad animarum ſalutem ſpectantibus. At cum hoc iniquè ferrent Mauri de Lamachira inimici chriſtiani nominis, & Religioſorum noſtrorum maximè, eos perſequentes ad mortem, coacti ſunt aufugere, & apud quandam mulierem chriſtianam deliteſcere, vt poſſent alijs prodeſſe. *Marcheſius in Diario*.

ANNO 1622. Cum aliqui catholici eſſent cum Patribus noſtris, aliorumque Ordinum miſſionarijs carceribus addicti cauſa catholicæ fidei apud Vomuram, & vellent mori ſub religioſo habitu; menſe Februario, & Martio huius anni P. Hyeinthus Orſanel Vicarius Prouincialis inter illos, habitu Ordini tres ibidem induit ſæculares Iaponenſes, Mancium, quem P. Mancium nominauit, & in carceribus latinam linguam edocuit, alterum, P. Thomam de Roſario dictum, qui & ipſe ibidem didicit latinam linguam, tertium habitu conuerſorum donauit, Dominicum nuncupatum, de quibus an. 1626. Patres Sancti Franciſci duos ſuo habitu induerunt P. Paulum de S. Clara, & P. Franciſcum de S. Bonauentura. Patres verò Societatis quatuor ſuo habitu veſtiuère, nempe Antonium, Petrum, Gonzalem, & Michaelem, aliumque famulum P. Caroli Spinolæ & alerum P. Sebaſtiani Quimaræ, *P. Didacus Gugliadus in continuatione Eccleſiaſtica hiſtoriæ Chriſtianitatis in Iapone, Et ex Actis Capit. Toloſ. 1628.*

Eodem anno ſæuiente magis in Chriſtianos perſequutione, captus eſt Bartholomæus Catholicus de Mandato Regio; vt Vomuram ad carcerem, cum alijs igne cremandus, duceretur; qui petijt à militibus, vt ſinerent ſe priùs peccata ſua confiteri, cumque licentiam obtinuiſſet, adfuit illicò noſter P. Didacus Gugliadus ſæculari ſub habitu, qui eiuſdem confeſſionem ſuſcepit, & benedictione munitum dimiſit abſque eo quòd milites eidem, vel minimam moleſtiam intulerint: quo facto, cum ad alias ciuitates eſſet Didacus declinaturus, aſtitit coram eo quidam catholicus diues, qui per ſcripturam ſe obligauit alere in ſua domo vſq; ad mortem ipſum cum omnibus ſuis ſocijs Dominicanis; ea tamen lege; vt ſibi, familiæque ſuæ ſaltem ſemel in anno Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ miniſtrarent; tanta erat Chriſtianitatis illius pietas, tantus propriæ ſalutis ardor, tantus mortalis vitæ contemptus, & tantum Sacramentorum deſiderium; manſit autem Gugliadus ibidem per aliquot dies eum conſolaturus, & diſceſſit, dicens; nam & alij ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò miſſus ſum. *Idem Gugliadus vbi ſup.*

Duo alij operarij ad excolendam Chriſtianitatem Iaponicam à Prouinciali Philippinarum miſſi ſunt, P. Petrus Vaſquez & P. Dominicus Caſtelletus, qui die 22. Iulij hoc anno ad Nangaſacum peruenère, quod cum innotuiſſet P. Ioſeph de S. Hyacintho, qui in Prouincia de Vomura laborabat in miniſterio Euangelij, ad illos acceſſit, ſciſcitaturus de diſpoſitione facta à P. Prouinciali apud Manilam ſuper nouos Euangelij miniſtros in Iaponiam mittendos; cumque in oſculo pacis nouos Euangelij præcones excepiſſet, legit P. Prouincialis litteras ſibi directas, quibus promitebat ſe quamprimùm alios operarios directurum, exhortans illum, & ſocios, vt in aſſumpto optimo negotio dilata-

latationis fidei non tepeſcerent, dicente Domino, quòd nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. *Gugliadus vbi ſup.*

Miſſis igitur nouis duobus miniſtris Euangelij in diuerſas Prouincias; vt operarentur, & cuſtodirent illud, remanſit P. Ioſeph de S. Hyacintho apud Nangaſacum, vt quendam nobilem infirmum viſitaret, & per Sacramenta Eccleſiæ diſponeret ad vitam æternam: at cum morbus inualeſceret, compulſus eſt in domo eius occultè permanère, donec meliùs ſe haberet, ibi famulo domus proditore, qui ſe Chriſtianum ſimulabat, ab irruentibus in eam militibus captus eſt; & cum petijſſet ab eis vt ſinerent ſe religioſis veſtibus indui, atque coronam in capite aptari, voti compos effectus, vinctus Vomuram ductus eſt, & cum alijs carceri addictus, vt ſimul cum reliquis lento igne cõſumeretur. At illi etiam in vinculis deſiderio ſalutis animarum feruidi, exinde deſtinabant conſolatorias epiſtolas ad diuerſas Chriſtianitates, vt conſtantes eſſent in fide, quæ ſperandarum eſt ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. *Gugliadus vbi ſup.*

Tandem ex Imperatoris Iaponici decreto 57. Chriſtiani (& inter eos aliarum Religionum profeſſores multi) partim igne, partim framea conſumpti ſunt hoc anno die 10. Auguſti. Enumerantur ex noſtris Prædicatoribus atletæ Dei inclyti P. Franciſcus de Morales, P. Ioſeph de S. Hiacyntho, P. Hiacynthus Orſanel, P. Angelus Orſuccius dictus Ferrer Lucenſis, P. Alphonſus de Mana, P. Thomas de Roſario, & F. Dominicus conuerſus; alijque ſæculares multi, cum mulieribus, ſcapulari noſtro indutis, capite truncati ſunt, inter quos recenſetur Gaſpar Cotenda Tertij Ordinis noſtri profeſſus, qui eum perſeueraret in catechizando Gentiles ad fidem conuerſos, die 11. Septemb. huius anni decollatus fuit. *Gugliadus vbi ſupra, qui hoc modo terminauit continuationem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Chriſtianitatis in Iaponia.*

Paulus Mangaxus Iaponius Religioſorum Dominicanorum miniſter in catechiſmo Infidelium, ſacro baptiſmate regenerandorum, captus ab impijs Iaponibus, atque in carcerem coniectus, damnatus eſt, ad ignem, lenta morte conſumendus apud Nangaſachum: qui dum aſſeretur, inuicta animi conſtantia conſolabatur Teclam vxorem ſuam, (quæ coram eo capite plexa eſt), vt in fidei confeſſione moreretur; idemque præſtitit in decollatione proprij filij Petri coram ſe die X. Septemb. hoc anno facta. *Ex proceſſu Beatificationis eorund.*

Die verò 10. Auguſti eiuſdem anni tredecim confratres Sanctiſs. Roſarij, fidi P. Ludouici Flores diſcipuli, quique eidem in miniſterio Euangelij, & in catechizandis baptizandis inſeruiebant, ac hoſpitio ipſum receperant, neceſſaria ad corporalis vitæ ſuſtentationem miniſtrantes agonis palmam ſuſcèpere glorioſam; inter quos fuit Ioachinus Dias, aliàs Tirayama, Nauigijs, quò in Iaponiam prædicaturus Euangelium, vectus fuerat idem P. Ludouicus Flores, præfectus, lento igne cum ipſo conſumptus. Alij verò fuère Leo Suqueiamon, Io: Soyamon, Michael Dias, Marcus Xineimon, Thomas Coianangui, Antonius Fiamada, Iacobus Denij, Laurentius Roguegiamon, Paulus Sanquiqui, Io: Iangus, Bartholomæus Moſiorus, Io: Mataxiquis omnes natione Iapones, qui truncato capite, glorioſi Chriſti atletæ per effuſionem ſanguinis & ſpiritus effecti ſunt. *Ex proceſſu beatificat. eorum.*

Neque effuſo tanto chriſtiano ſanguine ſatiatus crudelis Iaponum Imperator, ad aliorum decollationem proceſſit die 10. Septembris eiuſdem anni, viginti no-

uem

uem ex Confratribus, & Sororibus ſanctiſſimi Roſarij decollatis; & viris quidem, quia in miniſterio catechizandi, baptizandos, & in hoſpitio præbendo euangelicis prædicatoribus, occupati fuerant contra Imperialia edicta; mulieribus verò, quia eorumdem mariti, ſorores, vel neptes erant, & Chriſti euangelium eiurare renuebant. Eorum verò nomina ſunt Antonius Sanga, Paulus Tanaca, Antonius Corai, qui tres viui lento igne conſumpti ſunt. Mulieres verò gladio ſubiectæ, ſcilicet Maria vxor antedicti Corai cum duobus filijs Ioanne annorum 12. & Petro annorum 3. quos ſequuti ſunt Dominicus Naianus, Bartholomæus Xionbiamon, Dominicus Aimada cum Clara eius coniuge, Damianus Sadi cum Michaele filio annorum quinque, Thomas Xichirus, & Reifus Isomota, Clemens Vonus cum Antonio filio annorum 2. Maria Muraxama vxor Andræç Tocuami iam gladio conſumpti die 18. Nouemb. an. 1619. Dominicus Ogota, cum Agnete vxore Coſmi Taqueæ, Catharina vidua, Tecla vxor occiſis Pauli Nangax cum filio ſuo Petro annorum 7. Maria Tanoiera vidua, Iſabella Fernandez vxor decollati Dominici George cum filio eius Ignatio annorum 4. Apollonia vidua, Maria vxor perempti Ioannis Xoron, Magdalena vxor iugulati Antonij Sangæ, & Maria vxor interfecti Pauli Sanachæ contemnentes iuſſa Principis effuſione ſanguinis æternam vitam promeruère. *Ex proceſſu beatificat. eorund.*

P. Thomas de Zumaraga, de Spiritu Sancto dictus, poſt longum quinque annorum carcerem, poſt tribulationes innumeras, ibidem pro Chriſti amore toleratas, lento igne conſumptus, Chriſti atleta glorioſus efficitur die 12. Septemb. de quo ſupra ad annum 1617. *Ex proceſſu ſuprad.*

Archiepiſc. Auenionen. P. Stephanus Dulcius de quo ſup. an. 1609. & 1610. Ludouicum XIII. Galliæ Regem ſolemni recipit hoſpitio apud Auenionem die 17. Maij in Occitaniam contra rebellantes ſuos ſubditos properantem, maximo cum Apoſtolicæ Sedis honore, atque Gregorij XV. Pontificis complacentia. *Gallia Chriſtiana.*

Magiſter Sacri Palatij Petronius à Gregorio XV. Pontifice promouetur ad Eccleſiam Melphiten. in Apulia, vt oues illius verbi Dei pabulo enutritas in æternæ ſalutis paſqua dirigat, dato illi ſucceſſore in Magiſterio Sacri Palatij P. Mag. Nicolao Rodulphio Florentino de conuentu tamen Mineruæ, Leonis XI. Pronepote: viro eximio, & ad grandia nato, qui tandem ad ſupremum Ordinis regimen euectus fuit. Vt vidimus.

ANNO 1623. Fœlici nauigio P. Didacus Aduarte nobili corona triginta Prædicatorum aſſociatus de Superiorum licentia animas cœlo, oueſque nouas Eccleſiæ lucraturus ad prouinciam Sanctiſs. Roſarij Philippinarum properauit, vt Dominicano ſanguine plantatam inibi vineam Domini irrigarent cuncti, confouèrent, conſtabilirent, pro vt aſflante Deo præſtirère fœlicirer, cóſtructis ſucceſſu temporis Eccleſijs, erectis Deo altiſſimo ſacris Aris, ædificatiſque pro fideliū pio ſolatio Eccleſijs ac Patrū noſtrorum inhabitatione conuentibus pluribus, copioſaque infidelium multitudine ad catholicam fidem ſpiritu oris ſui attracta, vt dicetur. *Ex Relat. ad S. Cong. & Mag. Ord. dat.*

P. Nicolaus Coufeteau Chriſtianiſſimorum Regum Galliæ Eccleſiaſtès doctiſſimus, atque hæreticorum indefeſſus malleus, de quo ſupra ad annum 1614. maxima cum hæreticorum exultatione moritur, qui præter ſcripta euulgata contra hæreticos ſupra recenſita, tanta auctoritate valuit apud Regem Henricum IV. & Ludo-

& Ludouicum XIII. atque Clerum ipſum Galliæ, imò & Pontificem Maximum Paulum V. (tanti viri doctrinam admirantes) vt ab ipſis demandata fuerit illi cura refellendi, & impugnandi libros cunctos ab hæreticis euulgatos, & euulgandos; quòd egregiè præſtitit, magna cum ſui; & Ordinis laude, ſcriptis eius doctiſſimis, nedum ſapientiam, verùm & chriſtianam pietatem redolentibus maximâ. Aſtitit quoque coram Regibus prædictis murus, & antemurale contra illos, ne priuilegia, quæ prætendebant, in grauamen catholicæ fidei conſequerentur. Scripſit prætereà contra Marcum Antonium de Dominis Archiep. Spalaten. in Dalmatia hæreſiarcham recidiuum, deſertorem Eccleſiæ librum prænotatum *De Republica Eccleſiaſtica* iuſſu Summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. Scripſit prętereà contra impium librum Philippi Mornæi, *Myſterium iniquitatis* prænotatum, delectus ad hoc à Clero Pariſien. & Gallicano quem retudit, & falſitatis apertæ conuicit. Ad plures Eccleſias, ſcilicet Dardanien. Meten. atq; Maſſilien. euectus, quibus ſibi commiſſis ſe virtutum, ac bonorum omnium viuidum exemplar demonſtrauit. *Gallia Chriſt. & Lefeburè*.

Roſarium B. Virginis hoc anno per P. Timothæum de Riccis Florentinum, alterum B. Alanum noſtrorum temporum cœpit in Eccleſijs alta voce recitari à fidelibus; cum illud hactenus in oratorijs tantùm Confratrum Sodalitaris, & in priuatis locis diceretur; taleque fuit initium. Prædicabat apud Senas in Eccleſia S. P. Dominici de Campo Regio P. Timothæus poſt veſperas, ſacram Scripturam enodando, magno cum populi concurſu, ſuadebatq; Auditoribus ſanctiſſimi Roſarij deuotionem in ſingulis concionibus anno 1623. cumque populum illum ad pietatem pronum agnoſceret, de recitando in publica Eccleſia alternis choris Roſario cogitauit. Quare voto ſuo cum dicti conuentus P. Priore communicato, approbauit ille propoſitum, quod vt faciliùs ad optatum perduceretur finem, Patres conuentus cum nouitijs, ita in Eccleſia diſpoſuit, vt alternantibus choris, elata voce, Beatiſſ. Virginis Roſarium recitarent, cui ſtatim viri adhæsère, mulieribus ſilentibus, quæ nunquam adduci potuerunt, vt vocem in laudem Dei, & Genitricis glorioſæ eiuſdem extollerent. Re ad Reuerendiſſ. P. Magiſtrum Generalem Seraphinum Siccum delata, euocauit in Vrbem ſequenti anno P. Timothæum, vt enodando in Mineruæ Eccleſia ſacram Scripturam, eundem ritum recitandi Roſarium per alternos choros, ibidem conſtabiliret; quod & fœliciter præſtitit, cantantibus alta voce mulieribus, & viris Roſarium, atque Sacratiſſimam Dei Genitricem laudantibus; quod cum innotuiſſet Pontifici Max. Paulo V. viro pijſſimo, & erga Genitricem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumma deuotione affecto, accerſitum P. Timothæum, laudauit de aſſumpto opere, iniunxitque Magiſtro Generali, vt eum per Italiam totam, ad tam ſanctum opus perficiendum, in principalioribus ciuitatibus dimitteret; idque factum eſt incredibili cum populorum exultatione, atque animarum fructu; & ex Italia in Europam, & Americam, nouumque Orbem tam pius ritus Roſarium recitandi, maxima dæmonum confuſione, & Catholicæ Eccleſiæ exultatione penetrauit. Idque ex proprio eiuſdem P. Mag. Timothæi ore ſuſcepimus. Fuit quoque Author Roſarij perpetui B. Virg. vt dicetur 1638. *Ex Actis etiam Capit. Gen. Rom.* 1650.

Non ceſſat in Chriſtianos, ac Religioſos Iaponici Imperatoris ſæua crudelitas; imò magis recrudeſcit in nouos Euangelij filios, & miniſtros, quorum copioſus ſanguis hortantibus noſtris Prædicatoribus

in lætitia, & exultatione ab eiſdem effunditur; inter quos (mirabile dictu) puer annum nonum nondum egreſſus cum caput præſcindi alijs ad mortem adiudicatis videret, & ipſe filius vnicus matris ſuæ, quæ vidua erat, ante eam genuflexus lictorem expectaret, de repente ſurgens, & manibus proprijs ſibi capillos deuinciens, laneo thorace ſe, ne carnificis ictum retardaret expoliauit, atque iterum ante genitricem genuflexus truncato capite euolauit in cœlum, cunctis adſtantibus, obſtupeſcentibus, catholiciſque præ gaudio vbertim flentibus, ac Deum laudantibus, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. *Ex relat. P. Colliadi ad Mag. Ord.*

ANNO 1624. Non modicas patiebantur Patres noſtri apud Indos perſequtiones, afflictiones, ærumnas à Gentilibus, eorumque impijs Sacerdotibus, eo quod ex gentium conuerſione catholica fides dilatabatur, & augebatur in dies magis, ac magis, idolorum cultu in proprium damnum ob ſacrificiorum deficientiam corruente. Quare ſub religionis, ac pietatis velamine tyrannos ad effundendum ſiti inextinquibili nouorum Chriſtianorum ſanguinem hortabantur, impellebant, compellebantque, non ſexui, neque ætati parcentes; quos tamen in fide ſtabiles, atque in opere efficaces, ſuis exhortationibus, monitionibus, Roſarijs, orationibus, virtutumque propriarum exemplo, imo, & propria ſanguinis effuſione, cum vitæ temporalis iactura, æternam conſequturi, confortabant, confouebant, atque conſtabiliebant illi propriæ profeſſioni ſatisfacturi. Facta eſt igitur hoc anno, & ſequentibus perſequtio magna in regionibus illis contra Religioſos noſtros euangelij miniſtros, necnon, & illos, qui ab Idololatria conuertebantur ad Chriſtum, quos varijs ſupplicijs in Gntilium documentum perimebant. Cum autem puellæ quædam nobilis, ætate iam nubilis, pulcra facie, corpore decora, ſed ſpiritu venuſta magis, in occulis Domini prætioſa, ſuſcepto ſacro baptiſmate, ac ſcapulari Ord. interiùs veſtita, pietatis operibus, cœlum lucrifactura, ſe totam dediſſet, palamque catholicam fidem inconcuſſa profiteretur, vt cum alijs mori pro Chriſto promereretur, Tyrannus eius conſtantiam labefacturus, nouo martyrio adinuento ad mortem vſque, abſque eo quod moreretur, afflixit Virginem. Mandauit ille Sathanæ miniſtris, vt omnibus, etiam interioribus, indumentis in ampliori ciuitatis foro denudata, ad palum manibus poſt terga reuinctis alligaretur, vt omnium conſpexui eius pudicitia obiecta, conctorum occulis in illam conuerſis, tanquam iaculis accutiſſimis innocentis virginis cor trāsfigeretur, corpuſque virginale violaretur. Per diē integram tanta cum ignominia vexatam Virginem, cœleſti tamen lumine ita obumbratam, vt barbarorum nullus illam violare; quin imo, neque ad eam accedere, aut in aliquo moleſtare auderet, Virginum Sponſus protexit, quæ momentis ſingulis ſuam Domino pudicitiam commendans, *Ieſus Maria* dulcia nomina repetebat inconcuſſa corde, ac occulis in cœlum ſemper eleuatis. Fremebundus propterea Tyrannus ſe, à mulicrcula irriſum, ac deluſum conſiderans, ſathanæ miniſtris iniunxit, vt puellam per triginta circumuicina caſtra per dies triginta denudatam circumducerent, omnium oculis, ac libidini obijciendam, vt corporis integritate violata, fierent diuturniores cordis afflictiones. Quibus peractis cum illæſa à Deo ſeruata ad Tyrannum reuerſa fuiſſet, laudans Dominum quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, illam ante ſuum conſpectum minutatim trucidatam voluit clamantem: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, atque proprio in ſanguine volutatam cum duplicata virginitatis,

tatis, ac martyrij aureola in cœlum direxit. Ita permittente Deo, qui infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat. *Ex relat. P. Colliadi ad Mag. Ord.*

Moritur in Arce S. Angeli Vrbis Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, Hæreſiarcha relapſus, nouorum dogmatum contra puritatem Catholicæ fidei inuentor, cuius corpus ex decreto S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis brachio ſæculari extraditum, atque in acie Campi Floræ, vnà cum eius ſtatua, luculento igne conſumptum die 21. Decemb. eiuſdem anni vidimus. Hic (vt diximus ſup. anno 1616.) natali relicto ſolo, atq; catholica fide, flagitium quod diù animo conceperat, opere complens, in Angliam nauigarat, vbi appetens vocari ab omnibus *Rabbi*, priuatis colloquijs, publicisq; concionibus multa dixit, & ſcripſit contra S. Romanam Eccleſiam, quam & libris euulgatis temerè laceſſiuit, atque impiè blaſphemauit; vnde ipſius libris tanquam hæreticis meritò proſcriptis, ipſe author citatus fuit ad comparendum infra ſex menſes in Vrbe, & venire recuſans, atq; ſuppreſſo nomine nouos libellos contra Summi Pontificis auctoritatem, præcipuaque catholicæ fidei dogmata mordaciſſimè in dies edens, tandem de igne ad ignē tranſijt æternum. *Bzou. in Annal. Eccl. ad annum* 1479. *num.* 13.

Toto quidem Pontificatus Pauli V. reſiduo tempore dictus Archiapoſtata in hoc peſſimo ſtatu perſeuerauit, electoq; Gregorio XV. (quem mitem, atque ad pietatem procliuem audierat) reſipiſcere ſe velle ſimulans, id eidem Pontifici Maximo notum eſſe voluit. Quare optimus Pontifex, cui nil iucundiùs erat, quàm, vt recederet impius ab impietate ſua, benigniſſimè illum excepit, ac liberaliſſimè tractauit. Igitur cum verè pœnitens, & conuerſus à via ſua peſſima crederetur, ſperareturque redux Archiepiſcopus, abiuratis priuatim hæreſibus, cunctiſque erroribus, quos fuerat ſequtus, ac quæ verbo, & ſcripto docuerat, ſeſe correcturus, domo, commeatu, pecunia, alijſque ipſi, ac familiæ ſuæ neceſſarijs pro honeſtiſſimo Archiepiſcopi ſtatu in ſingulos annos, atque inſuper opulenta penſione donatus eſt; his corporis commodis ad dignitates, atque honores pleniſſima redintegratione accedente; itaut in cultu, ac dignitatis inſignibus, in ſeſſionibus, atque in cæteris omnibus, perinde ac ſi gradu nunquam excidiſſet, tractatus deinceps fuerit. Abiurationem igitur, & retractationem propriorum errorum ſua manu ſcriptam, his verbis terminauit. *Et veritates atteſtandi catholicas, quas vbi atramentum me deficeret, ſanguine ipſo, in laudem, & honorem Dei, S. Catholicæ Eccleſiæ exaltationem, & Sedis Apoſtolicæ decus, & ornamentum, obſignare, Deo opitulante ſum paratiſſimus. Adſit Deus. Romæ die* 24. *Nouemb.* 1622. quam retractationem in communem Eccleſiæ vtilitatem de conſenſu Summi Pontificis, ac Sacræ Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Magiſter Sacri Palatij P. Nicolaus Rodulphius typis R. Cameræ Apoſtolicæ imprimi fecit. *Bzou. vbi ſupra num.* 33.

At non diù in fide perſtitit, ſi aliquando ſtetit Marcus Antonius: nam maxima cum audientium offenſione eò amentiæ deuenit, vt contra Conciliorum, præcipuè Tridentini, auctoritatem, illiuſque circa fidem diffinitiones impia verba euomeret, quæ, aut nouæ defectionis, aut nunquam depoſitæ pertinaciæ manifeſtiſſima præbuerunt argumenta. Quibus Sacro Inquiſitionis Tribunali nunciatis, à P. Hippolyto Maria Lancio de Aquanigrâ Generali Commiſſario captus, in Arce S. Angeli carcerem ſubijt, & perquiſitione per eundē Commiſſarium facta de eius ſcripturis, vna ex ijs reperta eſt de Matrimonij Sacramento, in qua complures

hæreticæ propoſitiones continebantur. *Bzou. ibid. num.* 15.

Ipſo igitur in cuſtodia detento, Gregorius Pont. cauſam commiſit Inquiſitionis in eum proſequendæ P. Deſiderio Scaliæ noſtro Cardinali, vni ex Generalibus Inquiſitoribus eiuſdem Sacræ Congregationis, qui ſæpiùs ipſum conſtitutum, reum inuenit in hæreticis ſententijs, quas priùs expreſsè abiurauerat. Cæterùm ſub proſequutione proceſſus infirmatus, ipſo Cardinale Scalia adhortante, atque ſingularem humanitatem, & charitatem eidem exibente, nec deficientibus interea Pontificijs ſubſidijs neceſſarijs, monitus eſt ad eas, quas confeſſus fuerat hæreſes deteſtandas, prout fecit ſolemniter coram eodem Card. & abſolutus à cenſuris, editiſque (vt videbatur) pœnitentiæ ſignis, perceptis Eccleſiæ Sacramentis deceſſit. Proſequta de mortui cauſa, cum inuentũ fuiſſet Marcum Antonium fuiſſe hæreticum relapſum, diſcuſſa cauſa in Sacra Congregatione, decretum eſt iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones, procedendum fore contra eum mortuum, tanquam viuum. Quare in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam congregato S. Inquiſitionis Senatu, adſtante innumera populi multitudine, delatum eſt cadauer in capſa lignea pice delibuta cum eius imagine, & lecto alta voce proceſſu, relaxatum eſt brachio ſæculari, quod per ciuitatem cum imagine delatum, in Acie Campi Floræ flammis traditum eſt, prout vidimus die, & anno ſupradictis.

Decertabant viriliter contra Idolorum miniſtros apud Indos, tam Orientales quam Occidentales noſtri Prædicatores S. Crucis glorioſum vexillum in regionibus illis inter barbaras nationes à fide alienas plantaturi; quod tandem Deo dante poſt labores aſſiduos, poſt affiictiones multas, poſt effuſum copioſum ſanguinem præſtitère in Iaponenſe Imperium, inſulaſque de Solor, aliaſq; adiacentes penetrantes, Idolorum Aras euertentes, Idolatraſque in catholicæ fidei ſymbolo erudientes, oueſque nouas chriſtiano gregi ſociantes: qui tandem laborum ſuorum condignum æternitatis cœleſte præmium conſequuti ſunt, ab impijs vario mortis genere perempti, vt dicetur an. ſequen. *Ex Relat. ſuprad.*

Groeningæ in Friſia pro catholicæ fidei dilatatione ærumnoſos perferebat labores P. Arnaldus Steuer Anturpienſis, inter hæreticos illos Caluiniſtas peſſimos Summi Pont. auctoritatem, Romanæque Sedis venerationem facundo ore annuncians; Sacramentorum miniſterio fideles corroborans, atque priuatis diſputationibus hæreticorum miniſtros Prædicantes confudens; vnde aliquos ad veritatis agnitionem per propriorum errorum deteſtationem adduxit. Quod indignè ferentes illi, apud Magiſtratum accuſatum Arnaldum, poſt diros carceres, afflictiones, inedias aſſiduas, exilio mulctatum voluère. Abijt moerens Apoſtolicus miſſionarius, dolens quòd fideles illi ſine euangelico miniſtro inter tot lupos à fide auerſos relinqueret, & cunctos animarum ſuarum fidi cuſtodis iacturam deflentes, promiſſione noui miniſtri euangelici conſolatus eſt. Hagam inde petijt, vbi in nobiliſſimæ matronæ, Potter dictæ, domo receptus ſedulus in confeſſionibus audiendis, ſacramentiſque miniſtrandis diu perſeuerauit, in aſſiſtentia catholicorum aſſiduus. *Ex Relat. in Archiu.*

ANNO 1625. Celebratum eſt Iubilæum in Vrbe innumerabili populi cunctarum nationum concurſu, Vrbano VIII. P. M. portam Sanctam Vaticanam aperiente, atque in fine eiuſdem anni claudente, vt vidimus.

Eodem tempore quidam ex noſtris inuicti Chriſti Athletæ, contemnentes vitam temporalem, in obſequim euangelij

Ieſu

Ieſu Saluatoris noſtri occupatam in Iapone, glorioſo conſummato agone, effuſione ſanguinis chriſtianam diſciplinam ſanxère, ſcilicet P. Alphonſus Garſia, Honufrius Palau, Thomas à Roſario, Dominicus Iaponius, atque Alexius Zumbaro Laicus profeſſus, gladio & lanceis ibidem tranſfixi. *Ex literis circularibus datis Ordini à Mag. Gen. Nicolao Rodulphio impreſſis Romæ an: 1641. & Marcheſio in S. Diario.*

In Inſula quoque de Solor, cum venerabiles Patres Euangelij Apoſtolici miniſtri P. Io: Baptiſta de ciuitate Malacenſi, & P. Simon de Matre Dei de Cochim in conuertendis Mauris multùm inſudaſſent, atque aliqui ex eis in dies ſacro baptiſmali lauacro abluerentur; id indignè ferentes Idolorum Sacerdotes, miniſtri diaboli, concitauerunt turbam tumultuantem in illos; ita vt ab aliquibus, qui à fide ſuſcepta defecerant, in ciuitate Lamaqueyra trucidati ſint, aſſati & manducati, gloriam conſequti æternam. *Ex Actis Capit Gen. Toloſæ 1628.*

Mirabile in Vrbe accidit perenni memoria dignum. Conciones habebat quadrageſimales in Minerua hoc anno P. Mag. Franciſcus Maria Campana, in Europa Prædicator famoſus, cui ſimilem non vidimus, confluentibus innumeris vtriuſq; ſexus, ita vt templum tam grande, & permagnificum, vix accedentem populum reciperet. Aderant ex curioſitate Hebræi multi, qui eum libenter audiebant, tanquam alterum Gentium Doctorem verba ignita proferentem, & cum eiſdem iuuenis facie, & aſpectu decorus; ſed non conuertebantur. Factus igitur hic Campanæ familiaris, ab eodem viuidis exhortationibus vrgebatur, vt derelicta antiqua lege, nouam veram, & indubitatam ſequeretur. At cum nihil proficeret, receſſit ab Vrbe Campana, commendans iuuenem annorum circiter 18. ætatis ſuæ P. Magiſtro Timothæo Riccio, deuotionis ſanctiſſimi Roſarij promotori inſigni, qui videns ſe in iuuene oleum, & operam perdere, rogauit eum vt quadam vice ad ſe veniret, & quidquid mandaret, exequeretur. Die igitur ſolemniſſima Annunciationis B. Virginis ſacra, qua Vrbs tota ad Mineruam confluit, vocato ad ſe iuuene petijt ab eo, vt in organo, quod erat ſupra antiquum S. Patris Dominici ſacellum permanêret, donec reuerteretur ad ipſum, & clauſo oſtio deforis, abijt. Dum igitur Eccleſia tota eo die, (quo manè ſolemni pompa ad eam acceſſerat Pont. Vrbanus, ſubſidium dotale præbiturus pauperibus puellis ſocietatis Sanctiſs. Annũciatæ) fidelibus eſſet repleta, acceſſit ad maius altare P. Timothæus, ibi Roſarium publicè cum populo recitaturus, rogauitq; adſtantes, vt ex corde ſupplicarent Deo pro quodam obſtinato hebræo ad agnitionem veritatis catholicæ fidei pertrahendo, & venire recuſante: incœpto igitur alta voce ſanctiſs. Roſario, paulatim diuinam miſericordiam in ſe ſentiens hebræus, cœpit compungi, & cor eius emolliri; itaut in inchoatione tertij miſterij gaudioſi Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, totaliter in lacrymas reſolutus, detractum ſuomet capiti hebraicum pileum exporrecta manu ſuper populum deiecerit; Deo poſtmodum actæ gratiæ ob illius conuerſionem ad catholicum gremium, in quo edoctus de rebus fidei, procurante eodem P. Timothæo Riccio Florentino, de ſacro fonte leuatus fuit à Carolo Cardinali Mediceo, nomine Ferdinandi Magni Ducis Aetruriæ impoſito, ob quem deinceps Ferdinandus Medices dictus eſt, fortunæ bonis cumulatus, & viuit, prout vidimus.

P. Io. Menigand Carnutenſis in ſchola Pariſien. laureatus, atque hæreticorum hoſtis acerrimus, & impugnator indefeſſus ore fœcundo, & calamo; necnon & promotionis ſanctiſſimi Roſarij ſedulus

lus operarius poſt reductionem multorum peccatorum ad Chriſtum per amplexatam pœnitentiam, in Crucifixi imaginem corde, & ore defixus, fœlicem ſpiritum creatori ſuo reddidit. *Lefeburé.*

P. Ambroſius de Matre Dei in ciuitate de Guatimala ortus, & in Mexico ad ordinem receptus, completis ſacris ſtudijs ad Inſulas Philippinas, verbum Dei populis illis annunciaturus, properauit; exinde in Nouæ Segobiæ prouinciam tranſiens, Euangelium Ieſu Chriſti infidelibus prædicauit, vnus ex primis Apoſtolicis viris, qui ibi catholicam fidem plantauère, linguam breui decurſu temporis, difficillimam licet, optimè callens: Vnde varios libros compoſuit continentes Euangelia, ſanctorum exempla, explicationem articulorum catholicæ fidei paſſionem D.N. Ieſu Chriſti, necnon & vocabularium pro addiſcenda lingua regionis illius, opus valde vtile pro miniſtris miſſionarijs. In caſtro de Patà exiſtens cum Patre Dominico de S. Blaſio Conuerſo ſocio ſuo, multos ex illius incolis ſacro lauacro Chriſto regenerauit, & Idolatram benefactorem ſuum, qui ſibi mane in feſto S. P. Dominici piſcem donauerat, veſpertina hora ſubitanea morte ſublatum, à defunctis reuocauit. In caſtro quoque de Abaluc mulierem cathechizatam tantùm, prædefunctam ante ſuſceptionem baptiſmatis, reſuſcitauit, & baptizauit. Multa alia miracula ſeruus Chriſti inter infideles illos, ex quibus copioſam multitudinem ad fidem attraxit, Apoſtolica auctoritate patrauit, properquæ in veneratione maxima fuit in vita & morte, quæ eidem menſe Aprili contigit, cum honore ſingulariſſimo ſepultus. *Marcheſius in Diario Sac. tom. 2.*

P. Ludouicus de Andrada in Congregatione Orientalium Indiarum regulari obſeruantia excultus, cum pluribus alijs noſtris lucraturus animas Paradiſo, hoc anno, & tempore circuibat per Inſulas de Solor, adiacenteſque alias Ieſu Chriſti euangelium populis illis annunciaturus, & continuo ānorum nouem decurſu Generalem Vicarium, viſitatorem, S. Officij Commiſſarium inuicta animi conſtantia ibidem egit. Eccleſias duas non ignobiles emendicatis eleemoſynis conſtruxit, & ſupra tria millia Gentilium ad catholicam fidem attraxit. Alia vice ad ciuitatem de Sambago pro eorundem gentilium conuerſione declinans, atque in prędicatione Euangelij vndecim menſes conſumens, & multos ex ipſis baptizauit, & baptizatos in Chriſtiana doctrina erudiuit, ac cōfirmauit. *Ex Rel. in Arch. Ord.*

In P. Arnaldi locum, de quo ſuperiori anno, in Friſiam P. Egidius Lalam, ne catholici illi, tanquam roſæ, in conſpectu domini prætioſæ, inter hæreticorum ſpinas permanentes damnum aliquod paterentur, Apoſtolicus miſſionarius directus eſt ab illorum præfecto, quem velut Angelum è cœlo ſibi delapſum amplexati ſunt catholici, inter quos per ſacramentorū miniſterium, aſſiduaſq; exhortationes fecit copioſos in via ſpiritus progreſſus, aliquoſq; ex hęreticis ad catholicæ fidei amplexū perduxit, frementibus Prædicantibus. *Ex Relat. in Archiu. Ord.*

P. Mag. Michael Ophonius cum apud Hollandos Miſſionarij Apoſtolici munus ſuſtinens catholicos in fide fouèret, occultis prædicationibus, Sacramentorumque collatione in ſalutis viam dirigeret; necnon & hæreticos aliquos ad catholicam veritatem amplexandam induxiſſet, à Magiſtratu captus, atque in vincula coniectus, poſt calamitates multas toleratas, tandem in libertatem reſtitutus, exilio punitus eſt, qui die 3. Ianuar. P. Procuratori Generali noſtro in hunc modum ſcripſit. *Nolui prætermittere quin V. R. A. P. tanquam Patrono meo ſingulari me perhaſce litteras præſentarem poſt duorum ferè*

annn-

annorum captiuitatem ab hæreticis, à qua Dei gratia cum gloria, & profectu animarum multarum ſum liberatus. Hoc enim mirabiliter operata eſt, & ſuauiter Diuina prouidentia, vt nunquam à me, vel Ordo vel Eccleſia, vel Monarchia Hiſpanica tantum beneficij, & obſequij poſtulare potuiſſet in libertate, quantum aſſequutus ſum in captiuitate, dum cum primarijs hæreticis conferendo, & cum Prædicantibus diſputando non paruam animarum conuerſionem & affectum erga naturalem ſuum Principem procurauerim. Laus Deo.

Dum verò apud Hollandos captiuus detineretur P. Michael, dexteritate maxima Caluinianum catechiſmũ à Prædicante ſubripuit Indico idiomate ad inficiendas Caluiniana hæreſi nouas Indorum ad catholicam fidem conuerſorum plantulas confectum, & ſecum in Belgium detulit, & P. Iacobo Brouerio miſſionariorum Præfecto, correctione appoſita legendum dedit, qui de P. Michaelis, ac libri euentu Sacram Congregationem de Propaganda Fide monitam voluit, reſcripſitque hæc præfatum catechiſmum cum latina verſione ſibi fore mittendum, vt in eadem lingua Anticatechiſmus fieri poſſet, & parato veneno antidotum præpararetur. *Ex Archiu. Ord.*

Labore multiplici in hęreticorum conuerſione inſudabat P. Nicolaus Ianſenius, non carceribus, non inedijs, non afflictionibus aſſiduis fractus, vt catholicam fidem apud Hollandos, vnitarumq; prouinciarum populos plantaret, & plantatam confouêret, ac conſtabiliret; ea propter cum, Deo cooperante, apud Federicum Noruegiæ Principem, nouam ciuitatem Fridericopolim ad flumen Eydoram extruentem gratiam inueniſſet, de concedenda in dicta ciuitate, totaque ditione ſua Catholicis libertate pleniſſima ibidem cum omnibus catholicæ Religionis exercitijs, Eccleſijs, prædicationibus, Sacramentorumque vſibus permanendi, ac exercendi cum Religioſorum concurſu, egit, & obtinuit, promulgato decreto 24. Febr. ſequentis tenoris.

Nos Federicus Dei gratia hæres Noruegiæ, Dux Sleuſuici, Holſatiæ, Stromarïæ, & Ditmarſiæ, Comes in Oldemborch, & Delmenhorſt omnibus præſentes inſpecturis, & lecturis.

Notum facimus quòd poſtquam nouam noſtram Ciuitatem Fridericopolim, vulgo Frederichſtade ad flumen Eydoram extruere cœpimus, eandem conati ſumus omnibus modis amplificare, nouiſque datis priuilegijs negotiatoribus, & mercatoribus ob communem vtilitatem implere, præſertim cum aptiſſima ſit commercijs exercendis per omnes totius Europæ Regiones, & Regna. Quia verò commercia noſtræ nouæ ciuitatis maximè dependent à Regnis Hiſpaniarum, & ditionibus Belgicis, hinc eſt quod per præſentes facultatem damus, vt quicumque ex dictis Regnis, & Prouincijs ad noſtram illam ciuitatem ſe receperint negotiorum cauſa, tutò ibi, ac liberè habitare poſſint, atque inde recedere, omnibus bonis ſuis, ac familia quando ijs viſum fuerit è re ſua eſſe: damuſque omnibus, & quibuſcumque Catholicis facultatem exercendi Religionem Catholicam in dicta Fridericopoli, & per omnes ditiones noſtras liberè conuerſandi; diſtrictè inhibentes omnibus Prætoribus, Præfectis, ac quibuſcumque miniſtris ne Catholicos Religionis cauſa vllo modo directè, vel indirectè perſequantur, aut moleſtia afficiant, ſed pacificè negotijs ſuis vacare patiantur. Idem quod de Catholicis dictum eſt, intelligimus de ipſorum Prædicatoribus, & Sacerdotibus de ſcitu, & conſenſu Magiſtri Nicolai Ianſenij, vel eius vicemgerentis ad noſtras ditiones venerint, quos omnes, & ſingulos in noſtro patrocinio, ac tutela eſſe declaramus. Dat. in noſtra Gottorpia 24. Februarij 1625.

1625. Multi igitur Religioſi ex noſtris P. Nicolai protectione ſuffulti, in eam ciuitatem, & prouincias pergentes, ac penetrantes, vexillo S. Crucis inibi erecto, meſſem multam in Eccleſiæ horrea congregauère. *Ex Relat. ſuprad. in Arch. Ord. exiſten.*

ANNo 1626. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, mirabilis in maieſtate hoc anno & tempore prodigia multa fecit apud Iaponios in gentiliũ conuerſione, nam cum multi ex ipſis ad catholicã fidem opera noſtrorum Prædicatorum ex impio Idolorum cultu atracti, atque in eadem edocti, mortem potius ſubire, quàm illam eiurare parati eſſent, Spiritu Sancto corda eorum inflammante, tanta in illis conſtantia cum inconcuſſa animi fortitudine inualuit, vt ſanguinem profundere, mortemque pro glorioſo Ieſu Chriſti nomine non ſolùm non formidarent, ſed tota ſpiritus exultatione, ſummoperè concupiſcerent. Quare poſt captos Religioſos noſtros ſpirituales eorum Patres, ac Magiſtros, & in carcerem coniectos, mortique traditos, ibant illi, etiam mulierculæ, cum paruulis ſuis vberibus appoſitis ad Tirannos, & ipſorum impietatem improperantes, minaſque irridentes, ſe, natoſque ſuos morti paratos elata voce profitebantur: quæ propterea ad mortem cum alijs damnatæ, ibant gaudentes ad luctum tanquam ad nuptias ſanguinem, ac vitam profuſuræ. At quod mirabilius erat, ipſæ mulieres in fide ſtabiles, atque in opere efficaces, natos ſuos ex vberibus auulſos proprijs manibus elatos, ad ictum gladij lictoribus offerebant, non vnum, vel duos, ſed quotquot ex viſceribus ſuis habebant genitos, & poſt filios præmiſſos ad gloriam, capita ſua eadem inuicta conſtantia in mortem temporalem tradebant, æternam vitam conſecuturæ; quod factum ex carnificum etiam oculis, nedum aliorum adſtantium, lacrymas extorquebat vberrimas. Hi ſunt fructus quos ſpiritu oris ſui paradiſo dabant Prædicatores inclyti, aurò primo charitatis amicti. *Ex relat. in Arch. Ord.*

P. Michael Ophorij præfectus Apoſtolicorum miſſionariorum apud Hollandos, & prouincias vnitas, Sacram Congregationem monitam voluit, Hollandos denuò reperiſſe Inſulam Engrouelandiæ ſub altitudine poli borei 63. vel 64. collocatam, in eaque homines crudas carnes comedentes, & pelles animalium pretioſas, cornuaque vnicornium inueniſſe, eoſdemque Hollandos naues inſtruxiſſe, vt illuc iterum hac æſtate nauigarent, in qua Inſula inuenerunt conuentum S. Thomæ dictum, inhabitatum à Patribus noſtris Dominicanis; ac propterea viſum fuiſſe Patribus noſtris mittere binos Prædicatores illuc cum Hollandis, conuentum illum cum Inſula, incoliſque Inſulæ exploraturos: qua de re reſcriptum fuit ad P. Michaelem ſuprad. ab eadem S. Cong. de Propag. Fide, adimpléda. *Ex Arch. Ord.*

P. Vincentius Martinellus de conuentu Mineruæ P. Magiſtri Sacri Palatij Rodulphij ſocius, eo procurante, ab Vrbano VIII. promouetur ad regimen Conuerſanen. Eccleſiæ, vt ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei in ſalutis viam dirigat: quod cum tanquam Paſtor optimus fideliter præſtitiſſet per annos ſeptem, translatus fuit ab eodem Pont. Max. ad Venafranam, in qua cum optimi Paſtoris partes exquereretur, ſubditorumque, etiam nobilium, laxatos mores corrigere ſatageret, non ſine propinati veneni ſuſpicione deceſſit. *Vghell.*

Anno eodem glorioſo decertabant certamine vltimo in Oriente pro infidelium conuerſione noſtri Prædicatores, facti victima Ieſu Chriſti, orationibus inſtantes, ieiunijs adhærentes, pauperes recreantes, in tribulatione gaudentes, ſalutis æternę Sacramenta miniſtrantes, atq;

in dam-

in damno propriæ vitæ, Deo bonorũ omnium largitori gratias agentes. Quare pro fide, quam prædicabant, capite truncati venerabb. PP. Thomas de Roſario, Dominicus laicus, atque Alexius pariter laicus Iapones cuncti, & apud Iapones paſſi, glorioſo fidei, quam profitebantur, agone conſummato, proprio in ſanguine volutati, non vt hoſpites, & aduenæ, ſed tanquam ciues ſanctorum & domeſtici Dei, cum illo in perpetuas æternitates regnaturi, ad cœlum properarunt. *Ex Act. Capit. Gen. Toloſæ* 1628.

Hos ſequti ſunt, ad palmam glorioſi confeſſores Ieſu Chriſti, vita integerrimè exacta, atque in prædicatione Euangelij conſummata, propter quam multas moleſtias, calamitates, atq; afflictiones pertulère, Venerabiles Patres Bernardus de S. Catharina in Prouincia Philippinarum bis Prouincialis, (cui incumbebat onus mittendi operarios in Iaponiam pro Euangelij dilatatione) & P. Gaſpar Zarfate multorum annorum in eadem vinea Dei cultor indefeſſus. *Ex Actis eiſd.*

Et hoc loco dignus iudicatur recensêdus P. Mag. Antonius de Preſmilia, zelo catholicæ veritatis propagandæ flagrantiſſimus, pietate, & doctrina inſignis, qui ſua dexteritate, vitæque ſanctitate viam ſibi, & noſtris Patribus aperuit, in Lituaniam, Moſcouiam, & Tartariam ad conuerſionem ſchiſmaticorum, aliorumque à recta fide alienorum. *Ex Act. eiuſdem Capit.*

P. Pichio in ſuum conuentum, & patriam de Trebio ſe recipiente, datus eſt prædicator hebræorum in Vrbe P. Io. Chriſoſtomus Viola tunc Parochus in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam in hebraica lingua verſatus; vir pijſſimus, qui demandato ſibi muneri ſedulam operam nauando, multos ex perfidis hebræis lumine catholicæ fidei per baptiſma illuſtrauit, vt vidimus.

S. Congregatio de fide Catholica propaganda Apoſtolicam miſſionem P. Raymundi Hurtadi Prouinciæ del Quito Peruanæ regionis per emanatum decretum ſtabiliuit ad Indos, Gentiles, SS. duodecim Apoſtolorum inſulam incolentes penes Vallem *de S. Iacobo*, dictam de las montagnas Guibaros, Quixos, Sceubres, Moſoas, Putumayos, vſque ad Vallem S. Ioannis, & ab Inſulis vocatos *De los Confanes* vſque ad de la Plata flumen, & magni fluminis Maragnon, cum ſocijs à P. Generali eligendis. *Ex relat. ad Sac. Cong. datam.*

Die ipſa ex eiuſdem S. Congregat. decreto demandata fuit miſſio P. Petro de Loaiſa Prædicatori ex S. Ioannis Baptiſtæ de Peru regione ad Indos gentiles cunctos, qui in illius regionis partibus ab oppido de Guanuco, vſque ad oppidum de Tariſa cum ſuis terminis, & à Cordillera, vocata Periacaca, & Andèo vſque ad Maregnon flumen incluſiuè degunt, cum ſocijs à P. Generali Magiſtro noſtro ſeligendis. Profecti ſunt igitur Serui Dei, vineæ Domini Sabahot cultores incly ti ad ſibi aſſignatas prouincias, vbi mirabili vitæ exemplo, humilitate, & charitate in proximos, ita ſibi barbarorum illorum cor allexère, vt plures ex ipſis ſacro lauacro Chriſto regeneratos Eccleſiæ ouibus ſociauerint, Deo, à quo bona cuncta procedunt, operariorum linguam, auditorum verò cor in æternæ ſalutis viam dirigente. *Ex Archiu. Ordinis.*

P. Benedictus Iuſtinianus de Ianuen. conuentu S. Mariæ de Caſtello, in Corſica primò S. Inquiſitionis Vicarius, apud Cremonen. deinde cum dicendi facundia pollèret ſingulari, atque maximo ſpiritus feruore prædicaret, à deliteſcentibus hæreticis Lutheranis non ſemel auditus, tandem Spiritu Sancto eorum corda dirigente, quindecim ex ipſis corde compuncti ad illius pedes corruentes, ſacroſanctæ Ma-

Digitized by Google

tri Eccleſiæ per ſalutares pœnitentias reconciliari petière & obtinuère: qua de re gratias ſummas eidem egit Card. Campora eiuſdem Cremonen. ciuitatis Epiſcopus, datis litteris 11. April. huius anni, relatis ab Abb. Iuſtiniano inter Scriptores Ligures, cum de Benedicto agit fol. 137.

Nec omittendum iudicamus factum egregium P. Timothæi Iuſtiniani Chien. Epiſcopi, Benedicto affinis, ſub quo miſerabilis Chienſis Inſulæ occupatio ab Ali Turcicæ claſſis præfecto ann. 1566. contigit. Etenim cum in ciuitatis direptione Turca quidem in maxima D. Petri æde ciborio ſacratiſs. Dominici corporis per vim aperto, diuiniſſimam Euchariſtiam impijs contrectaret manibus Epiſcopo adſtante, ſacraſque particulas in terram proijceret, argenteam prixidem ablaturus, Timothæus incredibili dolore perculſus, genibus flexis proiecta colligens, corde inconcuſſo *Me prius*, inquit, *rogo interfice, quam hæc ſacroſancta myſteria pedibus conculcari videam*, quibus perterrefactus barbarus ab aſſumpto ſacrilegio abſtinuit, & abijt; tunc ſanctus Antiſtes reaſſumptas ſacras particulas, in decentiori loco ſeruandas repoſuit. *Vghell. tom. 9. inter Epp. Strongulen, num.* 28.

ANNO 1627. Apud Iapones ſæuiente magis, ac magis perſequutione in miniſtros Euangelij captus eſt, atque in vincula coniectus P. Ludouicus Xarch Bertrandus, conſanguineus ex matre S. Ludouici Bertrandi, cum duobus ſocijs Conuerſis, & aliquibus fœminis, quæ videntes eos à militibus comprehendi, noluerunt illos deſerere, & perductæ ad carcerem, poſtquam inibi contumelijs, fame, & frigore cruciatæ per annum ſunt, cum eodem Ludouico lento igne, martyrio coronatæ fuère. *P. Nicolaus Rodulphius in litteris circularibus datis Ordini anno* 1641.

P. Mantius de Cruce Iaponius Laicus profeſſus ex Ordine Dominicano, cum noſtro miniſtro Euangelij P. Ludouico Xarch auxilio eſſet in edocendis, inſtruendis, atque catholicæ fidei articulis erudiendis infidelibus ſacro lauacro regenerandis, ex Imperatoris mandato detentus, poſt toleratas in carcere afflictiones multas, & peſſimas, igne conſumptus, requiem æternam inuenit, ſanguine proprio laureatus die 29. Iulij huius anni, cum eodem Ludouico. *Ex proceſſu Beatificat. eiuſd.*

P. Mancio in fœlici pro Chriſto agone datus eſt ſocius P. Petrus de S. Maria Iaponenſis, qui auxilium in fidei ſacro miniſterio P. Ludouico Xarch præbens, in Imperatoris indignationem incidens, viuus igne conſumptus, cum illo victoriæ palmam adipiſci promeruit apud Vomuram 29. Iulij huius anni. *Ex proceſſu pro illius Beatificat. fabricato.*

Gaius Seimon de Coria Tertij Ordinis noſtri profeſſor, noſtris prædicatoribus euangelicis inſeruiens in ijs, quæ ad eorum baptiſmum, articulorumque fidei inſtructionem ſpectabant, à miniſtris Iaponen. Imperatoris in vincula coniectus, viuus flammis adiudicatus fuit 16. Auguſti huius anni. *Ex proceſſu Beatificat. illius.*

Franciſcus Curobioye Tertij eiuſdem Ordinis profeſſor, cum & ipſe in conuerſione infidelium Apoſtolicis noſtris miniſtris famularetur, depræhenſus, & in vincula abreptus, tandem lento igne viuus exuſtus eſt eadem die 26. Auguſti huius anni. *Ex proceſſu Beatificat. eiuſd.*

Cæterùm non defuère etiam mulieres, quæ fortiores ſe ipſis effectæ, conſtantes in fide inimicum vicère, ex quibus vna hoc anno, (aliæ autem in ſequentibus) recenſetur, Tertij Ordinis noſtri profeſſa monialis ſoror Marta Iaponia dicta, quæ ſollicita in miniſterio Ieſu Chri-

ſti

ſu Religioſis Prædicatoribus neceſſaria ſuppeditabat. Quare capta & in arctum carcerem coniecta, poſt toleratos fœtores, multaque mala ſibi ibidem illata, tanquam altera Apollonia, læta viua igne conſumpta fuit apud Vomuram 29. Iulij huius anni. *Ex proceſſu Beatificat. eiuſd.*

Poſt Martham eodem mortis genere obière Sorores Magdalena Quienta conſaguinea Regis Bungi, & Franciſca Iaponia moniales profeſſæ Tertiariæ noſtræ, & cum hac ſecunda Leo eius filius annorum 25. apud Nancaſacum 16. Auguſti huius anni. Tali, ac tanto Prædicatorum ſanguine irrigata eſt Eccleſia hoc anno. *Ex proceſſu pro earum Beatificat.*

In Inſulis quoque de Solor, dum P. Auguſtinus de Magdalena Apoſtolicus Euangelij miniſter catholicam fidem gentilibus illis annunciaret, ab eiſdem captus, cum eandem fidem Ieſu Chriſti conſtanti pectore execrari renuiſſet, trucidatus, fœlici agone conſummato ad Chriſtum conſcendit. *Ex eiſdem Actis.*

P. Gregorius Vrſinus Romanus de conuentu Mineruæ. Salutis animarum cupidus, ſpretis nobiliſſimis familiæ natalibus, ſemel, atque iterum Apoſtolicus miſſionarius in Orientem directus, magno cum Idololatrarum fructu ibidem laborauit: at cum aliquando celebraret publicè, ab irruente in eum gentili, (cuius vxorem ſacro lauacro cum filijs abluerat) framea truncatis illi tribus dexteræ digitis, concurrentibus Chriſtianis ſacroſancto ſacrificio adſtantibus, vix mortem euaſit. In Vrbem reuerſus, atque in conuentum Sanctæ Mariæ ciuitatis Vetulæ ſe recipiens, ibidem deceſſit. Vt vidimus.

Defuncto Armeniæ Archiepiſcopo Citadino, Auguſtinus Pacen. Archiep. Myren., Suffraganeuſque Armeniæ cum futura ſucceſſione, eiuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem inijt, quam Apoſtolicè rexit vſque ad annum 1653. quo in triumphantem Eccleſiam perrexit, ſuorum laborum pro Eccleſia Dei, illiuſque ouibus exantlatorum condigna percepturus præmia, pro quarum ſalute animam propriam ponere erat paratus. *Galanus & Teatr. Domin.*

P. Mag. Vincentius Iuſtinianus ex conuentu Querquenſi Romanæ Prouinciæ, Vicarius Generalis Inquiſitionis Colonienſis, ab Vrbano VIII. & S. Congregatione Commiſſarius Apoſtolicus inſtitutus pro inquirenda veritate effuſi copioſi ſanguinis (vt dicebatur) ex quadam Crucifixi imagine, cum ſui muneris partes diligenter exequutus fuiſſet, ipſa Crucifixi imagine in Vrbem tranſmiſſa, veneno (vt fertur) impetitus interijt die S. Agneti ſacra, ſepultus in noſtro conuentu Colonien. ante Capitulum, hoc ſuper ipſius monumentum inſcripto Chronoſtico:

FLos egreDItVr, & fVgIt VeLVt VMbra.

In quibus maiuſculis characteribus indicatur annus fœlicis ſui obitu M.DC.XXVII.

Indefeſſa animi conſtantia Apoſtolici viri ex Prædicatoribus in excolenda vinea Domini apud Orientales Indos laborabant, vt catholicam fidem in Inſulis de Solor, de Brima, de Iaoa, de Madura, de Macaſſa, & alijs multis adiacentibus plantarent, & plantatam confouèrent prædicationibus, doctrina Chriſtiana, ſacris ritibus, Sacramentorumque miniſterio, ex quibus recenſentur Patres Raymundus Vrtado, Ludouicus de Andrada, Auguſtinus de Braga, Lucas de Leone, Ambroſius Martinez, Michael de Arana, Petrus de Montenigro, Melchior Manzanus, Petrus Monticellus, Hernandus Martinus, Hieronymus de Turre, Coſmas de Rombola, Ludouicuſque Baroſſus. Hi inuicti Chriſti pugiles poſt ærumnoſos in fame, ſiti, frigore, ac neceſſitate

aſſiduos toleratos labores, colluctatione ſuſcepta aduersùs Mahumetanos, Gentilium impios ſacerdotes, chriſtianique nominis hoſtes perfidos, gladio ſpiritus oris ſui cum ſatanæ miniſtris, ac tenebrarum harum rectoribus decertantes, non ſine ſanguinis effuſione Crucis trophæum in partibus illis, æterno Deo viuo & vero fabricatis Aris ac templis, erexère, copioſa infidelium multitudine per ſacrum baptiſma ex Sathanæ faucibus erepta. *Ex Relat. P. Ludouici de Drada an. 1629. S. Cong. & Superiorib. Ord. data.*

ANNO 1628. Effunditur & hoc anno in teſtimonium veritatis Euangelicæ copioſus Dominicanus ſanguis in Iaponia apud Vomuram occiſo P. Petro Vaſquez, de S. Catharina dicto, Hiſpano ex Regno Galleciæ, in Villa de Barin orto, de conuentu Montis Regij; qui cum annos plures in prædicatione Euangelij pro Idololatrarum conuerſione conſumpſiſſet, de Imperatoris mandato captus, atque in arctiſſimum carcerem coniectus, poſt multas toleratas pro Chriſto Ieſu moleſtias, inedias, & afflictiones, viuus flammis conſumptus eſt, inuicti pectoris heros, Auguſti 25. *Ex proceſſu Beatificat. eiuſd.*

Petrum ſequutus eſt ad palmam P. Dominicus Caſtellet Hiſpanus ex Principatu Cataloniæ de villa Spinaghera Vicarius Religioſorum miniſtrorum Euangelij apud Iaponiam, qui poſt varias afflictiones corporis in carcere toleratas, viuus etiam ipſe igni traditus, glorioſus Chriſti athleta effectus eſt apud Nangaſacũ die 8. Septemb. eiuſdem anni, cum quo eodem mortis genere conſumpti fuère duo Nouitij profeſſi ex noſtris FF. Thomas S. de Hyacinto annorum 30. & Antonius de S. Dominico annorum 20. profeſſione in carceribus emiſſa, eam P. Dominico Vicario Prouinciali ſuprad. ſuſcipiente. *Ex proceſſu pro vt ſup.*

P. Thomas de S. Hyacinto Iaponius conuerſus, cum perductis ad catholicam fidem per Miſſionarios Apoſtolicos chriſtianæ fidei articulos explicaret, comprehenſus & ipſe, atque in vinculis detentus, poſt ærumnas multas in carcere ſuſceptas, ab Imperatore, eiuſque miniſtris damnatus fuit comburendus viuus, die 8. Septemb. ſententia exequutioni mandata. *Ex proceſſu ſuprad.*

Eadem die, & anno martyrium quoque pro nomine Ieſu Chriſti pertulit apud Nangaſacum F. Antonius de S. Dominico Conuerſus, ex Imperatoris decreto flammis viuus addictus, eò quòd in miniſterio Euangelij Apoſtolicis miſſionarijs Fratribus ſuis Dominicanis præſtò eſſet. *Ex proceſſu ſuprad.*

Io: Tomachus Iaponius profeſſus tertij Ord. S. Dominici, cum Gentiles ad ſuſceptionem catholicæ fidei inuitaret, & miniſtris Apoſtolicis inſeruiret, read Imperatorem delata, iuſſus eſt lento igne concremari; & cum eſſet ad palum ligatus, & ignis ante illum accenſus, quatuor ſuos filios ſpirituales ante ſuum conſpectum nempe Dominicum ętatis annorum 16. Michaelem annorum 13. Thomam annorum 12. & Paulum annorum 7. in odium catholicæ veritatis decollatos præmiſit ad gloriam, ipſomet hos iuuenes hortante, velut altera Machabæorum matre, vt ad cœlum reſpicientes temporalem mortem contemnerent, im mortalem, & æternam vitam ſecum conſequuturi die 8. Septemb. huius anni. *Ex proceſſu pro eorum beatificat.*

Hos ſequutus eſt ad palmam alter tertij Ordinis noſtri profeſſus Io: Ymamura dictus, Iaponius, qui cum eſſet nauta, & noſtros, alioſque Religioſos prædicatores ex vna in alteram Inſulam nauigio veheret, captus & in carcerem detruſus, poſt ſquallorem carceris, poſt multas calamitates in illo toleratos eadem die 8. Septemb,

temb. viuus igne lento, vt atrocior eſſet pœna, conſumpto corpore puriſſimum Spiritum aureola martyrij coronatum in gaudia ſempiterna tranſmiſit. *Ex proceſſu beatificat. eiuſd.*

Eodem die cum prædictis lento igne aſſatus Paulus Aibara Tertij Ordinis noſtri profeſſus, eò quòd in miniſterio Apoſtolico prædicationis euangelij inſeruiret miniſtris illius, ad æternam fœlicitatem tranſijt. *Ex eodem proceſſu.*

Simili mortis genere conſumptus fuit P. Michael Iamada profeſſus Tertij Ord. noſtri ob ſeruitia, quæ miniſtris euangelij præſtabat in propriâ domo, illos nutriendo, abſcondendo, fouendo, & alimonijs ſuſtentando: quare in vincula coniectus, & ad mortem damnatus, dum palo eſſet alligatus, & ignis eidem circumpoſitus, ante eius oculos vnicus illius filius triennis & chriſtianus, Laurentius nuncupatus, immani barbarie decollatus fuit, patre ipſo illum exoſculante, atque ad mortem ſubeundam viriliter exhortante, eodem die 8. Septemb. huius anni apud Nancaſacum. *Ex eodem proceſſu.*

Aloyſius Niſacus Iaponius cum hoſpitium, & reliqua neceſſaria præberet prædicatoribus euangelij, etiam ipſe tertij ordinis noſtri profeſſus, truncato capite apud Nangaſachum per martyrij palmam in cœlum euolauit, ibi in æternum regnaturus cum Chriſto, eadem die 8. Septemb. *Ex proceſſo Beatificat ſuprad.*

Romanus Iaponius eodem die cum præcedentibus decollatus eſt, eò quòd chriſtianus eſſet, chriſtianiſque infirmis neceſſaria præberet, & miniſtros Euangelij fouèret, *Ex eodem Proceſſu.*

Leo Iaponius Ordinis Prædic. & ipſe profeſſus cum charitatis operibus miniſtris Euangelij, & ipſis conuerſis ad fidem fieret in ſalutem, ex Imperatoris mandato, truncato capite, ad cæleſtia gaudia peruenire promeruit eadem die 8. Septemb. *Ex eodem proceſſu Beatificat.*

Iacobus Taiaxide Iaponius profeſſus Tertij Ordinis Dominicani delatus ad Iudices, quòd Chriſtianos fouèret, & prædicatores Euangelij, captus, & carceratus, tandem truncato capite mortalem vitam amiſit, immortalem per martyrium conſequuturus. *Ex proceſſu Beatific. eiuſd.*

Michael verò Timonaia, Paulus Tiſomonia, & Dominicus Xobioye Iapones profeſſi etiam ipſi Tertij Ord. noſtri capti, eò quòd miniſtros euangelicos in ſuis domibus hoſpitio reciperent, truncato capite martyres inclyti effecti ſunt die 16. Septemb. huius anni. *Ex proceſſu pro eorundem Beatificat.*

Lucia, aliàs Iuliana dicta, ſanctimonialis Tertiaria Ord. S. Dominici, ætate longæua, annorum ſupra octuaginta, cum toto tempore vitæ ſuæ oſpitium, & alimenta miniſtris Euangelij præbuiſſet, tam noſtris, quam aliorum ſacrorum Ordinum, in odium fidei viua cremata, in ſenectute bona per martyrij palmam cœlum introiuit 8. Septemb. hoc anno. *Ex proceſſu Beatificat.*

Licet talis, ac tantus eſſet Dominicanus ſanguis in Iaponia pro Chriſti nomine, ac propagatione Euangelij effuſus, tamen ex Capitulo Generali, hoc anno Toloſæ celebrato, tale in fauorem fidei Catholicæ vnanimi omnium Patrum voto emanauit decretum: *Monemus P. Prouincialem Inſularum Philippinarum, vt opportunè mittat in Iaponiam Fratres ex ſua prouincia idoneos ad illarum gentium conuerſionem, & ſæpiùs de progreſſu prædicationis certiorem faciat Reuerendiſſimum P. noſtrum Generalem.* Ex Actis eiuſdem Capit.

Cum ferè hactenus S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Senatus in domibus antiquorum Cardinalium eiuſdem Congregationis feria 4. cuiuslibet hebdomadæ ſo-

dæ ſolêret congregari,non ſine eorundem aliquali incommodo, ac propterea, tractaretur de conſtabiliendo loco, in quo perpetuis futuris temporibus ad confeſſum conueniret, P. Rodulphius Sacri Palatij Magiſter cum Vrbano Pont.Max. egit, vt apud conuentum Mineruæ in manſionibus Magiſtri Generalis perpetuò illæ Seſſiones haberentur, quòd benignè indulſit Vrbanus (abſente ab Vrbe Mag, Generali Sicco,) atque in Generali Congregatione coram eodem Sanctiſs. facta die 14. Septemb. tale conſtabiliuit decretum in fauorem Ord. & conuentus Prædicator.

Die 14. Septemb. Anno 1628.

Congregationes S. Officij, quæ in domibus antiquorum Cardinalium fiebant, de mandato Sanctiſſimi fient in conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam. Quòd decretum ab Innocentio X. confirmatum fuit; eſto cunctas reliquas Cardinalium Congregationes, quæ in domibus Præfectorum earundem habebantur, perpetuis futuris temporibus in Apoſtolico Palatio habendas firmo decreto ſanxèrit, vt vidimus.

Moritur menſe Septembri apud Auenionem Mag. Ord. P. Seraphinus Siccus, moribus verè Angelicis ornatus, inflexibilis conſtantiæ vir, in adminiſtranda iuſtitia inconcuſſus, in conferendis gradibus minùs dignis ex corde alienus, qui Ordinem, & filios ſuos in pace, ac æquitate regens, eiſdem hoc anno ereptus eſt.

Nunciato in Vrbe Sicci obitu, promotus eſt Ordinis Vicarius P. Nicolaus Rodulphius de conuentu Mineruæ S. Palatij Mag. qui 19. Octob. Apoſtolici Vicariatus poſſeſſione inita rexit Ordinem vſque ad Generale Capitulum ſequenti anno congregatum, amoto P. Luca Caſtellino, à Sicco ſuo Vicario Generali inſtituto, qui poſtmodum Catacen. Paſtor affectus eſt, vt vidimus.

Caput I.

P. NICOLAO RODVLPHIO Magiſtro Generali LV.

ANNO 1629. Collecta ſunt in Vrbe Generalia Ordinis Comitia ſub P. Nicolao Rodulphio Florentino Apoſtolico Vicario, atque Sacri Palatij Magiſtro Leonis Papæ XI. ex Sorore Pronepote, in quo vnanimi electorum ſuffragio euectus eſt ille ad ſupremum Religionis regimen in vigilia Pentecoſtes. Poſt veſperas autem proceſſione inſtructa ad Pontificem Vrbanum accedentes, ad ſacrorum pedum oſcula coram Cardinalium cœtu in Capella admiſſi fuimus, gratuante Pontifice de tanti viri electione. In eo Capitulo multa fuère in fidei obſequium ſancita pro ijs maximè, qui inter infideles in Euangelij promulgatione laborabant, & quotidie laborant. Ordinis ærarium pro captiuorum redemptione, Sanctorum canonizatione, atque librorum pauperum Fratrum impreſſione inſtitutum eſt, ex relictis Fratrum extra proprias prouincias decedentium ſine aſſignatione. Inſuper vt in inchoatione horarum quotidiani officij Beat. Virg. dum dicitur *Aue Maria gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, adderetur etiam verbum *Ieſus*, mandatum eſt inſuper vt in collecta S. Thomæ poſt verbum Confeſſoris adderetur, *atque Doctoris*. Pluraque alia fuère ordinata, quæ in eorumdem Actis referuntur.

Termi-

Terminato Capitulo, ſtabilitiſque in Vrbe Religionis negotijs ad viſitationem Ordinis proceſſit Rodulphius, & viſitatis Romana, atque Lombardiæ Prouincijs in Galliam properauit diſſidentibus inter ſe ibidem Prouincijs pro conuentibus ſibi ab inſurgentibus nouis Congregationibus acquiſitis. Duobus circiter annis in Gallia permanſit, vbi Pariſienſem Nouitiatum inſtituit, & fundauit, regularemque obſeruantiam in Congregationis de obſeruantia conuentibus mirabiliter fouit, ipſa adamuſſim cum Patribus illius ab eodem amplexata. Dum autem viſitaturus Hiſpaniæ prouincias, iter ad illas eſſet ſuſcepturus, in Vrbem à Pontifice euocatus, in eam reuerſus eſt, aliquibus Patribus Occitanæ Congregationis, in regularis obſeruantiæ rigore ſtrictiſſimo viuentibus, ſecum Romam adductis, vt in S. Sixti cœnobio illam fundarent, adimplerent, atque ſtabilirent, Eminentiſſimo Cardinalis Antonio Barberino Ordinis Protectore munificentiſſimo, atque regnantis Pontificis Vrbani VIII. nepote copioſas eleemoſynas pro eorundem ſuſtentatione effundente, ac Rodulphio conuentum reaptante, ædificijs augente, atque circumſtantes hortos emente. Inſtituta igitur eſt ibi (alijs Religioſis ex Gallia aduentantibus,) atque in aliquod tempus protracta Dominicana obſeruantia cum Romanæ Curiæ ædificatione maxima. At heu citò nimis naſcentis illius flores euanuère, aeris inclementia vrgente, atque Religioſos illos perimente cum nouitijs ferè omnibus. Vnde diſperſis lapidibus ſanctuarij, conuentus deſolatus remanſit, vt vidimus.

Poſt aliquos autem annos dimiſſus eſt in vtrumque Siciliæ Regnum Rodulphius vt Prouincias illas viſitaret, manſitque diu apud S. Dominicum de Suriano in ſeuera, ac rigoroſa obſeruantia, factus cunctis ſibi ſubditis filijs exemplar mirabile. Conuentum ſuum S. Mariæ ſuper Mineruam, in quo Religionis lac ſuxerat, vnicè dilexit, illumque ædificijs auxit, ſacrarium ampliauit, ſacraque ſupellectile, & hac ditiſſima, multùm locupletauit. A conferendis gradibus, maximè immeritis, abſtinuit, & nonniſi dignos, atque annoſos ad illos in præteritorum laborum ſolatium promouebat. Vir erat ad grandia natus, aſpectu decorus, ſcientia ornatus, prudentia ſingulari præditus, de minimis non curans, ſed magna pro Ordinis decore molitus, Principibus & Regibus charus, Ordinem filioſque ſuos vnicè diligebat. At inuidorum quorundam telis impetitus, calamitates non modicas, corde inconcuſſo, ſuſtinuit Nicolaus ab alijs primò in conuentu S. Sixti, deinde Sancti Petri ad Vincula in Vrbe ex Vrbani decreto ſegregatus, atque imminente Capitulo, cui eius prætenſæ cauſæ cognitio demandata fuerat, à Magiſterio Ordin. ab eodem Pontifice depoſitus. Tandem ſub Innocentio Decimo Rodulphi innocentia refloruit, vt dicetur infra.

Congregato Generali Capitulo in Vrbe, inter alios adfuit Patre Auguſtinus Pacenſis Epiſcopus cum duobus alijs Patribus noſtris Armenis; nam Auguſtinus à Gregorio XV. Miren. Epiſcopus, Suffraganeuſque Naxiuanen. cun futura ſucceſſione factus, audito Patre Pauli Mariæ Citadini Epiſcopi obitu, in Vrbem venit ad Vrbani Pontificis Maximi pedes, illum & Sacram Congregationem de Propaganda fide de ſtatu Eccleſiæ Miren. & Naxiouanen. certioraturus, à quo ſacris donarijs, & Eccleſiaſtica ſupellectili communitus, in Armeniam ad Chriſtianitatem illam per ſemitam mandatorum

Dei

Digitized by Google

Dei dirigendam dimiſſus fuit, vt vidimus.

In eodem Capitulo multa ordinata ſunt in cauſa promotionis, ac dilatationis Catholicæ fidei, & inter cætera, vt in cunctis Prouincijs Indiarum omnes introducant vſum Catechiſmi Romani pro illorum fidelium æterna ſalute, pro cuius vniuerſaliori, & faciliori executione, per aliquem Patrem linguæ peritum in Indicum verteretur idioma, & prælo mandaretur. Prætereà conceſſum eſt Fratribus apud Indos in Gentium conuerſione per continuum decennium permanentibus aſſignatis, quòd intelligantur incorporati, & ita ad eas tranſlati prouincias, vt poſſint eligi earundem Diffinitores, & Electores Magiſtri Ordinis. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

P. Magiſter Thomas de Lemos Hiſpanus ex Gallecia, pietatis, ac ſapientiæ iubar ſingulare, maxima cum ordinis iactura è mortalium oculis rapitur hoc anno 1629. Auguſti 13. qui coram Pontif. Maximo Clemente VIII. necnon & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus de auxiliorum Diuinorum efficacia diſputauit. Defuncto autem Clemente Pontif. in Ordinis Hoſpitium ſe recipiens P. Lemos, ibidem ſtudijs, cunctiſque chriſtianæ pietatis actibus operam dans, quatuor volumina de Diuina gratia, aliiſque materijs ſcripſit, in Ordinis Archiuio exiſtentia nondum impreſſa. Tandem cum vſque in ſenectam, & ſenium dies ſuos protraxiſſet, laboribus fractus, octuagenario maior, ſuſceptis Eccleſiaſticis Sacramentis, nobis adſtantibus, & orantibus; cum agonem ſuum Sanctiſſimæ Dei Genetrici, erga quam ſpeciali deuotionis affectu ferebatur, commendaſſet, obdormiuit in Domino, confluente Romana Curia ad eius exequias, veſtiumque particulas pro magno munere efflagitante prout vidimus; de quo in emortuali libro huius noſtræ Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam ſic dicitur. *Adì 24. d'Agoſto il P. M. F. Tomaſſo de Lemos fù ſepolto nella ſepoltura de Padri dentro vna caſſa, cuius memoria viuet in æternum*. Prout vidimus.

ANNO 1630. P. Franciſcus Donatus Romanus de Mineruæ conuentu, Apoſtolicus Miſſionarius pro gentium conuerſione à Sac. Congregatione de Propaganda fide in Africa, Aſſiamque directus, cum in adiacentibus Regnis, ac prouincijs; necnon & Inſulis de Cochim ſumma animi conſtantia, ærumnoſis contemptis laboribus, Ieſu Chriſti Euangelium populis illis, ac efferatis gentibus cum fructu non modico annunciaret, linguamque Syriacam, atque hebræam, quibus populi illi etiam vtuntur, callèret, in Regnum de Cochin à populoChriſtiano perArchidiaconum eorum, in lege Domini, Sacris Ritibus, atque Eccleſiaſticis præceptis imbuendo vocatus, illuc perrexit, & annis pluribus permanens, in articulis cunctis ad catholicam fidem ſpectantibus edoctum, & plenè informatum, dimiſit; ſubdens, quia & alijs ciuitatibus, ac populis oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum *Ex Relat. Sac. Cong. directis.*

Sæuiſſimam peſtem experti ſunt Mediolanenſes, quæ Mediolani orta, in cunctas Lombardiæ ciuitates ſe diffudit, auctoribus eiuſdem diriſſimo ſupplicio perditis: abinde in Hetruriam graſſata eandem cum Florentia miſerrimè vaſtauit, innumero populo ſublato. Tantum malum ſuſtinere non valentes Fratres noſtri, vt animas ab æterna morte eriperent, ſuccenſi charitatis ardore, ſe euidenti expoſuerunt vitæ periculo, Sacramenta infirmis adminiſtrando, memores verborum Saluatoris dicentis,

Maio-

Digitized by Google

Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Et licet ex his multi in Prouincijs Lombardiæ, S. Petri Mart. ac Venetiarum ex hoc ſancto, ac ſerlubri miniſterio deceſſerint, quorum nomina ſunt in libro vitæ, præcipuè tamen in Romana Prouincia, & in partibus Aetruriæ mirabiliter Fratrum noſtrorũ charitas in eodem eluxit; etenim ex ſolo conuentu Florentino S. Mariæ Nouellæ decem Religioſi egreſſi numerantur ad ſaluandas infimrorum animas; & hi fuère P. Præd. Generalis Hyacinthus del Garbo, qui contagio ictus conualuit, iterumque aſſumptum pium miniſteriũ infaticabili ſedulitate morte compleuit; quem ſequtus eſt P. Franciſcus Caſtinus, & hic diuina ope fuit ſeruatus illæſus, & P. Angelus Freſcobaldus, qui eodem morbo correptus interijt vnà cum ſocijs ſuis F. Dominico Conuerſo Hiſpano, & F. Stephano pariter Conuerſo. Patres verò Nicolaus Amadorius, & Conſtantinus Talanus, cum F. Thobia conuerſo, in loco infirmorum apud Feſulanos epidemicis inſeruière, maximo cum eorundem ſpiritus conſolatione. *Ex relat. eiuſd. Conuentus.*

Buſcoducẽſis Ciuitas in Belgio communi opinione captu difficilis, ſed oportuno ſuccurſu deſtituta, poſt arctiſſimam obſidionem Batauorum armis expugnatur. Præerat illic ex noſtris epiſcopus P. Michael Ophouius Ex prouincia Germaniæ inferioris, vir incomparabilis: animabat iugiter præſidiarios milites, & populum, per mœnia vrbis circumiens, crucifixum manibus geſtans, & ſacrum Roſarium, B. Virginis oſtentans, hortabatur laſſos, vt inimicis catholicæ fidei viriliter reſiſterent; quod cum innotuiſſet Hollandis, capta ciuitate ſtatim exulare coactus eſt, nihilominus ipſe in propinquo caſtro permanens, præſtò fuit ouibus ſuis quoad vixit, earundem ſedulam curam gerens. *Lefebure.*

P. Michael Ruiz de conuentu S. Crucis ſegobien zelo conuerſionis infidelium ad Chriſtum ad Philippinas inſulas properauit, vbi breui tempore linguam illam edoctus, varios libellos ſpirituales pro nouiter conuerſorum ad Catholicam fidem conſolatione ſcripſit & euulgauit: Idola multa comminuit, eorumque aras euertit: & cum in Gentilium conuerſione indefeſſos labores ſuſtinèret, florenti adhuc ætate, veneno, (vt vulgatum eſt) ſublatus, poſt factam fraternam correctionem cuidam viro potenti ob ſcandaloſam vitam, quam ille ducebat. *Marcheſius in Sacro Diario.*

ANNO 1631. P. Petrus Martyr Francionus de Conuentu Mineruæ, qui ſuperioribus annis à S. Congregatione Propagandæ fidei Apoſtolicus miſſionarius in Orientem miſſus fuerat, cum in Regno Boemiæ, & Pragæ maximè, peſtis graſſaretur cum ingenti mortalium clade, & Patres noſtri in miniſterio Sacramentorum ſolliciti, eodem morbo perijſſent, adfuit illicò ipſe, & temporalem mortem non pertimeſcens, vitam æternam conſequuturus, Sacramenra cũctis miniſtrando plures animas ſaluas fecit, nocte, & die ſine intermiſſione laborans, quem Deus durante ibi contagio incolumem ſeruauit, ſub finem tamen eadem lue correptum, ad cœleſtia regna vocauit. *Ex memorijs conuentus Mineruæ, & Patrum noſtrorum in Boemia tunc temporis exiſtentium relatione.*

Graſſante magis in Aetruria, & Florentiæ dira contagione, quantum proximorum ardore æſtuauerit, & quantùm ad apicem Chriſtianæ excellentiæ profecerit P. Michael Malaſpina ex Marchionibus de Freſchineto manifeſtè apparuit; nam languentibus Sacramenta miniſtrare aggreſſus poſthabitis omnibus, abdicato Baccalaureatus gradu, vitæque diſcrimine neglecto, in S. Mariæ Nouellæ Paro-

chia huius beneficentiæ, ac heroicæ pietatis auſpicatus eſt exercitium, ſed cum tanta eſſet Michael in æſtimatione apud Patres eiuſdem conuentus, necnon & Confratres nobilis laicæ ſocietatis S. Benedicti, (cuius aliàs Corrector erat) eum timentes amittere, egerunt apud Reuerendiſs. P. Nicolaum Rodulphium tunc temporis Magiſtrum Generalem, vt à ſuſcepto miniſterio reuocaretur. Paruit ille cœca obedientia, quæ melior eſt, quàm victima. At Deo iterum cor eius pulſante, non ſine iterato prodigio, ad idem charitatis opus fuit mirabiliter reuocatus. Nam vehementi capitis dolore percitus, tumoreque ſub axilla prognato, quæ præcipua ſunt peſtilentiæ indicia, properauit ad S. Patris Dominici imaginem, oleoque lampadis poſt orationem fidenter ſe liniens, ſenſit ſe illicò ſanatum: attamen poſtridie eiſdem ſymptomatis denuò correptus, rurſuſque alleuiatus, promiſit Deo, ſi benè conualuiſſet, iterum ſe intermiſſum hoc pietatis opus agreſſurum. Itaque de Superiorum licentia ſolerti ſtudio ad lue infectos regreſſus, cum illos Sacramentis reficeret, propriaque manu cibos, nedum ſpirituales, ſed etiam temporales miniſtraret, cœteraque charitatis officia exhiberet; iterum peſtilentiæ ictu percuſſus, Feſulis 13. Martij huius anni feruentis deuotionis affectu ſpiritum Deo reddidit. Ibidemq; deceſſit Sacramenta infirmis deferendo P. Vincentius Paganus de conuentu Perufino eiuſdem P. Malaſpinæ in peſtiferorum miniſterio ſocius indefeſſus. *Ex Act. Capit. Gen. Romæ 1672. & relat. Conu. S. M. Nouellæ.*

P. Ioſeph Gonzalez aſſumitur ab Vrbano VIII. ad Archiep. Burgen. Eccleſiam ex illa S. Iacobi in Compoſtella translatus, vir verè pius, & paſtor optimus, qui commiſſos ſibi greges per viam ſalutis dirigere non omiſit: & Emanuel Teblea poſt peractum prouincialatus officium habuit regimen Archiepiſcopalis Goen. cum ouibus eidem annexis: P. Michael Raguel Luſitanus autem fit Ep. Cocchimen. in orientalibus Indijs. *Ex Act. Conſiſt.*

Decertabant inconcuſſi apud Indos, tàm orientales, quàm occidentales noſtri miſſionarij Apoſtolici, illorumq; colluctatio non erat aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduersùs Iaponicum Imperatorem, alioſque Reges gentilitatis caligine oppreſſos, qui dœmoni, & non Deo ſacrificia exhibentes, ſeipſos in damnationem æternam dirigebant. Inter illos autem, ſicut inter ſydera Sol, eminebat P. Didacus Cogliadus, qui temporalia cuncta contemnes, nouos filios Eccleſiæ daturus, diabolicos deludebat æſtus, & de ciuitate in ciuitatem, iuxta Domini præceptũ fugiens, confortabat catholicos, alios baptizabat, & tyrannorum perſequutiones irridebat. Quare tanta in eum ira exarsère illi, vt in publicis ciuitatibus mortis edictum contra eum, receptoreſq; ſuos publicauerint, quòd non ſemel ipſum legiſſe (incognitum tamen) ex ore eius, dum in Vrbe eſſet, ſuſcepimus, de quo infra ad annum 1633.

Apud Hollandos quoque, ac vnitas prouincias glorioſo agone decertabant Prædicatores Euangelij Apoſtolici miſſionarij, fideles illos in auita fide conſtabilituri; necnon & hæreticos ad veritatis agnitionem reducturi: ſuper quos inuigilabat inſignis ille vir P. Marius Ambroſius Cappello Vicepræfectus miſſionum, qui ſpiritu, quo feruebat ardenti, pro fidei dilatatione mori paratus per cunctas vnitas prouincias incedens, miſſionarios noſtros omnes viſitauit, & de eorum profectu edoctus Sacram Congregàtionem certioratam eſſe voluit, & poſt cuncta expoſita ſubdidit: *Paratus ſum quoſcumque labores, & pericula ſubire in obſequium Eccle-*

Eccleſiæ Dei, & promotionem fidei Catholicæ vſque ad profuſionem ſanguinis & vitæ: tali modo ſubſcriptus. *F. Marius Ambroſius Capello Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſter V. Præfectus Miſſionis Hollandiæ*. Fuit poſtmodum promotus ad Eccleſias Antequaren. Ipren. & Antuerpien. de quo alibi. Supradictis S. Congregationi nunciatis, ex ea tale proceſſit decretum: *Primò commendauit diligentias P. Ambroſij in viſitatione tot Miſſionum factas, eique gratias agi. Deinde ſecundò Miſſionarios pariter commendari, & ad functiones Miſſionariorum alacriùs proſequendas animari*. Ex relat. ad Mag. Ordinis in Archiuio exiſten.

ANNO 1632. Migrauit à ſeculo, in æternum regnaturus cum Chriſto P. Edmundus de Burgo Hibernus, vir nobiliſſimus, Dynaſtæ Mayanenſis ex fratre Nepos, Conuerſus, humilitate magnus, & paupertate diues, hæreticorum hoſtis acerrimus, qui multos ex ipſis ad vnitatem Eccleſiæ, eiurata Eccleſia Anglicana, cuius ſe Pontificem, & Caput Rex Angliæ nominabat, adduxit. Quare ab hæreticis in ſpeluncam latronum verſus eſt illius conuentus, fœdèque vſtulatus, ipſum tamen Edmundum ob familiæ venerationem, ac perſonæ reuerentiam dimiſerunt intactum. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1656.*

Aerumnoſis laboribus, ſtudioque infatigabili gentium conuerſioni, ſalutique animarum, & corporum, operam dabat apud oriẽtales Indos in ciuitate de Chaul P. Ioſeph de S. Maria ex nobili Gaſparis de Eilladares Soto maior & Annæ Rodriguez coniugio in Luſitaniæ Regno ortus. Hic per euangelicam prædicationem copioſa Gentilium multitudine, ad Ieſu Chriſti Domini noſtri venerationem in ciuitate de Chaul, circumadiacentibuſq; locis perducta, eleemoſynis hinc inde, non ex prædiuiti paterna domo, emendicatis pro pauperibus baptizatis infirmis, vbi caput ſuum reclinarent non habentibus, xenodochium permagnificum conſtruxit, in quo ſæua peſte in Regionibus illis mortales inficiente, ipſiſque in agris ac plateis miſerrimè deficientibus, ſupra mille & ducentos infirmos in conſtructo hoſpitali recepit, enutriuit, & curauit, manibus proprijs Sacramenta miniſtrando, plagas, tumores, vulneraque lauando, atque medicamina apponendo; & cum eſſet ſolus in hoc miniſterio, proptereaque in euidenti, ac continuo vitæ periculo, defunctorum corpora iam tabo fluentia, intolerando fœtore ſpreto, ſuis ipſe manibus, in Domino confiſus, ſepeliebat. *Ex relat. ſuprad.*

Inconcuſſa quoq; charitate viriliter laborabant hoc anno, & tempore Prædicatores pro Gentilium conuerſione ad catholicam fidem apud Indos, inter quos eminebat P. Petrus Palomino, in Indorum ad fidem Ieſu Chriſti adductione per viginti quinque annos, & vltra deſudans; de quo in Capit. Generali apud Valentiam celebrato ita dicitur in poſtulationibus eidem capitulo porrectis nomine ſuæ Prouinciæ: *Poſtulamus pro conuentu S. Enrici del Darien, in Prædicatorem Generalem R. P. F. Petrum Palomino, in reductione, & conuerſione Indorum per viginti quinque ferè annos infatigabiliter elaborantem, vbi & actualiter laborat.* Ex Act. eiuſd. Capit.

Suſpenſo ab impijs ſchiſmaticis in furca Epiſcopo Syrien. P. Andræa Garge, de quo ſup. an. 1607. tractatum eſt in Sacra Cong. de Propaganda fide de illius canonizatione, ſequenti emanato decreto in Congregatione Sac. Rituum.

Cum per Sac. Congregationem de propag. fide fuerit ad hanc Sac. Rituum Congregationem remiſſus proceſſus ſuper Martyrio ſerui Dei Andreæ Garga Veneti Ord. Fratrum Prædicatorum, olim Syræ Epiſcopi à

Schiſmaticis ſuſpenſi, eadem Sac. Rituum Congregatio cenſuit exquirendam eſſe per me Secretarium voluntatem Sanctiſſimi. Die 14. *Feb.*1632.*fol.* 12. Deinde ex eadem Congregatione tale decretum emanauit *Die* 6. *Martij* 1632. *Ego T. Ep. Aſſiſien. Congregationis Secretarius de hoc proceſſu habui verbum cum* Sanctiſſimo, *qui annuit per Sacram Congregationem committi cauſam, ad hoc ne pereant probationes.T. Ep. Aſſiſien.fol.* 13. Tandem ex eadem Congreg. tale emanauit decretum cauſa commiſſa. *Retuli egomet Secretarius in hac Congregatione, me feciſſe verbum cum Sanctiſs. iuxta ordinem mihi datum in anteceden. Congregatione de proceſſu martyrij P. Andreæ Gargæ Veneti Ord. Præd. Syræ Epiſc. & Sanctitatem Suam annuiſſe per S. Rituum Congregat. deputari ponentem huius cauſæ, iuxta diſpoſitionem nouarum ordinationum, eum in finem, ne probationes pereant, & cauſa fuit commiſſa Em. Cæſarino die* 13. *May* 1633.

P. Hyacinthus Petronius ex Magiſterio Sacri Palatij ad Melphitenſem Eccleſiã regendam aſſumptus ab Vrbano VIII. Gregorij ſucceſſore, conſtitutus eſt S. Cõgreg. S. Officij Miniſter in Neapolitano Regno, quam præfecturam, erectis, & ſtabilitis Neapoli apud Regium conuentum S. Dominici carceribus pro Tribunali S. Inquiſitionis, maximo cum catholicæ fidei fructu multo tempore geſſit vir laudabiliſſimus, vt vidimus.

Defuncto hoc anno Secretario Sacræ Congregationis Indicis Magdaleno Prouinciali etiam Romano, P. Io. Baptiſta de Marinis, qui ſub Magdaleno Prouinciali Romano vices Secretarij Congregationis Indicis ſuppleuerat, in locum eius ab Vrbano VIII. ſuffectus eſt: quo in munere Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit, vſque ad annum 1650. quo Magiſter Ordinis, poſt Thomam Turcum ſalutatus eſt, vt vidimus.

F. Cormacus Eganus conuerſus de prouincia Hyberniæ ab hæreticis Anglicanis captus, atque in vincula coniectus, poſt ſquallorem carceris, multaque mala inuicta fortitudinis conſtantia tolerata, in odium Fidei publico ſuſpenſus eſt patibulo. *Ex Act. Cap. General.* 1644.

ANNO 1633. Hoſtis fidei Imperatoris Iaponum ferina rabies, quæ poſt effuſum tot Religioſorum Euangelij præconum ſanguinem, quotidie maiora ſumebat incrementa, ferre non valens, quòd vno auulſo non deficeret alter; ac videns, quòd neque ferrum, neque ignis poterat miniſtros fidei ſeparare à charitate Chriſti, & à vinea Domini operarios eliminare, ferro, & igne dimiſſis, ad crudeliora tormenta in ſeruos Dei exercenda animum applicuit. Interim hoc anno cum venerabilis P. Dominicus del Quitia ex Prouincia Hiſpaniæ cum altero ordinis noſtri Religioſo Iapone gentium conuerſioni totus eſſet intentus, atque multos ex ipſis Verbi Diuini prædicatione, & inculpatæ vitæ exemplo ad ſanctam catholicam fidem attraxiſſet, quos idem ſocius Iaponius in chriſtiana doctrina erudierat, capti & ligati ambo, in arctum carcerem detruſi, poſt, famem, ſitim, atque moleſtias multas toleratas, glorioſum agonem varijs tormentis excruciati conſummarunt. *Ex littera circulari data per ord. à P. Generali.*

P. Michael de Benauides, Ioannes de Caſtro, Ludouicus Gandullo, & Bartholomæus Martinez omnem conatum adhibuerunt vt in Synam ingrederentur, vexillum Crucis in Regno illo vaſtiſſimo plantaturi per euangelicæ fidei prædicationem: at fruſtratus fuit labor; nam quoties id tentauère, toties coacti ſunt retrocedere, atque paſſum reuocare ſine fructu, & ſpe vlteriùs procedendi, multis afflictionibus vexati. Quare nominante Catholico Rege, Benauides, eorum

caput

caput, Nouæ Segobiæ primò Epiſcopus, Manilenſis Archiep. poſtmodum effectus omnem ſollicitudinem adhibuit in ſibi commiſſis populis infidelibus dirigendis per ſacrum baptiſma in viam ſalutis: donec tandem Deo cooperante, P. Angelo de S. Antonino Florentino ex Romana Prouincia, viro in conuerſione gentium indefeſſo (in quo ſancto miniſterio vitam conſumpſit temporalem, æternam conſequuturus) via patuit ad ingreſſum in Synam cum fructu magno; deinde alijs noſtris Patribus, vt dicetur. *Ex prædicta littera.*

P. Arthurus Geoghegan Hibernus poſt peracta in Hiſpanijs litterarum ſtudia in Angliam reuerſus, in itinere ab hæreticis captus, atq; in vincula apud Londinum coniectus, in odium catholicæ fidei moleſtias plurimas paſſus, tandem ad patibulũ raptus, poſt factam publicam fidei, & Religionis Dominicanæ proteſtationem ſuſpenſus, & adhuc ſemiuiuus, membratim truncatus, inteſtiniſque igne conſumptis, glorioſum agonem compleuit pro Chriſto. *Ex Act. Capit. Gen.* 1644.

Illuſtri quoque agone conſummato cœli ſecreta penetrauit P. Præſentatus Ludouicus de Spiritu Sancto Moſambichi in orientali India natus, noſtræque congregationis Indiæ orientalis alumnus, virtutibus, & litteris ſpectabilis, diuinique verbi præco famoſus, qui poſtquam totius Imperij de Monomotapa Imperatorem ipſum ad catholicam fidem attraxiſſet, ac propria manu ſacro regenerationis lauacro abluiſſet; tandem à rebelle, & idololatra quodam Duce bellum aduersùs verum, & catholicum Imperatorem mouente, & dira aduersùs eundem Imperatorem comitantes moliente, captus, tanti laboris ac meriti prœmia meruit adipiſci: nam ad arborem ligatus, ſagittiſque confoſſus, cœlos triumphans cum martyrij palma fœliciter penetrauit.

Huic datus eſt in corona ſocius P. Io: de Trinitate Luſitanus eiuſdem Congregationis, qui ab eodem rebelle captus, & ab alto monte præceps deiectus, lacerato corpore, ſpiritum integerrimum creatori conſecrauit. *Ex Actis Capitul. General.* 1644.

P. Petrus Girardellus de conuentu Toloſano, ibidemque Inquiſitor hæreticæ prauitatis, qui hæreticos multos, ſuæ inculpatæ, ac ſanctæ vitæ exemplo, ad catholicam fidem attraxit: à Magiſtro Ord. Nicolao Rodulphio in Vrbem accitus, vt ſibi & ordini inſeruiret, & ardua ſuæ Inquiſitionis negotia cum Vrbano VIII. atque Sacra Cardd. Congregatione pertractaret, in noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam conuentu deceſſit, verè pius, verè doctus, qui abſtinentia inuicta carnes nũquam comedit, neque ieiuna Ordinis, in morte etiam, violauit, vt vidimus.

P. Franciſcus de S. Dominico Luſitanus ex conuentu tamen Zamorenſi ſtudiorum curſu in cœnobio S. Thomæ de Auila completo, vrgente charitate, pro infidelium conuerſione, cum P. Didaco Aduarte Apoſtolico Miſſionario, (qui tandem nouæ Segobiæ Epiſcopus electus fuit,) ad Philippinas Inſulas nauigaujt, vbi cum Patre Batholomæo Martinez in Iuſulam Hermoſam euangeliũ Ieſu Chriſti ibidem anunciaturus penetrauit. Vix verbis exprimi poteſt fructus multiplex, quem ibi attulerunt Eccleſiæ prædicando, cathechizando, baptizando, cofeſſiones audiendo, cunctaque ſacramenta gentilibus illis, nouiter per lucem Euangelij ad gloriam allectis, miniſtrando. Tranſijt deinde Franciſcus ad populum de Senar, eundem quoque ſalutaribus Euangelij documentis inſtructurus, quod & præſtitit. Cum verò Pantaum verſus iter ſumpſiſſet, vt ibi quoque Euangelium Ieſu Chriſti annunciaret, ab eiuſdem incolis ante ingreſſum in illud ſagittis innumeris

meris confeſſus, ſpiritum creatori reddidit 27. Ianuarij huius anni. *Marcheſius in Sac. Diario tom. 1.*

P. Didacus Colliadus Apoſtolicus apud Iaponios miſſionarius, cum multos ad Ieſu Chriſti veram catholicam fidem per ſacrũ regenerationis lauacrum ignitis oris ſui eloquijs attraxiſſet, ac de impiorum manibus, ſeruante Deo, cuius cauſam tutabatur, incolumis, atque ignotus euaſiſſet, in Vrbem ad Vrbani Pont. ſacros pedes, Congregationemque de propaganda fide venit, & prolixa relatione data de fidei catholicæ ſtatu, atque incremento: necnon & perſequutionibus vigentibus in Iaponia certiorem fecit, quæque illius incremenro eſſent neceſſaria propalauit. Humaniſſimè igitur ab eiſdem receptus, atque tractatus, votorum ſuorum compos effectus, ad Iaponios remeauit, ſanguinem in gentiũ conuerſione profuſurus. At voto fruſtratus nauigio perijt tantus Apoſtolicus vir. *Ex Relat. ad Sac. Cong.*

Goen. Archiep. P. Emanuel Telles cum in gentilium conuerſione bonum certamen certaſſet, in directione ſibi creditarum ouium per ſemitam mandatorum Dei ad cœlum curſum conſumaſſet, atque in Euangelij prædicatione fidem ſeruaſset, pro catholica fide ærumnoſorum laborum exantlatorum coronam iuſtitiæ conſequuturus, depoſito carnis onere, ad Chriſtum perrexit, poſt ablutos ſacro lauacro manibus proprijs innumeros infideles Chriſto Domino regeneratos. *Ex Relat. P. Franciſci Donati ad Cong. de Prop. fide.*

Prædictus P. Franciſcus Donatus hoc anno apud Inſulas de Solor, Serra, aliaſq; adiacentes, euangelium Ieſu Chriſti prædicauit inter fideles illos, qui aduenientem Franciſcum, tanquam Angelum de cœlo delapſum ſummo gaudio ſuſcèpère, ſacris miniſtris in pluribus locis deſtituti, apud Ceilaum maximè, vbi pedem fixit ille, & pueros plures fidelium filios baptizauit, confeſſiones audiuit, Sacramenta cuncta neceſſaria miniſtrando: Eccleſiam Parochialem in honorem Sanctiſſimæ Virginis conſtruxit, in qua publicè Euangelium prædicauit, & idololatras multos ad catholicæ fidei amplexum perduxit: & firmatis ibidem ijs, quæ fidelibus illis neceſſaria videbantur, vlteriùs proceſſit dicens, quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò miſſus ſum. *Ex eius relat. Vrbano VIII. dat. in Archiu. Ord. exiſten.*

ANNO 1634. Innumeras patiebantur moleſtias inuicti pugiles Chriſti miſſionarij noſtri in Iaponia: nam videntes rabiem, atque immane odium Imperatoris illius erga ſe, ne deficerent in partibus illis, ac Regnis vaſtiſſimis, qui paruulis petentibus Euangelij panem frangerent; per ſiluas nemora, & montes incedentes, in ſpeluncis, & cauernis terræ, ſcorpionum tantùm ſocij, & ferarum effecti, latitabant; & opportuno tempore de nocte Chriſtianitates illas, modò vnius, modò alterius loci, in fide, Sacramentorum miniſterio confouentes aderant. Inter hos fuère Venerabiles PP. Iacobus à S. Maria, Lucas à Spiritu Sancto, & Franciſcus Iaponius, qui huc, illucque diſcurrentes, & Catholicos in fide conſolidantes, nouos gentiles attrahebant ad Chriſtum. Hos tandem poſt multas inſidias eis paratas, captos, varijs tormentis afflictos, trucidatos voluit Imperator; ſicque per effuſionem ſanguinis Chriſti milites glorioſi effecti, Agnum ſequti ſunt ad palmam. *Ex littera circulari ſuprad.*

P. autem Hyacinthus Eſchiuel Hiſpanus cum ex prouincia Philippinarum ad ſuſcitandum ſemen fratrum ſuorum euangelizantium pacem, euangelizantium bona ad Iaponum regnum declinaſſet, à Barbaris illis comprehenſus, & in vincula raptus,

ptus; poſt multas calamitates trucidatus eſt, cuius aures, & nares ſale conditæ, ad Gubernatorem de Nangaſaco pro inſigni munere ab interfectoribus glorioſiſſimi athletæ Chriſti delatæ ſunt comedendæ. *Ex literis circularib. ſuprad.*

Sed neque ſilentio prætereundum eſt opus miniſterij euangelici, quod aſſumpſit, & ſupra inſinuaimus P. Franciſcus Donatus ex conuentu Mineruæ, qui ab ingreſſu Ordinis conuerſioni infidelium ſummè affectus, eo fine in ipſo tyrocinio Religionis hebraicam linguam didicit, vt Iudæos ad Chriſti fidem attraheret, cogitans maximè Iudæos in toto Orbe eſſe à Chriſti lege alienos. Impreſſit propterea nondum 20. ætatis annum egreſſus, opuſculum in Vrbe de doctrina Chriſtiana, cum duobus alijs opuſculis, quorum vnum de accentibus, alterum verò de abbreuiaturis hebraicæ linguæ, eaque in lucem dedit ſub vno titulo *Poma aurea*, quaſi diuinans, ſe futurum in Eccleſia orientali fœcundam arborem noua Aurea poma in Eccleſia Dei per Euangelium producentem.

Vix Sacerdos effectus, ſalutis animarum ſitientiſſimus, inſtanter petijt, ac tandem obtinuit à Sacra Congregatione Propagandæ fidei ſe Apoſtolicum miſſionarium ad infidelium partes quaſcumque deſtinari. Ad orientales Indos propterea profectus, apud Goam primò ſubſtitit, deinde ad Coccinum tranſijt, poſtmodum ad Serram de Malacari, vbi malè tractatus, ex eadem regione exire coactus eſt; & aſſumpto nauigio Malacam verſus, ſingulari præſidio fuit per ſuas orationes Luſitanis ipſis contra Regem de Acem pugnantibus. Inde digreſſus peruenit ad Solor, & apud Sicam pedem fixit; iterumq; reaſſumpto itinere in Chinam penetrauit, & in Maccaſor requieuit, in quibus locis, & Chriſtianitates, & Parochias erexit, quamplurimis Gentilibus per euangelij prædicationem, cooperante Deo, ad ſacrum baptiſma adductis. At quia oportebat eum & alijs ciuitatibus euangelizare, arrepto itinere, cum in Ceilam peruenisſet, conſcenſo nauigio, poſt tribulationes multas, & peſſimas Goam reuerſus, ex eadem ciuitate ſequentem dedit epiſtolam ad Em. Fr. Antoniũ Barberinum, Cardinalem S. Onuphrij dictum, Vrbani VIII. germanum Fratrem ex Ordine Capuccinorum, Congregationis de Propaganda fide purpuratum Senatorem, talis tenoris.

Eminentiſs. e Reuerendiſs. Signore

Dalle lettere paſſate hauerà V. Em. hauuto notitia de' progreſſi, che con il fauor diuino hò fatto in queſte parti dell' Indie Orientali, oue fui mandato gl' anni paſſati da Sua Santità, e dalla S. Congregatione de Propaganda Fide. Li pericoli, trauagli, e tribulationi, che hò paſſato in queſte parti per fare l' vffitio mio, ſono innumerabili, tuttauia, eſſendo l'intento e l'opera tutta indrizzata al ſeruitio di Dio, gl' hò ſopportati con patienza, ſapendo che. Id, quod in præſenti eſt, momentaneum, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, *come dice l'Apoſtolo. Supplico V. Em. ricordarſi di me nelle ſue ſante orationi, e ſi compiaccia notificare à Sua Santità, che io l'hò ſeruita fin hora, e ſeruo, e difendo la ſua auttorità con tutte le forze.* aduersùs Mundi Principes, & Rectores tenebrarum harum. *Con che fò fine bagiandoli diuotamente le ſacre veſti, e pregandoli dal Cielo vlma felicità. Goa li 3. Febraio 1634.* De quo infra. *Ex eius vita impreſſa Romæ ann. 1669. à F. Ioſepho de S. Maria Carmelita Diſcalceato Biſſinianen. Epiſcopo.*

In Hollandia, alijſque vnitis Prouincijs in iniquitate hæreſis atque Apoſtolicæ Sedis auerſione peſſimè vnitis, inſudabant

dabant noſtri Prædicatores, vt hæreticos illos ad agnitionem veritatis reducerent in varijs illarum partibus distributi. Et quidem P. Io: Boudanus in Vltraiectina Ciuitate, & ditione, ac Vvouerden primis apoſtolicæ miſſionis fundamentis iactis, poſt quatuor annorum decurſum plurimos ex eis ad catholicam fidem, Apoſtolicæque Sedis venerationem adduxit. At cum copioſiorem meſſem Vltraiecti colligeret, exilio licet inde eiectus, illuc euidenti cum periculo vitæ remeauit, vbi diu in Apoſtolico aſſumpto miniſterio reductionis hæreticorum ad catholicam fidem labore indefeſſo inconcuſsus permanſit, in Sacramentorum miniſterio aſſiduus, ſacra prædicatione feruidus; & in hæreticorum ſalute procuranda indefeſsus. *Ex Relat. ad Sac.Cong. & Mag. Ord. datus.*

P. Hiacintus Hermanni verò iuxta Alemariam duos pagos colens, quorum prior Hayle dictus, mirum dictu, adeo ab hæreſi liber erat, vt è centum familijs vix quinque eſſent hæreſis labe infectæ: ex ijs autem tres ad catholicam fidem attraxit, cœteras verò in fidei catholicæ deuotione confouens, aſſiduis exhortationibus, Sacramentorumque miniſterio, erga Apoſtolicam Sedem deuotas, ſacræ doctrinæ pabulo enutriuit. Poſteriorem pagum, Bergas nuncupatum, cuius incolæ, penè catholici omnes quidem, ſed in operibus bonis tepeſcentes erant, quia illius vltimus Paſtor hæreticorum malitia laqueo ſtrangulatus, poſtmodum ſine paſtore viuentes, velut oues errabundæ in bonis operibus tabeſcentes, neque etiam in Paſchate communicabant, atheis potius, quàm catholicis ſimiles: nunc verò P. Hyacinthi opera feruentiores effecti in ijs, quæ ad ſalutem propriam ſpectant, catholicæ viuunt, prædicti Patris exemplari vita iam allecti. *Ex relat. ſuprad.*

ANNO 1635. Ingreditur Inſulas Philippinas P. Iordanus Anſalonus, dictus Iordanus à S. Stephano Siculus, Agrigentinæ diœceſis, in oppido S. Stephani natus, qui poſt quam abſoluit literarum ſtudia in Salmantino conuentu prouinciæ Hiſpaniæ, ſingulari Spiritus Sancti flāma accenſus, ad promulgationem Euāgelij ſe accinſit; & à ſuperioribus accepta benedictione, cum P. Hyacinto Iapono ſocio delecto, in Iaponum Imperium perrexit; & ſic puſillo Fratrum noſtrorum gregi in Iaponia laboranti, complacuit Patri æterno dare regnum, quando iam nullo ſuperſtite inimicus homo ſementem patris familias ſe ſuffogaturum facili negotio credebat. At quia non eſt conſilium contra Dominum, neque eſt qui voluntati eius reſiſtere poſſit, non deſuère ex noſtris Prædicatoribus viri Apoſtolici pectoris, qui zelo zelati pro derelictis ouibus animam ſuam ponere optarent. Cum quibuſdam igitur mercatoribus nauim conſcendentes, ad Inſulas Lequias vecti, penes Chriſtianos occulti latuerunt, vbi docentes eos ſeruare omnia quæcumque mundi Redemptor diſcipulis ſuis præcepit, fuerunt Chriſtianitatibus illis in ſalutem maximam. *Ex litteris circolaribus ſuprad.*

Laudabilis P. Angelus Cocchius de Romana Prouincia ex conuentu Feſulano euangelicus miniſter apud Inſulas Philippinas, primus omnium in Syna Chriſtum annunciauit. Hic Florentiæ honeſtis parentibus natus Dominicanam togam induit, & probationis tempore apud Feſulas exacto in Hiſpaniam ſtudiorum cauſa properauit, vbi in Salmantino cœnobio peractis ſtudijs, inde ad Philippinas Inſulas euangelium Chriſti infidelibus annunciaturus nauigauit: ex ijſdem verò non ſine magnis, multiſque miraculis in Synam penetrauit, vbi admiſſus, ſibi, & alijs prædicandi euangelium viam ape-

aperuit, & aditum reſerauit, multis Idololatris conuerſis ad Dominum Ieſum Chriſtum. *Ex ſuprad. litteris circularib.*

Cum hoc anno P. Franciſcus Donatus, de quo anno antecedenti, in Perſidem profecturus, nauigium conſcendiſſet à Mauris propè Barcellor captus, adduci non potuit, vt eiurata catholica fide, Mahometicæ ſectæ adhæreret. Quare nauigij gubernator hanc illi optionem dedit, vt vel catholicam fidem eiuraret, aut gladio periret; qui alta voce Ieſum Chriſtum verum Deum, mundique Redemptorem profeſſus, truncato capite in cœlum euolauit primis diebus Aprilis huius anni, corpore in mare proiecto, cuius vitam, geſta, ac mortem pretioſam, vt innuimus, impreſſit Romæ ann. 1669. P. Ioſeph de S. Maria Biſſianianen. Ep. tunc electus, ex diſcalceatis Carmelitis S. Tereſiæ.

Vrbanus VIII. *Attentis B. Alberti Magni in Eccleſia præclaris meritis* (vt inquit ipſe) conceſſit, quòd in vniuerſa Germania officium de eo fieret; quod Alexander Papa VII. ad totam Venetam ditionem extendit die 3. Maij ann. 1664. & tandem Clemens Papa X. ad ſupplicationem Magiſtri Ord. Io. Thomæ Rocaberti, dato Apoſtolico decreto 27. Auguſti an. 1670. per totum Ordinem extendit, vt vidimus.

P. Petrus Maria Dulcettus Regien. Inquiſitor in Lombardia, ſuperiori anno inſtitutus, inuigilans ſuper gregem ſibi commiſſum, vt in candore fidei illibatus conſeruaretur, quoſdam delinquentes, grauibus criminibus ad ſacrum Tribunal ſpectantibus irretitos, in vincula coniecit, & veniam ab Eccleſia petentes, à cenſuris abſoluit, ſolemni abiuratione in Eccleſia noſtri Ordinis, in aliorum documentum præmiſſa. *Ex relationib. Archiuij eiuſdem Inquiſ.*

Hoc anno Rege Chriſtianiſſimo Ludouico XIII. in Inſulam de Guadalupæ, atque alias Americæ, expeditionem inſtruente, nouaſque Gallorum Colonias ibidem deſtinante, Card. de Richlieu à P. Mag. Io: Baptiſta Cartè Nouitiatus Gener. Pariſien. Ord. noſtri Priore Fratres in exactiſſima regulari obſeruantia ibidem viuentes, vt fidelium directioni Indorum, hæreticorumque ex Gallia illuc aceedentium conuerſioni toto corde incumberent, obtinuit, miſſis illuc PP. Petro Pelicano Mag. miſſionarijs prælato præfecto, Nicolao Bracherio Vicario, Raymundo Bretono, ac Petro Griffono Sacerdotibus, qui 29. die SS. Apoſtolorum Principibus ſacra eiuſdem anni Guadalupam appulère fœliciter, erecto, dum præterueherentur in Martinica Inſula Sanctiſſimæ Crucis vexillo, Karaibis ipſis videntibus, nihilque commotis. Interim autem Apoſtolica, ac Sac. Congregat. de Propaganda fide auctoritate eadem miſſio ad 10. annos confirmatur 12. Iulij eiuſdem anni. *Ex relat. ad Sac. Cong.*

In Inſulam ingreſſi miſſionarij ſacras Cruces in eadem erexère ſtatim; vtque negotia dilatandæ fidei faciliori executione ad optatum finem eſſent perducturi, habitationes duas, ſiue ſimplicia hoſpitia cum annexis ſacellis, triginta ſex milliaribus ad inuicem diſtantibus, vnum quidem in Beatiſs. Virg. Mariæ de Roſario honorem apud locum de Baſſaterra dictū, iuxta regiam arcem S. Petri ad Septentrionale littus, alterum verò in honorem S. Hyacinthi ad littus meridionale, quod caput terræ dicitur iuxta Gubernatoris arcem, ex tabulis & cannis fabricata erexère celeriter, & ſex menſium decurſu, quibus pax inter Indos, & Gallos illuxit multi catechizati ſunt ab eis, aliquibus alijs baptizatis, vnica poſtmodum muliere ſola in catholica aſſumpta fide perſeuerante, alijs ad idola reuerſis. At ſuſcitato in Karaibus bello, noſtri miſſionarij fue-

re inde eiecti, interdicto ſub capitali ſupplicio ad eos regreſſu. *Ex præd. relat. ad Sac. Congreg. de Prop. fide miſſis.*

Eiecti igitur Patres ex locis prædictis hęreticorum conuerſioni totaliter addicti; breui temporis ſpatio ſupra ducentos ad catholicam reduxère fidem, Inſulamque ferè totam, cooperante Deo ab hæreticis expurgauère, non minori interim fructu inter catholicos laborantes. *Ex relation. eiſdem.*

Verùm morbis peſſimis Inſulam totam affligentibus, atque ægeſtate ob eiectos Indos,& tædio oppreſſi noſtri Patres Petrus Griffon, & Petrus Pellican, propriæ ſalutis conſequendæ, atque communis miſeriæ ſubleuandæ cauſa in Gallias remeare coacti ſunt, ibidem paulo poſt reuerſuri, eos ſequente P. Nicolao Brucordio tot inter miſerias duorum annorum decurſu Apoſtolici miniſterij onere ſollicitudine mirabili tam apud ſanos, quàm ægrotantes, maiori animo, quàm viribus ſuſtinente. *Ex relat. prædict.*

Apud Hollandos non longe à ciuitate Hornana tres pagos incolebat à biennio P. Auguſtinus Leerze, qui in primò ad vnum ex ipſis ingreſſu graues paſſus eſt ab hæreticis moleſtias, & in carcerem coniectus, fidelium ære redemptus, ibi perſeuerauit,& prædicauit maiori cum libertate, quàm habuerint vnquam alij Euangelij miniſtri. Vnde occaſionem nactusfrequentiſſimas habebat ad populum conciones maximo labore, quem vberrimus animarũ fructus leuiorem reddebat; & cum quadringenti eſſent in eius acceſſu communicãtes, poſteà creſcente fidelium numero ſexcentos Dei gratia exceſsère. *Ex relat. ſuprad.*

P. Emilius Poncellus de Aſculo in Tartaria miſſionariorum Apoſt. Præfectus ex Lombardiæ Prouincia apud Peram de Conſtantinopoli laceſſitus ab Holandenſium Paſtore, ſeu Prædicante Antonio Legero in curia Oratoris Holandenſium exiſtente, circa Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum,data ſcriptura, reſpondit ad omnia, & ſingula eius argumenta; & cum noua adinueniſſet ex Sanctorum Patrum auctoritatibus conflata, ſed deprauato eorum textu,detecta vafritiæ, illum conuicit, & confudit, itaut aliqualem ſpem dederit abiurationis Caluinianæ, quam profitebatur, hæreſis; qua de die in diem dilata, voto ſuo fruſtratus Emilius, cuncta quæ ſibi euenerant cum diſputatis articulis Sacræ Congregationi de Propag. fide manifeſtauit. *Ex Archiu. Ord.*

ANNO 1636. Licet Apoſtolici miniſtri Euangelij Patres Iordanus à S. Stephano, & Thomas à S.Hyacintho apud Iaponenſes in ſæculari habitu inter fideles deliteſcerent, & non niſi nocturno tempore Euangelicum miniſterium adimplerent, ab impijs gentilibus detecti, atque denunciati ad Tirannum,in vincula coniecti ſunt, fame,& ſiti cruciandi, atque multis tribulationibus vexandi: tandemque coram ipſo tyranno conſtituti cum duabus Sororibus tertij ordinis profeſſis Marina, & Magdalena, eò quod illos hoſpitio recepiſſent, varijs tormentis afflicti ſunt; Acubus deinde ad ſingulos eorum digitos inter vnguem, & carnem defixis, illorum manus à carnificibus vehementioribus ictibus collidebantur: ſtetère tamen imperterriti illi,& laudabant elata voce Dominum, qui nunquam deſeruit ſperantes in ſe. Tandem innocenti ſanguine effuſo, victorem ſpiritum cœlo dedère omnes. *Ex literis circularibus P. Rodulphij.*

Et quia ex Miniſtris Euangelicis in illis regionibus vno auulſo pullulabat alter, placuit bonitati Diuinæ alios in prædictorum locum deligere Euangelizatores chriſtianæ fidei. Non deerant in Prouincia Philippinarum Patres zelum Dei haben-

habentes, qui prompti erant ad ſuſcipiendum iter, Iaponum verſus, deficiebant nauigia, quibus veherentur, ob promulgatum edictum mortis in eos, qui miniſtros euangelij ſuis nauigijs aduehèrent in Iaponum. Affligebatur igitur nimis P. Prouincialis, qui Dominum aſſiduis precibus interpellabat, vt ſibi oſtendere dignaretur modum, & iter per quod operarios in vinem illam mittere poſſet; Cum ecce naui quadam aduentante, nunciatum eſt illi, quòd apud Inſulas Lequias multi eſſent Chriſtiani, omni miniſtro euangelij deſtituti, expectantes aliquem, qui ſibi Sacramenta exhiberet. Quare clã vocatis Patribus, Antonio Gonzalez Hiſpano, Gulielmo Courtet Gallo, Michaele de Oſaraza Cantabro, & Vincentio à Cruce Iaponio ob peritiam linguæ (qui & profeſſionem completo anno à ſuſcepto habitu ordinis, in aſſumpto itinere emiſit;) data eis benedictione, ſuper eandem nauim dimiſit, qua ad Inſulas Lequias declinantes ibidem permanſère, dicentes ſe à mercatoribus ibi fuiſſe derelictos. *Ex circulari littera P. Rodulphij.*

Alij quoque Patres charitatis fraternæ & ſalutis animarum zelo æſtuantes, ex Prouincia Philippinarum egreſſi, atque congregationi Indiarum Orientalium aſſociati, in vaſtiſſimas Regiones, ac Regna penetrantes, admiranda ibidem pro S. Fide plantanda, & conſeruanda egère, & agere non deſiſtunt, extructis inter Barbaros illo Eccleſijs, & cœnobijs Fratrum ſola fide, & charitate muniti, nullis parcentes laboribus de die, ac nocte, vbi Chriſtianum nomen ita glorificant, vt verè in omnem terram exeat ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quæ ſanguine confirmarunt. *Ex circulari epiſtola ſuprad.*

Vnus ex eis, qui in obſequium Catholicæ veritatis tanta præſtitère, fuit Venerab. P. Hieronymus de Paſſione de prouincia Portugalliæ, ex qua ad congregationem hanc præſtantiſſimam Indiarum Orientalium proceſſit. In ea & annos plures manſit, & viuendi religioſiſſiũ modum tenuit, atque eidem præfuit Vicarius ſemel, atque iterum. Tandem zelo Dei, & ſalutis animarum exæſtuans, ferre non valens quòd in vicina ciuitate de Bazain inter Chriſtianos adhuc Idolorum templa, & cultus ſupereſſent, ad illam properauit, Idolorumque deſtructioni totus intentus, dum Idolum confringeret, lancea transfixus, cecidit victima Chriſti ante aram confracti Idoli, ibique expirauit 10. Febr. glorioſus ſenex dierum multorum. *Ex dictis litteris.*

P. Aloyſius Murus de conuentu Valliſoletano peractis ſacris ſtudijs ad Indos nauigauit: & cum audiſſet in Philippinis Inſulis defeciſſe Euangelij miniſtros propter necem, pluribus ex eis illatam, petijt à Superioribus illuc ire, quòd benignè obtinuit. Ibi prædicauit, multos baptizauit, atque Altaria erexit. Cum verò in veneratione haberetur ab illis populis, tanquam Angelus de cœlo ad eos miſſus, petijt à Superioribus mitti in Iaponem, vbi tunc vigebat maximè Chriſtianorum perſequtio, vt in fidei Chriſtianæ defenſione vitã profunderet, quòd cũ illi fuiſſet denegatum, tandem apud Caſtrum Tanchunytilis confoſſus, optatam mortem pro Chriſto conſequtus eſt menſe Martio huius anni, apparente viſibiliter extrinſecus nomine Ieſu, inſculpto ſuper cor eius. *Marcheſius in Diar. Sac. tom. 2.*

Remeantibus ſuperiori anno in Galliam tribus præfatis miſſionarijs, P. Raymundus Breton in Guadalupana Inſula ſolus Euangelij miniſter remanſit, vbi per annos duos, & menſes ſex, ſalutis animarum ſitientiſſimus, omnibus omnia factus, & tot morbis, miſerijſque vexata inſula, calamitatibus cunctis pro Domini

mini gloria ſpretis, peccatorum ſaluti, hæreticorumque conuerſioni totus incumbebat maximo cum illorum fructu. Interim à Dominis Societatis Americæ amplo, & fœcundo campo Religioni dato ad miſſionariorum noſtrorum ſuſtentationem propè S. Ludouici arcem, in eo aliud ſacellum Diuæ Virgini de Roſario dicatum Raymundus in fidelium commune commodum extruxit. *Ex relat. ſupradict.*

Interim ad eandem Guadalupen. Inſulam appulit P. Petrus Fontana cum ſocio ſecundus miſſionis illius Præfectus delectus à Sac. Congregatione inſtitutus, qui deficientes operatios ad meſſem colligendam neceſſarios animaduertens, indefeſſo labore ſacri miniſterij onus ſuſcepit, prædicando, catechizando, hæreticos ad propriorum errorum abiurationem, ac publicam deteſtationem ſuſcipiendo, cœteraque ibi Apoſtolici demandati miniſterij onera complendo, in quo tandem aeris inſalubritate quaſſatus deceſſit. *Ex relat. ad Sac. Cong.*

Contra hæreticos Caluiniſtas, Lutheranos, cœteroſque ſocios in Hollandia inſaticabili ſtudio laborabant Prædicatores in populis illis, vt Caluiniana, Lutherana, aliaque quacumque ſecta abiurata, catholicæ fidei lumen agnoſcerent; inter quos P. Egidius Van Suuieten Vicarius Prouincialis Lugduni Batauorum per 19. annos, & vltra reſidens miſſionarius, ſeculari tamen ſub habitu, ſupra ducentos à ſe ad fidem conuerſos habebat, & centū circiter omni menſe confeſſione præmiſſa ſacra ſynaxi reficiebat. Erantque ſub illius cura circa trecentum catholici, quorum deuotionem fouebat, augebaturque illorum numerus in vicinis pagis, ad quos ipſe feſtiuis diebus declinabat miſſā celebraturus, Sacramentaq; adminiſtraturus. *Ex relat. P. Ioannis Bourquetij Commiſſarij Sac. Cong. & Mag. Ord. data.*

ANNO 1637. Capti ſunt quatuor miniſtri euangelij anno ſuperiori recenſiti PP. Antonius Gonzales, Guiliemus Courtet, Vincentius à Cruce, & Michael de Oſaraza cum duobus ſecularibus, vno dicto Laurentio Ruiz, & altero Iapone, qui viam eis oſtendebat, atq; eos linguam edocebat: itaque ad ſupremum Iudicem apud Nangaſacum die 13. Septemb. in vinculis adducti, mox ligneo, & perangusto carcere clauduntur; cumque ſe eſſe Religioſos, profeſſione Dominicanos dixiſſent, damnati ſunt, vt crudeli morte perimerentur. Ad tormentorum igitur locum ducti, atque in ſedibus ligati, impoſito ori ſingulorum infundibulo, quo dolia vino implentur, (*imbuto* dicto) tantum aquæ eos deglutire coegerunt, donec viſceribus diſtentis, vix non diſtrupti ſunt; quo facto tumentes, & ſemi mortuos humi proiectos, ſuper impoſitis aſſeribus calcabant, adeò vt euomentes aquam cum ſanguine, non ſemel, ſed millies etiam ſpiritum euomiſſent, niſi diuina gratia eos ad maiora deſtinaſſet certamina glorioſa.

Reductos in carcerem, poſt aliquot dies iubet Tyrannus Atletas glorioſos ad ſe adduci, & cum conſtantiores in catholica fide reperiſſet, ſedère ante ſe eos mandat, corporibus ad ſedem reuinctis, manibus eorum in modum Crucis aptatis, acus inter carnem, & vngues infigi præcepit, qui cum alta voce laudarent Deum quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, in carcerem reducti ſunt, in quo P. Antonius Gonzalez die 24. Septemb. mane ante lucem in cœlum euolauit. At 29. eiuſdem menſis eductos è carceribus, & in altum montem perductos ſocios cum duobus præfatis ſæcularibus, in patibulis ſuſpenderunt ita, vt eorum pedibus palo alligatis, caput cum medio corpore in fouea latèret, quo in agone ſemiuiui capite truncati, glo-

glorioſum dierum ſuorum curſum fœliciter conſummarunt. *Ex litt.circul.præd.*

Neque prætereundum putamus quòd Patribus noſtris miſſionarijs, Euangelij miniſtris in Indijs Orientalibus apud Imperium Mataran, (cui ſubditur vniuerſa maior Giaua) accidit. Nauigantibus enim hoc anno duobus ex illis, videlicet P. Petro de S. Ioſepho magnarum virtutum viro, cum dilecto Deo & hominibus P. Emanuele de S. Maria ab obedićtia deſtinatis in Regnum de Macaza, vbi Religio noſtra multas habet Parochias, ſeu chriſtianitates, à noſtris fundatas inter Gentiles quas gubernant, & ſæua procella quaſſatis, ad littus quoddam ſub Imperio de Mataran tandem appullerunt, quos ſtatim Gubernotor illius oræ maritimæ in carcerem detruſit, monens Imperatorem de aduentu, vt indicaret quid de illis agendum foret. Qui ſtatim mandauit, vt libertati reſtituti, benè tractarentur in victu, atque alijs omnibus eis occurrentibus, ac neceſſarijs profundandis duobus chriſtianitatibus, ſiue Parochijs ad inſtantiam Mercatorum Luſitanorum, qui ibidem incolebant eius Imperium. Quibus exequutioni datis, placuit ſanctiſſimæ Dei Genitrici Mariæ huius Eccleſiæ primordia illuſtri, (vt fertur) miraculo corroborare in huc modum.

Erat in regionibus illis Gentilis quidam, ſed compoſitis adeo moribus, vt duobus menſibus ante dictorum Patrum aduentum monitu eiuſdem S. Virginis ſibi in ſomnis apparentis effodiens terram repererit quandam eius ſtatuam, duorum circiter palmorum altitudinis, puerum Ieſum manibus geſtantem. Et quia eadem Virgo ſacrata iuſſerat illi, vt inuentam decenter collocaret, altari Domi conſtructo ſuper impoſitam, ſingulis diebus modo, quo Idola ibi coluntur, venerabatur ex corde; & pijſſima mater perſoluta oratione caput inclinabat, quaſi innuens adorationem illam ſibi gratam fuiſſe: His ergo fauoribus allectus Gentilis, feruentiùs quotidie orationem, & venerationem repetebat, donec fuiſſent ingreſſi Regnum illud PP. Petrus, & Emanuel; nam tunc, & ſi conſuetas præces, & venerationes exhiberet; nec motum, nec ſignum gratitudinis à Virgine Beata reportabat. Quare afflictus, & humiliatus nimis, deplorabat vberrimis lacrymis deperditũ fauorem Virginis Sanctæ; dicebatq; ad illam flens, & eiulans ex corde. *Oh me miſerum, & infœlicem, quæ patior! Quid tibi ò Domina mea diſplicuit? A conſueta veneratione, & oratione nõ defluxi. In aduentu tuo fidem maiorum meorum Penatibus negaui, eorum altaria non colui: Quare ergo conſuetum fauoris, & amoris ſignum denegas?* Cui clara voce reſpondit illa: *Signum gratitudinis negaui, vt maiora tibi, & alijs exhibeam amoris argumenta: Non eſt hic locus vbi coli debeam, nec dũ noſti quo cultu dilectus filius meus, & ego honorari velimus: Feras ergo nos ad locum vbi filioli mei Fratres Prædicatores nouas Eccleſias, & Parochias ædificant, & ab illis edoceberis, quo cultu honorari debeamus.* Paruit ille feſtinans, & inquirens de Fratribus, inuenit quod iam Eccleſiolam cum altari conſtruxerant, ſed quid in illo collocare poſſent, paratum non habebant; Narratis igitur omnibus, quæ ſibi acciderant, facta eſt lætitia magna in populo, ac Fratribus laudantibus Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, ſacra ſtatua in altari collocata, atque donarijs multis, & pretioſis aucta: at verò gentilis ille cum innumera Idololatrarum multitudine, audito rei ſucceſſu, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu Chriſti. Hiſque prodigijs, & portentis introducta, & conſtabilita eſt catholica fides in vaſtiſſimis regionibus illis. *Ex litteris circularibus P. Rodulphij ſæpe recenſitis.*

His

Digitized by Google

His peractis ſtatim Patres prædicti de ſucceſſu monitos voluere Patres noſtros Congregationis Indiæ orientalis, atque R. Patrem Vicarium Generalem illius, vt operarios mitteret in regiones illas ad meſſem paratam, quæ iam albeſcebat. Quare idem Vicarius ſelectos aliquos, quos ad id muneris aptiores iudicauit, adiutores eiſdem deſtinauit, qui cum illis innumerabiles Idololatras per ſacrum baptiſma catholicos effectos S. Matri Eccleſiæ dedère filios. *Ex eiſdem litteris.*

Ad de Guadalupa Inſulam appulère hoc anno duo Patres Capucini dilatandæ catholicæ fidei zelo deſiderio feruidi, à D. Golius Inſulæ Gubernatore vocati (qui infenſus nimis erat Dominicanis miſſionarijs noſtris, eo quod eum, & publicè & priuatim ſeriò de eiectis Indis, qui facili negotio ſanctam fidem amplexabantur, increpaſſent) at paucos poſt menſes, ereptis ex hoc ſæculo nequam Patribus Capucinis, multis miſerijs vexatis, duo alij eiuſdem inſtituti ſucceſſère, ſed loci ægeſtate maxima afflicti, recedère ex Inſula fuère compulſi. Tunc Patris Raymundi Breton (de quo anno antecedenti) conſtantiam, atque fidem in Euangelica miſſione mirati Incolæ, publico inſtrumento publicam annonam eidem, ac miſſionarijs alijs noſtris, quibuſcumque in eam Inſulam aduenturis tradidère: nam labore manuum ſuarum eatenus ſibi cibum perquiſierant illi. *Ex relat. ſuprad.*

S. Congreg. de Prop. fide 11. Martij Apoſtolicam miſſionem ad Cardinalis de Harac inſtantiam repetitam doctiſſimo P. Magiſtro Lactantio Beretta in Regnum Bohemiæ, ita tamen vt in pertinentibus ad miſſionem D. Cardinali de Harac eſſet ſubiectus. *Ex relat. eiuſd. Sac. Cong.*

Eadem die Sac. Congregatio Apoſtolicum miſſionarium ad regionem Manche in occidentalibus Indijs inter Guatimalam, & Iucatan ſitam deſtinauit P. Franciſcum Moran, vt Gentiles illos per ſacram verbi diuini euangelizationem ad Chriſtianam fidem vocaret, prout præſtitit ille nobili ſibi in cœlis manſione præparata. *Ex relat. ſuprad.*

In Hollandia, & Prouincijs vnitis quoque erant hoc anno Apoſtolici Miſſionarij numero 29. pro illorum populorum conuerſione ad catholicam fidem, & adminiſtrandis fidelibus illis ſacramentis, ex quibus duo periere in ſacro miniſterio Sacramentorum peſte laborantibus. Patres autem ibidem miſſionarij erant Henricus Vanmeruuen, Egidius Van Sunieten, Vincentius Andreæ, Antonius de Geng, Arnoldus Steur, Io: Boudanus, Philippus Paludanus, Michael Connix, Albertus Ianſenius, Ludouicus Oliſlagers, Auguſtinus Learſe, Io: Schadiam, Seruatius Vandehaghen, Henricus Sennius, Cornelius Ianſeruos, Leonardus Ianſenius, Iacobus à Marca, Theodorus Veruuyner, Egidius de Salaing, Hyacintus Hermanni, Victor Bhoem, Petrus Berſius, Antonius Verheyden, Mag. Io: Ryder, Raimundus Potez, Dominicus Strich, Io: Dauid, Adrianus Mutſaert, & P. Io: de Vrteſe: loca verò quæ inhabitant ſunt 17. facientes fructum copioſum in infidelibus illis, ex quibus multos ad catholicam fidem errorum abiuratione traxerunt, catholicorum confeſſiones ſuſcipientes, reliquaque Sacramenta illis miniſtrantes referuntur eorundem fructu, Eccleſiæ dati, vt in æternam ſalutem dirigere. *Ex relat. P. Iacobi Brouuer Præfecti eorumdem Miſſionariorum data S. Cong. atque Ord. Mag.*

Patres autem Miſſionarij ſuprad. peſte ſublati, fuerunt Paulus Riſtius, & Gaſpar Luypart, quorum prior ex Vltraiectina ciuitate exulare coactus apud Rotterdamum, peſte laborantibus Sacramenta miniſtrans, in eo ſancto miniſterio defecit

Poſte-

Poſterior verò cum Schredami graſſante lue inuictâ animi conſtantia catholicis Sacramenta miniſtraret, eodem morbo correptus huius ſæculi ærūnoſos labores fœliciter terminauit. *Ex Relat. ad Sac. Cong. & Mag. Ord. datis.*

ANNO 1638. Prædicationi euangelicæ grauiter incumbebant noſtri Prædicatores, tam apud orientales, quàm occidentales Indos, Idololatras innumeros ad catholicam fidem ſuis exhortationibus, atque probatæ vitæ exemplis attrahentes, idolaque deſtruentes, etiam cum euidenti periculo vitæ, quam conſtanti pectore contemnebant, ad æternā, & indeficientem anhelantes. *Ex litteris circularibus.*

In Inſula, quam Hermoſam appellant, propè ſpatioſiſſimum Regnum Chinæ, Venerabiles Patres noſtri Hyacinthus Vaez de Prouincia Hiſpaniæ, & Ludouicus Maurus de conuentu Valliſoletano, dum in prædicatione Euangelij aſſidui, multos ad ſanctam fidem catholicam pertrahebant, ſagittis confoſſi, in Domino obierunt. *Ex litteris circularibus P. Rodulphij ſuprad.*

In Hibernia quoque propriæ profeſſionis non immemores, effuſione ſanguinis obſignabant Prædicatores noſtri hæreticorum conuerſionem, & catholicorum in ſancta fide corroborationem, inter quos eminebat Venerabilis Pater Io: ò Mannyn de conuentu Derenſi, regularis obſeruantiæ cuſtos fidelis, qui dum impauidè ſui Ordinis habitum inter fremētes hæreticos geſtabat, ab his demum agnitus, captus, & ad tribunal raptus, cum propoſita ſibi lautiſſima præmia, deinde & atrocia tormenta contempſiſſet, fidemque Romanam alta voce profiteretur; iuſſus eſt per ſingulas ſeptimanas, bis, aut ter in equuleo ſuſpendi, vt à fide deficeret, ſed in ea tortura pendulus, ſemelq; ex alto præceps datus, dorſo fracto, ad mortem vſque in gibbum procuruus manſit, ſatis probans, non martyrio animum, ſed animo martyrium defuiſſe. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1656.*

Roſarium perpetuum B. Virginis Mariæ, quo ſingulis totius anni diurnis, nocturniſque horis continuò laudatur Beatiſſima Dei Genitrix, inſtituitur à P. Timothæo Riccio noſtri ſæculi altero B. Alano, idque maximo totius Chriſtiani populi ſolatio, & bono; quod pium exercitium deinde ab Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. & X. largis Indulgentijs ditatum fuit, & tantam propagationem in populo Chriſtiano fideli obtinuit, vt aliquando eundem Patrem Timothæum dicentem audierimus iam primis illius temporis initijs ad ſingulas diei, noctiſque horas minimùm, ſexdecim perſonas in illius Roſarij priuata recitatione iugiter occupari, & quidem inter primordia ſic perſortem diſtribuebantur petentibus, vt tamen hora, quæ vni iam obtigerat, non concederetur alteri; donec in toto 24. horarum circulo nulla ampliùs vacua relinqueretur. Exinde poſteà creſcente accurſu, plures in eandem horam numeroſiùs confluxerunt, ac in dies confluunt. Formula deuotionis huius peragendæ datur vnicuique in typis adſcripto illius nomine, die & hora ſibi deſtinata, qua integrum Roſarium ita per partes exſoluat, vt proſit Agonizantibus, Animabus in purgatorio detentis, & viuis in mortali peccato exiſtentibus, ac demum vniuerſis conſodalibus Roſario adſcriptis. Quo fit, quòd dum vnus per horam orat in anno, reliquis horis totius anni complures viciſſim habeat confratres, & conſorores, Deum, atque Beatiſſ. Virginem Roſarij prò ſe deprecantes: tantumque inualuit hoc pium, ac ſalutiferum orandi genus inter fideles, vt innumeri ſe eidem addixerint in Europa, tota, nouoque Orbe. Viget igitur modo vbique

vbique terrarum hæc pia ſocietas, in quā, etiam Pontifices Maxx. adſcribi voluère *Benedictus Deus*, qui tantum bonum in Eccleſia pro communi fidelium omnium ſalute voluit per eundem P. Magiſtrum Timothæum Riccium operari, prout vidimus, & recenſetur in Actis Capit. Gen. Rom. an. 1650.

Neque his ſatiata eiuſdem P. Riccij pietas maxima, atque erga proximum charitas, inſtituit inſuper, Sanctiſſima Genitrice Dei Maria cor eius dirigente, vt totum Roſarium Dominica prima cuiuslibet menſis publicè in Eccleſia (ſilenter tamen) perſolueretur in ſupplementum eorum, qui habentes horam Sanctiſs. Roſarij, in antecedenti menſe eidem non ſatisfecère: quod ſacrum exercitium bellico nomine vſus (vt pote contra Dæmonem caſtrametatus) ſpiritualiter vocauit *lo ſquadrone*, vt vidimus.

Expugnata à Ludouico XIII. Galliarū Rege Rupella Hæreticorum aſylo, maximo cum catholicæ fidei bono, reuertuntur Prædicatores noſtri in illam poſt 76. annum expulſionis, ibiq; propria Eccleſia cum cœnobio recuperatis, exinde B. Virginis Roſarium alta voce publicè recitatur, maxima cum catholicorum conſolatione, hæreticorumq; confuſione, Roſario etiam perpetuo ibidem promulgato, & inſtituto. *Lefeburè*.

P. Iacobus de Bouuers apud Hollandiam in Prouincijs hæreticorum vnitis Miſſionariorum Apoſtolicorum Præfectus omnem adhibebat operam, vt Miſſionarij ipſi eſſent in ſuis obeundis muneribus ſolertes, ac efficaces, catholicos in catholica fide ſacramentorum miniſterio, ſuis exhortationibus, atq; virtutum exemplis confouendo; hæreticos verò proprijs charitatis operibus, inculpabilis vitæ documento, ſacrarumque ſcripturarum auctoritate ad agnitionem catholicæ veritatis vocando. Hic præſenti anno cuncta loca, in quibus Miſſionarij noſtri reſidebant viſitauit, & erant tunc ſequentes. P. Henricus Vanmeruen. reſidebat Amſtelodami, tanquam Miſſionariorum Vicarius, & cum eo P. Antonius de Hencons, quibus datus eſt coadiutor P. Auguſtinus Leerſe. Harlami reſidebat P. Philippus Paludanus, & P. Michael Coninx. Leydæ P. Egidius Vanſuuieten cum P. Alberto Ianſenio. Rotterodami P. Io: de Vrieſe in locum prædefuncti P. Pauli Riſtij. Scredami P. Adrianus Mutlaert in locum prædefuncti Gaſparis Luypart. Haye Comitis P. Arnoldus Staur (qui Groningæ prius captus ab hæreticis exilio mulctatus fuerat). Dordreſcti P. Ludouicus Oliſlayers S. Theol. Licentiatus. Monachodami P. Cornelius Ianſenius vti Paſtor, & ſolus, qui reclamantibus nimis catholicis, cum licentia P. Magiſtri Generalis Roduldhij in Vrbem venit, quibus ſatisfacturus P. Iacobus præfectus dedit eis ſubſtitutum P. Leonardum Ianſenium eius germanum fratrem. Iepedami P. Iacobus à Marca tanquam Paſtor & ſolus. Beemſtre ſimiliter vti Paſtor, & ſolus P. Theodorus Veruuynen. Alemaniæ P. Hiacinthus Ermani S. Theol. Licentiatus. Vtheylo, & Berghis, duobus vicinis pagis tanquam paſtor inſeruiebat ſocius illius P. Victor Bloem. Vltraiecti P. Vincentius Andreæ cum P. Præd. Generali Ioanne Bocadano. Thielæ P. Petrus Poerſiæ cum ſocio P. Antonio Ve[r]heyden. In Friſia ad Vuorcomium in ſer[n]uolde P. Henricus Sonnius, qui Groningæ anteà captus & in carcere crudeliter tractatus, in exilium miſſus eſt. Leuardiæ P. Io: Schredam cum ſocio P. Suatio Vanderhughan. In Geruenſe tanquam Paſtor erat apud nobilem quedam Egidius de Lazaing. In Ciuitate nique Boſcoducenſi P. Io: Priderus M & Vicarius Miſſionariorum cum P. bus Raymundo Porcio, Dominico St

ac Ioanne Dauide, multos, ac vberrimos fructus,& cœlo,& Eccleſię dedère. Omnes autem miſſionarij prædicti, vita ac doctrina ſpectabiles, ſe exemplares præbentes, fructum non exiguum dabant Eccleſiæ ſanctæ Dei, tum in hæreticis conuertendis, tum Catholicis confirmandis, & ad meliorem vitam, moreſq; promouendis; propter quod Dominicis, ac feſtis diebus frequentes habebant congregationes, ac conciones, quas in Friſia, & quibuſdam alijs locis, vbi ardebat perſequtio fidelium catholicorum, nonniſi media nocte, & in abſcondito habere poterant. *Ex relat.*

ANNO 1639. Luctuoſus nimis fuit Ordini, imò Vrbi, & Orbi deficientibus Eccleſiæ viris præſtantiſſimis, qui illam ſanctitate, ſacra purpura atque ſingulari ſapientia illuſtrabant.

Inter hos primum ſibi vendicat locum Card. Auguſtinus Galaminus, qui in minoribus Tribunali S. Inquiſitionis præfectus Brixiæ, Placentiæ, Ianuæ, atque Mediolani; deinde Commiſſarius Generalis eiuſdem in Vrbe inſtitutus, necnon Magiſter Sacri Palatij; atque ad ſacram purpuram aſſumpto Magiſtro Generali Xauierre, in huius locum ſalutatus Magiſter Ordinis, ſumma integritate eumdem rexit, accuratiſſimèque viſitauit. In Galliam profectus, à Rege, ac Regijs Principibus ſingulariſſimis amoris indicijs exceptus, atque beneficijs in commodum Ordinis cumulatus, Generale Capitulum celebrauit, quo peracto dum viſitationi cunctarum eiuſdem vaſtiſſimi Regni Prouinciarum ſe præpararet, à Paulo V. ſacra purpura donatus, in Vrbem reuerſus eſt; vbi ab eodem Pont. Max. benigniſſimè acceptus, ſacroque pileo cohoneſtatus, titulum Cardinalitium S. Mariæ de Aracœli obtinuit. Mox Epiſcopus Recanaten. & Lauretanus Paſtor creatus, ad ſuam Eccleſiam properauit; ex qua ab eodem Paulo Pontif. ad Auximatem anno 1620. translatus, ibidem ſumma integritate in pauperes profuſa liberalitate effulſit vſque ad annum hunc, quo (non menſe Iulio, vt malè ex aliena relatione diximus in noſtro Sac. Theatro Dominicano) ſed Septembri die 6. euolauit in cœlum. *Ex Arch. Ord. Paulus de Scio.*

Huius integerrimi Paſtoris mortem prætioſam in hunc modum denunciauit Ordini P. Nicolaus Rodulphius Magiſter Generalis. *Ergo, dum duobus præſtantiſſimis Patribus Chriſtianè, ac Religioſè ex hac luce migrantibus, debita ſuffragia vix exibuimus, proh dolor, adhuc manus Domini extincta fulgura multiplicauit, & conturbauit nos, ſuper dolorem vulnerum noſtrorum addens, & peccata noſtra verè reſponderunt nobis, vt vno auulſo, defuerit alter amantiſſimus olim Ordinis totius parens Fr. Auguſtinus Galaminus Cardinalis de Aracœli ferè nonagenaius noſtris tamen; imò totius Eccleſiæ neceſſitatibus intempeſtiuè die ſexta Septembr. deceſſit, non raptus certè, ne malitia mutaret cor eius, & intellectum, qui ab ineunte, vſque ad decrepitam ætatem ea integritate vixit, vt immutabilis videretur in bono.*

Sed dum oculos noſtros hæc amaritudo amariſſima meliùs quam Tobiæ fel aperit, cauſam tantorum agnoſcentes malorum, clamemus; cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccauimus: Par certè præſtantiſſimi viri vitæ extinctus fuit, vt aliena ope innocens anima egere non exiſtimetur; noſtro tamen debito deerimus, ſi totius Ordinis olim parenti, ea qua par eſt deuotione non parentemus. Parum certè erit ſancita à noſtris legibus pro Magiſtro Ordinis ſuffragia perſoluere, multiplici iure plura ſibi, imò omnia vendicat.

Recedenti igitur Patri obſequium vt filij præſtemus Eccleſiæ Dei lumen extinctum, vt fideles lugeamus, religioſè vitæ animatam normam imitemur; ſicque iuxta funeris

perſoluamus; & hæc ſit in tot anguſtijs conſolatio noſtra. Valete, & Deum pro me, & ſocijs orate. Meſſanæ die 26. Septemb. 1639. Conſ. in Dom. F. Nicolaus Rodulphius Mag. Ord.

Multa piè in morte legauit Card. Galamınus, ſuæ Cathedrali, S. Domui Lauretanæ, conuentui Mineruæ, necnon & omnibus Inquiſitionibus, quibus præfuerat, alijſque perſonis, Pauperibus, ac locis, Sacra Congregatione Propagandæ fidei hærede ex aſſe relicta.

Anno eodem defecit alter S.R.E. Cardinalis noſter Deſiderius Scalia, Card. de Cremona dictus, eò quòd Cremonæ Dominicanam togam induit, ibique profeſſus eſt; qui Papiæ primò, Cremonæ ſucceſſiuè, & Mediolani Inquiſitor, Commiſſarius poſtmodum Generalis S. Inquiſitionis in Vrbe à Paulo V. inſtitutus, tandem ſacra purpura ab eodem cohoneſtatus, Epiſcopatum Melphienſem, deinde Comenſem conſequutus eſt. Vixit in purpura vſque ad annum 1639. quo illam cum corpore dimiſit Auguſto menſe, & ſic permanſit Ordo ſine purpura vſq; ad annum 1641. quo Vrbanus VIII. S. R. E. Cardinalem creauit P. Vincentium Maculanum de Florentiola ſacri Palatij Magiſtrum. Sepultus eſt Deſiderius extra Ordinem, in ſua titulari S. Caroli ad Curſum Eccleſia non ſine Fratrum iuſto dolore, prout vidimus.

Tertius, qui hoc anno, ſuo è viuis præmaturo deceſſu Ordinem contriſtauit, fuit doctiſſimus vir P. Nicolaus Riccardius in omni ſcientiarum genere, ac ſanctis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis verſatiſſimus, *Monſtrum* idcirco nuncupatus, Sacri Palatij Magiſter, in quo munere tanquam lucerna ſuper candelabrum mirum inmodum relucens, Eccleſiam ſanctam & Ordinem illuſtrabat, obijt autem 30. Maij ſuæ ætatis 54. in Minerua tumulatus, prout vidimus.

Sublato Riccardio Vrbanus VIII. [Pon]tifex P. Mag. Vincentium Macula[num] de Florentiola Generalem Comm[iſſa]rium S. R. & vniuerſalis Inquiſiti[onis] creauit Magiſtrum Sacri Palatij, [in quo] in munere eluxit vſque ad aſſumpta[m] ſacram purpuram, vt vidimus.

Ex Vrbani Papæ VIII. decreto f[abri]cati ſunt Neapoli carceres in conu[entu] Regio S. Dominici pro tribunali S[. Inqui]ſitionis, conſtituto P. Priore pro t[em]pore eiuſdem conuentus Conſulto[re]. Carceres autem præfatos conſtruxi[t] Mag. Thomas de Aualos ex Marc[hio]nibus Vaſti, & Piſcariæ tunc temporis [eiuſ]dem Prior, qui an. 1642. factus eſt [La]cerin. Ep. prout vidimus.

Et hoc loco recenſendus eſt P. Iac[obus] Goar Pariſinus, græcæ linguæ peritia[ſſimus], riſſimus, atque in Sanctis Patribus G[ræ]cis verſatiſſimus, in cœnobio San[ctæ] Annuntiatæ ſub exacta regulari o[bſer]uantia enutritus, qui à Mag. Gen[erali] Rodulphio Romam perductus, [&] Chienſem inſulam Prior directus v[t Ca]tholicos in fide conſtabiliret, ſchiſm[ati]coſque Græcos ad Summi Pontifici[s ve]nerationem perduceret, multùm ibi profecit, ob linguæ peritiam mag[no in] pretio ab eiſdem habitus. Romam re[uer]ſus, Priorque conuentui S. Sixti p[ræfe]ctus, terminato officio Galliam repet[ijt], ibi *Euchologium*, ritus cunctos Ecc[leſiæ] Græcæ continens, in lucem edidit [....] dum Vicarij Generalis Congregat[ionis] S. Ludouici onus ſubiret, ſancto [obdor]miuit anno 1653. in translatione [ope]rum quorundam Sanctorum Patru[m ex] Græco idiomate in latinum occup[atus]. *Ex relat. Archiuij Mag. Ord.*

ANNO 1640. Cum P. Domi[nicus] Nazarius, natione Armenu[s] ſtudiorum cauſa in Vrbem venerat [....] minatis ſtudij Hebræorum conuer[ſioni] ad fidem catholicam ſe applicuiſſet

qu

quos ex eis ſacro lauacro regenerari fecit; proper quod multas perſequtiones ab eorum Rabinis & principalioribus ex pertus, poſt aliquot annos remeauit ad patriam, populos illos in fide, ac veneratio ne Apoſtolicæ Sedis confirmaturus, vt vidimus.

Obtentis hoc anno 4. Martij non nullis decretis, ac conditionibus à Dom. Societatis Americæ in fauorem ac ſolatium Apoſtolicorum miſſionariorum neceſſarijs à P. Mag. Carre miſſionis commiſſario Pariſijs, mittuntur noui operarij in Guadalupen. inſulam ad exolendam vineam, Domini PP. Nicolaus de Mare Sorbonicus Magiſter ac Doctor, & miſſionis præfectus, Io: à S. Paulo, Io: Bapt. de Turre Sacerdotes cum tribus Fratribus Conuerſis coadiutoribus Nicolao Saintal, Iacobo de Martyribus & Stephano de Aſſumptione, viris omnibus animam ſuam pro gloria Domini ponere paratis. In Inſulam igitur fœlici nauigatione delati, miſsis manibus ad fortia, hæretici multi eorum opera abiurata hæreſi ſe Eccleſiæ aſsociauère, Nigritis pluribus ſacro regenerationis lauacro ablutis. *Ex relat. ad Sac. Cong. dat.*

Apud Occidentales Indos in Euangelij promulgatione inſudabat labore indefeſſo in Terra firma P. Adrianus Vſtelde, de S. Thoma dictus, vbi viginti oppida infidelium ad catholicam fidem, eiurato idolorum cultu attraxit, incolis illis ſacrum per baptiſma fideliũ conſortio aſſociatis; quod cum Magiſtro Ordinis Nicolao Rodulphio innotuiſſet, data eidem epiſtola, zelum, charitatem, atque pietatem illius commendante, ad boni certaminis curſum conſummandum pro corona iuſtitiæ ſibi repoſita conſequenda eundem cohortatus eſt, de tanto fructu S. Congregatione de Propag. fide monita, quæ de rei euentu certiorata, die 24. Nouemb. 1642. decreto edito ſanxit eundem P. Adrianum cum ſocio illi à Prouinciali ſuo aſſignando Apoſtolici miſſionarij munus adimplere poſſe, ac debere in Regno Terræ firmæ earundem occidentalium Indiarum. *Ex relation. ſupradict.*

Pro eadem catholica fide promouenda inter hæreticos Hollandiæ P. Ludouicus Oliſlagers Derdoraci laborauit per ſex annos, & vltra Apoſtolicus Euangelij miniſter, vbi fides inter paucos illos fideles langueſcere videbatur, eam reſtauraturus: nam nutantes in ea confirmauit; multis ad catholicam fidem attractis. Quatuor in locis in Chriſtiana fide, & pietate ſelectos viros conſtituit, qui iuuentutem inſtruerent. Peſte graſſante, omnibus lubens, & ſedulò Sacramenta adminiſtrauit intrepidus mortem pro illo, qui mortem noſtram deſtruxit, contemnens: & omni Dominico die, quamuis Derdoracini ſæui perſequtores catholicorum ſint, ſeriòque, ne catholicorum conuentus fiant inuigilent, conciones habebat, multoſq; ſua dexteritate ad catholicæ fidei veritatem adducebat. *Ex relat. ſuprad.*

P. Raymundus Keoga in odium fidei catholicæ, & auctoritatis Summi Pont. viſibilis Eccleſiæ capitis, quam prædicabat, ab hæreticis captus, trucidato corpore, animam cœlo dedit. *Ex Act. ſuprad.*

Sanguinem pariter effudit gloriam cõſequuturus æternam in Inſula *Timor* P. Ludouicus de Paſſione Luſitanus ex Cõgregatione orientalium Indiarum, qui cum animam ſuam morti exponere voluiſſet, vt ouem quandam ſibi deuotam ab infidelibus idololatris in captiuitate detentam, ne dum ab imminenti vitæ, ſed etiam animæ periculo liberaret, bombardæ ictu transfoſſus, cœlos petiuit. *Ex Act. Capit. Generalis 1644.*

Tanto Prædicarorum S. P. Dominici filiorum ſanguine effuſo, ac effundendo in Anglia, Hibernia, ac Scotia, P. Theo-

dorus de Pietate, fidelium eorundem Regnorum, qui ablatos ſibi Euangelij, Sacramentorumque ſacros miniſtros lamentabantur, miſertus, in eadem Regna Apoſtolicus miſſionarius à Sac. Congregatione de Fide propaganda mitti petijt, & obtinuit, in Scotiam vbi maior erat neceſſitas, miſſus: qui cum ſuſcepto munere in Angliam penetraſſet, varias afflictiones ab hæreticis paſſus, in eodem Regno latitans, Chriſtianos eccleſiaſticis miniſtris deſtitutos, in Sacramentorum miniſterio recreabat, ac ſacris exhortationibus confouebat, conſolidabatque in catholica fide, à quibus detentus, nèc vlterius progredi permiſſus, Sacram Congregationem de his omnibus certioratam voluit, quæ eidem iniunxit, vt in aſſumpto Apoſtolico miniſterio ibidem perſeueraret, & catholicos illos ſuis ignitis eloquijs, Sacramentorumque miniſterio in fide conſolidaret, confoueret, ac confirmaret prout fecit, in illo ſancto miniſterio reliquos vitæ ſuæ dies, & annos conſumendo, maxima cum catholicorum conſolatione, fideique incremento. *Ex relat. ad Sac. Cong. & Mag. Ordinis datis*.

Promouetur poſt multorum hebræorum conuerſionem ad catholicam fidem, eorundem in Vrbe prædicator P. Ioſeph Maria Ciantes, ab Vrbano VIII. ad regendas oues Chriſti Marſicen. Eccleſiæ in Apulia, atque in eius locum Apoſtolicum munus concionatoris hebræorum demandatum eſt P. Ioſeph Mariæ Auilæ Romano, Cardinalis Cecchini ex ſorore nepoti, de conuentu Mineruæ, qui fidei catholicæ inter illos promouendæ ſedulam operam nauauit, pluribus ex eis ſacro lauacro in Chriſto regeneratis, vt vidimus.

P. Stephanus Petit Hibernus dum Catholicos in fide animaret, & in medijs bellorum, atque conflictuum periculis eorum animabus medendis conſuleret, & confeſſoris, ac prædicatoris munus adimpleret, ſclopeti globulo percuſſus in capite, fœlicem ſpiritum Deo creatori ſuo reddidit. *Ex Actis Capit. Gen.* 1644.

Cum P. Mag. Io. Bourquetius Præfectus Apoſtolicus Miſſionariorum Apoſtolicorum in Hollandia, atque vnitis Prouincijs cuncta loca, in quibus erant noſtri Patres ſupra recenſiti, viſitaſſet; necnon de eorumdem fido miniſterio certioratus fuiſſet, terminata viſitatione Sacræ Congregationi de Propaganda fide cuncta, quæ ſibi acciderent, nunciauit; necnon & fructum vberem ab eiſdem Eccleſiæ ſanctæ datum enarrauit. Quare die 2. Aprilis in Congregatione Eminentiſſimorum Cardd. referente Card. Pamphilio, quæ in præfata relatione continebantur, tale emanauit decretum: *Sacra Congregatio iuſſit commendari diligentias prædicti P. Præfecti, & Miſſionariorum labores*. Ex Archiu. eiuſdem.

ANNO 1641. Magnum ſui deſiderium reliquit in terra, qui glorioſus properauit in cœlum, venerab. P. F. Rocchus Mac Geogamus, dictus à Cruce Hybernus, qui in conuentu de Rupeforti in Hiſpania, Dominicanum habitum indutus clariſſimi ſanguinis nexu primites totius Hibernici Regni familias contingens, & eximia indole nobilitatem ſuperans, poſt prouincialatum Hyberniæ ad Danenſem Inſulam peruenit & mirificis virtutū exemplis effulgens ordinem noſtrum in Lagenia quaſi extinctum perſequutionibus hæreticorum, in conſolationem fidelium ibidem inſtaurauit, Fratribus Dublinium, Molingariam, Pontanam, & Athiam velut per colonias deductis, vt meritò tot egregiorum Chriſti militum, ſeu martyrum, quos Eccleſiæ dedit Hybernia Dux dicatur. Regularis obſeruantiæ rigorem in Epiſcopatu accuratè tenuit, à mulierum colloquijs,

loquijs, totaliter alienus. Ab hæreticis ſanguinem eius ſummopere ſitientibus plurimas paſſus eſt inſidias ad mortem, adeò, vt publicè aqua, & igne interdictus, crebrò mutare latibula coactus ſit, per prouinciam hinc inde exulans. Tandem ſenio, & ærumnis confectus, deplorans iacturam Religionis ſacræ in Hybernia, ſpiritum creatori ſuo reddidit. *Ex Actis Capit. Gen. Rom.* 1656.

Eodem anno Venerab. P. Petrus ò Higgin Prior Nacenſis eximiæ in Romana fide conſtantiæ palmam promeruit apud Dublinum. Nam ante Proregem perductus, atque quod catholicam fidem coram plebe, contra Regia edicta prædicaret accuſatus, lautiſſimiſque præmijs propoſitis tentatus, vt à fide deficeret, & ad ſectam Anglicanam tranſiret; cum id præſtare conſtantiſſimè recuſaret, damnatus ad laqueum, glorioſo certamine conſummato, in cœlum euolauit die 23. Martij. *Ex eiſdem Actis.*

Vocatur hoc anno ad regimen Eccleſię per ſacram purpuram ab Vrbano VIII. P. Vincentius de Florentiola ex Maculana familia, Sacri Palatij Magiſter die 16. Decemb. in quatuor temporibus Aduentus, præficiturque Paſtor Eccleſiæ Beneuentanæ, quam anno 1643. Apoſtolicæ Sedi in Congregationibus S. Officij, Epiſcoporum, & Regularium, S. Concilij Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ & Indicis inſeruiturus, annuente Pontifice, dimiſit. Vixit in purpura annos viginti quinque & vlteriùs, erga ordinem maximè affectus, vt vidimus.

Promoto ad ſacram purpuram Maculano Vrbanus Pont. Magiſtrum Sacri Palatijs creauit P. Magiſtrum Gregorium Donatum Romanum de conuentu Mineruæ, virum doctum, atque promouendorum ad Epiſcopales infulas examinatorem, qui annorum pondere grauatus, atque infirma valetudine, ſequenti anno menſe Maio viam vniuerſę carnis ingreſſus eſt, ante gradus ſacelli S. P. Dominici in Minerua conditus cum nobili elogio à Patritio Donato Minoren. Epiſc. tumulo appoſito, vt vidimus.

In Hollandia autem non dormitabat neque dormiebat quæ cuſtodit catholicam Eccleſiam Dominicana Religio: nam P. Philippus Paludanus pijs in fide, ac pietate fouendis apprimè vtilis, apud Harlemum in ſacro Euangelij miniſterio pro hæreticis illis ad catholicam fidem, attrahendis ab anno 1625. ærumnoſo labore conſumebatur, habens ſocium Apoſtolicum virum P. Ioannem Conincx, qui ſtrenuè laborans, omni Dominico die impretermiſſe conciones habebat, confluentibus ad eundẽ audiedum, etiam hæreticis: fructuoſæ erant eius prędicationes, ea propter à catholicis, quibus omnia conferebat Sacramenta, in veneratione magna habitus. *Ex Actis ſuprad.*

Inſudabant viriliter in conuerſione Idololatrarum apud Indos noſtri Prædicatores, de quibus in Actis Capituli Valentini 1647. ita dicitur. *Denunciamus, & ſimul acceptamus, conuerſionem, ac reductionem Prouinciæ del Darien anno tranſacto quadrageſimo primo, nobis Ordinique noſtro commiſſam, atque conceſſam auctoritate Regia, à per illuſtri D. Innico de la Mota Sarmiento Panamen. Præſide ac totius Regni de Tierrafirma Gubernatore, & Generali Duce, noſtræ Religioni addictiſſimo: Inibique maximum animarum fructum conſequutum induſtria, & infatigabili labore R. P. Præſentati F. Andriani à S. Thoma Prædicatoris Gen. Indorum conuerſione Dei munere per maximè prædıti.* Ex Act. eiuſd. Capit.

Cum in Inſula Guadalupen. meſſis eſſet multa pro Chriſto, operarij autem pauci promouente Mag. Generali Ordinis Nicolao Rodulphio noui miſſionarij Apo-

Apoſtolici diriguntur ad illam menſe Octobri, ex Pariſien. nouitiatu itidem ſeſelecti. Hi autem fuère P. Vincentius Michael corpore, & mente Angelus, qui vnum poſt menſem, quo ad illam peruenit, è mortalibus raptus, glorioſo fine in Domino quieuit, & P. Dominicus Picart Sacerdotes, qui in Euangelij miniſterio aſſidui, fructus vberrimos militanti, ac triumphanti Eccleſiæ dedère. *Ex relat. ad Mag. Ord. datis.*

ANNO 1642. Apoſtolicus Miſſionarius apud Inſulam de Guadalupe P. Nicolaus de mare in opere efficax, & ſermone potens, cum multos pueros Indos, Nigritaſque plures per ſacrum baptiſma Eccleſiæ filios dediſſet; necnon & hæreticos milites Gallos abiurata hæreſi fidelibus ſociaſſet, meritis ac laboribus onuſtus, depoſita corporis ſarcina, cœlum verſus iter ſuſcepit, in æternum cum Chriſto regnaturus. *Ex relat. ad Sac. Cong. datis.*

Et hoc anno continuatur Dominicani ſanguinis effuſio in Hybernia in Romanæ Sedis, veritatis Magiſtræ, defenſionem facta: nam P. Raymundus Keoghij de Roſcomanenſi conuentu cum catholicos Hybernos pijs exhortationibus in fide ſolidaſſet, atque hæreticos complures ad veritatis agnitionem perduxiſſet, necnon auctoritatem Romanæ Sedis publicè prædicaſset, ab impijs hæreticis captus, & in vincula coniectus, poſt toleratas pro Dei amore calamitates multas, tandem publico ſuſpenſus coram adſtante populi innumera multitudine patibulo, fœlicem ſpiritum Creatori reddidit. *Ex Act. Capit. General. Rom. anno 1656. celeb.*

P. Io: de S. Iacobo conſtituitur à Sac. Congregatione de Propaganda fide Apoſtolicus miſſionarius apud Californiam cum ſex ſocijs à diffinitoribus Prouincialis Capituli Mexicani deligendis, quibus eundem Iacobum miſſionis præfectum dedit, & conſtituit ex decreto 8. N uembris expedito. *Ex Relat. ad S.Co dat. & Mag. Ord.*

Apud Indos labore indefeſſo euan lij prædicationem proſequebantur Pa noſtri, atque in Peruano Regno ma mè, vbi inter cœteros emicuit P. M Ludouicus Corneio, de quo Prouinci Capituli acta illius Prouinciæ tale p bent teſtimonium. *P. Lodouicus Cor. quondam Prouincialis, & Vicarius Ge ralis, & Pater antiquus, monaſticæ diſci næ obſeruantiſſimus, diuinique verbi a Indos prædicator extitit admirandus, & rum ſuperſtitiones, ac Idola miro Religi Chriſtianæ zelo extirpauit, &c.* Gonz Prou. Peruana.

Poſt deceſſum Donati delectus eſt giſter Sacri Palatij ab Vrbano Pont Reginaldus Lucarinus de Trebio, vir ctus, & pius; at breui tempore in munere Romanæ Curiç illuxit, aſſum ſequenti anno Februario menſe ad C tatis Plebis Inſulam, vt dicetur.

In Friſia tres ex noſtris euangelici c rarij hæreticos illos Caluinianæ hære aliorumque ſectarum tenebris inuol catholicæ fidei lumine illuſtrare ſatag tes, meſſem in horrea Eccleſiæ intuler copioſam. Hi fuère PP. Io: Sched Egidius Labing, & Henricus Sonn qui ab hæreticis multa paſſi, ab exe tione Apoſtolici miniſterij ſibi dema ti, non ſe elongantes, catholicos in confirmabăt, & hęreticos diſputation priuatis, colloquijs, atque inculpata tæ exemplo ad Apoſtolicæ Sedis ven tionem, propriorumque errorum exe tionem perducere nitebantur. *Ex r ſuprad.*

Moritur, & maximo cum fidel damno, atque Dominicanæ Religi mœrore, noſtri ſeculi, alter Beatus nus, præcipuus Sanctiſſimi Roſarij motor indefeſſus, illiuſque tuba eua

lica

lica , in Italia tota famoſa P. Timothæus Riccius Florentinus, qui author fuit, vt Roſarium Beatiſſimæ Virginis in Eccleſijs elata voce alternatis vicibus, & choris à viris, mulieribus, paruulis, & grandæuis, exultantibus cœleſtibus ſpiritibus, mœrente autem ſathana, fideliumque omnium communi exultatione, recitaretur. Audiuimus eum ſæpè dicentem, quod Deiparam Virginem enixè ſemper rogaret, vt in præmium laborum pro eius gloria, ac promotione Sacratiſſ. Roſarij exanthlatorum, non ſineret ſe in infirmitate vltima, atque in extremo vitæ conflictu diu diuexari; votique compos effectus eſt; nam infirmatus Feſulis, ſacramentis Eccleſiæ deuotè ſuſceptis, in amplexibus Sanctiſſimæ Virginis (vt piè creditur) perrexit ad Chriſtum ſicut ex publica denunciatione mortis eius per prouinciam circularibus litteris propalatæ accepimus.

R. P. Georgius de Herbarſtein nobiliſſimus Germanus ab Imperatore Ferdinando III. ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem Ludouicum XIII. Legatus mittitur pro vniuerſali pace tamdiu deſiderata, chriſtianis Principibus reddenda; & rebus probè ad eam diſpoſitis, optimaque ſpe concepta, Viennam Auſtriæ 8. Aprilis incolumis redijt. *Leſeb.*

Promouère totis præcordijs catholicam fidem inter Gentiles Indos nituntur noſtri Prædicatores, atque inter eos P. Franciſcus de Montenigro præcipuè, de quo Gonzalez noſter de Acunna in ſua relatione Peruana hæc habet: *Obijt A. R. P. Franciſcus de Montenigro Mag. manſuetudine, & pietate inſignis, Indorum profectui inhians, & vt eorum culturæ ſe totum daret, propria Magiſterij commoda, quibus hoc in Limen. fruebatur conuentu, lubens deſpexit, multis annis Doctrinarij munus obiuit, nec Apoſtolici muneris iura violauit.* Ex eodem P. Antonio Gonzalez ad Caracen. Eccleſiam promoto ann. 1670.

ANNO 1643. Glorioſum in Chriſti confeſſione agonem conſummauit P. Ioſeph Moranus ex Candia Valentini Regni, igne conſumptus hoc anno, qui Doctor Theologus, & Prædicator in ſua prouincia Aragoniæ magni nominis, captus à piratis Algerium perductus, & caro pretio ibidem venditus, cum deficiente auro, ſeruitutem ſuam redimere non poſſet, à Domino ſuo variè vexatus, compeditus multipliciter, fame, ac ſiti afflictus; vt eiuſdem cupidinis æſtus eluderet, de abneganda catholica fide, ore tantùm cogitauit. Sic ſuadente dæmone, permittenteque Deo: illa exteriùs abnegata, libertatem conſequutus eſt, dolente ſupra modum eius emptore; & honoribus, pecunijſque auctus, ibidem permanſit, vxorem tamen nobilem ſibi propoſitam ducere recuſans. Cum autem quendam iuuenem Anglum hæreticum concaptiuum, Domini ſui interfectorem (ob conſeruandam propriam pudicitiam) abiurata hæreſi, in publico foro impauidum, ac conſtantem igne conſumptum vidiſſet, qui aliàs abnegando fidem mortem euadere potuiſſet, tactus dolore cordis intrinſecus, eleuatis in cœlum luminibus, in hæc verba prorumpit: *Surgunt indocti, & rapiunt nobis cœlum; & nos cum doctrinis noſtris ecce quomodo volutamur in carne, & ſanguine*; & domum illicò reuerſus, toto corpore proſtratus, in lachrymas prorumpens, Spiritu Sancto cor dirigente, ſanguine ſuo contractam maculam ſe delaturum ſpopondit Deo. Itaque nocte ducta inſomni, in oratione aſſiduus, ac deteſtatione perpetrati ſceleris inconcuſſus; manè diluculo Marabutum, Iudicemque ciuitatis adijt, ſe commiſſi facinoris pœnitentem denunciaturus; qui cum neque promiſſionibus, neque minis ab aſſumpto propoſito dimouere eum poſſent, per vim circumcidi iuſſum,

ſum, virgis cæſum, ac lapidibus impetitum, per ciuitatem totam nudatum incedere coegerunt, ac tandem accenſo rogo, igne viuum cum turbante in capite ex ſtuppa formato, ac cruce in vertice appoſita, conſumi mandauerunt. At cum flamma ab eo recedere videretur, poſitus in medio ignis alta voce prædicabat, diuinam erga ſe miſericordiam maximam commendans, commiſſumq; ſcelus vberrimis lachrymis deplorabat: quare perterriti ſunt cuncti adſtantes, qui à fide defecerant. Id vt cognouit quidam Caluiniſta, qui mahumeticam ſectam amplexatus fuerat, accurrens, in eius pectus pugionem iteratis vicibus infixit, alijs in eum lapides mittentibus, quo in agone ſpiritum Creatori reddidit, à flammis nullo in loco, nec in capillis læſus. *P. Marchesius in Diario Sacro tom. 1. ex proceſſu de mandato Sac. Congr. de Propaganda fide fabricato.*

In Hollandia autem & Prouincijs vnitis pro hæreticorum conuerſione laborabant Prædicatores: nam P. Antonius de Henis, & P. Victor Clome euangelij miniſtri apud Amſterodamum id præſtabant; hic quidem à triennio; ille verò ab annis 17. ſingulis Dominicis, ac feſtis diebus conciones duplices habentes, primam quidem in aurora pro famulis, & ancillis, ſecundam verò hora nona, ad quas varij generis hæretici, nedum catholici, confluebant; multi ad fidem conuerſi ſunt, alijq; varijs ſceleribus implicati ad ſalutis viam eorundem Patrum opera, ac pijs exhortationibus reducebantur. *Ex relat. ſuprad. ad Mag. Ord.*

P. Io: Baudanus Vltraiecti in Hollandia cum P. Vincentio Andreæ in miniſterio Euangelij laborans, in vincula coniectus, quòd magnos progreſſus in pijs fouendis, hæreticiſque conuertendis faceret, auro à catholicis effuſo, libertatem redemit, exilio mulctatus. Attamen inconcuſſo animo in eandem ciuitatem reuerſus, in ipſo Apoſtolico miniſterio ac prius perſeuerauit magno cum catholicæ fidei incremento. *Ex relat. ſuprad.*

Renunciato Pariſijs P. Nicolai de la Mane ſuperiori anno defuncti obitu (cuius memoria in benedictione eſt apud Guadalupen. populum) præfectus eſt miſſionarijs Superior P. Armandus à Pace ex Pariſien. nouitiatu ſelectus, qui diebus Pentecoſtes conſcenſo nauigio cum P. Dunzerte ſuperiori anno in Galliam pro vexationibus, quas noſtri miſſionarij Patres in ea, adiacentibuſque Inſulis patiebantur, amouēdis reuerſus fuerat, ſecundis ventis ad Guadalupen. Inſulam peruenère, ad conuerſionem Nigritarum, aliorumque infidelium; necnon & hæreticorum ſtatim multo cum eorundem fructu incumbentes. *Ex Relat. Mag. Ord. datis à P. Raym. Breton. ſub die 28. Decemb. an. 1656.*

Die 3. Maij demandatur P. Alphonſo à Ponte in Indijs nato Apoſtolica miſſio ad Gentiles diœceſum S. Fidei, Carthagenæ, Popaiani, atque Quiten. in Indijs Occidentalibus, cum ſocijs à ſuæ Prouinciæ diffinitioribus aſſignandis, qui bus datus eſt miſſionis Præfectus maxima cum catholicæ fidei dilatatione ex eorum euangelica prædicatione prouenier te. *Ex relat. ad Mag. Ord. dat.*

P. Michael Mazarinus Iulij Cardin Mazarini germanus frater, Prouincia Romanus, hoc anno Februario mer amoto P. Reginaldo Lucarino viro d ctiſſimo, & ſapientiſſimo ab Vrba VIII. in eius locum conſtituitur M Sacri Palatij, qui in eodem munere m ſit vſque ad annum milleſimum ſexc teſimum quadrageſimum quintum, ab Innocentio Decimo ad nomina hem Chriſtianiſs. Regis Aquen. Arch renunciatus fuit; vt vidimus.

P. Reginaldus Lucarinus Sacri P

Mag

Magiſter ex Ordine euellitur, & ſuper candelabrum Eccleſię Ciuitatis Plebis ab Vrbano Pont. ponitur, vt virtutibus, quibus effulgebat, & charitate maximè, ouibus ſibi commiſſis preluceret: quod cum per decem & octo annos & vltra præſtiſſet, inconſolabili earundem luctu, dolentibuſque pauperibus de tanti patris iactura, ſingulari ſpiritu, ac deuotione raptus eſt è mortalibus, æterna laborum ſuorum præmia conſequuturus, relictis nonnullis ingenij ſui monumentis, die Octob. 10. an. 1671. confluente copioſa populi multitudine, etiam ex vicinis Caſtris ad exequias, Conuentu noſtro S. Dominici de Trebio ex patrimonialibus bonis ad duodecim millia ſcutorum hærede conſtituto, vt ex dignis relationibus accepimus.

In Vrbem venit Februario menſe insignis, ac celeberrimus vir P. Dominicus de Grauina, ex S. Mariæ de Sanitate Neapolitano conuentu, ab Vrbano VIII. vocatus, vt noſtrum Ordinem vſque ad futurum Capitulum, in quo erat P. Nicolai Rodulphij Mag. Ord. diſcutienda cauſa, regeret, Procurator, ac Vicarius illius creatus: at cum eſſet capularis ſenex, Auguſto menſe vitam cum morte commutauit, Religioſiſſimo P. Vincentio Candido Vicario, Thoma verò Turco Procuratore Ord. ab eodem Pont. Max. inſtitutis, vt vidimus.

Caput II.

P. THOMA TVRCO Magiſtro Generali LVI.

ANNO 1644. Celebrantur in Vrbe noſtra Comitia Generalia, & depoſito à Pont. Rodulphio ab Ord. regimine ante Capituli congregntionem, electus fuit à maiori vocalium numero Magiſter P. Thomas Turcus, tunc in Romana Curia Procurator Ordinis, vt vidimus.

Fuit P. Thomas Turcus natione Cremonen. de Lombardiæ prouincia, vir doctiſſimus, qui in viſitatione Ordinis maximum decorem Religioni attulit. In Gallia & Hiſpania à Regibus humaniſſimè exceptus, Vniuerſitatibus cunctis, tam Gallicanis, quàm Hiſpanis acceptiſſimus fuit ob doctrinæ profunditatē, Sanctorum Patrum, atque Conciliorum notitiam, ab Vrbano VIII. & ſucceſſore Innocentio X. in æſtimatione ſingulari habitus, atque adamatus. Statutorum Ordinis obſeruantiſſimus, ſecundum Capitulum Valentiæ in Aragonia celebrauit, in quo multa pro regularis nitoris, ſtudiorumque incremento ordinauit, atq; gradus ſcholaſticos nonniſi manifeſtè dignis, & iuxta Conſtitutionum tenorem exactiſſimè promeritis impertiri voluit. Opera omnia B. Alberti Magni, Hugonis Cardinalis, & Petri de Tarantaſia, ex diuerſis chriſtiani orbis partibus conquiſita in, ſingulare Ordinis ornamentum nitidiori prælo ſubiecit; & dum maiora tantus vir moliretur, deceſſit in Vrbe maxima cum animi conſtantia, & deuotione, dolente de tanti viri iactura Ord. vt vidimus.

Generaliſſimo Capitulo interfuit inter cœteros Patres Frater Terentius Albertus ò Brien Prouincialis Hyberniæ claro priſcorum Hyberniæ Regum ſanguine ortus, magnarum virtutum vir, qui terminato Capitulo à Thoma Turco Magiſter creatus, atque ab Vrbano VIII. Epiſcopus Imolacen. inſtitutus, in eo totus fuit, vt & Epiſcopali dignitati inuiolabilem ſui Ordinis tenorem perſeueranter coniungeret, & Eccleſiæ ſuæ, quæ tunc vel maximè in Hybernia tanto viro in-

ro indigebat, auctoritate, vigilantia, & conſilio indefeſſo vbique ſuccurreret, etiam cum vitæ diſcrimine, vt dicetur anno 1651. *Ex Actis eiuſd. Capit.*

Recenſiti ſunt in hoc Capitulo (ipſo Prouinciali ſuprad. referente) plus minus ſexcenti Fratres in Hiberniæ prouincia exiſtentes, quorum maior pars ex Cromueliſtica perſequutione, vel gladio cædente, vel crudeli ad Baradas Inſulas deportatione, vel alijs exilijs variè diſſipata fuit; ita vt in ſequenti Romano Capitulo, anno 1656. congregato, nec quarta pars prædictorum fuerit ſuperſtes; multis in proprijs conuentibus trucidatis, alijs in nouo Orbe longam mortem obeuntibus, & hi omnes teſtimonio fidei comprobati, inuenti ſunt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

F. Stephanus de Aſſumptione conuerſus, ex nouitiatu Pariſien. euulſus, atque in Guadalupen. Inſulam cum Patribus miſſionarijs pro fidei catholicæ dilaratione translatus, cum quatuor annorum decurſu ibidem vitam degiſſet candidiſſimam, ſuis virtutibus, ac charitate factus cunctis amabilis, multoſque ſuo exemplo, verbo, ac ſpiritu hæreticos milites Gallos catholicis ritibus imbuiſſet, meritis onuſtus, carnis depoſito onere, perrexit ad Chriſtum 25. Iulij. *Ex relat. ad Sac. Cong.*

P. Michael Raguel, ſiue Rangè Luſitanus Cochimen. Epiſc. de quo ſup. an. 1631. cum in vinea Domini excolenda in partibus illis annos plures conſumpſiſſet, ærumnoſis laboribus fractus, annorùmque pondere oppreſſus, poſt delubra diruta, idolorum templa deſtructa, idola confracta, altariaque eorundem euerſa, firmata in illis partibus catholica fide, vexilloque ſanctæ Crucis erecto, quieuit in Domino. *Ex relat. ad Mag. Ord.*

P. Arnoldus Villemſen Steur Gruningæ in Hollandia per annos octo maximo cum vitæ diſcrimine in Euangelij miniſterio labore indefeſſo laborauit, & tandem in carcerem coniectus, copioſo effuſo ære à catholicis, in exilium a ciuitate, totaque ditione eiectus, Hagam comitis profectus, ſub Agentis Venetorum protectione in Aula Hollandiæ diu permanens, multa catholicis contulit beneficia eorum confeſſiones audiendo, languentibuſque Sacramenta miniſtrando, licet à diuini verbi prædicatione abſtinere fuerit coactus. *Ex relat. prædict.*

ANNO 1645. Haduc effunditur copioſus ſanguis Dominicanus: nam dum conſtantes rem catholicam ſuſtinebant noſtri in Hibernia, prædicatione ſua tuentes authoritatem S. Romanæ Sedis, quæ prima refulget in catholico orbe; & qui habitum Ordinis publicè geſtabant inter ſectarios, multipliciter vexabantur ad mortem vſque. Vnus ex eis fuit venerabilis P. Petrus Caſtillo, Hibernus, qui cum damnaret vſurpatam à Rege Britanno auctoritatem capitis ipſius Eccleſiæ Anglicanæ, enſe transfoſſus, illicò corruit corpore, ſpiritu per martyrium in cœlum euolante. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1656.*

Eundem ſequutus eſt ad gloriam P. Geraldus Dillon, qui cum in reducendis hæreticis ad agnitionem veræ matris Romanæ Apoſtolicæ Sedis totus ſeſe impendiſſet, captus, & in teterrimum carcerem dimiſſus, ibique varijs modis afflictus, tandem longo pœdore carceris ad extrema deductus, efflauit animam. *Ex eiſdem Actis.*

Apud Chium eodem anno 1645. die 10. Februarij hora meridiana in confeſſione catholicæ veritatis moritur P. Alexander de Lugo ex Prouincia Lombardiæ, qui quòd capitis vertigines à multis annis pateretur, ſemel in phræneſi, ad Gubernatorem Chienſis Inſulæ de noc acceſſit, & ſe Turcam fieri velle dixi

Manè

Manè facto cum euigilaſſet, iam ſui compos, videſſetque ante ſe Turcicas veſtes clamauit, vt ſibi Ordinis habitus malè ſubductus, reportaretur, eò quòd erat Chriſtianus, & Religioſus S. Dominici; Igitur ad Cadì, ſeu Iudicem retractus, & coram illo ſtrenuè in deteſtatione Mahometicæ Sectæ, atque exaltatione chriſtianæ fidei perſeuerans, poſt tres dies, ad deliberandum ſibi conſtitutos; conſtantia maxima,hymnos alta voce cantãs, in publico foro viuus voracibus flammis abſumptus eſt adſtante infinita populi, tã turcici, quàm catholici multitudine, laudante hac Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. *Ex relatione exiſten. in Archiuio Ord. & ex vita eiuſdem ab inſigni viro Leone Allatio edita.*

Venerab. P. & Prior Calrahenſis in Hibernia, Io: Flaucerlis dictus, à militibus hæreticis in flumen deiectus, atque ſaxorum multitudine in humaniter impetitus, cum catholicam religionem propugnaſſet, ſuffocatus, in cœlum conſcendit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1650.*

Reuerendiſs. Pater, & D. Natalis Deslandes Doctor Pariſinus inſignis, hæreticorumque perſequutor celebris, Congregationis Gallicanę Generalis Vicarius; nec non Chriſtianiſſimis Regibus Henrico IV. & Ludouico XIII. quondam à ſacris confeſſionibus, demum Trecorenſis Epiſcopus, poſt rectum ſumma cum charitate ſibi ab Apoſtolica Sede commiſſum gregem Chriſti, æterna in pace quieuit 19. Auguſti eiuſdem anni. *Lefeburè.*

In locum Reuerendiſs. P. Mazarini ad Archiepiſcopal. Sedem Aquen. aſſumpti Innocentius Papa X. Sacri Palatij Magiſtrum conſtituit P. Mag. Vincentium Candidum de conuentu Mineruæ, Apoſtolicum Pœnitentiarum apud Baſilicam S. Mariæ Maioris de Vrbe, virum in Romana Curia vitæ probitate, atque doctrina venerabilem, præfecturis in ordine conſpicuum, & ſcriptis in orbe famoſum: ſcripſit enim egregium opus. *Diſquiſitionum moralium*, in duo volumina diſtributum; necnon *De primatu D. Petri* Innocentio X. oblatum, quòd tamen impreſſum non fuit. A tanto viro huius operis author Religionis habitum ſuſcepit die 15. Octob. S. Tereſiæ Virgini ſacra, dum conuentui S.M.S. Mineruam ann. 1628. præeſſet Prior. Nouem annos in aſſumpto magiſterio Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit, tandemque ſtudijs, vigilijs, ac laboribus fractus, mortem lætus aſpexit 6. Nouemb. an. 1654. relicta cunctis de ſe ſanctimoniæ fama; ad cuius funus maximus populi, & Principum, etiam Pontificis Max. Nepotum, & conſanguineorum concurſus factus eſt, eius veſtium particulas magno pro munere efflagitantium, corpore in Minerua condito, vt vidimus.

In hæreticos Caluiniſtas Hollandos inſurrexit P. Adrianus Muſaret, Schidami ſolus Euangelij miniſter, & cum oppidum ſit exiguum, catholicorum quoque numerus paruus erat; cum tantùm 25. familiæ eorundem fidelium recenſerentur, qui tamen Dominicis diebus, aliiſque feſtiuis ad Sacramenta ſuſcipienda conueniebant. Ibi ærumnoſis laboribus inſudans Adrianus, in fide ſtabilis, atque opere efficax: ſupra centum quinquaginta ex varijs ſectis ad catholicam fidem addduxit, inter quos fuère ſex decim hæretici, ob quorum conuerſionem Prædicans Caluiniſta Magiſtratum in eum concitauit, à quo monitus, vt deſiſteret ab aſſumpto opere, aliàs eijciendus; tamen inconcuſſus perſeuerauit ibi Sanctiſs. Roſarij deuotionem maximam inter illos conſeruando. *Ex relat. ſuprad.*

Eandem deuotionem pari fidei promouendæ zelo cum animarum fructu propagauit P. Albertus Ianſenius Rot-

terodami, vt fideles ibidem exiſtentes per ſalutis ſemitam dirigeret, adiuncto Sacramentorum miniſterio, ſacraque diuini verbi prædicatione, ad quam Dominico die, alijſque feſtis de præcepto auditores, etiam quadringenti ad fidem conuerſi, plurimiq; in ea confirmati, magnopereque ad deuotionem inflammati, confluebant, frementibus prædicantibus. *Ex relat. ſuprad.*

ANNO 1646. Cum P. Dominicus à Neagren conuerſus Hibernus de conuentu Roſcomanen, vir religioſiſſimus, regulariſque obſeruantiæ tenax, religioſum deferret habitum, vigente in Hibernia ſæua perſequtione in catholicos, contra Regium decretum & edictum, atque ad publicè recitandum B. Virginis Roſarium fideles induceret, non ſemel fuſtigatus, atque ad mortem vulneratus, dum nihilominùs in aſſumpto ſanctiſſimo opere inconcuſſus perſtiteret, iuſſu præfecti militum gladijs, teliſque interimitur, verè Iſraelita, in quo dolus non erat. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1650.

Venerabilis P. Io. Oluin Prior Derenſis in Hibernia catholicis Sacramenta miniſtrans, atque in fidelitate erga S. Romanam Eccleſiam corroborans, ab hæreticis captus, & in vincula coniectus, poſt diuturnas carceris macerationes, ac ærūnas, ſpretis ingentibus hæreticorum pollicitationibus, ac præmijs, ſi à Romana fide defeciſſet, maluit mori, quàm fœdari. Cumque varijs tormentis vexaretur, in oratione poſitus, eleuata mente in Deum, viſus eſt ab ipſis tortoribus cubiti altitudine in aere attolli, ipſeque tunc ſe conſpicere cœlos apertos, & Ieſum ſtantem dixit, à quo corroboratus ad reliqua ſubeunda certamina fuit. In furcam igitur actus, dein abſciſſo capite, fœlicem ſpiritum creatori ſuo reddidit. *Ex Actis eiſdem.*

Vrbanus VIII. Pont. P. Ioſephum Mariam Bonaldum de Zara ex Dalmatiæ Prouincia Antibaren. Archiepiſcopum creauit, qui obſidioni Cliſſæ munitiſſimæ arcis à Turcis obſeſſæ, & ad ſuam diœceſim ſpectantis, cum exercitu Veneto interfuit, eaque tandem capta Crucifixi Domini imaginem præ manibus geſtans, in Eccleſiam ingreſſus Canticum *Te Deum laudamus* intonuit, quo facto excuſſit lachrymas oculis catholicorum ibidem exiſtentium, vt ab eodem Archiep. audiuimus.

Indefeſſo labore inuigilabant conuerſioni gentium apud Indos noſtri Prædicatores, de quibus in Actis Capituli Generalis ſequenti anno Valentiæ celebrati ſic dicitur: *Denunciamus vineam Domini Sabaoth in partibus Peruanis labore Fratrū Ordinis Prædicator. cultam, ſuos extendere palmites, & propagines à mari vſque ad interiora vaſtiſſimæ illius regionis; cum ex noſtris vnus inter alios Euangelij Miniſtros P. Præſentatus F. Adrianus de Vffelde à S. Thoma penetratis prouincijs del Guaimi, & del Darien, iam ex illis idololatris ſine lege, in ſyluis, & montibus more ſylueſtrium viuentibus, ſex & ampliùs collegit oppida; Gentiles illos efferatos, & indomitos Chriſti ſubijciens ſuauiſſimo iugo, & inter ſe ſub chriſtiana politia ſanctæ conſtringens vinculis charitatis.* Ex eiſdem Act.

P. Io. Arias ex Peruana Prouincia de conuerſione quoque infidelium ad Chriſtum, & vocatione peccatorum ad pœnitentiam ſollicitus, innumeros idololatras, ac peccatores ſua prædicatione, inculpatæque vitæ exemplo, per viam ſalutis direxit in vitam æternam; qui cum ſibi vltimum vitæ terminum imminere cognouiſſet, illum Fratribus, cognatis, & amicis patefecit, quos & in chorum Eccleſiæ conuenire voluit, vbi chorali ſellæ affixus, & B. Virginis Roſarium clara voce recitans, cunctis videntibus, & mirantibus, animā creatori ſuo reddidit, de cuiu

ſancti-

ſanctitate vitæ, & conuerſatione mirabili formatus eſt proceſſus ab Ordinario de Guamanga, vbi in conuentu noſtro S. Annæ deceſſit. *P. Antonius Gonzalez in hiſt. Peruana fol.* 185.

Ex Inſula verò Guadalupenſi P. Raymundus Breton Apoſtolicus Miſſionarius, de quo ſup. Barbarorum Duce petente, euellitur à P. Armando ſuperiore ſeu Miſſionariorum Præfecto, & in Inſulam Dominicam pro illius populi conuerſione ad Chriſtum dirigitur, qui ibidem à Duce benignè ſuſceptus, multas animas per ſacras vndas Chriſto, atque Eccleſiæ ſuis manibus regeneratas cœlo dedit. At hoc anno P. Dominicus Piccard cum in excolenda illa Domini vinea plurimùm inſudaſſet, etiam paralyſi diu afflictus, mortalibus vale dixit. *Ex relat. ſuprad.*

Certamine indefeſſo catholicæ fidei promotionem, etiam inter hæreticos procurabant hoc anno, & tempore Prædicatores, nedum in Hollandia, aliiſque adiacentibus prouincijs, verum & in Nouergia, ad quam miſſus P. Ambroſius Vanden Baeze, naufragium paſſus, præter communem omnium ſpem, diſcrimen euaſit, cœteris ferè omnibus eiuſdem nauigij hæreticis in inferni profundum deſcendentibus. In Batauia igitur remanens Ambroſius multos hæreticos ad fidem attraxit, catholicoſque in fide conſolidauit, atque ſacra diuini verbi prędicatione catholicis corroborationem, ac deuotionem exhibuit non modicam. *Ex relat. ſuprad.*

Siluæ ducis autem magnas inter perſequutiones, dies ac noctes pro conſeruanda catholica fide, totos ſe impendebant P. P. Io: Dauides, Raymundus Potteij, & Dominicus Stick ſacras confeſſiones fidelium audientes, ſacramenta miniſtrantes, Euangelium prædicantes, atque ad Sanctiſs. Roſarij B. Virginis deuotionem illos inflammantes, pluribus ex Caluiniſtis ad catholicam fidem per errorum abiurationem accedentibus *Ex relat ad ſuprad.*

In oppido autem Thilt pietatem fouebat ex noſtris P. Petrus Bezzius, vir Senex, ætate longeus, laboribus & infirmitatibus fractus, habens in Apoſtolico miniſterio coadiutorem P. Teodorum Veruuinen. qui muneris ſui partes exequuturus, etiam in vicinis caſtris euangelium annuncians ſacramenta miniſtrabat cum fructu magno, concurrentibus ad eius ſermones etiam prædicantibus ipſis horeticorum. *Ex relat. ſuprad.*

Inſtante apud Innocentium X. Pont. Max. Rodulphio pro recognitione ſui proceſſus, cauſa commiſſa fuit quinque S. R. E. Cardd. Lantes, Cennino, Spadæ, Cornelio, & Franciotto, qui decreto facto declarauerunt moleſtias, & perturbationes illi illatas, fuiſſe illicitas, ac temerarias, vt in emanato decreto, à nobis in hiſtoria Romanæ Prouinciæ Ord. Præd. relato, conſtat.

ANNO 1647. Nouorum Ieſu Chriſti commilitonum prætioſo ſanguine irrigatur Eccl. nam P. Richardus Barrij Hybernus Prior Caſſelenſis cum menſe ſeptembri imminente eidem ciuitati obſidione ab acatholicis palarmentarijs præparata, Fratres ſuos aliò ad tutiora loca cum benedictione dimiſiſſet, ne communi ciuitatis excidio inuoluerentur, ſe ipſum, vt obſeſſis catholicis præſto eſſet, ab ininimicorum exercitu intra mœnia includi permiſit, exrema quæque paſſurus cum catholicis ipſis, vti accidit; nam ciuitate per vim capta, ac demum ipſa munitiſſima arce S. Patricij, in qua erat Ricardus, expugnata; dum catholici omnes tanquam oues ducti ad occiſionem trucidarentur, ipſe in integro Ordinis habitu proſiliens, atque Crucifixi Ieſu imaginem vna, Roſarium altera,

manu

Digitized by Google

manu geſtans atleta intrepidus, fideles hortabatur ad mortem pro ſancta, & ortodoxa Religione fortiter ſubeunda. Demum in ſacello Eccleſiæ orans captus, inauditæ crudelitati expoſitus eſt: pedibus enim, ac tibijs lento igne exuſtulatis, virilibuſque barbarè abſciſſis, inſolentium militum ferocitati in prędam datus, mille enſium ictibus confoſſus, glorioſè occubuit, ad cuius obitum crebra, & luculenta fertur ſubſequuta eſſe prodigia. *Ex Actis Capit. Gen. Romæ ann. 1650. celebrat.*

Eodem tempore Soror Margarita noſtri Ordinis Tertiaria ſeptuagenaria, ex eadem ciuitate egrediens, ab hæreticis intercepta, & in confeſſione fidei catholicæ perſeuerans crudeli gladio trucidata eſt. *Ex eiſdem actis.*

In Prouincia S. Hippolyti Mart. de Oaxaca fœliciter ad Dominum migrauit in iuuentutis ſuæ flore P. Martinus de Aliende rigidus ſui corporis domitor, quod aſperrimis pœnitentijs ſpiritui ſeruire cogebat; ſalutis idololatrarum cupidiſſimus, eos exhortationibus aſſiduis idola relinquere, & Chriſto Ieſu adhærere commonebat; cumque ſe præpararet ad prædicationem Euangelij inter barbaras nationes, vocatus eſt ad æterna gaudia. *Ex eiſdem Actis.*

Eodem anno, ſiue ſequenti, fœliciter migrauit ad ſponſum inclyta Virgo Soror Eleonora de Burgo, Tertij Ordinis profeſſa, glorioſi militis Dom. Ioannis de Burgo, (qui Limerici in fide Catholica perſiſtens ab eius hoſtibus occiſus fuerat) filia natalium ſplendore clariſſima. Cuius Pater Chriſti ſtrenuus atleta pro ſuo in Ordinem noſtrum deuotiſſimo affectu, conſtitutus in loco mortis, omnibuſque ſe facultatibus exutum cogitans, indoluit ſe nil habere Ordini relinquendum; eidem tamen fœtum, quem vxor ſua tunc ferebat in vtero pio voto ſacrauit; vt ſiue maſculus ille foret, ſiue femella S. P. Dominici ſoboles eſſet. Nata igitur hæc paruula, patris teſtamentum tam validè cordi inſcriptum detinuit; vt in ætate nubili, cum à Principibus viris in vxorem ſibi dari peteretur, ſe Deo eſſe ſacratam, ac deſponſatam, inuicta conſtantia aſſereret, decernens potiùs mori, quàm fœdari. Quare ad tollendam hac de re omnem dubitationem, aſſumpto Ordinis tertio habitu, profeſſa eſt. Exinde matri cohabitans, ac cellulam ſuam niſi ad templum egredi neſcia, miris modis ad ſublimioris vitæ perfectionem ſe exercuit. Vino nunquam vſa, ſingulis hebdomadibus, ſaltim ter, in pane, & aqua ieiunabat, reliquis diebus paucis leguminibus contenta. Vultu ſemper gracili, & macilento, atq; ad ſummam modeſtiam compoſito, ſupplicabat Deo enixè, vt digna fieret patrem in confeſſione fidei mortuũ ſequi. Hæc dum tenella Virgo in Hibernia agitabat, monaſterio Vliſſiponenpro nobilibus Monialibus Hibernis conſtructo, & perfecto, pertimeſcens ſectariorum inſultus, ac tutiùs ſuæ virginitati conſultura, relicta matre, & cognatione, vt ſoli Deo inter Catholicos vacaret, Vliſſiponem petijt, vbi ſacro velo ſuſcepto ſolemnem profeſſionem emiſit, in qua ſub tanta vitæ aſperitate vixit, vt defunctæ veſtimenta, Roſarium, reliquaque pauperrima ſupellex pro prætioſis ſpiritualibus theſauris aſſeruentur. *Ex Act. Cap. Gen. Rom. 1656.*

P. Michael Mazarinus Romanus de conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, Archiepiſcopus Aquenſis, Iulij Mazarini Card. in Gallia primi Coronæ miniſtri germanus frater, ab Innocentio X. S. R. E. Cardinalis ſub Tit. S. Cœciliæ, vnde Cardinalis S. Cœciliæ dictus eſt, creatur die 8. Octob. huius anni, vir erga ſuam Religionem maximè affectus; qui quidem multis fuit honoribus auctus, ſed breui

breui tempore illos deguſtauit, morte præpropera nimis cuncta diripiente, vt vidimus.

P. Ambroſius Viola conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam Prior, vir doctus, atque in ſanctorum patrum doctrina verſatus ab Innocentio X. Laquedonien. Epiſcopus creatus eſt, vt vidimus.

Menſe Decembri redijt ex Gallia in Guadalupen. inſulam P. Carolus à S. Raymundo rebus, ob quas iuerat infectis, ſed allatis ſecum paternis Magiſtri Generalis Thomæ Turci litteris, plurimi ſolatij cauſa fuère Patribus miſſionarijs, ibidem ab Inſulę Gubernatore pluribus modis vexatis, qui in Domino, cuius cauſa agebatur confiſi, in aſſumpto miniſterio perſeuerantes, multos ad Chriſtum attraxère, itaut P. Armannus ſolus in vigilia Pentecoſtes viginti duo Nigritas vtriuſque ſexus ſolemni baptiſmate fidelibus aſſociauerit. *Ex relat. ad Sac. Cong. dat.*

P. Marius Ambroſius Capello, (non eodem anno, vt diximus in noſtro Sac. Theat. Domin. in Epp. Antequaren. ſed poſt aliquot annos, cum nunquam ad dictam Eccleſiam acceſſiſſet,) ab Hiſpaniarum Rege Philippo IV. nominatur Ipren. Epiſc. at ſequenti anno eadem ciuitate à Gallis expugnata; tandem nominante eodem Rege an. 1654. ad Antuerpien. ab Innocentio X. translatus eſt. Viuit adhuc vir præclariſſimus, & verè Apoſtolicus de catholica Eccleſia optimè meritus. *Ex Act. Conſiſt. & Gall. Chriſt.*

ANNO 1648. Irrigatur copioſo glorioſorum atletarum Ieſu Chriſti Prædicatorũ ſanguine terra Prouinciæ Ruſſiæ, qui à Barbaris ſchiſmaticis, Tartaris, & infidelibus in Chriſti fide conſtantes permanentes, occiſi ſunt hoc & ſequenti anno, ſicut Acta Generalis Capituli, Romæ anno 1650. celebrati teſtantur in hunc modum.

Ex Conuentu Leopolienſi Sanctiſſimi Corporis Chriſti F. Valerianus Krupiozouski Syndicus Villarum à Tartaris captus, poſt varia tolerata tormenta, & ludubria iugulatus interijt. Fr. Petrus ſenex Conuerſus in villa eiuſdem conuentus permanens pro bonis illius in Fratrum alimoniam curandis, ibidem membratim diſectus eſt.

Fr. Placidus & ipſe Conuerſus nouitius crudeliter per medium ſectus, euolauit in cælum: omnes hi ex Leopolien. conuentu. Ex conuentu verò Buſcenſi F. Matthias in decrepita ætate orans ad Dominum in Eccleſia, ſecuri trucidatus fuit. Ex conuentu ſublapidenſi F. Marianus Conuerſus in tormentis expirauit.

Ex Conuentu Conſtantinouienſi F. Symphorianus Ckaweſki Lector triginta ſuſceptis vulneribus effalauit animam.

F. Stephanus Pokrzyvvinſki varijs tormentis excarnificatus, caput præſcindendum inuicta conſtantia exhibuit.

F. Florianus Vvazinki Diaconus, Frater Hieronymus Generouſki Subdiaconus, F. Stanislaus Irzdzinski Subdiaconus, Frater Chyſoſtomus Padolski Subdiaconus ſtudentes ſacræ Theologiæ, omnes truncato capite occiſi ſunt. Fratres verò Paulus, & Fortunatus cum audito tumultu Barbarorum ad Eccleſium confugiſſent, ſe Domino commendaturi, ante Aram maximam trucidati, ſanguine ſuo Chriſtianam diſciplinam ſanxère, omnes in cõuentus Conſtantinouienſi.

Ex Conuentu Laticouienſi, F. Hiacynthus de Cracouia ſacræ Theologiæ Lector decollatus eſt.

F. Cyprianus de Caſimiria exorciſta, celebris diuini verbi prædicator captus, & multis modis afflictus, tandem ligatus ad arborem decorietus eſt, cuius etiam ſocius F. Antonius de Leopoli trucidatus fuit.

Ex Conuentu verò Neſteruarenſi. Frater Chryſoſtomus GorsKi eiuſdem Prior inuentus eſt in Eccleſia, ad quam oraturus confugerat, ſupra ſeptuaginta vulneribus confoſſus.

F. Chri-

Digitized by Google

F. Christianus de Iaſlisk a Supprior ſuū Priorem ſequutus, & ipſe iaculis tranſuerberatus repertus eſt.

F. Damaſcenus BorKoniez ſacræ Theologiæ ibidem Lector dum actualiter prædicaret populo, vt conſtans in fide eſſet, ac propterea Roſarium B. Virginis alta voce cum illo recitaret, coram toto ſpectante populo gladio primùm confoſſus, membratim (populo diuinam vltionem in impios clamante) conciſus interijt. F. Humbertus de Leopoli prædicator ordinarius Eccleſiæ, gladio cædente, ſpiritum Creatori reddidit, quem eodem mortis genere ſequutus eſt ad palmam F. Thomas MirecKi prædicator inſignis. Hos eadem conſtantia ſequuti ſunt F. Iocundus de Polsce trucidatus, & aſſatus, F. Philippus de Laioſo viuus combuſtus; F. Ioſeph autem de Luca Italus Subdiaconus cum F. Placito Accolyto orantes in Eccleſia iugulati ſunt.

Ex Conuentu Vviunicenſi F. Andreas MoſcicKi Prædicator Generalis Iubilarius, & ſenex, à Tartaris in captiuitatem ductus, tandem multis vulneribus acceptis expirauit.

Ex Conuentu Barenſi F. Franciſcus Organedus in Eccleſia genuflexus, & orans caput præſcindendum impijs obtulit, corpore poſtmodum canum voracitati expoſito.

F. Mauritius de Leopoli ad Aram maximam in Eccleſia orans decollatus eſt, vna cum F. Felice Conuerſo; & alter Conuerſus, Innocentius nomine multis vulneribus cruētatus, & à Tartaris in captiuitatem ductus, tandem ab eiſdem interemptus eſt. Ex Actis Capit. Gener. Romæ 1650.

P. Franciſcus Sarabia venerabilis ſenex, Apoſtolici pectoris, in miniſterio prædicationis apud Indos proprio eorum idiomate celebris, quorum copioſam multitudinem ad Deum adduxit, ſemper itinera pedibus conficiendo, præhabita à Deo ſuæ prædeſtinationis reuelatione, nonagenarius obdormiuit in Domino. *Ex Actis ſuprad.*

Eodem anno fœliciter migrauit ad Chriſtum venerab. P. Io: Gillaboi, q[...] in ſua prouincia Hiberniæ P. Prouinci[...] venerabilis, pluribus conuentibus Pri[...] præfuit, & zelo vindicandi Ordinem n[...] ſtum ab interitu, quem parabant il[...] hæretici aſſiduis Fratrum necibus, [...] ſupplicijs, multos nouitios ad Ordinen attraxit, & ſua manu Religioſo habit[...] induit: quorum multi per prætioſum ago[...]nem, cœlum conſcendère; alij verò i[...] pulpitis, & cathedris catholicæ veritatis dogmata enodantes, atque venerationem Apoſtolicæ Sedis Romanæ ſuadentes, permultos hæreticos ad chriſtianam fidem attraxère. Fideles quotidianis exhortationibus in catholica fide conſolidabat, atque hæreticos ad ſuorum errorum deteſtationem commouebat. Denique in communi Eccleſiaſticorum, & Catholicorum clade, ab hæreticis ad mortem quæſitus, ad caſtrum Athloenſe iuxta Ordinis conuentum acceſſit, ibique caſtro obſidione vallato, deceſſit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1656.

Eodem anno in Hibernia P. Geraldus Clericus, & P. Dauid Foxius Conuerſus in Killiocenſi conuentu ab hæreticis expugnato, dum circumpoſitis collo ſacris Roſarij genuflexi mortem expectabant, in eccleſia ante altare Maius trucidati, & gladijs confoſſi, in ſuo cruore volutati, vitam Domino Deo profudère mortalem. *Ex. Act. ſuprad.*

Eodem anno datus eſt cælo glorioſus Chriſti confeſſor P. Franciſcus Fernandez Hiſpanus de Valliſoletano conuentu, vir in abnegatione ſui ipſius mirabilis; qui fidei zelo vſque ad Philippinas Inſulas profectus, ibi magna ſanctitatis opinione, cum vberrimo animarum fructu nouem annorum decurſu floruit. Ad infidelium conuerſionem Apoſtolicus miniſter deſtinatus, dum in Regno Synarum Euangelium prædicaret, ibique nouas chriſtianitates, templa, aras, & cruces ere-

ēt exiſſet, à Tartaris per vim Synarum Regnum occupantibus comprehenſus, & in vincula coniectus', ibi diriſſimè flagellis cæſus eſt, moxque carnifices, qui malleolis tabulas contundebant, ſub quibus pedes eius præmebantur, tamdiu tabulas torquebant, donec oſſa malleorum vi expreſſo ſanguine fracta complanarentur: quam torturam mirabili alacritate pertulit, ita vt tortoribus ipſis fieret in admirationem. Ex Tyranni decreto poſtmodum toto corpore nudatus, immaniſſimèque à carnificibus raptatus, in cuſtodiam compeditus dimiſſus, paulò poſt truncato capite, fœlicem ſpiritum cœlo dedit 15. Ianuarij huius an. 1648. primus omnium in ampliſſimo illo Regno ſanguine coronatus. *Ex Act. Capit. Rom.* 1670.

Cum ex Vrbani VIII. decreto S. Congregatio Cardinalium in vniuerſa Chriſtiana Republica Generalium Inquiſitorum, quæ ante ſolebat conuocari ad palatium antiquioris Cardinalis eiuſdem congregationis, ad inſtantiam P. Rodulphij Magiſtri Sacri Palatij ſtabilita fuiſſet pro futuris temporis in conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam de Vrbe, tanquam inter Religioſos illos, qui pro exequendo eiuſdem S. Inquiſitionis officio animam ſuam non ſemel poſuère: & ſic ab anno 1628. vſque ad hunc facta ſemper fuit in manſione Reuerendiſs. P. Generalis. Reuerſus in vrbem ex Valentino Capitulo Reuerendiſs. Pater F. Thomas Turcus Magiſter Ordinis, conſtituit exequi quòd pridem cogitauerat de fabricando nouo ædificio, tantæ Congregationi congruo; eò vel maximè quòd antiquus locus æſtiuo tempore anguſtus, moleſtuſque redderetur. Congregatis igitur Patribus Conuentus S. Mar. ſuper Mineruam negotium propoſuit, & ſitum in quò erat ædificium erigendum, annuentibuſq; illis libentiſſimè, conſumptis ex religionis publico ærario pluſquàm quindecim millibus in obſequium catholicæ fidei, Apoſtolicíſque Sedis. ſcutis, ſtructura ampliſſima, ac tantæ Congregationi aptiſſima demum operi demandata eſt, vt videmus.

Eodem annno P. Michael Mazarinus Cardinalis S. Cœciliæ à Ludouico XIII. Galliæ Rege Prorex Cataloniæ conſtitutus, Barchinonam verſus Ianuario menſe properauit, vbi Cathalanos religioſa pietate, atque vrbanitate regens, eorundem animos ſibi allexit, pauperibus, & maximè Religioſis perſonis, Eleemoſynas cœca manu diſtribuendo. At cum ſibi infenſum illic aetem experiretur, Pariſios ad Regem reuerſus, obtenta venia Romam feſtinauit, Regius Orator ad Pontificem Max. Innocentium delectus; ſed Vrbem ingreſſus in vigilia S. Laurentij, morbum contraxit ex aeris æſtiua intemperie, & die prima Septemp. cum luctu omnim noſtrum deceſſit; annulo Regio valoris trium millium ſcutorum huic ſuo conuentui relicto, in cuius Eccleſia ſepeliri voluit, iacetque inmedio Chori ſepulchro ab huius operis auctore conſtructo: deceſſit autem maxima cum deuotione nobis adſtantibus, & orantibus.

P. Dominicus de Marinis de conuentu Mineruæ, vbi Prioris onus laudabiliter ſuſtinuerat, & Vicarius Generalis ſub Thoma Turco Magiſtro Ord. fuerat, ab Innocentio X. Archiep. Auenionen. creatus, ea in vrbe, etiam Prolegati Apoſtolici munus geſſit ſub eodem Pont. Max. à quo & Nuntius Apoſtolicus extraordinarius delectus eſt in Galliam. Palatium Archiepiſcopale reparauit & auxit. Cathedram D. Thomæ in ea Vniuerſitate fundauit, & eleemoſynarum abundantia *Pauperum Pater* dictus eſt, Paſtor verè bonus, verè optimus, quem calculari morbo defunctum ann. 1668. in feſto Corporis Chriſti, luxit inconſolabiliter

Auenionen. populus, vt audiuimus.

P. Hyacinthus Ceulus Romanus è Piſis tamen oriundus, natalibus nobilis, de conuentu Mineruæ, in quo tunc Supprioris onus ſuſtinebat, promotus eſt ad Inſulam S. Marci in Calabria ab Innocentio X. Pont. Max. vt oues illas Dominici gregis per ſemitam mandatorum Dei ad cœlum dirigeret, qui annos tres commiſſum ſibi gregem optimè rexit, verè pauperum Pater effectus: quippe qui maxima annonæ caritate vrgente in Italia annis 1649. & 1650. cunctos Epiſcopalis menſæ prouentus; imò & propriam ſupellectilem, in pauperes pia prodigalitate effudit Paſtor Apoſtolicus. Deceſſit in ſua Eccleſia an. 1651. communibus ſibi creditarum ouium lachrymis parentatus. Vt audiuimus.

P. Franciſcus Cappiglias ex Vacherino de Campos Hiſpanus Apoſtolicus miſſionarius in Imperio Chinenſi, cum multos idolatras ad Chriſtum conuertiſſet, in Villa de Fogan captus, atque ad Tirannum ductus, poſt verbera, & tormenta plurima inuicta conſtantia ſuperata, tandem truncato capite die 15. Ianuarij huius anni victorem ſpiritum Deo reddidit. *Marcheſius in Diario Sacro tom. 1.*

P. Adrianum Vffeldem, de S. Thoma dictum, anno 1640. recenſitum, Apoſtolicum in Terræ firmæ Regno de Panama Occidentalium Indiarum in Prouincia Guaimi, & Darien. Apoſtolicum miſſionarium conſtitutum, S. Congregatio de Propaganda fide (audito fructu maximo, quem in Gentiliũ conuerſione ad Chriſtum faciebat) datis eidem coadiutoribus PP. Hieronymo de Flores, atque Petro Palomino Rondon, cum alijs decem à Prouinciali, & Diffinitoribus Prouinciæ de Panama ſeligendis, talis miſſionis præfectum eundem inſtituit, expedito ſub 17. die Auguſti decreto. Horum igitur Apoſtolicorum miſſionariorum opera vberrimi honoris, & honeſtatis fructus per pulorum illorum conuerſionem ad fid Eccleſiæ ſanctæ Dei prouenère. *Ex re. ſuprad.*

ANNO 1649. Vberiorem pro tholica fide ſanguinẽ effunden Prædicatores lætabundi, hæreticorur ſchiſmaticorum, ac Tartarorum cæden impio gladio diriguntur in cœlum. quidem in conuentu Kyouienſi P. Albe tus de Lubochia Supprior ibidem, qui p annum integrum in Kiouiæ Metropo latitans, & diuina fidelibus miniſtrans tandem deprehenſus in adminiſtration Sacramentorum lancea bis transfoſſus deinde manibus, ac pedibus ligatis in altum fluuij Boryſthenis demerſus, poſt dimidium horæ ſupernatauit, diuinas horas concinens, nec priùs aquis abſorptus eſt, quàm remis crudeliter percuſſus, & quaſi membratim conciſus fuiſſet, pluſquam viginti millibus hominum ad ſpectaculũ concurrentibus, mirantibus infidelibus; fidelibus autem Deum laudantibus, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis. *Ex Actis Capit. Gen. Romæ* 1650.

P. Ambroſius de Vvoinick Sac. Theologiæ Lector, eximiuſque prædicator in Boryſtenem cum F. Marco Nouitio proiectus fuit, F. Innocentio conuerſo interempto. *Ex eiſdem Actis.*

In conuentu Czarnobylenſi ferè omnes interière. Nam P. Io: de Camenecia Prior, P. Dominicus de Miedzybor Supprior, P. Arnoldus de Cracouia Prædicator ordinarius, P. Placidus de Kamionka Sacerdos, P. Iacobus de Kiouia Acolytus, & P. Stephanus conuerſus capti, atque duro carcere macerati, & multimodè vexati, tandem ſpectantibus multis mortalium millibus in fluuio Prypet omnes ſubmerſi fuère. *Ex eiſd. Act.*

In conuentu Czerniecchouienſi P. Nicolaus Petrikouski Prior, & Prædicator Generalis arbori clauis affixus, viuus

exco-

excoriatus, ſagittiſque transfixus, clauo per tempora adacto crudeli, in conſpectu autem Domini prætioſa, morte deceſſit. *Ex eiſdem Act.*

P. Cyprianus Mackynski Supprior eiuſdem conuentus poſt multa tormentorum genera in eius corpore exercita, cute auulſa, coniectus in dolium pice, ac reſina plenum, tandem exuſtus eſt, quem ſequuti ſunt ad palmam trucidati reliqui conuentus Fratres, Reginaldus de Lancut prædicator ordinarius, Cyprianus de Busko, & Ioannes conuerſus. *Ex eiſdem Actis.*

In Conuentu Nouegradenſi Seueriæ, P. Tobias Turski Prior viuus excoriatus eſt clamans. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.* corpore canibus proiecto. *Ex eiſd. Act.*

P. Gabriel de Leopoli Prædicator cum reliquis fratribus conuentus interijt: nam ipſe trucidatus eſt; P. Euſtachius de Kroſuo Supprior pluſquàm quinquaginta vulneribus confeſſus in cœlum euolauit. P. Hyacintus de Moſcika autem cum Patre Ioanne de noua ciuitate; F. Iacobus conuerſus, P. Laurentius de Leopoli; P. Matthias de Camenecia Subdiaconus, & P. Petrus Rozuuadonus nouitius gladio cædente perempti ſunt. *Ex eiſd. Act.*

In Conuentu Nixienſi P. Polycarpus de Oleko Vicarius conuentus ad Altare celebrans trucidatus fuit cum Patribus Aſcanio Shraha Prædicatore ordinario, & Ludouico de Caſimiria. *Ex eiſd. Act.*

In Conuentu Sokouienſi P. Chriſtophorus Podhayeze Prædicator trucidatus eſt. *Ex eiſd. Act.*

In Conuentu Potocenſi P. Vvenceſlaus de Podhayeze Prædicator Generalis graui infirmitate lecto affixus, ab hoſtibus catholicæ fidei conuentum expilantibus in lecto trucidatus fuit: & cum eo interfecti ſunt P. Ioſeph de Sienno prædicator ordinarius, & P. Gaſpar de Leopoli in Eccleſia orantes. *Ex Act ſuprad.*

In Conuentu Rhoaſienſi P. Hyacintus de Rohatino baculo in capite horrendè percurſus, ex feneſtra præcipitatus, agonem ſuum conſummauit. *Ex præd. Act.*

In Conuentu Ieſupolienſi P. Cœleſtinus Pino poſt accepta plura vulnera manibus, pedibuſque truncatis, proiectus fuit in foueam, vbi per dies aliquot à muribus, & vermibus corroſus, animam exhalauit. *Ex ſuprad. Act.*

P. Cornelius de Samboria Senex equis raptatus, vitam amiſit. Ioachim de Zadguca cum P. Marcello, & Ioanne Conuerſi perempti ſunt; primo, & tertio trucidatis, ſecundo verò membratim conciſo, & porcis in cibum dato. *Ex Act. ſuprad.*

In Colonienſi conuentu P. Alexius de Drohobycia iugulatus eſt. In conuentu Czarthouienſi P. Marcianus de Busko ibidem Supprior, ac Prædicator à villicis eiuſdem conuentus barbarè diſſectus, ſubmerſus eſt. *Ex præfat. Act.*

In conuentu Moſticen. P. Emmanuel de Slokouia Supprior trucidatus fuit: & F. Iacobus Conuerſus Eccleſiæ limina cuſtodiens, pari glorioſo certamine occubuit. *Ex præd. Act.*

In conuentu Morachuenſi P. Dominicus de Miedzijbor Prædicator cædente gladio enecatus, in cœlum properauit *Ex præd. Act.*

In conuentu Sarauienſi P. Adam de Drohobycia infirmus in lecto decumbens, verberibus afflictus, & vulneratus, exinde per ciuitatem carpento ignominioſè vectus, in foro publico decollatus, proprio ſanguine coronatus fuit. *Ex Act. præd.*

Præterea in Monaſterio Leopolienſi S. Catharinæ Senenſis Soror Hyacinta portaria, ætate, ac moribus grauis, inflexibilis

conſtantiæ fœmina, militibus ne monaſterium ingrederentur, ſe opponens, ſecuri percuſſa euolauit in cælum, & cum ea Soror Cunegunda Conuerſa trucidata eſt, carnibus ad deuorandum canibus proiectis. *Ex Actis Capituli Generalis Romani* 1650. §. *de Prouincia Ruſſiæ*.

In Hibernia quoque præter ſupra relatos antecedentibus annis 1646. & 1647. P. Dominicus Dillon Prior Vrlarenſis cum PP. Athienſi Suppriore, & Riccardo Oueton capti in villa Pontana, & ad mortem in hoſtili hæreticorum campo condemnati, in fronte exercitus profuſi in longam orationem, capitis ſupplicium fortiter tolerarunt: quo anno, & die etiam in Stradenſi ciuitate glorioſè, & generoſè pro fide occubuit P. Petrus Cuſtelo ibidem Supprior. *Ex eiſdem act.*

P. Iacobus ò Rellis Magiſter doctiſſimus, & prædicator celebris dum ex vno loco in alterum tranſibat euitaturus Cromuellianorum nequitias, ac barbariem, in eodem iniquos milites incidit; interrogatuſque ab eis quis eſſet, & quò diuerteret, inflexibili animi conſtantia reſpondit: *Sacerdos ſum, Religione Dominicanus viam perdidi, & à veſtris declinans in vos incidi; Chriſtianus ſum Romano Catholicus Apoſtolicus, ſic vixi, ſic moriar; ſicut fuerit voluntas in cælo ſic fiat*, mox ab irruentibus multiplicibus vulneribus cruentatus, integræ propemodum horæ carnificinam à tot barbaris mira fortitudine, ac patientia ſuſtinuit, Ieſu nomine ſæpius repetito; tandemq; animam Deo reddidit. *Ex Act. eiſdem*.

Licet talis, ac tanta eſſet Dominicani ſanguinis in diuerſis orbis partibus pro catholica fide tuēda; ac amplianda effuſio, non tamen in aſſumpto euangelico miniſterio tabeſcebant Prædicatores, zelo ſalutis animarum feruidi, ex quibus multi in locis eiſdem, in quibus aliqui defecerant, fuère ſubrogati. P. autem Theodorus Connel. peractis ſacris ſtudiorum curſibus, propriæ profeſſionis non immemor, à S. Congregatione in Angliam pro illius Regni fidelium conſolatione apoſtolicus miſſionarius dirigi ſupplicauit, quæ commendato eius ſancto propoſito, acceptis à Congregatione S. Offitij neceſſarijs, conſuetiſque litteris, ac facultatibus, in Angliam delegauit, fidelibus illis factus in conſolationem maximam cum euidenti tamen vitæ periculo, pluries à miniſtris illis ſathanicis ad morum quæſitus. *Ex relat. datis ad S. Cong. & Mag. Ordin.*

Dum verò pugiles catholicæ fidei Prędicatores ab infidelibus, & hæreticis impiæ cæduntur, ſanguiſque eorundem ſacratus funditur in Ruſſia, & Hibernia, euehuntur ad Inſulas, alij etiam Archiepiſcopales in Hiſpania & alibi: & quidem P. Dominicus Pimentellus nataliū ſplendore illuſtris Archiepiſcopalem Hiſpalenſem cathedram conſcendit, ex Corduben. ab Vrbano VIII. translatus. *Ex Actis conſiſt.*

Moritur hoc anno die 1. Decemb. maximo cum Religionis damno illius Generalis Magiſter Thomas Turcus, vir omnigena eruditione clariſſimus, inter theologos nemini ſecundus, in Minerua ſepultus, quo defuncto Innocentius X. Nicolaum Rodulphium à Magiſterio Ordin. olim depoſitum, ſed tamen à calumnijs impoſitis prius vindicatum, atque per Cardinales ad recognitionē eius cauſæ ab eod Pont. deſtinatos innocentem declaratum, eiuſdem Ordinis Generalem Præſidem creauit. Is igitur Apoſtolica Auctoritate capitulum indixit ſequenti anno in Vrbe, proper Iubilæum celebrandum. At paucis ante electionem Mag. Gen. diebus deceſſit optimus ſenex communibus Patrum Ordinis lacrymis parentatus; in cuius locum rexit Ordinem paucis illis diebus ſub Vicarij Ord. titulo

titulo P. Vincentius Candidus Sacri Palatij Magiſter vſque ad noui Magiſtri electionem, vt vidimus.

P. Ioſeph Maria Auila hebræorum in Vrbe Prædicator cum pro illorum conuerſione annis multis ſtrenuè deſudaſſet, ab Innocentio X. ad regendas Chriſti oues in Campanienſi Eccleſia aſſumitur; itaque poſt nouem annorum decurſum in Apoſtolico illo miniſterio, ad ſuam Eccleſiam properans, vt ſibi creditum gregem optimis æternæ vitæ documentis imbueret, graſſante ibidem peſte anno 1657. cum expoſiti ab eo Religioſi viri, ac Presbyteri eodem morbo in Sacramentorum adminiſtratione corruiſſent, ipſemet poſt emiſſam generalem peccatorum ſuorum confeſſionem, ne oues ſibi creditas ſine Sacramentis perire videret, ſacraque Euchariſtia refectus, Sacramenta propria manu eiſdem miniſtrauit, & hoc modo animam ſuam pro ouibus ſuis ponens, eodem morbo deiectus, de terra viuentium ſublatus eſt, prout Magiſtro Ordinis, datis litteris, fuit nunciatum.

In aſſumptione Auilæ datum eſt munus prædicationis hebræorum P. Magiſtro Gregorio Boncompagno de Scarincijs, qui & ipſe promouendæ fidei cauſa ſuſcepta, multos ad ſacrum baptiſmatis lauacrum perduxit vſque modo, quo in miniſterio Apoſtolico etiam hoc anno, quo hæc ſcribimus perſeuerat.

P. Mag. Ambroſius Viola in Viterbien. conuentu S. Mariæ ad Quercum ad ordinem receptus, ibidemq; Prior, ſtudiorumq; Regens, deinde in Monaſt. S. Sebaſtiani de Neap. Prior, necnon Card. Laurentij Raggi theologus, & confeſſarius, demum ad Epiſcopatum Laquedonien. promotus vt anno anteceden. dictum eſt, in Apoſt. Sedis defenſionem ſcripſit: *De primatu D. Petri*, quod opus Innocentio X. obtulit, & morte præuentus non impreſſit. Deceſſit autem an. 1651. vt audiuimus.

Dedit hoc anno Mag. Ord. Turcus circulares per Galliã litteras, quibus hortabatur fratres ad animarum conuerſionem apud Americos, & apud Inſulam Guadalupen. maximè procurandam per acceſſum ad illam, miſitque illuc P. Petrum Coliard Mag. atque Occitanæ Prouinciæ exprouincialem Commiſſarium, ac Viſitatorem præfatorum miſſionariorum, eoſdem ad perſeuerantiam in calamitatibus, ærumnoſiſque laboribus hortaturum, atque cum illis in vinea Domini laboraturum, quem ſequti ſunt coadiutores PP. Philippus de Beaumont, & Hyacinthus Guibert cum Fratribus Carolo, & Vincentio conuerſis. *Ex Archiuio Mag. Ord.*

Caput III.

P. IOANNE BAPTISTA DE MARINIS Magiſtro Generali LVII.

ANNO Iubilæi 1650. poſt obitum Reuerendiſs. P. Thomæ Turci LVI. Magiſtri Generalis conuocato Romam Capitulo electiuo mors præmatura Patribus vocalibus præripuit Reuerendiſs. P. F. Nicolaum Rodulphium, cui pleraque electorum vota priſtinæ ſuæ dignitatis & officij certam recuperationem iam deſignarant. Eo igitur defuncto, mira ſuffragiorum tranquillitate itum eſt in perſonam Reuerendiſs. P. F. Ioannis Baptiſtæ de Marinis LVII. Magiſtri Ordinis. Erat hic natus Romæ ex parentela admodum illuſtri, vir manſuetiſſimi pectoris, longa annorum ſerie probatus in arduo miniſterio Sac. Congre-

gregationis Indicis, cui tunc vt Secretarius vigilantiſſimè aſſidebat. Ob notam vitæ integritatem, prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem Innocentio X. Pontifici Maximo charus fuit. Exinde per XIX. annos Ordini præfuit, ſuaq; ſolicitudine & aſſidua cura effecit, quòd paſſim in varijs Prouincijs intra extraq; Italiam non pauci Conuentus primæuum regularis Obſeruantiæ rigorem conſtanter amplecterentur. Sub eiuſdem Generalatu ſtudia literarum erectis hinc inde pluribus nouis continuorum exercitiorum Collegijs magna ſumpſerunt incrementa, & vltra centum Doctorum Patrum eruditæ lucubrationes typorum beneficio prodierunt in lucem. Confraternitates Sanctiſsimi Roſarij, Nominis Ieſu, & Auguſtiſſimi Sacramenti ſtudio ac promptitudine ſingulari vſque adeò propagauit, vt in diuerſis locis huiuſmodi pia Sodalitia circiter mille, & ſeptingenta ipſius auctoritate ac zelo fuerint canonicè inſtituta. Ipſo Ordinem gubernante S. Roſa Limenſis à Clemente IX. ſolemniter in album Virginum Beatarum relata fuit, ſacratiſſima Purpura Eminentiſs. F. Dominicum Pimentel Hiſpalenſem Archiepiſcopum decorauit, & plus minus quadraginta ex Ordine Patres ad Archiepiſcopales & Epiſcopales cathedras fuere aſſumpti. Miſſiones Apoſtolicas præſertim in partibus Orientis, & Septentrionis indefeſſa diligentia promouit ſemper, & crebris tum Encyclicis tum ſubſidijs, ac miniſtrorum idoneis ſupplementis animare ſategit. Tandem anno 1669. pridie Nonas Maij laboribus, ac ætate fractus, inter Fratrum ſuorũ gemitus & lachrymas ingenti pietatis exemplo ſpiritum reddidit Creatori.

Eodem anno in nouam arenam cum principibus tenebrarum harum deſcendunt noſtri Prædicatores: nam ſæuiente magis, ac magis in Hibernia contra catholicos hoſtili hæreticorum perſequtione, oſtendère illi, quòd agere & pati fortia pro Sancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede aduersùs hoſtes illius, Dominicanum eſt: ſiquidem Dominicani Patres tanta effuſione ſanguinis à Patribus, & filijs ſuis facta, haud perterrefacti; imò fortiores redditi, inconcuſsè, & catholicam fidem prædicabant, & falſum prætenſum à Rege Anglicanæ Eccleſiæ Papatum damnabant, & auctoritatem, primatumque Romani Pontificis Max. facundo ore, atramento, & ſanguine ab hæreticorum dicterijs viuaciores defenſabant, & victimæ veritatis effecti æterno Deo in ſacrificium laudis ita ſucceſſiuè immolabantur, vt vno auulſo non deficeret ex eis alter.

In oppido Clunmellenſi Venerab. P. Milerus Magrath, (aliàs P. Michael de Roſario) cum totus ſpirituali fidelium obſequio intentus, moribundo cuidam Sacramenta miniſtraret, ab hæretici Gubernatoris ſatellitibus deprehenſus, atque ad tribunal raptatus, cum factum conſtanti pectore lætus approbaret, damnatus ad patibulum, actis Deo alta voce publicèque gratijs, ad trabem ſuſpenſus, mortalem vitam in reſti finiuit, immortalem conſequturus. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1656.*

P. Ambroſius ò Cahil de Conuentu Gorgagienſi & ipſe glorioſo agone conſummato, per effuſi ſanguinis palmam cœlitum conſortio, vt piè creditur, ſociari promeruit; nam cum de loco in locum Sacramenta fidelibus miniſtraturus incederet in hæreticorum equitum manus incidens, membratim conciſus, Chriſti victima prætioſa effici promeruit. *Ex Act. ſuprad.*

Ibidem quoque P. Iacobus Moram conuerſus P. Donatus Niger, & P. Ricardus Ouedon in odium fidei cuti flam-

mas

mas impiorum manibus trucidati, ſacræ pro Chriſto victimæ ceciderunt. *Ex Act. eiſdem.*

Inſurgunt noui milites Chriſti in illius hoſte ſublatis glorioſis prioribus S.P. Dominici inclytis filijs, in arenam contra Eccleſiæ hoſtes deſcenſuri vt catholicam fidem contra hoſtiles hæreticorum tueantur incurſus, & confirmatam conſeruent illibatam: inter quos iure merito recenſendus videtur P. Dominicus de Roſario Irlandenſis, natalibus, pœnitentijs, ac virtutibus omnibus commendabilis: qui cum in patria nutantem conciuium, exterorumque fidem ob calamitates maximas Catholicis ipſis illatas, animaduerteret, itaut de catholica religione actum videretur, Vrbanum Pontificem inuicta conſtantia adijt, rogans vt nouos euangelij præcones in Irlandiam mitteret, ad catholicos in fide ſancta, ac debita erga Apoſtolicam Sedem veneratione confirmandos, ex Prædicatorum Ordine ſeligendos, elargito ſibi Apoſtolico beneplacito nouos conuentus, nouaſque domos Ordinis in partibus illis fundandi. *Ex relat. eiuſd. S. Cong. & Mag. Ordin. datis.*

In Hollandia autem, etſi ſanguinem non profunderent hoc anno Prædicatores, ærumnoſos tamen perferebant labores in illa multipliciter afflicta Eccleſia excolenda, confouenda, ac conſtabilienda, erantque numero viginti, diuerſis in ciuitatibus diſtributi, iuxta catholicorum illorum exigentiam, ex quibus, Deo dante, ad ducenta millia numerata ſunt, prout ex relationibus à Patribus noſtris, inibi Miſſionarijs, Sac. Congregationi de Fide propaganda datis elucet. *Ex Ord. Archiuio.*

Apud Barbaros inſulæ Dominicæ coram principalioribus illius, ac Duce gratiam inuenit P. Raymundus Breton, itaut pueros multos ægrotantes dato baptiſmate in cœlum direxerit; adultos ſacris legibus imbuerit, pacem cum Gallis & ipſis ſtabilierit, atque oratorium, ſeu eccleſiolam ad diuina habenda conſtruxerit, à populo illo plurimùm ob egregias ſuas virtutes, charitatemque, qua omnibus omnia factus in languoribus, ac neceſſitatibus illis ex corde inſeruiebat, adamatus. *Ex relat. ſuprad.*

Apud Indos in nouæ Segobiæ diſtrictu euolauit in cœlum hoc anno P. Martinus Real de Cruce, annis, meritiſq; onuſtus, timens Deum, & recedens à malo, qui ſalutis animarum cupidus, arduos ob eam cauſam labores, ærumnas, & pericula vitæ ſubijt; itaut ſemel pro fide quam prædicabat, à Barbaris decollandus, flexis iam in terra poplitibus, fulgentem ſupra ſe frameam ex porrecta ceruice impauidus expectarit; ſed perterritus ſpiculator, ab opere tremebundus deſtitit, ad nouos labores Martino reſeruato; qui reaſſumpta prædicatione, in Gentilium conuerſione vſque ad extremum ſpiritum perſeuerauit intrepidus. *Ex Act. Cap. ſuprad.*

Eodem anno apud Philippinas Inſulas in cœlum properauit P. Petrus Benitas Hiſpanus, qui ardore dilatandæ fidei ſuccenſus, ad partes infidelium pro euangelij prædicatione ſe contulit, eo quidem rigoroſæ obſeruantiæ raro exemplo, vt in longa plurium menſium nauigatione aſſumpta, nunquam ſilentium, nec niſi ex neceſſitate interrogatus, fregerit. Ad Philippinas Inſulas cum appuliſſet, euangelicæ prædicationi ex corde deditus, non tam verbis, quàm inculpatæ vitæ exemplo idololatras multos conuertit ad fidẽ; at cum ſibi ipſi neque à frigore in hyeme, neque à caloribus in æſtate parceret, breui febre conſumptus, expleuit in deſiderio tempora multa. *Ex Actis ſuprad.*

In Marini locum Innocentius X. creauit Sacræ Congregationis Indicis Secretarium P. Mag. Raymundum Capiſuccum tunc temporis Magiſtri Sac. Palatij

Can-

Candidi ſocium, qui in eo munere Apoſt. Sedi ſuam fidelem prębuit operam vſque ad annum 1654. & defuncto Candido Sac. Palatij Magiſt. effectus eſt. Vt vidimus.

ANNO 1651. Euulgatur opus aureum, *Pugio Fidei*, inſcriptum auctore P. Raymundo Martini Barchionenſe ex genere hæbreorum Chriſtiano iam pridem quod diu in tenebris manuſcriptum ſingulari fidei catholicæ damno latitauerat, à P. Thoma Turco Magiſtro Generali Pariſijs apud Ioannem Henault impreſſum, inſtante Epiſcopo Lodouen. ita in eodem libro aſſerente. *Diuinæ prouidentiæ opus ſingulare agnoſco, vt eo ſæculo, quo Summorum Pontificium decretis, & Regum edictis, ſuperſtitioſa æque, ac calumnioſa Iudæorum volumina flammis addicebantur, Raymundus Martini ad Chriſtianæ religionis gloriam, & reportandos de Iudaica peruicacia triumphos, è medio incendio eripuerit*. Nam vrgente P. Henrico Colonienſe noſtro Dominicano, verbi Dei præcone illuſtri, Ludouicus IX. Galliæ Rex ſanctiſſimus libros Thalmudicos, alioſque Iudæorum codices in Chriſtum Dominum, eiuſque ſacratiſſimam matrem blasfemijs plenos comburi iuſſerat: quod etiam Gregorius IX. & Innocentius IV. Apoſtolicis coſtitutionibus edixerant. Ex his igitur codicibus tanquam ex armamentarijs munitiſſimis ſuum pugionem fidei fabricauit P. Raymundus Martini, de quo ſupra an. 1283. *De hoc inſigni viro Diag. lib. 2. capit.* 28.

Eodem anno glorioſo fidei agone decertabant Prædicatores cum diaboli miniſtris in Hibernia: illi quidem, vt eam ibidem conſolidarent; hi verò vt penitus ex Regno eradicarent, cum eſſent illi pro ea defendenda promptiores ad mortem, quàm hi ad illam eiſdem inferendam. Et quidem venerabiles Patres Laurentius, & Bernardus ò Fearail primi hoc anno glorioſa ſanguinis effuſione de miniſtris ſathanæ triumpharunt: Longfordiæ enim in ſui natiui conuẽtus templo ſummo manè orãtes deprehenſi, diuerſo mortis genere fidem profitentes occubuerunt; nam Bernardum impij ſatellites 24. mortiferis vulneribus confecerunt, & tamen optata Sacramenta antequam expiraret ab alio ex noſtris obtinuit: Laurentium verò ſauciatum ad Gubernatorem raptarunt, à quo agnitus, quòd Apoſtolici Nuncij auctoritatè adhæſiſſet Pontifici, damnatus eſt ad patibulum, ad quòd poſtridie perductus, dum lęto animo mortem expectat: ex amicorum interceſſione differtur, tandem verò, dum è ſumitate ſcalæ patibuli catholicos ſermone docto, & feruenti ſpiritu conſolabatur, atque hæreſes palam damnabat, vale dicens populo aſtanti benedixit, ac Roſario ad collum circumpoſito, laqueo ſuſpenſus eſt, crucifixum in dextera ſemper geſtans, quem poſt mortem, eleuata dextera populo oſtendit. Hoc ſpetaculo perterriti ſunt hæretici; & gubernator corpus eius cum ſolemnitate à Catholicis ſepeliri permiſit, eorum tumultum euitaturus. *Ex Actis Capit. Gen. Rom.* 1656.

Eodem anno venerab. P. Guglielmus ò Conor, de conuentu Clunmellenſi, vir pijſſimus, & ſalutis animarum ſitientiſſimus, cum Sacramenta fidelibus miniſtraret, ab impijs captus, & omnibus veſtibus ſpoliatus, iugulatus interijt. *Ex Actib. ſuprad.*

In conuentu Atenrienſi eodem anno P. Vincentius Geraldus Dillon cum catholicam fidem, quam profitebatur, hæreticis amplexandam proponeret Eboraci, retruſus in carcerem, poſt multa conſtantiæ, & patientiæ edita exempla, ſqualłore carceris, fame, ſiti, pœdore, in vinculis abſumptus in Domino quieuit. *Ex Actis eiſdem.*

Prædictis inclytis Chriſti athletis gradu pro-

du proximo ſubiungi promoretur P. Michael ó Klerym Prior Vvaterfordienſis cũ Geraldo Bagot, qui dum Catholicis Hibernis peſte infectis Sacramentorum miniſterio intrepidè ſuccurrerent, correpti & ipſi lethali morbo, charitate maxima feruentes, poſuerunt animas ſuas pro amicis ſuis. *Ex Actis præfatis.*

P. Lucas Garzias in ſenectute bona ad apoſtolicorum laborum præmia migrauit, qui poſt annos 36. à ſuo in Prouinciam Philippinarum appulſu, miſſus ſeorſim ad Indorum conuerſionem, breui multarum gentium factus Pater, inter illas, vitæ innocentia, ac doctrinæ efficacia verbum ſalutis longè, lateque propagauit. Tandem annorum pondere, ac laboribus pro Chriſto exantlatis fractus, magno fidelium luctu e viuis abiens, in cœlum conſcendit. *Ex Act. Capit. præd.*

Eodem anno in vaſtiſſimo Chinarum Regno P. Emanuel Rodriguez, in laboribus pro Dei gloria indefeſſus, ad æternitatem perductus eſt; qui pro animabus Deo acquirendis, ad extremum agonem ante fœminæ in mortis articulo ſubuenturus, per intollerabiles ſolis ardores, emenſo trium dierum itinere, ac penè amiſſo vitæ ſpiritu, acceſſit, ac ſalutifero pœnitentiæ Sacramento expirantem communiuit; verùm à marito adhuc gentile ob id fuſtibus crudeliſſimè cõtuſus, paulò poſt expirauit. *Ex Act. ſuprad.*

Manilæ dulciter & hoc anno in Domino Ieſu Chriſto requieuit P. Bernardus Zeiudo, in prædicatione euangelij & animabus Deo lucrandis præcipuus, qui ieiunijs, & orationibus mirè addictus profetiæ ſpiritu excelluiſſe fertur: tandem in ſenectute bona ſumma animi, qua vixerat tranquillitate, conſcendit ad ſuperos. *Ex Act. ſuprad.*

P. Sebaſtianus de Oquedo Hiſpanus, Vicarius conuentus Mexicani, qui in Manilien. conuentu Prior fuerat, hoc anno ad perpetuam fœlicitatem euolauit; vir potens in opere, & ſermone; Euangelij animata tuba, inter illuſtriores ſui temporis Theologos iure computandus, & Indorum ſalutis ſitientiſſimus, eorumdem conuerſioni ad catholicam fidem toto animo inhiabat, baptizando, prædicando, Sacramenta miniſtrando, cœteraque pietatis officia exhibendo. Tandem cum ſingulari ſanctitatis opinione deceſſit, corpore poſt annos octo incorrupto reperto, licet humidiori loco fuiſſet tumulatum. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

Demandatur Dominici gregis cura ab Innocentio X. Prædicatoribus, vt ſibi creditas oues per ſemitam mandatorum Dei in æternæ ſalutis paſcua dirigant. Et quidem P. Petrus de Tappia, vir verè Apoſtolicus, conſtitutus eſt Paſtor Archiepiſcopalis Hiſpalen. Eccleſiæ, tranſlatus ex Corduben. qui Eccleſiaſticæ libertatis vindex acerrimus, reſtitit in faciem opprimere illam contendentium, pauperesque vnicè diligendo, in eos cunctos ſuæ Eccleſiæ prouentus copiosè effudit. Cumque vltimum ſibi vitæ imminère diem agnouiſſet, pontificalibus indutus populo benedixit, proprij paſtoris exceſſum inconſolabiliter deploranti. *Ex relat. Mag. Ord. direct.*

Duos conuentus paruos, ſeu Vicariatus domos incolebant hoc anno & tempore Patres noſtri in inſula Guadalupenſi, conſtructis ad maris littus ſex cappellis in tota illa pro ſacris miniſterijs in fidelium ſolamen peragendis, in quibus prædicabant noſtri Prædicatores, Sacramenta miniſtrabant, miſſas celebrabant, aliaque diuina exequebantur, feſtiuis diebus ex pręfatis duobus conuentibus, vno Roſarij, S. Hyacinthi altero exeuntes, non quæſtuantes, non eleemoſynas petentes, ne, quibus Euangelium annunciabant

oneri eſſent, ſed ab omni humanarum rerum cupidine, prout Euangelij miniſtros Apoſtolicos decebat,alieni,manuum ſuarum labore victum, & hunc frugalem ex herbis ſibi parabant, & hoc pacto ſupra bis mille Nigritas ſacro lauacro Chriſto Domino regenerauère. *Ex relat. ad Sac. Cong. miſſis. & Mag. Ord.*

ANNO 1652. In Aetiopia ſtrenuè laborantes Patres noſtri Prædicatores fructus vberrimos, ac nobiliſſimos Eccleſiæ Sanctæ dedère, Imperatore de Monotapa cum Regina, pluribuſque nobilibus, ac tota Curia Imperiali ſacro lauacro regeneratis, atque catholicæ fide i documentis imbutis à P. Alexio de Roſario, & ſocio eius. Factum Imperatoris, cum Regina coniuge, ſacrum baptiſma à dicto P. Alexio ſuſcipientis, inciſa in ære imagine in Vrbe, e Superiorum licentia, Ordini, ac orbi, ſequentibus appoſitis characteribus denunciauit Magiſter Ordinis Io. Bapt. de Marinis.

Anno 1652. in inferiori Aetiopiæ vaſtæ Monomotapæ Imperàtor à Fratribus Ordinis Prædicatorum Chriſtiana Cathecheſi imbutus, interque eorundem manus ſalutifero baptiſmi lauacro palam ab vno ipſorum tinctus; quòd ſacra hæc functio in 4. Auguſti diem incidiſſet, Dominici nomen ſibi imponi voluit, ſpem exinde amplam, & concipiens, & faciens, non ſolos modò Palatinos, ac Proceres ab iiſdem Prædicatoribus tam penè edoctos; ſed & vniuerſa Imperij ſui Regna propediem Imperatoris ſui, atque imperatricis Ludouicæ exemplo fidem amplexura; nec quoad optimates diù fuit expectationi euentus, ſic librante Dei prouidentia, vt quando ſub cancbri Tropica, paſſim turbata fidei ſemina ferè exaruerunt, eadem vberiùs alibi ſub Capricorni tropico adoleſcant.

Cum Imperatore & Imperatrice duo eorum filij fuère baptizati, quorum primogenitus in ſacro lauacro Michaelis nomine ſumpto(ad quem de iure Imperium poſt ſublatum Patrem ſpectabat.) ſpretis mundi illecebris, ac vanitatibus, poſt aliquot annos habitu Dominicano indui petijt, & obtinuit: cumque peracto ſtudiorum curſu, ac legendi, ſeu docendi munere, animarum conuerſioni ad Deû per ſacram prædicationem operam dediſſet,innumeros proprij Principis exemplo permotos, Idolorum cultu neglecto, S. Matri Eccleſiæ per catholicæ fidei amplexum aſſociauit. Hunc autem P. Michaelem noſter P.Reuerendiſs. Mag.Ordinis Thomas de Rocaberti Sacræ Theologiæ Magiſtrum declarauit, eius meritis ita exigentibus,anno 1670. expeditis litteris patentibus, prout ex ore proprio Reuerendiſs. ſuſcepimus.

Factum autem conuerſionis huius Imperatoris cum Imperatrice, filijs ac magnatibus ſuis retulit Magiſtro Ord. S. Congregationis de Propaganda fide miniſtris, ac nobis conuentus Mineruæ Patribus non ſemel P. Ludouicus de Trinitate Vlixiponenſis, Apoſtolicus Miſſionarius à Patribus Congregationis Indiæ Orient. in Vrbem ad S. Congregationem, Superioreſque Ordinis directus, qui tanquam teſtis oculatus prædicta nobis diſtinctè retulit,& poſt quam per duos ferè annos in Vrbe permanſit,ad ſuas miſſiones reuerſus eſt Martio menſe currentis anni Iubilæi 1675.

Anno eodem in Hibernia ſanguis effunditur copioſus Catholicam fidem prædicantium, atque docentium. Et quidem non vnius, ſed plurimum Prædicator.Ordin.filiorum. Nam P.Io: ô Cuillin obſeruantiæ regularis viuum exemplar,infirma licet ſemper valetudine vſus, vili veſte contentus, hæreſes publicè deteſtabatur, ac de auctoritate Romanæ Apoſtolicæ Sedis, & catholicæ fidei veritate ſæpe diſputans, hæreticos oblatrantes confundebat: qua proper ab eiſdem

captus,

captus; atque immaniſſimè tractatus, vulneribuſque confoſſus, truncato capite, proprio in ſanguine volutatus, de hoſtibus fidei triumphauit glorioſus. *Ex Act. Cap.*

Ioannem ſequutus eſt inclitus Chriſti athleta P. Edemundus ò Bern conuentus ſui Roſcomanenſis Supprior, qui fidem catholicam, ac Sedis Apoſtolicæ obſeruantiam propugnans, multa agens, ac patiens, ab impijs ſectarijs ad mortem quæſitus, in eorum tandem manus incidit, ſtatimque bipennibus, ſclopis, gladijſq; vndique confoſſus, zeli ſui candorem proprio ſanguine fœliciter purpurauit. *Ex Act. eiſdem.*

Et hoc loco meritò recenſendus videtur P. Gaſpar Boyton de Caſſelenſi conuentu, vir miræ probitatis, & integritatis; qui in educandis Nouitijs dexterrimus, eos ad contemptum ſeculi mirificè inſtruebat. Sæuiente autem atrociſſima in catholicos perſequutione, ne ſpirituali ſolatio in adminiſtrandis clam Sacramentis catholicis deeſſet, per triennium nobilis catholici opilionem egit, inter diù, ſacris miniſterijs nocte intentus. Cœcus poſtmodum effectus, non ceſſauit ſub medici habitu diſcurrere per patriā eleemoſynam petens, confortando catholicos frequens Sacramentorum miniſterio, in quibus laboribus glorioſè conſumptus, euolauit ad ſuperos. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Glorioſum quoque agonem conſummarunt hoc anno Patres Taddæus ò Caholij, Gulielmus Geraldinus Limericij. Item Thomas Philbinus quondam Prior Burcſulenſis, & P. Carolus Mac Cuil, & alij plures (quorum nomina perennant in libro vitæ characteris aureis exarata), qui dum catholicis Hibernis peſte infectis Sacramentorum miniſterio indefeſſè & intrepidè ſubuenirent, & ipſi eodem morbo afflicti, in hoc ſummè charitatis erga proximos officio mortalem cum immortali vita commutarunt. *Ex Actis eiſdem.*

Ad ſacram purpuram euehitur hoc an. à Pontifice Max. Innocentio X. inclytus Pater Dominicus Pimentellus Hiſpanus ex Comitibus Beneuentanis die 19. Februarij, ad nominationem Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, qui Vrbem equeſtri pompa menſe Maio ingreſſus, ibidem negotijs Regijs præfuit. Pauperum pater ob ingentes eleemoſynas, quas in pauperes erogabat, communiter dictus, maximo cum ſui, & Ordinis decore in Romana Curia eluxit. At tanquam flos, qui egreditur, & conteritur, fugit & ipſe velut vmbra, heu citò nimis, ſequenti menſe Decemb. 4. Non. eiuſdem, nondum peracto ab aſſumpta purpura anno, depoſito carnis onere è viuis exceſſit, pauperibus ex aſſe hæredibus, ad valorem octuaginta duorum millium ſcutorum relictis, corpore in noſtra Minerua condito, vt vidimus.

P. Thomas Tomaſonus de conuentu Mineruæ, vir doctus, promotus eſt ad Inſulam Vmbriaticen. vt oues illius Eccleſiæ in viam pacis, & ſalutis dirigeret, qui cum cuiuſdam Eccleſiaſtici laxatos mores corrigere paſtorali cura niteretur, non ſine propinati veneni ſuſpicione deceſſit 25. Octob. an. 1654.

ANNO 1653. Poſt elatos ex ſanguinis arena glorioſos filios S. P. Dominici, quos ſuperioribus annis recenſuimus, eorum loco alij in eandem, fidem catholicam dilataturi deſcendentes, copioſiori cruore Chriſtianam diſciplinam ſanxère. Et quidem inter illos primus Venerab. P. Raymundus Keoghij de conuentu Roſcomanenſi, qui cum Sacramenta catholicis miniſtraret, atque in fide eruditos in ſalutis viā dirigeret, ab hæreticis captus, & multimodè vexatus, ſuſpenſus patibulo, glorioſo conſummato agone ſpiritum Angelicis choris ſociauit.

uit. *Ex Actis Capit. General. Rom.* 1653.

Raymundum ſequtus eſt in certamine P. Mag. Thaddæus Moriarti conuentus ſui Tralienſis Prior, qui in orthodoxa religione, & Pontificia auctoritate defenſanda factus ſibi ſubditis exemplar, non laboribus, non ærumnis, non carceribus, nec morte ipſa frangi potuit. Incrudeſcente enim in catholicos, & maximè Religioſos Cromuelliana perſequtione, oblatam ſibi occaſionem ad tutiora transcũdi loca, inconcuſſo pectore reiecit, Catholicorum miſertus, quibus præſentiam ſuam perneceſſariam agnoſcebat propter penuriam Sacerdotum, qui Sacramenta miniſtrarent. Comprehenſus itaque, & Killaruiam perductus, adiudicatus eſt patibulo, vbi ex ſummitate ſcalæ fideles maximo ſpiritus ardore exhortatus ad patientiam, & fidem ſeruandam, dicto alta voce verſu: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, glorioſam mortem amplexatus eſt, mirantibus ſectarijs ipſis, ac dicentibus: *Si quis Papiſtarum cenſendus eſſet Martyr, hunc certe Martyrem fore.* Ex Actis ſuprad.

Eodem anno F. Bernardus ò Kellij Conuerſus de conuentu Roſcomanenſi, poſt diuturnum carceris ſquallorem, ferreorum vinculorum opprimentia pondera, inediam ſummam, quæ ipſum ad vendendam pro pane tunicam, qua vnica tegebatur, adegerat, Galuiæ per ſententiam damnatus ad mortẽ eo quod Catholicas mulieres confortaret in fide, publicoq; ſuſpendio enectus, generoſè mortem amplexatus, ad cœlos properauit. *Ex Act. ſuprad.*

Eodem anno Soror Honoria de Burgo in Hibernia lilijs roſas, dum virginitatis candori ſanguinis purpurã, ſociauit; vt ſponſo candido, & rubicundo ſe probaret deuotam. Hæc ex Illuſtriſſima ſtirpe Dynaſtarum de Burgo in inferiori Conacia patre Ricardo nata, quartodecimo ætatis anno tertij Ordinis habitum induit è manibus P. Thaddæi Durani tunc Prouincialis Hiberniæ, ſub quo perſanctè vixit, erecta ſibi domo iuxta Fratres, Eccleſiamque noſtram Bureſelenſem, vbi continuò ſub Regno Elizabethæ, Iacobi, & Caroli, vſque ad decrepitam ætatem aſſiduis pietatis operibus ſe exercuit, egenorum, ac pauperum mater communis effecta, per totum vitæ ſuæ decurſum nulla vnquam mortali noxa admiſſa, vt communis fama eſt. Sub maxima annonæ caritate ipſa cum altera Ordinis Sorore Tertiaria fame periclitabatur, ſed ſponſi Ieſu Chriſti opem, quæ ſola ſupererat, fuſis precibus imploranti, mox ad portam adfuiſſe fertur peregrinus iuuenis, facie pulcherrimus (Angelum dicas) qui de omnibus prouidit abundè ancillis Chriſti, & abijt. Denique in vltima Cromuelliana perſequtione, diſperſis vndique Religioſis, pia virgo cum ſocia prædicta, & vnica ancilla ad loci cuiuſdam Inſulam (Sanctorum dictam) cum frugali commeatu ſe recepit, vbi tandem ab inſequentibus inimicis capta, ac rebus omnibus ſpoliata, ipſis quoque veſtibus per ſummam barbariem media hyeme (nam Februarius erat) direptis, ſeminuda abducitur; dumque algòre obrigida, nec aliquid habens præter cutem, & oſſa, à barbaris in proximam ſcapham impetuoſè, ad inſtar faſcis ſarmentarij proiecta, tribus in corpuſculo coſtis ex colliſione confractis, vitæ finem dedit; priùs tamen, vt ipſa petierat, ab ancilla ad Eccleſiam noſtram Bureſullenſem ante B. Virginis altare reclinata. Vnde mox digreſſa ancilla, vt aliam Sororem perquireret, in ſylua relictam, reuerſa in templum, eodem loco reperit Sororem Honoriam flexis genibus, erectoque collo in modum orantis placidè in Domino conſopitam. *Ex Act. eiuſd. Capit.*

Soror Honoria Magaen & ipſa Ter-

tium

tium Ordinem noſtrum profeſſa,ſuperioriſque Sororis Honoriæ indiuidua, laborum, ærumnarumque ſocia, veluti à qua nec in vita, nec in morte, ac tumulo potuit ſeparari, ſociam ſuam ſequuta eſt ad gloriam. Nam à præfatis inferni militibus in eadem Sanctorum inſula capta,veſtibuſq;cunctis denudata in opprobrium, multis fuit vexationibus afflicta. Cumque ætate iunior eſſet, ac formoſa, magiſque pudicitiæ ſuæ metueret, quàm vitæ, in proximam ſyluam è furentium manibus, Spiritu S. roborante, prolapſa, cauæ arboris trunco ſe nudam incluſit, vbi poſtridie diri frigoris dolore vexata, manibus, facie, atque oculis in cœlum elatis, extincta reperta ab ancilla amicæ Honoriæ, ſimul cum illa ſepulta eſt, & quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparatæ. *Ex Act. ſuprad.*

P. Raymundus de S. Caſimiro Apoſtolicus Miſſionarius in Tartaria hoc anno, & tempore, multa & præclara operabatur in obſequium catholicæ fidei. Tria fuère loca ſuæ miſſioni deputata, apud Theodoſiam, quæ Capha dicitur, & apud Focellam, quæ villa non parua eſt ex Genuenſium familiarum reliquijs collecta, quæ vſque ad hunc annum,tanquam roſa inter ſpinas, fidem catholicam retinens, ab omni hæreſi, & ſchiſmate aliena fuerat. At cum emanaſſet decretum Principis Tartarorum, vt omnes illius incolæ, aut fidem deteſtarentur catholicam, aut bonis omnibus expoliati, exilio mulctarentur, ipſi infelices, bona temporalia magis, quàm æterna amantes, in adorationem idolorum tranſière hoc anno, aliquibus paucis, quos timor diuinus continuerat à defectione, ex eodem loco catholicis abeuntibus. Ibi procurauit Raymundus omni adhibito conatu Ieſu Chriſti æterni Dei, æternique Patris filij adorationem, & cultum reſtituere, at in caſſum.

Ad Theodoſiam igitur Aſiæ præſtantiſſimam ciuitatem accedēs Raymundus, ibi templum permagnificum, quadrato lapide fabricatum, SS. Apoſtolis Petro, & Paulo dicatum inuenit, in quo Apoſtolici Miſſionarij rem ſacram faciunt, & catholici propriæ ſalutis munia exequuntur, miſſas diebus feſtiuis cantant, & diuina officia celebrant, concurrentibus ad illud deuotionis cauſa, etiam Armenis mercatoribus ſchiſmaticis, quibus ciuitas illa abundat. In eodem à Raymundo introductus eſt ritus recitandi diebus feſtiuis B. Virg. Roſarium, ad quod confluunt etiam ſchiſmatici Armeni, elata voce canentes.

Secundus miſſionis locus Raymundo datus, fuit Caroſouia bidui itinere à Theodoſia diſtans, vrbs eſt munitiſſima mercatorum Armenorum, ac captiuorum chriſtianorum,aliorumque multitudine celebris, in qua paruam Eccleſiam, ſeu Cappellam S. Hyacinto dicatam fundauit, celebrauit, catholicorum confeſſiones excepit, Sacramenta miniſtrauit, Roſarium B. Virg. recitauit, ibidemque futuris temporibus feſtiuis diebus dicendum ſtabliuit.

Tertius Miſſionis locus Raymundo conceſſus fuit Baccieſſarium, vbi Catholici in ſubterraneis diuina celebrant, ibique Roſarium inſtituit. In his Apoſtolicis miniſterijs Raymundus fœliciter dies ſuos terminauit. *Ex relat. data Mag. Gen. in Archiuio Ord. exiſten.*

Non minora hoc anno præſtabant militanti Eccleſiæ obſequia Patres noſtri in Indijs ad infidelium conuerſionem delecti: nam licet poſt indefeſſos euangelicos labores præſtitos, P. Io: Bapt. Carrè Commiſſarius ibidem inſtitutus è mortalium oculis ſublatus Ianuario menſe ſit, dato à Mag. Ord. eidem ſucceſſore P. Iacobo Goar, aliàs Congregationis S. Ludouici Generali Vicario, Septembri menſe

menſe anno eodem & ipſo ex hoc ſæculo nequam rapto, tamen P. Raymundus de Breton prædictis factus in præfectura ſucceſſor, cum alijs miſſionarijs laborãtibus in Euangelij prædicatione incõcuſſis & ab omni mundanarum rerum cupiditate alienis, ita populorum illorum ſibi pium captauère affectum, vt oſtium apertum eidem, alijſque Religioſis noſtris Prædicatoribus, euangelium prædicandi, nedum in Guadalupen. inſula, verùm etiam in alijs Dominicæ, Antigoæ, Granatæ, Martinicæ, atque S. Luciæ cum exultatione maxima patuerit; Indis ipſis, Nigritis, adiacentiumque Inſularum populis catholicam fidem cateruatim, fauente Deo, amplexantibus, atque Dominicanos profeſſores vnicè diligentibus. *Ex rel. ad S. Cong. & Mag. Ord. direct.*

ANNO 1654. In Hibernia continuatur effuſio ſanguinis Prædicatorum fidem catholicam propugnantiũ. Nam venerandus P. Hugo Mac Goillius è conuentu Rathbranienſi ob egregiam litterarum petitiam, vitæque præſtantiam nouitijs educandis & inſtruendis in via Dei præpoſitus Magiſter, vrgente fidei zelo Vuaterfordiam vltrò acceſſit, Catholicos illic periclitantes in veneratione, ac reuerentia erga Sanctam Romanam Eccleſiam, eiuſque viſibile caput Pontificem Maximum confortaturus. Ibi ab hæreticis captus, liberrimè ſe Sacerdotem, & Religioſum Dominicanum profeſſus eſt, damnatus ad mortem per laqueum; iamque trabi proximus, talem ad circumſtantes habuit concionem, quæ & ipſos impietatis ſatellites conpunxit ad lacrymas. Mortui venerandum corpus non ſine pompa catholici ad ſepulturam detulère. *Ex Actis Capit. Gen. Romæ 1656.*

In Prouincia verò Ruſſię Venerab. P. Innocentius Orieska Prædicator Generalis, de Cameneccen. conuentu, ibidemque Prior, quotieſcumque Religionis negotia pertractaturus, longum iter agrediebatur, generalẽ confeſſionem ſemper compunctus præmittebat; & dum iter aliquando faceret Cracouiam versùs, per viam ab impijs ſchiſmaticis interceptus, ad arborem per diem, & noctem manibus ſuſpenditur, inde in terram deiectus caputque trunco apponere iuſsus, inter orandum, ligneis clauis in occiput crudeliter impactis, eliſo cerebro immaculatum ſpiritum Deo reddidit. Eius cadauer poſt plures dies ibidem ab agreſtibus repertum, nec graueolentia vlla, nec corruptionis ſquallore ſorduerat, cunctis ſpectaculo obſtupeſcentibus. *Ex Actis ſuprad.*

P. Paulus Pyrromallus de Syderno Calaber ex Prouincia Calabriæ in Perſide apoſtolicus miſſionarius, multum ibidem pro eccleſia S. Dei, fideque catholica dilatanda laborauit: exinde præficitur Epiſc. Naxiouanen. Eccleſiæ in Armenia ſuo viduatæ Paſtore Auguſtino, ab Innocentio X. vbi plurimum inſudauit in reducendis Armenis ſchiſmaticis ad Romanæ Eccleſiæ vnionem, atque ex ijs multos ad viam ſalutis, & venerationem S. Sedis Romanę perduxit, vt liber ab ipſo Pyromallo typis editus, & ſacræ Congregationi Fidei Propagandæ porrectus teſtatur: manſitque miſſionarius Apoſtolicus in Perſide, & Magna Armenia per duos ſupra viginti annos. Dum verò in Vrbem reuertebatur, propè Siciliam à piratis Turcis Tunetum perductus, poſt redẽptam auro ſeruitutem ab Ordine, in Armeniam Archiep. remittitur. Tandem ab Alexandro VII. in ſuorum laborum remunerationem ad Biſſinianen. Eccleſiam translatus fuit an. 1664. in qua paucos poſt annos deceſſit: de quo in noſtro ſacro Theatro retulimus plura.

P. Raymundus Capiſuccus Romanus de conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, defun-

defunƈto hoc anno Vincentio Candido, ab Innocentio X. vltimis Pontificatus ſui diebus fit Sac. Palatij Mag. vt vidimus.

Deo, à quo bona cunƈta procedunt, cor dirigente: hoc anno Chriſtina Suecorum Regina glorioſiſſima Guſtaui Regis filia vnica Catholicam fidem cum vniuerſali Eccleſiæ lætitia ampleƈtitur, noſtro P. Io: Baptiſta Guemez eidem Regiæ maieſtati in hoc fideliter inſeruiente, quod Comes Galeatius Gualdus Prioratus in ſuo opere, cui titul. *Hiſtoria della Sacra Real Maeſtà di Chriſtina Aleſſandra Regina di Suetia*, euulgata Romæ per impreſſores Cameralæ an. 1656. copioſè refert.

Cum Neapolitani S. Patrem Dominicum in Patronum eiuſdem ciuitatis, & Proteƈtorem elegiſſent, rogauerunt Innocentium Pontificem, vt feſtum illius, tanquam feſtum de præcepto in vniuerſo Neapolitano Regno ab omnibus obſeruandum mandaret, idq; Pontifex libenter eiſdem conceſſit per Apoſtolicum Breue, datum apud S. Mariam Maiorem die 18. Decemb. huius anni, quod in Aƈtis Capit. Gen. Romæ ann. 1656. refertur, & fuit denunciatum Ordini.

P. Thomas de Chabes, qui ſpiritu humilitatis agnomen ſibi *Peccatoris* aſſumpſerat, Catholicam Eccleſiam, atq; Ordinem noſtrum ſuis virtutibus plurimùm illuſtrauit: Nam ſpretis gradibus, ſibi ab Ordine, non ſemel delatis, ad barbaras nationes per aſperrimos montes, pluſquã quingentis milliaribus pedeſtri itinere laborioſè emenſis euangelium Chriſti nunciaturus perrexit, & ad Chuncos de Chuquicabo, gentem ferociſſimam, atque indomitam penetrauit, cœpitque e fiducia in Deum ingenti euangelicam doƈtrinam latè ſeminare. Barbari, tametſi initio virum Apoſtolicum in veneratione habuerint, eò quod ipſum atra noƈte per horrida ipſorum montana diſcurrentem creberrimè vidiſſent comite quadam luce mirabiliter circumfuſum; attamen innatæ crudelitatis genio, paulò poſt de nece illi inferenda traƈtantes, & decreuerunt, ſicque varijs ærumnis immaniſſimè vexatum, dura captiuitate, velut viƈtimam innocentem attinuerunt. Tandem reſtituta illi libertate, eius aſſiduis prædicationibus baptiſmi lauacrum plures ſuſcepère, atque Chriſto nomen dedère, quos ſecum ad Limenſe emporium pro faciliori, pleniorique in fide Chriſtiana inſtruƈtione perduxit, (inter quos erant filij præcipuorum Dynaſtarum, Caziques appellant) quos triumphali proceſſione è noſtro ibidem conuentu ad Metropolitanam Eccleſiam perduƈtos, Archiepiſcopus manibus ſuis baptizauit. Indeq; ad priſtina montana digreſſus, in Euangelij propagatione feliciſſimè vitæ curſum conſummauit, à Deo condignum laborum ſuorum præmium percepturus. *Ex Aƈtis Capit. Gen. Rom.* 1656.

Hyacinthus Taruſius Vrbeuetanus, oriundus tamen à Montepolitiano, ab Innocentio X. fit Ep. Venuſinus, vt oues ſibi commiſſas per ſemitam mandatorum Dei in viam dirigat ſalutis, ad Miren. Archiep. Sedem poſtmodum eueƈtus à Clemente Papa X. ſicut dicetur infra, vt vidimus.

ANNO 1655. Venerabilis Dei Seruus P. Thomas Bermingham exul ob profeſſionem catholicæ fidei, non ſine ſpeciali ſanƈtitatis odore animam ſuam multis ærumnis, ac laboribus defatigatam creatori ſuo reddidit. Erat hic in oratione maximè aſſiduus, in qua ad exemplum S. Patris noſtri, noƈtes ducebat inſomnes, rigidus quoq; corporis ſui domitor effeƈtus, illud ad ſanguinis crebram effuſionem vexabat. Ieiunijs, & abſtinentijs exhauſtus, ſomnum in ligneo ſcamno modicè deguſtabat. Obſeſſæ ciuitati Narien. orans præſidio fuit, quando promiſſo Catholicis cœleſti auxilio contra

tra fidei hoſtes, ipſo die delatæ cœlitus glorioſæ S. Patris Dominici imaginis 15. Septembris idem S. Pater noſter publicè, & palam in templi faſtigio apparens factus eſt ipſis hæreticis cum terrore conſpicuus, quo prodigio Naſſenſis ciuitas ab oſidione liberata fuit. Demum ab Hæreticis, qui illius ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebant, captus, ac direpto Ordinis habitu, veſtem Ordinis Minorum indutus, inter ludibria, ſcommata militumque barbaras petulantias, velut agnus ad victimam ductus, Dublinum pertractus fuit, vbi in carcere diù maceratus, ſententiam ſubijt deportationis ad inſulas Barbadas: at lytro per Dominos Conſtantinum, & Fœlicem Oneil, & Hugonem ò Roirch oblato, in Hiſpanicum littus emiſſus Romam adijt, viſitatiſque locis ſacratioribus Italiæ, vitæ curſu generosè completo, ad æternam vitam tranſijt. *Ex Actis eiſd.*

Similem eodem anno viuendi finem habuit in patria ſua Venerandus ſenex P. Daniel Cnegan, qui miro zelo Ordinem noſtrum in Conacia propè extinctum reſuſcitauit, pluribus conuentibus quà inſtauratis, quà denuò extructis, numeroſaque iuuentute ad habitum ſuſcepta, quam in exteris Prouincijs in pietate, & litteris educari voluit. Sub Rege Iacobo, nobiles plurimos viros ob auitam fidem in vincula coniectos intrepidus fidei pugio, atque athleta animauit ad conſtantiam; & pecunijs hinc inde emendicatis ſuſtentauit. Illuſtriſſimo Comiti Vueſtmediæ autor fuit transfretandi in Angliam ad Regis in Catholicos iram, hæreticorumque rabiem mitigandam. Varijs Seruus Dei perſequutionum tandem procellis agitatus, dum pro nobiliſſimæ catholicæ Matronæ, pudicitia ſeruanda ſe publicè exponit contra hæreticum, diro vulnere in capite ad mortem ſauciatus, & cœcus effectus, ab ipſo hæretico Gubernatore ob notoriam vitæ innocentiam communi exilij lege exemptus, atque inter ſuos vitæ reliquum ducere permiſſus, aſſidua cura intendebat Catholicorum ſolatio, & inter hos labores, ætate, ac meritis grauis, ſanctè obdormiuit in Domino. *Ex Act. eiſd.*

P. Antonius de Reſurrectione Angren. Epiſcopus, non minori integritatis quàm doctrinæ fama celebris, inter alias virtutes charitate erga pauperes mirabilis, Inſulam S. Michaelis pro ſuo paſtorali munere viſitaturus, nec mortis quidem denunciato ſibi periculo, abſterreri à pio opere potuit; ad illam igitur acceſſit (quòd nemo ex anteceſſoribus Epiſcopis præſtiterat) gregem ſibi commiſſum inuiſurus, ac verbi Dei pabulo enutriturus, vbi in actuali viſitatione animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, omnium lacrymis in tota diœceſi comploratus. *Ex Act. Capit. Gen. Romæ 1656.*

Per aſſumptionem P. Mag. Capiſucci ad Sacri Palatij Magiſterium, vacauit Secretariatus Cong. Indicis, quem morte præuentus Innocentius Pont. nulli conceſſit, electuſque Alexander VII. nominauit Secretarium P. Mag. Hyacintum Libellum Tiphernatem, de conuentu tamen Mineruæ, quò in munere inſeruiuit Apoſtolicæ Sedi vſque ad annum 1664. vt vidimus.

ANNO 1656. Celebratum eſt Generale capitulum Ordinis Romæ ex Alexandri Pontificis decreto, quòd fuit infauſtum nimis ob ſubortam ibidem peſtilentiam ex Neapoli aducctam. Erant tunc numeroſi Patres ſecundum morem Ordinis in Conuentu Mineruæ congregati, cum ſparſus eſt rumor in Tranſtyberina regione quoſdam peſte perijſſe: inualuit fama ex aliorum conſimili morte: tandem cum eſſemus parati feria 6. poſt feſtum Corporis Chriſti de manè ſolemnem proceſſionem ex noſtra Eccleſia iuxta

ſia iuxta conſuetum morem habere interdicta fuit ob inualeſcens contagionis periculum, vnde aliqui vocales aſſumpta fuga ab Vrbe receſsère, & inter eos Patres Prouinciæ Dalmatiæ, Græciæ, & Venetiarum. Interim dum alij Patres de diſceſſu & ipſi cogitabant, ex morbo in tibia fratre Conuerſo P. Magiſtri F. Thomæ de Aquauiua, (qui hoc anno, quo hæc ſcribimus 1672. deceſſit Epiſcop. Bituntius) contracto per decretum Cardinalium congregationi ſanitatis præpoſitorum clauſus eſt conuentus, omnibus capitularibus Patribus, & conuentus in eo ſupra ducentos quinquaginta permanentibus. Cognita autem à chirurgis plaga, quod non eſſet peſtifera, neque ex peſte contracta, aperto conuentu aliqui in S. Sabinam, alij in S. Sixtum ſe recepère, & alij per mare conſcenſa naui in Hiſpaniam nauigauère, vt vidimus.

Poſt menſem ſocius P. Diffinitoris Poloniæ ægrotantem nobilem Polonum in Vrbe viſitauit, & contracta lue, in conuentum reuerſus, patefacto tumore inguineo, clauſus eſt iterum conuentus per quatuor circiter menſes, quo tempore deceſſit Prior eiuſdem, cum Archiep. Smirnen. P. Hyacinto Subiano, P. Clemente Blaſio Baccalaureo ordinario Collegij, pluribuſque alijs, omnibus num. 23. inter quos vnicus erat ſecularis iuuenis ad Eccleſiæ ſeruitium nobiſcum recluſus; atque adeò diſpendia, ac tribulationes paſſi ſumus, multas, & malas. *Benedictus Deus*, qui nos de his omnibus eripuit, incolumeſque ſeruauit. Ne verò peſte deficientibus Sacramenta deficerent. Alexander Pont. P. Generalem noſtrum, ſicut & cœteros aliorum Ordinum monuit, vt ſi quos haberet Religioſos volūtarios, qui ſpontè ægrotis inſeruire parati eſſent in miniſterio Sacramentorum, id Sacræ Congregationi Cardinalium, ſanitati præpoſitorum patefaceret: quod cum nunciaſſet P. Generalis Fratribus poſt refectionem in publico refectorio, fuimus ſupra viginti, qui nomen noſtrum in ſcripto dedimus, parati ad exequendum tantum pietatis opus. Delecti autem fuère à Magiſtro Generali tantùm duo ex conuentu Mineruæ, P. Mag. Antoninus Lucius, & P. Præd. Generalis F. Franciſcus Maſſa, qui erat Pater, & director Sanctiſſimi Roſarij in noſtra Eccleſia S. M. S. Min. vir pius, & deuotus, in veneratione apud ſeculares habitus, qui & ad calcem Sanctiſs. Roſarij publicè recitari poſt trinam proclamationem: *Regina Sacratiſſimi Roſarij, &c.* ex affectu deuotiori addi voluit communi etiam voto exprimendum: *Gesù, e Maria vi dono il cuore, e l'Anima mia.* & hic in eodem ſancto miniſterio deceſſit menſe Octobri, communibus Romani populi lacrymis parentatus, & ſocius eius P. Antoninus perſeuerauit in eodem miniſterio vſq; ad reſtitutā Vrbi ſanitatē; veruntamen poſt tribulationes multas & malas infirmatus, atq; contractus pedibus, poſt aliquorum annorum curſum in lecto ſemper iacens, ſoluta nexibus corporis anima ad Chriſtum æternum Iudicem properauit. At Magiſter Ordinis P. Io: Baptiſta de Marinis de mandato Pontificis ex conuentu egreſſus cum P. Procuratore Ordinis & ſocijs ſuis in Monte Pincio mānſit in domo capaci apud templum Sanctiſs. Trinitatis Patrum Minimorum, vt vidimus.

Eodem anno peſte perijt in Minerua P. Dominicus Randolus Prior conuentus, verè Iſraelita, in quo dolus non erat: nam cum de nocte, & clam peſte infectos fratres viſitaret, & ſuis manibus lectiſternia illis aptaret; necnon & cibum, non tantùm temporalem, verùm etiam ſpiritualem miniſtraret, eoſdem exhortando ad amplexum mortis à Deo præparatæ, confeſſioneſque illorum audiendo, tam Patrum, quam Fratrum Con-

Digitized by Google

uerſorum, ſæuā peſtilentia pluribus in corporis partibus & ipſe percuſſus, quieuit in pace, nobis videntibus.

Erat P. Dominicus iſte tantæ demiſſionis, vt Nouitijs præfectus, ab ijſdem, quibus in meritum S. Obedientiæ præcipiebat, ne renuerent id exequi, diſciplinas non ſemel acciperet. Corpus nedum abſtinentia, ſed & cilicijs ad carnem vſus domabat, quæ, cum in aliquo numero eſſent, in arca nonnulla condebat, cartharum plicis obſtricta, & ſuperſcribens: *Toſſico*, vt nemo curioſitate ductus in lucem proderet. Sed & erga S. Patrem Dominicum ita affectus erat, vt ad inuiſendum eius corpus Roma Bononiam pedeſter, & quæſtuans perrexerit, nec obolum quidem deferens, ibique manſit toto quadrageſimali tempore, vt enixè deprecati ſunt ipſum Patres conuentus Bononienſis, ſimplicitatem, obſeruantiam, virtuteſque tanti viri mirati.

Hoc anno Dom. F. Paulus Piromallus Armeniæ Archiep. ad inſtantiam Perſarum Regis, euulgauit libellum, cui tit. *Oeconomia Saluatoris noſtri explicans ex ſolis Prophetis ineffabile Incarnationis Sacramentum*; necnon & alterum, cui tit. *Apologia de duplici natura Chriſti diuina, & humana ex S. Cirillo Alexandrino petita contra P. Simonem Armenorum Doctorem*, qui prodière in lucem Viennæ Auſtriæ typis Matthæi Coſmerouij Sac. Cæſar. Maieſtat. Typographi aulici, priore Alexandro VII. Pont. Max. poſteriori verò D. Georgio Lippaij Stridonien. Archiep. dicatis, vt vidimus.

ANNO 1657. Graſſante adhuc in Vrbe lue, & defuncto ſuperiori anno P. Franciſco Maſſa, vt diximus, in eius locum ſuffectus eſt a Magiſtro Generali pro conſolandis infirmis Sacramentorum adminiſtrarione P. Raymundus Binettus Neapolitanus, in conuentu S. Sixti tunc ex obedientia permanens, qui ſingulari ardore charitatis ſucceſus, dum infirmis ex corde inſeruiens, ſibi non cauèret, eodem morbo correptus, depoſito carnis onere, ad Chriſtum breui tempore perrexit, cunctis eũ penè deplorantibus quem proſequtus eſt ad gloriam, vt credimus, P. Mag. F. Io: Dominicus Nazarius Armenus (de quo ſup. an. 1640. & 1643.) charitate feruidus, dum peſte infectis in couentu Mineruæ inſeruiret, & inter alios ſocio Patris Diffinitoris Poloniæ, qui morbum in Mineruám inuexit, eodem morbo perfuſus, vt vidimus.

P. Io: Dominicus de S. Clemente in Tiburtina Diœceſi pro animarum ſalute peſte infectis Sacramenta miniſtraturus, accepta à Magiſtro Ordinis benedictione ſe coram Marcello Card. Santacrucio Tiburtino Epiſcopo præſentauit, à quo per Diœceſim miſſus, vt infirmos in Domino conſolaretur exhibitis Sacramentis, ſemel atque iterum peſte infectus, diuina ope ſeruatus eſt à morte temporali, vt vitam æternam infirmis procuraret conſequendam. vt vidimus.

Apud Viterbium autem ingraueſcente contagio, P. Archangelus de Monturſo in conuentu Querquenſi aſſignatus, cum ex viſitatione Sacræ Lauretanæ Domus reuerſus multos vidèret peſte ſine Sacramentorum vſu perire, ſalutis animarum cupidùs, obtenta prius à Magiſtro Ord. licentia & benedictione, ſe publicum miniſtrum Sacramentorum infectis conferendorum expoſuit, quæ cum miniſtraret ne dum in ciuitate, verùm & in conuentu de Paradiſo Fratrum Minorum, vbi erat Xenodochium infirmorum peſte infectorum, eodem morbo & ipſe correptus, tandem conualuit, & ad aſſumptum charitatis opus redijt, donec iterum hoc morbo deiectus, omnibus ſeſe Sacramentis communiens, ad æterna præmia laborum acceſſit. *Ex littera circulari per prouinciam data.*

Datus

Datus eſt quoque cœlo Venerabilis ſeruus Dei P. Ferdinandus ab Incarnatione natalibus, pietate, in proximũ charitate, cœteriſque virtutibus illuſtris, qui iugum Domini in Religione ab adoleſcentia portauit, bonitatem, humilitatem diſciplinam, ac ſcientiam æquali ardore ſectatus. In conuerſione animarum per S. prædicationem aſſiduus, pœnitentes multos Chriſto obtulit, hebræoſque & Idololatras per ſacrum regenerationis lauacrum abluit. Cochimenſis Epiſcopus nominatus primò, deinde Algarbienſis, ab humili regularis obſeruantiæ ſtatu diuelli non potuit. Orationi quam maximè addictus, noctes in Eccleſia ſæpè ducebat inſomnes, & meritis onuſtus euolauit ad ſuperos cum ſanctitatis opinione, in conuentu Benficano. *Ex Actis Capit. Gen. Rom.* 1670.

Antuerpiæ, relicto in terra non vulgari ſanctitatis odore, properauit ad cœlum hoc anno venerab. ancilla Chriſti Soror Maria de Puis Tertij Ord. noſtri profeſſa. Et tanta Sanctitatis eius fama increbuit, vt nedum ſeculares; ſed etiam Religioſi, ac Sacerdotes præſtantiſſimi magno numero ad ipſam pro documentis ſpiritualibus conuenerint: tũ verò etiam ad morti proximam, vt precibus illius ſe commendarent, atque ab eadem benedictionem impetrarent. Ad eius cadauer inuiſendum, ac venerandum tantus fuit populorum, etiam ex vicinis caſtellis concurſus, vt fores Eccleſiæ claudere neceſſe fuerit pro officio ſepulturæ ei exhibendo. *Ex Act. Capit. Rom.* 1670.

Dum Romæ graſſante lue animabus medendis, vt ſpiritus ſaluus fieret mortalium, Prædicatores eſſent addicti, id etiam præſtabant alij in Hollandia, ac reliquis vnitis prouincijs, in quibus Sacramentorum miniſterio, ſacrique euangelij prædicatione catholicos ad pietatis opera inflammabant, hæreticoſque ad veritatis agnitionem per errorum abiurationem vocabant, non ſine fructu: perſequtiones tamen non modicas, afflictiones, atque exilia ſuſtinentibus illis ob perſequtiones à Prædicantibus eiſdem multipliciter illatas. *Ex relat. ad Mag. Ord.*

Dimiſſa à Ioſepho Ciantes Eccleſia ſua Marſicen. ad Alexandri VII. pedes, in Vrbem ſe recepit ille, vbi antiquo hæbraicæ linguæ ſtudio iterum aſſumpto, euulgauit hoc anno in hebræos Angelici Doctoris opus contra Gentiles, ſummo labore in hæbraicam linguam conuerſum, eidem Pontifici Max. dicatum. Defunctus eſt autem in Vrbe ann. 1671. Ianuario menſe, apud S. Sabinam tumulatus, vt vidimus.

ANNO 1658. Ad cœlum feſtina properat ex ſanctiſſimo Virginum ſacrarum viridario Vliſſiponenſi, Corporis Chriſti dicto, Soror Maria de S. Ioſepho, quæ à prima pueritia tanto erga infantulum Ieſum, Sanctiſſimamque eius Genitricem amore flagrauit, vt ſexennis deſiderio Martyrij exarſerit; nec dum duodennis ipſum Ieſum in brachia ſua recipere, ac complexari promeruit, eaque dignatione cor eius amburente Religionis ſtatum præproperè delegerit: tamque raris abſtinentiæ, patientiæ, atque orationis exemplis in ea Angelicam vitam tranſegit, vt mortis ſuæ cognito die, atque Beatiſs. Virginis, & S. P. Dominici apparitione diuinitùs recreata, inter colloquia diuina cœleſti ſponſo in perpetuas æternitates iuncta ſit 12. Ianuarij huius anni. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

Confluente omni tempore fidelium multitudine copioſa ad S. P. Dominici in Suriano ſacram Imaginem, pia adoratione venerandam ob innumera beneficia, quæ in dies eius patrocinium implorantibus pia prodigalitate confert; vt ſe ad impetranda ab eodem S. Patriarcha beneficia, & gratias aptiores, & digniores reddere

valeant, ac poſſint, Alexander Papa VII. ad ſupplicationem Magiſtri Ord. Ioannis Bapt. de Marinis, pie eidem indulſit, vt Patrem vnum noſtri Ord. ab Ordinario approbatum in eadem Eccleſia Pœnitentiarium inſtituere poſſet cum eiſdem facultatibus omnibus, quibus Lauretanæ domus Pœnitentiarij vtuntur, ad quinquennium tantùm; quòd priuilegium eidem fuit 10. Maij ann. 1661. ad aliud quinquennium confirmatum, & inde ſubſequentibus annis ad hæc vſque tempora de quinquennio in quinquennium innouatum, per Apoſtolicas litteras incipien. *Ex incumbenti*, quæ ſunt in Ordin. Archiuio.

Cum in magnum Imperium Chinen. progreſſi noſtri Prædicatores ab anno 1633. multam meſſem Eccleſiæ dediſſent per conuerſionem Idololatrarum ad Chriſtum, tractu temporis oratorijs, & Eccleſijs conſtructis, firmatus eſt ibi ab ipſi diuinus cultus combuſtis Idolis: quòd indignè ferentes Idolorum ſacerdotes, excitatis tumultuosè Idololatris, ſolo æquatæ ſunt, promulgata capitali ſententia in Miſſionarios noſtros apoſtolicos, Patrem Ioannem Baptiſtam Morales, Franciſcum Diez, & Ioannem Garziam, qui ſedulam operam in conuerſione gentilium impenderant, receptis ad ſacrum baptiſma ex eiſdem octo millibus & vltra; propter quod ludibria, flagella, & afflictiones multas, vſque ad profuſionem ſanguinis, conſtanter ſuſtinuerunt, vt dicetur infra. *Ex relat. P. Nauarretæ ad Mag. Ord. dat.*

Sacro lauacro regenerato cum vxore & Filijs Dominico Imperatore de Monotapa, vt ſuperiori anno 1652. enarrauimus, Patrum Congregationis Orientalis Indiæ Vicarius Generalis multos cooperarios Euangelicos ad vaſtum Imperium illud, vt populos illos exemplo proprij Principis allectos, ad catholicam fidem conuerterent, delegauit, qui etiam in interiores Imperij regiones penetrantes euangelium Ieſu Chriſti efferatis populis illis in montibus, & cauernis terræ exiſtentibus annunciantes, poſt ærumnoſos labores, atque tribulationes multas, & malas in die toleratas, copioſam illorum multitudinem Eccleſiæ Sanctæ Dei fidelem dedère, & in dies dare ſatagunt, numeratis ſingulis annis circa trecentum ex eis, qui ſacro aſſumpto baptiſmate fidelibus Chriſti ouibus aſſociantur: vt ex relationibus à P. Ludouico de Trinitate Commiſſario & Priore de Baſſain Magiſtro Gen. datis conſtat. *Ex Arch. Ord.*

Anno eodem Oſman Turcarum Imperat. Ibraim filius adhuc puerulus, dum Mecam per mare vehitur, à Hieroſolymitanis Equitibus, expugnato nauigio, cum Sapyhra matre, ac pluribus alijs puellis & eunuchis Melitam perductus, peracta puerili ætate à magno militum Magiſtro Patribus noſtris chriſtiana pietate imbuendus traditus eſt; tandemq; Deo cor illius dirigente, ſacro regenerationis lauacro ſolemniter ablutus, Dominicanum inſtitutum hoc anno amplexatus, & ſequenti profeſſione emiſſa, P. Dominici de S. Thoma nomine aſſumpto, in vrbem venit, Alexandri VII. Ponr. Max. pedibus prouolutus; & ſacris Ordinibus initiatus, Deo deuota præſtat obſequia.

ANNO 1659. Ex Vliſſiponen. Sacratiſs. Corporis Chriſti monaſterio, ceu florido cœleſtium virtutum viridario, in quo paſcitur Virginum ſponſus inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, per mortem euellitus Soror Clara de Sanctiſſimo Sacramento, Virgo Deo lectiſſima, quæ agnũ immaculatum ſequuta eſt per viam Crucis, continua ægritudine comprobatam, & ſpiritu vincens naturam, rarum pœnitentiæ exemplar data fuit, etiam expirando obediens: ad cœlum euolauit die 5.

Se-

Septemb. huius anni; & qua deceſſit hora, fulgentiſſimam, (vt fertur) in oculis lucem, vultumque vndique radiantem oſtentauit. *Ex Act. Capit. Rom. 1670.*

P. Gregorius Lopez natione Sina, primus ex illa gente Religioſus, primuſque Sacerdos illius magni Regni, multum in ea vinea Domini excolenda inſudauit, præcipuè poſt eiectos omnes Apoſtolicos miſſionarios ex eodem Regno, vt dicetur infra. Fuit hic vir verè Apoſtolicus, qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, cum ſolus ibidem remanſiſſet, duos annos & vltra in viſitandis, confirmandiſque in catholica fide chriſtianis illis nouiter conuerſis conſumpſit, peragratione decem Prouinciarum ad hoc aſſumpta, qua apoſtatas multos ad gremium S. Matris Eccleſiæ reduxit, catholicoſque in eadem conſtabiliuit, & ſupra bis mille & quingentos Idololatras, eiuratis Idolis propria manu ſacra vnda abluit, corde inconcuſſo in aſſumpto Apoſtolico miniſterio indefeſſus perſeuerans. *Ex relat. P. Dominici Nauarretæ Mag. Ord. delatis.*

Fortiter inſudabant in magno Regno Chinæ noſtri Patres Victorius Riccius, & Timotheus Bottigli Florentini ex Romana Prouincia pro Gentilium conuerſione ad Chriſtum, quorum plurimos ſacro lauacro ad catholicam fidem attraxère, annis ac laboribus multis in eo ſacro miniſterio magna animi conſtantia conſumptis. *Ex relat. ad Sac. Cong. de Prop. fide & Mag. Ord.*

Apud Orientales autem Indos Patres congregationis eiuſdem viriliter laborabant in Regionibus de Solor, & Timor pro populorum illorum conuerſione ad Chriſtum, vbi poſt varios conſunptos indefeſſos labores, poſt famem & ſitim, poſt afflictiones & carceres, innumeraque mala patienter tolerata, copioſo à à Prædicatoribus ſanguine effuſo, chriſtianitates ibidem firmatæ ſunt, Eccleſijs conſtructis, conuentibus ædificatis, altaribus erectis, Idolorumque delubris ſolo æquatis. *Ex relat. P. Ludouici de Trinit. Mag. Gen. datis.*

In Hollandia verò latitantes noſtri Patres animas à tenebrarum principe per hæreſim captiuas detentas eripiebant, atque ouili Chriſti cum cœteris fidelibus aſſociabant, in priuatis domibus de nocte Sacramenta miniſtrantes, fideles in catholica fide ignitis diuini verbi eloquijs conſtabilientes, hæreticoſquè ad veritatis agnitionem, & amplexum inducentes: at non ſine eorundem afflictionibus multis; nam vrgentibus apud Magiſtratus Prædicantibus, alij carceribus afflicti, alij exilio relegati, alij verberibus affecti, in agone poſiti, glorioſi fidei athletæ inuenti ſunt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Ex relat. ad Mag. Ord. datis.*

Infatigabili ſtudio Armeniæ Archiep. P. Paulus Piromallus inſudabat, in reducendis ad Apoſtolicę Sedis venęrationem Baſilianis ſchiſmaticis Monacis, quibus Armenia abundat, viuuntque in auſteritate magna, cum ieiunijs frequentibus, & pœnitentijs maximis, ſathanæ pſeudomartyres effecti, eo quod magnum Armenorum Patriarcham venerãtes, à Chriſti Vicarij debita adoratione alieni ſunt corde indurato. Hos, quorum ab ore cœterorum ſchiſmaticorum conuerſiones pẽdent, aſſiduis congreſſibus, diſputationibus, diſcurſibuſque ſpiritu oris ſui frequenter vexabat Piromallus, ad veritatis agnitionem illos perducturus, nec ſine fructu: nam Spiritus Sanctus, qui vbi vult ſpirat, fulgoris ſui radijs P. Cyriaci Doctoris inter eos celeberrimi cor ita illuminauit, vt Archiep. argumentis ſe victum fateri coactus ſit; quare eiurato ſchiſmatico Patriarcha, Innocentium X. Pontificem Maximum, Patremque Patrum per litteras veneratus eſt, quem ſequti ſunt

PP.

PP. Ioannes, & Carabiet cunċti tres magni Armenorum Patriarchæ chari diſcipuli, & amati Doċtores, mœrente ſupra modum illo de talium virorum iaċtura. Horum exemplo plures ſeculares edoċti, abiuratis erroribus Eccleſiæ Sanċtæ Dei vniti ſunt, maximo cum aliorum catholicorum gaudio, & exultatione: vt ex libello impreſſo, atque Sacræ de Propaganda fide Congregationi porreċto (quẽ vidimus) manifeſtè apparet. Igitur Alexander VII. laborum, ac calamitatum ipſius miſertus, ánnoſum ſenem Biſſianen. Antiſtitem creauit, in qua Eccleſia breui tempore vixit, vt vidimus.

ANNO 1660. Irruunt fidei hoſtes in Septentrionalibus regionibus in Polonorum Regnò, igne, ac ferro catholicorum; immo & Religioſorum omnium cœnobia, loca, conuentus, Eccleſias cœteraque eorundem habitacula impia barbariæ deuaſtantes, Religioſos cunċtos framea cædente in cœlum dirigentes, de quibus anno ſequenti. *Ex Aċt. Capit. Gen.*

Apud Hollandos ſæuiente perſequtione in catholicos ob Prædicantium perſequtiones, apud Magiſtratus ſupremos contra eos inſtantium, exilia, carceres, & affliċtiones non modicas patiuntur noſtri Patres Miſſionarij. Quare vt darent locum iræ, multi ex eis ad vicinas catholicorum prouincias declinantes, ibidem aliquantulum quièuere. At Spiritu Aeterni Patris vrgente, cordaque eorum pulſante, accedente Dominicæ Reſurreċtionis tempore, vnuſquiſque in proprium locũ, Catholicos ſacra communione conſolaturus, reuerſus èſt. *Ex litt. Mag. Ord. direċtis.*

P. Dominicus Nauarreta Hiſpanus Apoſtolicus miſſionarius in Magno Imperio Chinen. cum apud Sinas vna cum ſocijs Ordinis, Eccleſias, & Aras erexiſſet, multoſque Idololatras ad catholicam fidem ſua prædicatione, atque inculpatæ vitæ exemplo duxiſſet, ad eorundem confirmationem in Catholica fide, atque aliorum conuerſionem, ſcripſit volumina quinque, in quibus errores ferè omnes incolarum illius regionis efficacibus rationibus confutat. Quare in vincula poſtmodum conieċtus, multa mala pertulit pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt dicetur infra. *Ex relat. ad Mag. Ord. an. 1673. delatis.*

Venetijs euolauit in cælum hoc anno apoplexiæ morbo correptus ſub finem menſis Aprilis venerandus P. Xantes Mariales in conuentu SS. Ioannis, & Pauli, vir vitæ integritate mirabilis, ac doċtrina conſpicuus, qui inter alia, libertatis Eccleſiæ vindex accerrimus, pro eadem zelatus eſt, lingua & calamo, ex quo ſic occaluit aduerſis, vt hilariter extorris, & exul ſemel, atque iterum, faċtus ſit. Tandem redux ad propria, cœleſtis patriæ manſionem, & cupere, & expeċtare tantùm conſtituit. Mortem ergo lætus aſpiciens, laborum, vigiliarum, abſtinentiarumque præmia conſequuturus, migrauit ad Chriſtum, celebri pompa, & populi concurſu innumerabilis, etiam interuentu Oratoris Regij Hiſpaniarum, omniumque ferè nobilium, ei peraċtæ ſunt exequiæ. *Ex Aċt. Capit. Rom. 1670.*

Purpurea quoque virginitatis, & charitatis roſa apud Rhegium in Calabria Nouemb. 23. cœlo offertur Soror Anna, filia Franciſci Labruti. Puerulam innocentia, ſimplicitas, puritas, ac modeſtia adultam perduxère ad ætatem, cum 17. an. Ordinis habitum induit. Momento cumulata virtutibs ab eo, qui ſpiritum bonum dat diligentibus ſe, poſt vigeſimum ſanċtiſſimè moritur, nil in tam breui temporis curriculo de ſtudio acquirendæ perfeċtionis omittens; vota exaċtiſſimè adimplens, ieiunia, mortificationeſq; cunċtas exercens, fermè ſingulis diebus

com-

cõmmunicabat, tanto animæ, corporiſq; ſenſu, vt tota, hoſtiam libans, contremiſceret. Altæ Sapientiæ, Diuini amoris, contemptus mundi, & ſui ipſius, non rarò prompſit ſententias, quarum ſenſa perpauci affectiua parte percipiunt. Sic Dei dona mirabiliter eluxère in anima iuſta, quæ itidem non ſemel præſciiſſe mortis ſuæ tempus, & horam ſatis indicauit. *Ex Act. Capit. Gen. Romæ 1670.*

ANNO 1661. Mala plurima, imò innumera patiuntur Fratres Prædicatores hoc anno & tempore in Ruſſia à Coſacchis, Moſcouitis, Tartaris, & Turcis ſuis hoſtilibus incurſionibus regiones illas barbaricè igne, & ferro vaſtantibus cum maximo Catholicæ fidei, Eccleſiarum, Religioſorum omnium, ac præcipuè Dominicanorum damno; itaut ab anno 1648. vſque ad annum 1672. illic triginta cœnobia Ordinis, & Monaſterium Sororum depopulata, euerſa, atque in odium Catholici, ac Religioſi nominis igne conſumpta numerentur: & primò quidem:

In Vcbraina.

Conuentus Gzerkaſenſis.
Conuentus Nizinenſis.
Conuentus Pizylucenſis.
Conuentus Morachouienſis.
Conuentus Adamgrodenſis.
Conuentus Chiouenſis.
Conuentus Solzolouienſis.
Conuentus Iackopolienſis.
Conuentus Linpouſicenſis.
Conuentus Lubartouienſis.
Conuentus Neſteouarenſis.
Conuentus Vinnicenſis.
Conuentus Zitomirienſis.
Conuentus Ocorucenſis.
Connentus Biſſouien.
Conuentus Chodacenſis.
Conuentus Czarnobilenſis.

In Seueria.

Conuentus Smolenſcenſis.
Conuentus Rzeczycenſis.
Conuentus Nouogradenſis, & Conuentus Berniechouienſis.

In Podolia.

Conuentus Fratrum Camenecen.
Monaſterium Monialium Camenecen.
Conuentus Iazlouſecenſis.
Conuentus Sarauſcenſis.
Conuentus Czautlouienſis.
Conuentus Barenſis.
Conuentus Smotricenſis.
Conuentus Latiſcouienſis.
Conuentus Rubri Caſtri.

In Vallachia.

Conuentus Ceretenſis.

In tot Conuentuum euerſionibus mirum eſt quot Fratres Prædicatores impiorum manibus perierint, ab Hæreticis, Schiſmaticis, Turcis, & Barbaris, Chriſtiani nominis hoſtibus miſerrimè trucidati, Deo cuius iudicia inſcrutabilia ſunt, ita diſponente. *Ex relat. à Vicar. Prou. Ruſſiæ ad P. Generalem miſſa an. 1672.*

Dirigitur in Armeniam Apoſtolicus Miſſionarius pro Catholicæ fidei dilatatione P. Siluester Bendici à Sacra Congregatione de Propaganda fide; Apoſtolica, ac conſueta etiam Mag. Ord. auctoritate munitus, factus Commiſſarius: at dum ex Liburnico portu ſoluens Orientem verſus conſcenſa naui ventorum vi duceretur, à Tunetanis piratis die 8. Nouemb. captus, Tunetumque ductus captiuus, multa pro fidei confeſſione pertulit incommoda ab infidelibus illis Mahumetanis: qua de re certiorem fecit Sacram Congregationem datis litteris ibidem 20. Febr. ſequentis anni. Tandem auro redempta captiuitate miſerabili, apoſtolica miſſione reaſſumpta, ad lucrandas Chriſto animas lætus properauit. *Ex relat. eiuſd. P. directa Congreg. ſuprad.*

PP. Io: Bapt. Morales, Franciſcus Diez, & Io: Garzias, de quibus ſupra, gentilium, eorumque ſacerdotum deluſis impijs

pijs in ſe conatibus, memores verborum Domini dicentis: *Si vos perſequti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*, ex ea Chinen. Imperij, in qua multos ſacro lauacro Chriſto Domino regenerauerant, parte eiecti, in aliam declinantes, & verbum Dei ſeminantes, multam meſſem in Eccleſiæ horrea congregauère, nouis Eccleſijs, atque aris æterno Deo viuo, & vero erectis, idolis confractis, vexilloque ſanctæ Crucis ibidem erecto. *Ex relat. ad Mag. Ord.*

In Anglia Catholicorum partes inuicta animi conſtantia ſuſtinebat P. Philippus Thomas Houuard apud Regem, ac Magnates, vt in eos perſequtiones non inſæuirent, quibus præſtò erat eleemoſynis, conſilijs, fauoribus, Sacramentorum miniſterio, cœteriſque alijs eiſdem neceſſarijs, Catholicorum comunis pater effectus, qui & Monialium monaſterium, & Patrum noſtrorum cœnobium, hoc quidem apud Bornemium; illud verò apud Bruxellam in Belgio conſtruxit, annuiſq; redditibus locupletauit. *Ex rel. ad Mag.*

ANNO 1662. Die prima Octobris egregius P. Timotheus Botiglius, de S. Antonino dictus ex conuentu Florentino S. Marci Romanæ Prouinciæ, in Prouincia de Chin Kiagn, in magno Regno Chinæ Apoſtolicus miſſionarius, mortalem vitam perdidit, immortalem conſequutus. Hic ſtudiorum curſu in Mineruæ Collegiò peracto, Spiritu Sanctò cor eius iugiter ſtimulante, in ipſo ætatis flore pro animarum lucro, cum P. VictorioRiccio Florentino ex conuentu Feſulano in ampliſſima Synarum Regna penetrauit, & per quatuordecim annos, & vltra non ceſſans barbaras illas prouincias, ac nationes S. prædicationis vomere ſulcare ſtrenuis laboribus, licet infirma valetudine, aliquas ædificauit Eccleſias, & coedificauit fideles, ex barbaris manſuetos, & ex Idololatris veri Dei cultores effectos, Vicarius Apoſtolicus ibidem inſtitutus. Cuius mortem pretioſam denunciauit Sacræ Congregationi Fidei Propagandæ idem ſocius eius fidèlis in vinea Domini excolenda P. Victorius Riccius Apoſtolicus deinde Vicarius Miſſionariorum in illis partibus à Sacra Congregatione delectus, qui & Patri Priori conuentus S. Marci de Florentia in hunc modum notificauit obitum Timothei:

Molto Reuer. P. Priore di S. Marco di Firenze.

HO' molto preciſa, e particolare obligatione d'auuiſare V. P. M. R. come l'anno 1662. il primo d'Ottobre che fù il giorno del SS. Roſario, morì nella Prouincia de Chin Kian nel Regno della gran China il Venerabile, e Reuer. Padre Fr. Timoteo Bottigli di coteſto Santo illuſtre Conuento, Paeſano, amico & compagno mio ſingulariſſimo, col quale ſalij da Roma, e venni all'Indie, e da li alle Filippine, e dalle Filippine alla gran China, e haueua 14. anni, che non c'erauamo viſti, ancorche ſteſſimo nel medeſimo Regno. Aſſiſtè alla ſua morte vn Religioſo del medeſimo Ordine noſtro, e fù la morte ſua ſenza dubbio pretioſa nel coſpetto del Signore, poiche quà fece ſempre vna vita Angelica. Morì come viſſe, con deſio di vederſi con il ſuo Signore; ſtando fino all'vltimo punto con tutti li ſuoi ſentimenti, e riſpondendo alle Litanie: e verſo l'vltimo eleuò vna mano, e dando l'vltimo reſpiro reſe l'anima ſua al Signore. Pianſi la ſua morte con amariſſime lagrime, e molto l'inuidiai, poiche egli ſe ne andò ſenza dubbio a ripoſar nel Cielo, e laſciò quì noi altri frà tante miſerie, e fatiche. Fù ſempre per tutte le parti doue hà egli dimorato, dilectus Deo, & hominibus, ſi affaticò, predicò, battezò, e conuertì molta gente nello ſpatio di 14. anni, che è ſtato nella gran

China

China, e mai ſi conobbe in lui colpa ancorche leggiera. Fù huomo ammirabile, ancorche ſempre infirma valetudine, è con eſſer coſi, che morì giouane, hà operato aſſai, più che altri robuſti, che viuono più anni; mentre non l'impiegano come queſto Apoſtolico Religioſo. Alcune volte non poſſo contenermi d'inuocarlo con lagrime, e dirgli, Ricordati di me amatiſſimo compagno Fra Timoteo, che sò che godi della preſenza di Dio. Con tutto ciò V. P. M. Reu. l'aiuti con i ſoliti ſuffragij, e lo ſcriua à tutta la Romana Prouincia, acciò che altri s'animino à venire quà ad occupar il luogo, che hà laſciato vacuo il noſtro buon Santo F. Timoteo. Dio guardi V. P. come deſidero. Mi raccomando alle ſue orationi, e ſacrificij. Dalla Città di Subengchiù della Prouincia di Fochien del Regno della gran China alli 25. di Marzo 1663.

Bacio le mani di V. P. M. Reu.
Suo humile figlio
Fr. Vittorio Ricci.

P. Ioannes Garzia (de quo ſup.) Apoſtolici quoque Miſſionarij onus viriliter ſuſtinebat in magno Regno Sinarum, cum Idololatrarum conuerſione ad Chriſtum, ex quibus multi perfecti, ac fideliſſimi Chriſtiani euasère, & inter illos mulieres aliquæ, quæ virginitatem ſuam Deo mouentes, conſtantiſſimè ludibria, & flagella multa à parentibus ſuſtinentes, & auſteriſſimam etiam vitam ducentes, ſingulare virtutum omnium exéplar fidelibus, infidelibuſque effectæ ſunt: de quibus omnibus, & alijs à Prædicatoribus in magno Imperio Chinen. pro fidei obſequio patratis, noſter P. Victorius Riccius Florentinus ſuprad. longam hiſtoriam contexuit. *Ex relat. P. Nauarrete.*

Eodem anno P. Franciſcus Piſcopus Neapolitanus ex Congregatione Sanitatis conſtituitur à Sac. Congregatione Fidei Propagandæ Præfectus noſtrorum in Tartaria Miſſionariorum, datis litteris patentibus 22. Maij. Eidem Alexander VII. multa priuilegia conceſſit, per ipſum communicanda etiam alijs noſtris Patribus Miſſionarijs apud Tartaros, qua de re emanauit decretum à Sac. Congregat. S. R. & Vniuerſ. Inquiſitionis fer. 5. die 15. Iunij eiuſdem anni. His igitur fretus auxilijs Franciſcus captiuos Chriſtifideles apud Tartaros ſuis feruidis exhortationibus conſolidabat in fide, multoſq; ſchiſmaticos, & infideles ſacro regenerationis lauacro Chriſto Domino regenerabat, quibus Magno Kam nunciatis, poſt decurſos annos duos Tartaria exire coactus eſt multiplici afflictione vexatus: de quo infra ad annum 1665. & 1673. *Ex præd. litteris patentibus à nobis viſis.*

In Orientalibus Indijs apud Regiones Ciaur, Trapor, & Mai pro conuerſione Gentilium inſudantes Prædicatores multos ex ipſis ſacro fonte regenerarunt Eccleſiæ. Cum autem inter eos P. Ettor de Ieſu pueros, atque orphanos defunctorum gentilium in vnum locum congregaret, emendicatis eleemoſynis enutriendos, confouèret, atque in ſancta catholica fide edoctos per ſacrum baptiſma Eccleſiæ filios daret, frementibus ſupra modum Idolorum ſacerdotibus, ac cultoribus, propinato veneno, ſeruum Chriſti ex hac lacrymarum valle in æternam requiem direxère. *Ex relat. Mag. Ord. datis in Arch. Ordin.*

ANNO 1663. In Indijs ſanguis Prædicatorum, magna conſtantia fidem Catholicam promulgantium, copioſè effunditur. Nam dum Pater Io: Ludouicus de Guete ex conuentu Valentino toto ſpiritus ardore apud Philippinas inſulas euangelium prædicat, multoſque ſua manu ſacra ablutione ad Eccleſiam adducit, ad Inſulam de Guadalupe tranſiens, vt ibidem Eccleſiam fundaret, ab Inſulanis illis ſagittis confoſſus

eſt ad mortem; verùm diuina ope, ſalute corporis recuperata, in Prouinciam Philippinarum ad ſuos redijt, ac infatigabili ſtudio, quoad vixit, in gentium conuerſione deſudauit. Tandemque laborum præmia conſequuturus, depoſito carnis onere, ſpiritus cœleſtibus ſociatus fuit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

P. Dominicus Coronadus Hiſpanus in lingua Mandarina peritiſſimus, Scriptor libri *Scala Cœli* inſcripti (ex creaturis enim per varias rationes, & argumenta inducit infideles ad agnitionem veritatis) cum tribus alijs Patribus ex noſtris, Dominico Nauarreta Hiſpano, Dominico Maria Sarpetrio Siculo, & Philippo Leonardo Hiſpano; necnon & P. Antonio de S. Maria Minorita, cum aliquibus Patribus Societatis Ieſu, hoc tempore pro dilatatione Catholicæ veritatis plurimùm laborabant in Chinarum Imperio, maximo cum fructu animarum, quas ſuis prædicationibus ad adorationem Ieſu Chriſti adducebant, cum Idolorum euerſione: quodcum eorundem Idololatrarum ſacerdotibus, non modicum afferret detrimentum, his vrgentibus, inualeſcere cœpit perſecutio maxima à Tartaris in Regno, ſeu Imperio Chinarum, contra legem Chriſti, eiuſque promotores facta hoc anno, & ſequentibus, vſque ad an. 1668. quo variè afflicti, verberibus, fame, & ſiti, inuenti ſunt in fide ſtabiles, & in opere efficaces, laudantes nomen Domini eos ad regna cœlorum vocantis; prout expectabant, apud curiam de Pekin in vincula coniecti. *Ex relatione impreſſa P. Franciſci Garcia ex Soc. Ieſu.*

Apud Taurinum ſumma vigilantia Sacræ Inquiſitionis Tribunali præſidens P. Mag. Thomas Camottus, deuiantes à Catholica fide condignis pœnis caſtigando, puritatem eiuſdem in ſibi credita ditione illibatam conſeruauit, pluribus ex Gebennenſibus hæreticis S. Matri Eccleſiæ reconciliatis, de quo etiam ſub anno 1672. Alia quoq; grauia negotia pro ſancta Sede Apoſtolica idem Inquiſitor fideliter perfecit. *Ex eius Archiu.*

Eodem anno in conuentum ſuum S. Mariæ ſuper Mineruam ſe recipiente P. Raymundo Capiſucco Sacri Palatij Ap. Magiſtro, in eius locum delectus fuit P. Mag. Hyacinthus Libellus Tiphernas etiam ipſe de conuentu Mineruæ, qui decimo ſui Magiſterij anno Auenionen. Archiep. creatus eſt à Clem. Papa X. vt dicetur infra ann. 1673. & P. Mag. Vincentius Fanus Viterbien. fit Sac. Congreg. Indicis Secretarius, vt vidimus.

ANNO 1664. Fonincheis, quæ magni Synarum Imperij Folkienæ Prouinciæ eſt ciuitas, Venerab. Pater Baptiſta Morales, ex Bethica oriundus euolauit in cœlum, propriorum laborum præmium conſequuturus. Hic propagandæ catholicę Religionis ſtudio ardentiſſimo ſuccenſus, ex Hiſpania ad Indos nauigauit. Et primò ad Regnum Camboxiæ; deinde ad Synarum Imperium ex obedientia deſtinatus Apoſtolicus Miſſionarius, ibidem poſt fuſtigationes, preſſuras, atque ludibria, poſt diutinam carceris macerationem, à Barbaris illis tabularum torturam expertus, flagellis diriſſimè cæſus, ac pugnis contuſus, & ad mortem penè vulneratus, patientia ſua incredibili multos euangelij filios Eccleſiæ dedit, nouaſque in vaſtiſſimis illis regionibus, & Chriſtianitates, & Eccleſias, partim auxit, partim fundauit, vir verè Apoſtolicus: qui vt etiam mortuus Gentibus illis prodeſſet, quando viuus animam ſuam in tot tormenta pro eorundem ſalute poſuerat, ſcripſit hiſtoriam euangelicam Synarum, ac de fidei controuerſijs, aliaq; opuſcula: Dictionarium quoque compoſuit Synenſe, ac linguæ illius, in qua peritiſſimus extitit, grammaticalem artem pro miniſtris Euangelicis:

tis: vt facilius gentis illius difficile idioma concipiant in opus miniſterij, ad quod aſſumuntur. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

In Europa quoque non minori felicitate noſter Prędicatorum Ordo filios ſuos direxit in cœlum: Nam Venetijs in S. Secundi Cænobio P. Mag. Baſilius Pica menſe Octob. meritis onuſtus ad ſuperos properauit. Hic Apoſtolicus vir Pragæ in Boemia Theologiæ ſtudijs præfectus, deinde apud Brunam Prior inſtitutus, Lutheranos quoſdam probitate vitæ, priuatiſque de rebus fidei diſputationibus ad catholicæ veritatis agnitionem perduxit: Exinde ad maiora, diuina vrgente gratia, vocatus peccatorum conuerſioni ſe totum dedit: Vnde Romæ (vt audiuimus) & in principalioribus Italiæ Vrbibus ſummo ſpiritus ardore prędicauit, & meretrices ad honeſtam vitam, & aberrantes à lege mandatorum Dei per pœnitentiam reuocauit ad amplexum Crucifixi. In regulari obſeruantia enutritus excorde, illam apud Forum Iulij primo plantauit, deinde alibi, & in S. Secundi propè Venetias cœnobio, vbi cum ſocijs in exactiſſimo regularis obſeruantiæ rigore vixit. At quia non benè ſub modio lumen ardens occulitur, à Magiſtro Ord. de Marinis viſitator conuentus Bononien. effectus, ad meliorem viuendi normam conuentu reſtituto, Præſes Venetijs factus, conuentum SS. Ioannis & Pauli inculpatæ vitæ exemplo, cum regularis obſeruantiæ incremento maximo rexit. Tandem vigilijs, abſtinentia, & laboribus fractus, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, nocte, quæ magni Dioniſij præceſſit feſtum, quieuit in Domino, Venetiarum Vrbi, nobilibus, Senatoribus, populo, ac plebi, ſpiritualiter proficuus, & charus legatum diuturni moeroris reliquit. *Ex Act. Capit. Rom.*

Datur Paſtor ab Alexandro Pontifice Manilien. Archiep. Eccleſiæ apud Philippinas Inſulas P. Franciſcus de Paula, Angelopolitanæ Prouinciæ primus Prouincialis, eodemq; munere functus fuerat in Prouincia SS. Roſarij Philippinarum. Vir potens in opere, & ſermone; in promulgatione euangelij feruidus & in conuerſione Gentilium indefeſſus, vineæ Domini electæ dignus operarius, ac cultor egregius. *Ex Act. Conſiſt. eiuſd. Pont.*

Eodem anno, cum innumirabilibus fulgeret miraculis S. P. Dominici imago apud Surianum in Calabria, in eiuſdem Regni incolarum, exraneorumque beneficium, ſupplicantibus nobilibus, ac populo Neapolitano, ab Alexandro VII. Pont. datus eſt, ac declaratus idem S. Pater Dominicus Neapolitani Regni patronus poſt S. Ianuarium tamen, *vtpotè Martyrem, & Pontificem* inquit Pont. Alex. *Nunc verò*, ſubdit ille: *ne exinde in eodem Regno deuotio erga S. Dominicum decrementum aliquod patiatur, cum populus prædictus Neap. feſtum eiuſdem Sancti Dominici Patroni in toto Regno Neapolitano pariter de præcepto ſeruari, eiuſque officium cum octaua, vt hactenus ab Vniuerſo Clero inibi ſummoperè recitari deſideret; Nos memorati populi deuotionem &c. Supplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc porrectis inclinati, de præd. Cardd. conſilio feſtum eiuſdem S. Dominici Patroni in vniuerſo Regno Neapolitano præd. ab omnibus Chriſtifidelibus illic degentibus de præcepto ſeruari, & ſicut alia feſta de præcepto celebrari, eiuſq; officium cum octaua, vt hactenus ab vniuerſo Clero eiuſdem Regni recitari Auct. Apoſtolica ten. præſ. decernimus, præcipimus, & mandamus, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem die 28. Iunij 1664. S. Vgolinus.* Ex eodem Breui.

Hoc anno noſtri Miſſionarij Apoſtolici in Regnis Synarum, numero ſeptem, præter quatuor ſuperiori anno recenſitos, in tres prouincias diuiſi, vt euan-

gelium Ieſu Chriſti Chinenſibus annunciarent, cum ſeptem Ordinis Eccleſias publicas in ſeptem ciuitatibus, aliaque oratoria in oppidis pro diuino cultu publicè exercendo fundaſſent, in Chriſtianorum nouiter ad fidem catholicam conuerſorum ſpirituale ſolatium, perſequutiones multas & malas experti ſunt ab infidelibus, dirutis, deſtructis, ac ſolo æquatis Eccleſijs & Oratorijs prædictis atque ipſis Miſſionarijs multipliciter vexatis propter nomẽ Ieſu Chriſti, quòd annunciabant, ipſis in vincula & carceres coniectis. *Ex relat. noſtri P. Dominici de Nauarreta data Mag. Ord. hoc an. 1673.*

ANNO 1665. Cum P. Franciſcus Piſcopus eiectus fuiſſet ex Tartaria, vt ſupra anno 1662. diximus, apud Vars Varſauiæ ſubſtitit, monuitque de euentu S. Congregationem Fidei Propagandæ. At cum charitas Chriſti ipſum vrgeret, iterum Sacræ Congregationi pro reditu in Tartariam ſupplicauit, quæ viri conſtantiam mirata, benignè votis eius annuit, datis literis à Cardinal. Barberino Congregat. Præfecto 7. Iunij 1664. quarum tale eſt initium. *La pietà che V. R. hà dimoſtrato nella ſua miſſione di Tartaria viene maggiormente comprouata dalla prontezza con cui ſi è eſibita di ritornarui. E ben che ella dubiti di rincontrare, tanto nell'ingreſſo, come nell'eſercitio di eſſa quelli iſteſſi impedimenti, che ſe li fraposero l'altra volta, Queſti Em. miei Signori ſperano, che ell. con la ſua bontà, & eſemplari qualità ſaprà ſuperarla, & emollire con la ſua virtù la durezza del loro animo, &c.*

In Tartariam igitur reuerſus cum litteris commendatitijs Regis Poloniæ ad magnum Kam, iterum manum miſit ad fortia, conuerſioni infidelium ex corde addictus: & ad mortem quæſitus, diuina ope incolumis euaſit, in Poloniam hoc anno reuerſus. De hoc Apoſtolico viro D. Antonius Pignatellus Apoſtolicus Nuntius in Polonia, tale præbuit teſtimonium litteris patentibus in fauorem eius datis die 8. Iunij huius anni. *Vniuerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, &c. P. Mag. Franciſcus Piſcopus Ord. S. Dominici Præfectus miſſionis in Tartariam à S. Congregat. de Propaganda Fide expeditus; vt Chriſtianos captiuos in fidei perſeuerantia, Sacramentorum adminiſtratione conſeruaret, in initio huius S. operis pro exploratore habitus, teterrimo, fœdiſſimoque eſt mancipatus carceri, compedibus grauatus, inedia afflictus opprobria innumerabilia paſſus, non breui temporis ſpatio, ſed per annum hæc maledicta ſuſtinuit: tandem à Barbaris illis mortem minitantibus, mox ſubiturus, expectabat tamen ab eo pro cuius cauſa hæc patiebatur non derelictus, ſed adiutus liber euaſit. Veruntamen iterato nouo Sacræ Congregationis imperio Sereniſſimi Regis Poloniæ comitante patrocinio, Religionis, & Chriſtianæ Charitatis zelo ſtimulatus, & animatus, Tartariam repetens, inibi à Barbaris inhumaniter ſuſceptus, promiſſam ante hac necem, nunc quoque intentatam à Barbaris non euaſiſſet niſi potenti manu Dei è manu impiorum ereptus fuiſſet, &c.* Ex præd. litteris à nobis lectis. Anno autem 1673. hic vir verè Apoſtolicus in Armeniam Miſſionarius perrexit, prout infra.

Eximius vir, P. Io: Garzias de Bethica Prouincia, ſpiritum creatori ſuo reddidit in Synarum Regno apud Moyang Eokiernæ in confeſſione veræ fidei, qui per triginta, & vltra annos in Imperio Synarum Apoſtolicè laborans in Gentilium conuerſione indefeſſo ſtudio, doctrina admirabilis, oratione efficax, donoque manſuetudinis, & patientiæ ſingularis, multa in varijs perſequutionibus, dum Chriſti veram fidem docêret paſſus, nunc laritans in cauernis, & ſpeluncis terræ, nunc inquiſitus ad mortem, vt comprehenderetur. Tandem cum è latibulo ad Eccleſiam, celebraturus, atque Sacramenta

menta fidelibus miniſtraturus: in feſto S. Crucis 14. Septembris aduentaſſet, à militibus in ſacro miniſterio inuentus, catenis ferreis vinctus, pugnis contuſus, varijs ludibrijs, & afflictionibus vexatus, febri correptus, ſpiritum creatori ſuo reddidit. *Ex Act. Capit. Romæ* 1670.

Euolauit quoque eodem anno in cœlum glorioſus Chriſti atleta P. Dominicus Coronatus, qui cum proprer prædicationem Euangelij in Imperio Chinenſi cum alijs pluribus ex noſtris infra recenſendis, in vincula & carcerem coniectus, ibidemque varijs modis afflictus fuiſſet, in mortalem morbum incidit, & ſemiuiuus eductus è carcere ex Iudicis decreto, in Eccleſiam Patrum Societatis illatus, ibidem ſpiritum creatori ſuo reddidit die 11. Maij. *Ex relat. noſtri P. Dominici de Nauarretæ Mag. Ord. dat. hoc an.* 1673.

ANNO 1666. In prouincia Nouæ Segobiæ laborabant in promulgatione Euangelij Ieſu Chriſti, ac dilatatatione fidei eiuſdem noſtri Prædicatores Apoſtolici miſſionarij Deo fidelia dantes obſequia, per conuerſionem gentium Idololatrarum ad adorationem S. Crucis, quam priùs abominabantur, quòd ſine effuſione ſanguinis præſtare non valuerunt, omnium bonorum datore ita diſponente, qui ſanguinem ſuum effudit in humani generis redemptionem. Inter ipſos igitur venerandus P. Ioſeph de S. Maria, aliàs Ioſeph Nauarrus dictus, & Bethicæ Prouinciæ, & conuentus S. Petri Mart. de Marchena cum multos ſacro regenerationis lauacro peperiſſet Chriſto, ab Apoſtatis à fide, atque alijs Barbaris gladio transfoſſus, cœli ſecreta penetrauit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

P. Franciſcus Varo Hiſpalenſis cum Patribus ſocietatis, & tres alij ex noſtris Patribus in Apoſtolico miniſterio eius ſocij hoc anno & ſequentibus, apud Sinas glorioſo, & indefeſſo labore in conuerſione Idololatrarum intenti, meſſem copioſam Eccleſiæ Catholicæ dederunt; nam multos gentiles proprijs manibus baptizarũt, & Franciſcus librum impreſſit pro Synarum conuerſione, in quo variè, diſtinctèque orationes cum fidei documentis continentur: necnon & quatuor volumina ſtylo claro ſuper Decalogi præcepta euulgauit, quæ fructum non modicum attulerunt, de quibus infra. *Ex relat. P. Nauarretæ.*

Decertabat quoque viriliter pro fidei Catholicæ dilatatione, diuiniſſimique nominis Ieſu cultu in eodem Synarum ampliſſimo Regno P. Franciſcus Diez Hiſpanus de Valliſoletano conuentu, non minùs ſacris litteris, quàm idiomate illarum gentium imbutus, qui animarum zelo inflammatus, Gentiles multos ad Ieſu Chriſti venerationem adduxit, & lacrymarum dono mirabilis, peccatorum corda ad pœnitentiam emolliebat. Perſequutiones multas ab Idolorum ſacerdotibus paſſus, carceribus non ſemel mancipatus, quater diris flagellis cæſus, bis exilio relegatus, frequenter pugnis contuſus, multa & magna pro fide pertulit, & operatus eſt: tandemque laboribus fracta valetudine, vitæ curſu fœliciter conſummato properauit ad gloriam. *Ex Act. Capit. Gen.* 1670.

Grauem experiuntur perſequutionem Patres noſtri Miſſionarij in Hollandia, vnitiſque prouincijs pro fidelium inibi exiſtentium ſpirituali conſolatione permanentes; nam ad Prædicantium inſtantiam rigoroſo promulgato in ſacerdotes omnes (Papiſtas ab ipſis dictos) è proprijs manſionibus abire coacti, ad varias ciuitates, ac caſtra digreſſi miniſterium ſuum in occulto, ac ſub tenebris nocturnis exercebant, in catholicorum domibus latitantes, vt fidelibus ipſis fierent in ſalutem. Attamen temporis tractu ali-

qui

qui ex eis detecti,afflictiones multas, carceres,necnon & peiora damna experti, tãdem exilio affecti ſunt: qui tamen dantes locum iniuſtæ iræ Magiſtratuum,deferuetcente poſt tempus perſequtione, vnuſquiſque ad priorem locum reuerſus,Apoſtolicum miniſterium reaſſumpſit. *Ex Arch. Ord.*

ANNO 1667. Dum S. Patris Dominici inclyti filij, pugiles fidei laborant apud Indos,& Mexicum in Gentilium conuerſione, P. Petrus de Anſa, mercedem æternam accipit: qui cum eſſet filius Mexicani conuentus, à iuuentute in conuerſione illius gentis non ſine ingenti animarum lucro deſudans,fidelis, atque indefeſſus Apoſtolicus Miniſter, talentum ſibi creditum duplicatum Domino ſuo reportauit. Quare iuſſus eſt in gaudia cœleſtia introire, tantorum operũ condigna prœmia ibidem conſequuturus, relicta apud mortales illos maxima eximię ſanctitatis opinione. *Ex Act. Capit. Gen. Rom.* 1670.

Moritur Februario menſe die 15. noſter Card. P. Vincentius Maculanus de Florentiola, capularis ſenex, annorum 91. vir Religioſiſſimus, lanea tunicella ad carnem ſemper vſus, nobis adſtantibus & de more Ordinis ſacras vigilias morienti perſoluentibus, in pauperculo lectulo decumbens, relicto exemplo religioſæ paupertatis, prout vidimus, & delatus eſt pro ſepultura ad S. Sabinam, ſolemnibus exequijs de more in Mineruа perſolutis.

Carolus II. Hiſpaniarum Rex, ſeptennis adhuc, ſolemni ritu prima vice ſacram confeſſionem emiſit, electo conſcientiæ ſuæ directore P. Magiſtro F. Petro Aluarez de Montenigro Prouinciali Hiſpaniæ noſtri Ordinis Prædicatorum viro doctiſſimo, & cordatiſſimo, ab omni cupiditate, & mundanis honoribus alieno. *Ex literis ad Reuerend. Mag. Ord.*

Cum Patres noſtri in Magno Imperio Chinarum ſuprà ad annum 1663. & 64. recenſiti, Dominicus Nauarete & Philippus Leonardus Hiſpani, & Dominicus Maria Sarpetrius Siculus cum alijs Patribus ibidem afflictionibus,carceribus, fame, ſiti, ac frigore diù vexati fuiſſent, à ſupremo Iudice vocati ſunt ad audiendam ſententiam, promulgandam apud Pekin. Cumque omnes vno ore laudaſsẽt Deum quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, cantantes hymnos, & pſalmos, parati ponere animas ſuas pro Saluatoris nomine ad Iudicem acceſſerũt, ſed ibi contra ſpem fruſtrati ſunt voto ſuo non ſine copioſa lacrimarum effuſione; nam blandè ab ipſo ſuſcepti, atque humaniſſimè tractati, nauigio impoſiti ſunt, cum neceſſarijs cibarijs, eiecti in exilium, & deportati in Prouinciam de Quantiun per quingentas leucas diſtantem. *Ex relat. præd. anno recenſita.*

Eodem anno,ſupplicante Sereniſs. Hiſpaniarum Regina, per decretum Sacræ Congreg. S. Rituum, approbatum à Sanctiſs. D. Noſtro Clemente Papa IX. ſtatutum eſt apponi Breuiario Romano officium S. Vincentij Ferrerij Ord. noſtri, ad libitum recitandum ſub ritu Semiduplici ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tum ſæcularibus, tum regularibus vtriuſque ſexus, dato decreto 29. Nouemb. huius anni. *Ex eodem decreto impreſſo Camerali prælo.*

Inſula de Timor, quæ Chriſtianitas eſt noſtrorum Prædicatorum in orientalibus Indijs, contra inuadentes Holandenſes hæreticos, orationibus, necnon & armis defenditur à Catholicis ibidem exiſten. & à noſtris Patribus, ne hoſtes veræ fidei illam, ſuarum hæreſum veneno inficerent, & cooperante Deo, eiectis hoſtibus, quibus viſibiliter in aere apparuit, vt fertur, Religioſus quidam noſter (S. Patrem Dominicum dicas) baculum minaciter

citer contra eos geſtás, coacti ſunt ad alias regiones declinaret. *Ex relat. P. Generali miſſis, in Arch. Ord. exiſten.*

P. Petrus de la Forcada ex Toloſana Prouincia, vir doctus, atque in regulari obſeruantia enutritus, Apoſtolicus Miſſionarius apud Indos, cum in ſuo exequendo miniſterio indefeſſo labore eſſet totus intentus, multaſque animas cœlo eſſet lucratus, à Sac. Congregat. efficitur Miſſionariorum in Guadalupen. Inſula, adiacentibuſq; Chriſtianiſſimo Regi ſubditis Præfectus. *Ex relat. ſuprad.*

ANNO 1668. In vincula coniectis noſtris Patribus, aliorumque Ordinum Apoſtolicis miſſionarijs, vt ſupra retulimus ad ann. 1664. quatuor alij ex Prædicatoribus remanſerunt apud Synas à chriſtianis Metropolis de Fokien inuitati, atque apud eoſdem deliteſcentes, quibus præerat P. Franciſcus Varo Hiſpalenſis, (de quo ſup. an. 1666.) Audita igitur miſſionariorum cunctorum eiectione in exilium, Franciſcus dimiſſis ſocijs in varias Synarum Prouincias errabundis, ad confirmandos Chriſtianos in aſſumpta fide, Idololatraſque ad eandem per ſacrum baptiſma pertrahendos, ipſe in Fokien remanens, fideles Sacramentorum miniſterio fouit, infideles ad fidem attraxit, Apoſtatas ad eandem reduxit, & ſupra trecentos Idololatras poſt innumeras calamitates baptizauit. Tandem detectus & à militibus comprehenſus, in arctiſſimum carcerem retruſus eſt, & vſque in præſentem diem ignoratur de eo, ac ſocijs quid actum ſit. *Ex relat. P. Nauarretæ in Vrbe hoc anno. 1673. exiſtentis pro negotijs S. Congregationis de Propag. fide.*

Dantur laudes altiſſimo dum eodem anno inclytum Monaſterium Sacratiſſimi Corporis Chriſti Vliſſiponenſe filiam ſuam, virginitatis, ac patientiæ floſculum cœlo dedit Sororem Leonoram de Euangeliſta, erga Sanctiſſimam Dei Genitricem tanta deuotione affectam, vt meruerit ab ipſa edoceri de momento temporis, & horæ, qua cum filio ſuo dilectiſſio, Agno immaculato, eſſet ingreſſura ad nuptias, cunctaſque eiuſdem circumſtantias diuina reuelatione penetrare. Euolauit in cœlum relicta in terris propriæ ſanctitatis fama, die 2. Iunij. *Ex Actis eiuſdem.*

Hanc ſequtus eſt P. Carolus de Claeis in conuentu S. Vuinoci Bergis 27. Auguſti pro æternis peritura commutans, qui Mariani Roſarij eximius, ac deuotiſſimus cultor, per illud innumeros peccatores ad pœnitentiam attraxit. Etiam Prior, ſingulis diebus feſtiuis ex conuentu diſcendens, & ad diuerſa caſtra vſque ad 7. Leucas pedes excurrens, ſacratiſſimum Roſarium & prædicabat populis, & ſingulari animi exultatione recitabat, pœnitentium confeſſiones indefeſſo labore audiendo, eademque die, & quandoque circa mediam noctem, ieiunus in conuentum reuertebatur, ſinguliſque noctibus diram in corpore ſuo exercendo carnificinam, aculeata ferreis vncinis diſciplina illud Domino ſeruire cogebat, aſperſis ſanguine parietibus cellæ & eccleſiæ; tandemque viribus deſtitutus creatorem ſuum adijt. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1670.*

P. Mag. Io. Martinez ſacræ Theologiæ laureatus, Philippo IV. Hiſpaniarum Regi à ſacris confeſſionibus, & ab eodem delectus Archiepiſcopus Compoſtellanus, eccleſiaſticam præfecturam recuſauit, in humilitate magnus, atque in paupertate diues effectus; qui mortuo Philippo, in pauperem cellam ſe recepit religioſæ quieti, ac pietatis operibus vacaturus, vir ab omnibus mundanis honoribus alienus, & P. Mag. Petrus Aluarez de Montenigro delectus eſt Caroli Regis Catholici confeſſarius P. Martinez graui annorum pondere preſſos, prout ſignificauit

Digitized by Google

uit nobis P. Dominicus Nauareta hoc anno quo hæc ſcribimus. 1673. in Vrbe exiſtente pro negotijs apud Sac. Congregationem de Propaganda Fide.

Grauinenſium Dux D. Petrus Franciſcus Vrſinus mundum calcãs ſub pedibus manum miſit ad fortia, ſumpta Dominicana toga in conuentu S. Dominici de Venetijs à P. Mag. Angelo Bello Prouinc. Lombardiæ, vt ſuis virtutibus, ſacraque purpura Ordinem plurimùm illuſtraret, vt vidimus.

P. Matthæus Auanicenſis, Prouincialis Armeniæ fit Armeniæ Archiepiſc. creatus à Clemente IX. die 14. Maij, conſecratus in Minerua 22. eiuſdem menſis cum in Vrbem veniſſet cum ſocio P. Armeno. Qui à Pontifice Max benignè acceptus, eundem pleniſſimè de ſtatu Armenæ eccleſiæ, Patrum noſtrorum ibidem permanentium ad vineam illam Dei excolendam, necnon & populi catholici in Armenia viuentis informauit, & multis donarijs, ac ſacra ſupellectili auctus, directus eſt eodem anno ad Perſarum Regem, Apoſtolicis, Principumque Eccleſiaſticorum litteris pro bello Turcarum Tyranno inferendo, atque catholicis in illis partibus commorantibus, Regia protectione confouendis. vt vidimus

ANNO 1669. Celeberrimum Sanctiſſimi Sacramenti Monaſterium Sororum noſtrarum Vliſſiponæ, in regulari obſeruantia excultum, bina virginitatis lilia cœlo dedit, ſuauiter ante conſpectum diuinæ maieſtatis olentia, hæc fuère, Soror Paula de Spiritu Sancto, quæ adhuc in ſeculo orationi, ieiunijs, & mortificationibus aſſueta, diuinitus monita, vt in Monaſterio Sanctiſs. Sacramenti Dominicanæ profeſſionis religioſum viuendi modum capeſſeret, celeri promptitudine religioſa viuendi norma ibidem aſſumpta, vbi & diutinam, moleſtiſſimamque infirmitatem heroica patientia ſuſtinuit, & virtutibus ornata, cœlo præmatura; intra paucos Religionis annos fœliciſſimè agnum ſequta eſt ad palmam 5. Iunij. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1670.*

Altera fuit Soror Magdalena de Plagis Ieſu Chriſti illuſtri ſanguine nata, quæ à teneris vnguiculis in eodem educata perituri luxum ſeculi fugere nouit, plurimis, ac grauiſſimis infirmitatibus comprobata, tanto Ieſu Chriſti amore, tanto deſiderio pro illo vitam perdendi æſtuabat, quod in ſignum ſeruitutis, & obedientiæ, qua illum (ab ipſo edocta nil ſibi gratius vnquam futurum) colebat, ſuper cor ardenti igne ſibimet ſtigmata quędam, & ſigna ſeruitutis impreſſerit, vbi quoque interiorem cellulam formauit, cum diuino ſponſo ibidem conuerſatura. Exiuit obuiam venienti ſponſo, ex corpore ſpiritu egreſſo 9. Nouemb. huius anni. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1670.*

Moritur & hoc anno menſe Maio die 6. Magiſter Generalis Io: Baptiſta de Marinis, Generalatus ſui anno 19. duobus Capitulis tantùm celebratis, primo ſuæ electionis, ſecundo Romæ 1656.

Defuncto Marino datus eſt Vicarius Ordinis Reuerendiſs. P. Procurator Generalis eiuſdem P. Petrus Maria Paſſerinus Apoſtolica auctoritate Clementis IX. cum voto in electione futuri Capituli.

Prædefunctum fratrem vix ingemuit P. Dominicus de Marinis Auenionen. Archiepiſcopus, cum ſequenti menſe Iunio die 20. quæ in feſtum Sanctiſs. Corporis Chriſti incidit, ſublatus eſt ipſe de terra viuentium, vir verè pius, verè doctus, verè Apoſtolicus, Pauperum Pater communi nomine dictus, & tanquam optimus Dei ſeruus à ſibi creditis ouibus veneratus. S. Mariæ Magdalenæ mirificè ſepulchrũ exornauit, binas cathedras, vnam Philoſophiæ, Theologiæ alteram ſecundùm Angelici Doctoris doctrinam in Auenionen. Vniuerſitate fundauit. Archie-

chiepiſc. palatium inſtaurauit, atque alia tanto viro digna fecit, vt audiuimus.

Caput IV.

P. IOANNE THOMA DE ROCABERTI Magiſtro Generali LVIII.

Congregantur anno 1670. in Vrbe apud conuentum S. Mariæ ſuper Mineruam Generalia Ordinis Comitia pro Magiſtri electione, & in Vigilia Pentecoſtes, quæ in diem 25. Maij incidit, electus eſt Magiſter Ordinis Reuerendiſs. P. Mag. Io: Thomas de Rocaberti Prouincialis Aragoniæ. Vir Natalium ſplendore, doctrina, pietate atque virtutibus ſpectabilis, à quo bona plura ſperantur: & reuera, terminato Capitulo ſtatim manum miſit ad fortia, regularem obſeruantiam, ſtudia, pietatem, ſanctorumque noſtrorum decorem, ac venerationem in chriſtiani Orbis populis, Regnis, ac nationibus promouendo. In collatione graduum ſe iuſtum præbens, Pontificis Maximi Clementis Papæ X. fœliciter Regnantis gratiam ita promeruit, vt Canonizationem ſolemni ritu, ac pompa SS. Ludouici Bertrandi, & Roſæ de S. Maria, & ſolemnem Beatificationem Pij V. Pont. Max. tanto tempore in Vrbe, ac Orbe exoptatam ab eodem impetrauerit: Necnon & Beatorum Alberti Magni, Gundiſalui de Amarante, atque Margaritæ de Sabaudia cultum in Eccleſia, & Ordine obtinuerit augeri; pluraq; alia beneficia præſtitit, quæ ſuis locis referemus.

Egit cum Clemente X. Pontif. Max. nouus Magiſter Generalis, vt feſtum B. Alberti Magni, quòd in Germania, atque in Dominio Sereniſs. Venetæ Reip. tantùm celebrabatur, in totum Ordinem diffunderetur, celebrandum à cunctis filijs, & filiabus S. P. Dominici; votique compos effectus, decretum Apoſtolicum obtinuit; vt quotannis perpetuis futuris temporibus die 15. Nouemb. in toto ordine officium cum miſſa de comuni Confeſs. & Pont. ſemiduplicis ritu haberetur, emanato à ſacra Congregatione Rituum decreto die 27. Auguſti a. 2670. quòd in Act. Capit. Gen. Romæ hoc anno celebrati recenſetur: cuius dies feſtus ſolemni apparatu, ac pompa in Vrbe prima vice; in toto Ordine poſtmodum, cum primùm innotuit, celebratus eſt, vt vidimus.

Inſuper idem Pont. verè Max inſtante ſacro vniuerſali Inquiſitionis Senatu, decreuit quòd feſtum S. Petri Mart. ſub ritu duplici in tota militante Eccleſia celebretur à cunctis, qui ad penſum Canonicarum horarum ex præcepto tenentur; cum prius ſub ſemidupl. ritu haberetur; emanato per Sacram Congregationem decreto 26. die Iulij eodem anno 1670. quòd in Act. Capit. Gen. impreſſum eſt.

Inſudabant viriliter labore indefeſſo apud Guadalupen. Inſulam, atque adiacentes alias Chriſtianiſſimi Regis dominio ſubactas noſtri Patres miſſionarij apoſtolica auctoritate ibidem inſtituti, Idololatras, ac Nigritas multos baptizantes. At cum in Martinica Inſula illius incolæ ſerpentum, & aſpidum morſibus vexati, miſerrimè interirent, nec eorum venenis medicamina apta eſſet, decreuerè noſtri Patres Romam delegare, prout fecère, P. Hiacintum Ianſutbarui conuentus S. Chriſtophori Vicarium, ac Superiorem, vt à Pontifice Max. alicuius Sancti in Patronum illius regionis conſtituendi, qui à ſerpentum morſibus populum Chriſtianum illum vindicaret, corpus conſequeretur. *Ex relat. ad Sac. Cong. datis.*

Digitized by Google

P. Antonius Gonzales ex Peruana Prouincia de Limen. conuentu Beatificationis, ac Sanctificationis ſeruæ Dei Roſæ de Lima ſpecialis promotor, nominante Carolo Hiſpaniarum Rege promouetur ad Epiſcopalem Inſulam Characen. ſeu de Caraca apud Indos Occident. vt ſibi creditas oues in fide nouiter edoctas in eadem conſtabilire valeat, & per ſemitam mandatorum Dei ad cæleſtia paſqua perducat. Ex Vrbe autem diſceſſit ſuam Eccleſiam verſus ſequenti anno: vt vidimus.

Supplicante præterea D. Maria Virginia de Alterijs Pontificis Max. Clementis X. germana Sorore vnica, in monaſterio Ordinis noſtri S. Mariæ Magdalenæ apud montem Quirinalem de Vrbe profeſſa, mandauit Pont. vt S. Catharinæ Senen. feſtum, quòd ſub ritu ſemidupl. ex decreto Vrbani VIII. celebrabatur die 30. Aprilis in Eccleſia tota, ſub ritu dupplici perpetuis futuris temporibus haberetur, emanato decreto ex Sacra Congregatione Sacrorum Rituum ſub die 9. Octob. hoc eodem anno, quòd in Actis Capit. ſuprad. recenſetur.

P. Petrus Leforcade Americanis in Inſulis Euangelij Apoſtolicus miniſter cum Idololatras multos ad Ieſu Chriſti, per ſacri baptiſmatis amplexum, venerationem perduxiſſet, Idola fregiſſet, araſque illorum euertiſſet, nouis eccleſijs vero, atque omnipotenti Deo erectis, à S. Congregat. de Propag. fide in aſſumpto Apoſtolico miniſterio nedum confirmatur, verum & alijs miſſionarijs præficitur. *Ex relatione eiuſdem.*

ANNO 1671. In conuentu Hiſpalen. ex hac mortali, ad immortalem euolauit lucem die 2. Decemb. Illuſtriſs. Dominus P. Io: Polancus Epiſcopus electus nouæ carceres, de Valliſoletano cœnobio vir omnino Apoſtolicus, qui poſt curſus peractos diſcendi, atque docendi, in ſua Prouincia; æternam Sapientiam firmiori connubio ſibi deſponſaturus ad Philippinas Inſulas pro effundendo illic ſanguine in Euangelij S. Dei promulgatione, ac dilatatione nauigauit. Inde in Sinenſe Regnum penetrans pro propagatione fidei catholicæ in vaſtiſſimis illis regionibus, fructuosè Apoſtolicum miniſterium compleuit. Multa ibi pro Chriſto pertulit Io. nam, ter virgis cæſus, vt Apoſtolus gentium, ter quoq; vulneratus ad mortem: Tandem poſt tot, tantoſque labores, viribus febris vigore deſtitutus; cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, actibus contritionis, atque heroicæ charitatis totus deditus, ac Sacramentis Eccleſiaſticis munitus, relicta in terris ſanctitatis fragrantia, ſe Deo viuo & vero in odorem ſuauitatis obtulit. *Ex Act. Capit. Gen. Rom. 1670. impreſſis tàmen 1672.*

Demandatur cura ouium Chriſti à Clemente X. in Eccleſia Polycaſtren. P. Vincentio Mariæ Siluæ Neapolitano, vt oues ſibi creditas inculpatæ vitæ, virtutumque exemplo in viam ſalutis dirigat, vt vidimus.

Solemni Canonizationis ritu 12. Aprilis Clemens X. Pont. Max. noſtros Beatos Ludouicum Bertrandum Valentinum, & Roſam de S. Maria Limanam cum alijs tribus aliorum Ordinum profeſſoribus, communi totius Vrbis, & Orbis exultatione in Romana Principis Apoſt. Vaticana Baſilica Sanctos pronunciauit, vt vidimus.

Eodem anno Sanctiſs. Pont. ad inſtantiam, & ſupplicationem Sereniſs. Sabaudiæ Ducis; necnon & Excellentiſs. D. Petri de Aragona Segobiæ, & Cardonæ Ducis, Neapolitani Proregis, & ad Sanctiſſimum Pont. nomine Maieſtatis Catholicæ Obedientiæ Oratoris, conceſſit; vt in toto Ordine perpetuis futuris temporibus celebretur officium, & Miſſa de

B. Mar-

B. Margarita de Sabaudia die 27. Nouemb. expedito per Sacram Congregationem Sac. Rituum decreto die 29. Aprilis 1671. quod in Actis Capit. Gen. Romæ 1672. impreſſum eſt, & eodem anno in Vrbe & Orbe apud profeſſores S. Dominici eius ſolemnitas pompaticè celebrata eſt, vt vidimus.

Inſuper idem Pontifex Max. ad inſtantiam, & ſupplicationem Excellentiſsimi Marchionis de las Minas, apud eundem Reſidentis Regij pro Corona Portugalliæ, necnon & Magiſtri Ordinis conceſſit; vt in toto Ordine, tàm à Fratribus, quàm Monialibus celebretur perpetuis futuris temporibus officium cum miſſa de S. Gundiſaluo de Amarante die 10. Ianuar. dato Apoſtolico Breui die 10. Iulij. Feſtumque illius ſolemni pompa in Vrbe primò celebratum eſt, promouente A. R. P. Mag. Emmanuel Pereira Vliſſiponen. in curia Ord. Prouinciali Terræ Sanctæ, vt vidimus.

Prætereà Clemens Pont. ſupplicante D. Petro de Aragona Prorege Neapolit. nomine Catholicæ Maieſtatis indulſit, vt officium S. Raymundi Confeſſoris de Pennafort, Miſſali, ac Breuiario Romano apponeretur ſub ritu ſemiduplicis, & de præcepto recitandũ ab omnibus, qui ad canonicas horas tenentur 23. Ianuarij, emanato à Sac. Rit. Cong. decreto die 23. Martij. *Ex ſuprad. Act. Capit.*

Factum mirabile hoc loco verè dignum referemus. In Inſula de Timor, quæ eſt Chriſtianitas (vt dicunt ipſi) Prædicatorum noſtrorum, P. Mag. Duardus Trauazos, zelo promouendæ catholicæ fidei feruidiſſimus cum ſua prædicatione, vitæ auſteritate, ac religioſiſſimis moribus multos idololatras ad Ieſum Crucifixum amplexandum, eiuratis idolis, hoc anno & tempore perduceret: humani generis hoſtis videns ſibi totalem imminere ibidem ruinam, accepta humana ſpecie, cœpit & ipſe (vt fertur) prædicare contra Duardum, probans idolorum cultum eſſe veri Dei cultum, quod multis rationibus probabat, reiecta ſemper adoratione Ieſu Chriſti, tanquam hominis patibulo ſuſpenſi. In his altercationibus Inſulæ Rex idolatra voluit vtrumque inter ſe diſputantem audire; cumque dœmon idolorum prædicator poſt multa eſſet à Duardo taliter conuictus, vt obmuteſcere cogeretur, euanuit illico ab omnium oculis tanquam fulgur, intolerabili fœtore relicto, quo facto cum vteretur P. Duardus ad comprobandam veritatem catholicæ fidei, iuſſu Regis in publico foro, dum concionaretur, trucidatus, proprio ſanguine candidatus, euolauit in cœlum. *Ex relat. Mag. Ord. directis in Archiu. exiſten. & à P. Ludouico de Trinitate Congregationis Indiarum Orient. Procuratoris P. Mag. Gen. de Rocaberti, & nobis datis.*

P. Io: Franciſcus Cuet Gallus apud Camercanas Inſulas in Indijs miſſionarius Apoſtolicus multo cum fructu laborabat in vinea Domini excolenda, idololatras multos catechizando, baptizando, ſacriſque ritibus imbuendo: idolorum aras euertendo, Sacramentaque in conſtructis Eccleſijs miniſtrando; qui cum videret regionem illam albam quidem eſſe ad meſſem, operarios autem ibidem paucos, datis litteris ad Sac. Congregationem, eorundem auxilium popoſcit proprio muneri plenè ſatisfacturus. *Ex relat. ad Sac. Cong. & Mag. Ord.*

P. Taddæus Keogius in ſacra pagina Magiſter, in Regnis Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ diu Miſſionarius Apoſt. cum in aſſumpto miniſterio confortandi catholicos in fide, atque hæreticos ad Pontificis Max. venerationem, propriarumque hæreſum occultam abiurationem longo annorum decurſu perſeueraſſet, promouetur à Clemente X. ad Emin. Cardd. Sac. Congregationis de Fide propaganda inſtan-

ſtantiam ad Epiſcopatum Clonferten. in Regno Hiberniæ, vt fideles illos in catholica fide conſtabiliret, cœteraque ad pontificalia munera ſpectantia in eorundem ſpiritualem conſolationem exerceret, expedito Breui Apoſt. die 13. Iulij huius anni, quod eſt in Ord. Archiuio. Eodemque die & anno promotus fuit ad Epiſcopatum Elfinen. P. Dominicus de Burgo, vir doctus, modeſtus, & cordatus, nobilibus ortus natalibus per multos antecedentes annos in Regnis ſuprad. Apoſt. Miſſionarius cuius, inſtitutionis literæ ſunt in Ord. Archiuio.

ANNO 1672. Singulare decus illuxit Ordini ſub Reuerendiſs. P. noſtro Mag. Generali Ioanne Thoma de Rocaberti Aragonen. dum die 22. Februar. in feſto Antiochenæ Cathedræ D. Petri P. Vincentius Maria Vrſinus genere Romanus ex Grauinenſium Ducibus, de quo ſup. anno ætatis ſuæ 23. S. R. E. Presb. Card. Tit. S. Sixti maxima Vrbis & Ordinis exultatione creatus eſt, cum in Brixien. conuentu Lectoris philoſophiæ pro edocendis Nouitijs onus ſuſtineret, & Bononiæ tunc temporis eſſet. Is verò audito promotionis ſuæ ad purpuram nuncio expauit, & Cardinalitiam dignitatem non acceptare deliberãs, Pontifici Max. datis literis, humilitatem, & pietatem maximam redolentibus, ſe tantæ dignitati imparem meritis acquieſcere non poſſe reſcripſit. Sed Vincentij modeſtia, atque demiſſio animi Pontificem Max. Clementem X. in oppoſitum vrgebat. Quare Magiſtrum Generalem Ordinis Bononiam miſit, vt nomine ſuo ad acceptandam purpuram illum compelleret dato ſequenti Apoſtolico Breui.

Dilecto filio noſtro Vincentio Mariæ Vrſino de Grauina S. R. E. Presbytero Card.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili noſter Salutem, & Apoſt. Bened.

EA, qua par erat, animi admiratione ſuſpeximus religioſæ humilitatis præſtantiam, qua Cardinalitiam dignitatem, noſtræ tantummodo in Eccleſia Dei ſecundam, recuſare cogitâſti, eximiamque pietatem tuam prolixis laudibus proſequuti, accuratas diuinæ bonitati gratias egimus, quæ tam præclaros, vt ex litteris ad nos datis patère videtur, cordi tuo ſenſus impertiri dignata eſt. Examinanda tamen, atque ad trutinam penſanda, ducimus eiuſmodi conſilia; quandoque enim ſub amictu lucis princeps tenebrarum latet, mentitaque melioris boni ſpecie, diuinæ gloriæ incremento reſiſtit. Sententia quoque nobis fuerat, oblatum infirmitati noſtræ Pontificatus Maximi pondus omnimodè declinare, profuſiſque in id precibus, ac lacrymis vehementer incubuimus; ſubiecimus verò tandem voci Dei per Cardinales nos alloquenti voluntatem noſtram, oneriſque, Angelicis etiam humeris formidandi, grauitatem, impares licet, ſubire paſſi fuimus. Eadem quocirca ſequenda à te in præſentiarum veſtigia, pronaſq; loquenti in nobis Spiritui Sancto præbendas ſatius aures eſſe conſultum in Domino reputantes, auctoritate, qua nos in terris Chriſtus donauit; præcipimus hiſce tibi dilecte fili noſter, vt dignitatem, qua te, Vrbe vniuerſa plaudente, nuper inſigniuimus, omnino acceptare velis, iucundius ita Pontifici Sempiterno ſacrificium, inclytam nempe animi tui repugnantiam, ingenti cum fœnore meritorum oblaturus. Nec vllus nobis dubitandi locus eſſe poteſt retardatum in te ad præſtandam mandatis noſtris vt perfectum Religioſi inſtituti ſectatorem decet, debitam obedientiam à metu, vt ſcribis, amittendæ ſalutis æternæ. Damnabile nimirum ſummoperè foret adeo turpem maculam inſerere præclariſſimo Ordini, à quo tot, tamque illuſtria Chriſtianarum virtutum

exem-

exemplaria prodiere. A pluribus itaque abſtinentes, à perſpecta, probataque pietate tua huiuſmodi ſolatium prorſus expectamus: Tibi dilecte fili noſter Apoſtolicam benedictionem paternè interim indulgentes. Datum Romæ, &c.

Diſceſſit ex Vrbe Mag. Generalis die 1. quadrageſimæ, quæ 2. Martij fuit, & Bononiam petens, reluctanti Vincentio tanto oneri ſuccumbere Apoſtolicum Breue porrexit, viuidiſque rationibus ſuaſit, vt ad Pontificios pedes ſecum accederet, factus verus obedientiæ filius, quòd præſtitit ille. Ingreſſus igitur in Vrbem 18. Martij Vincentius, ad Pontificios prouolutus pedes, & multis de non acceptanda dignitate expoſitis, obedientia impellente purpureo bireto inuitum caput ſuppoſuit; & Cardinalitio galero, Aprilis 9. decoratus, Præfectura S. Congregationis Concilij inſuper cohoneſtatus maximum decoris Ordini & Eccleſię ornamentum prębet, quo in munere diligenter Apoſtolicæ Sedi inſeruiuit, vſque ad annum 1675. vt videmus.

Eodem anno die 8. Martij in Congregatione Sacrorũ Rituum, habita à S.R.E. Cardinalibus, ac Conſultoribus decretum fuit, inter Beatos Confeſſores referendum fore Pium V. Pontificem Max. quòd decretum Clemens Pont. approbauit, & confirmauit. Quare die 1. Maij poſt reuolutos ab eius fœlici in cœlum tranſitu centum annos adſtãte tota Sacra Rituum congregatione apud S. Petrum in Vaticano, ritu celebri lecto Apoſtolico Breui dato 27. Aprilis, in Beatorum album relatus eſt, plaudente ſupra modum Romana Vrbe; indeque eius ſolemnia permagnifico apparatu Excellentiſſimi D. Laurentij Columnæ Neapolitani Regni Magni Comeſtabilis in noſtra Eccleſia per octo continuos dies habita ſunt. Reuerendiſs. P. Generali Thoma de Rocaberti id enixè procurante, copioſumque æs effundente, vt vidimus.

P. Hyacinthus Taruſius Vrbeuetanus Ep. Venuſinus ab Innocentio X. creatus, à Clemente X. Archiepiſc. Miræ in Licia renunciatus eſt cum retentione Venuſinę Eccleſiæ die 2. Maij, *qui poſtea menſe Martio* 1674. *clauſit diem extremum, vt audiuimus.*

Dantur cœlo, dum catholicam fidem propugnant, interempti plures Patres noſtri de Prouincia Ruſſiæ, cædente impia Turcarum, Tartarorum, atque Coſaccorum framea, alijs in captiuitatem abductis. Inter occiſos recenſentur P. Staniſlaus Sieroch Syndicus conuentus Camenecenſis ibidem à Turcis crudeliter trucidatus. P. Carolus Senex de conuentu Iacboroicen. circa Iaroslauiam à Tartaris captus, multiſque vulneribus affectus occubuit, in campo corpore inuento, & ſepulto. F. Simplicianus Conuerſus ſagittis confoſſus in vicino Leopoli pago, ibidem ſepultus eſt. Quatuor inſuper alij Religioſi propè Reſſouiam occiſi ſunt, quorum nomina ſcripta ſunt aureis characteribus in libro vitæ; nam corpora eorum in ſyluis inuenta ſunt cum integro Ordinis habitu; quia verò iam tabe obfuſos gerebant vultus dignoſci nequaquã poterant, quorũ corpora pietate D. Canonici Maſſalſcki Reſſouiam delata, apud Patres ſcholarum piarum honorificè ſepulta ſunt. P. Præſentatus verò Hyacinthus Stanoiski Prior Colomien. in Tartaricam captiuitatẽ ductus eſt, vbi miſerrimè vexatus fuit à Barbaris illis, vt ex eius litteris conſtitit. Duodecim quoque alij noſtri Religioſi in captiuitatem à Coſacchis abducti fuère. Apud Caminecum autem Religioſi, & Moniales cunctæ noſtri Ord. ex ciuitate eiecti ſunt, peſſimè tractati. Vnus tantummodò ex noſtris P. Franciſcus Coromanski Sacriſta ad ſacriſtiam Catholicorum remanſit; ſed in ſummis miſerijs, vt ipſe ſcripſit. *Ex relat. P. Vica.*

P. Vicarij Prouinciæ Ruſſiæ Reuerendiſs. P. Generali data ſub die 18. *Nouembris ann.* 1672.

P. Lucas de Cruce in Orientalibus Indijs hæreticorum Inquiſitor, atque Ordinis Generalis Vicarius, multos infideles in Imperio de Monotapa, necnon, & circumadiacentibus Regnis, ad Catholicam fidem ſua prædicatione, religioſa conuerſatione, atq; inculpatæ vitæ exemplo perduxit, quos tanquam Pater in neceſſitatibus fouère, & ſacris documentis imbuere non omittit, ærumnoſis laboribus ſpretis, vt animas cœlo lucri faciat. *Ex Archiu. Ord.*

In Inſula quoque de Solor glorioſè decertantes noſtri Prædicatores contra Gentiles, eorumque ſacerdotes, multos ex illis ad Chriſtianæ fidei amplexum perduxère, non tamen ſine ſanguinis effuſione. *Ex litteris Mag. Ord. direct.*

Recedente ob malam valetudinem à Curia Fano S. Cong. Indicis Secretario à Clemente X. nominatus fuit Secretarius P. Thomas Comottus Pedemōtanus, Patria Cherienſis, nobilibus ortus natalibus Sac. Theologiæ Mag. de Conuentus Mineruæ, qui an. 1656. Inquiſitor Taurinenſis poſt obitum P. Magiſtri Alexandri de Alexandris inſtitutus, eo in munere 14. annorum curſu debita vigilantia, & zeli feruore functus eſt, graſſantes adhuc hæreſes in vicinis Vallibus Lucernæ, Angroniæ, & Pragelati ad diœceſim Taurinenſem ſpectantibus frænare conatus, plures hæreticos ad abiurandos errores, & hæreſes, in quibus educati fuerant, induxit. Eodemque tempore de mandato Sanctiſs. D. Noſtri Clementis X. partes Internuntij geſſit, ac pro Eccleſiaſtica Iuriſdictione, iuribuſque Sedis Apoſtolicæ tuendis laborauit. Publica lectura in Archigimnaſio Romanæ Sapientiæ etiam obtenta.

Eodem anno Leopoldus Imperator ſemper Auguſtus, atque Margarita Maria Imperatrix eius Vxor, ad ſupplicationem P. Magiſtri Ordinis dedère litteras, Imperator quidem ad Pontificem Max. Clementem X. Imperatrix verò ad Cardinalem Lantgrauium Haſſiæ Oratorem Cæſareum apud Sanctiſsimum, vt officium, ac miſſa propria B. Margaritæ de Hungaria in toto Ordine Prædicatorum celebretur. Litteræ autem ſunt.

Beatiſſime Pater!

H*Vngariæ Noſtræ Regnum Diuino olim & Mariano cultui à ſuis retrò Principibus, & Regibus dicatum, deditumque quàm longè ab hoc, ſuo inſtituto diſceſſerit, non poſſumus citra gemitum Sanctitatem Veſtram prolixiùs edocere, vtpotè abundè gnaram, maiorem, melioremque illius partem ab immani Turcarum barbarie inundatam, alteram verò hæreſeos, & ſchiſmatis prauitate, adeò infectam, vt reliquiæ ſolùm in tanta terrarum intercapedine priſcæ deuotionis, & religionis orthodoxæ apparere dignoſcantur; ſpes tamen pijs mentibus indubia inſidet fore aliquando, vt Chriſtianorum Principum ſopita diſcordia, affulgente præſertim Omnipotentis auxilio, & Regni Tutelarium, qui complures cenſentur, pollenti ſuffragio in priſtinum ſuum veræ fidei incrementum rediturum, & ex in moderno ſuoſqualore vindicandum ſit. Inter hos Regni Tutelares germinat odorifera virginitatis & pietatis fragrantia, religioſiſſima quondam S. Patris Dominici celeberrimo Ordini profeſſa, nomine Margarita, è Rege Bela & Maria filia Imperatoris Græci Thedoori progenita, & ante bina ſæcula à Veſtræ Sanctitatis anteceſſore Pio Secundo fælicis memoriæ ob vitam innocenter, ſanctèque actam eatenùs honorata, vt dictæ Religionis Fratres in diſtrictu Hungariæ ſolemni miſſa, & officio proprio eandem coluerit. Sed cùm is ſit virtutis, & vitæ beatè*

tran-

tranſactæ ſplendor, vt ſolis inſtar nullis locorum, ſituſue terminis facilè reſtringi queat, quin longè, latèque pro merito ſuo, & in Fidelium ſolamen diffundi expectatur; omninò pia planè fiducia ferimur, amplum turbatis, & fœdatis rei Hungariæ, Beatæ huius interceſſione obuenturum eſſe ſubſidium, vbi Sanctitati Veſtræ, prout eam hiſce filiali obſeruantia, & auita cælites veneratione obſecramus, Apoſtolica ſua authoritate decernere luberet, quatenus miſſa, & officium proprium pro cultu Beatæ anteà inſtitutum, ad terminos verò Regni Noſtri Hungariæ, Fratreſque S. Dominici inibi habitantes coarctatum, ſublatis his repagulis ad omnes per vniuerſum Orbem præfati Ordinis Religioſos paterna ſua munificentia protelaretur. Quod ſi obtinuerimus, inter primas ſanè Apoſtolicæ benignitatis ſæpiùs impertitæ prærogatiuas gratanter numerabimus. De reliquo, &c. Viennæ 22. Octobris Anno 1672. &c.

Deforis autem

Ad Summum Pontificem.

Margarita Maria quoque Imperatrix ad Cardinalem Lantgrauium Haſſiæ, Cæſareę Maieſtatis apud Summum Pont. Oratorem, pro eodem negotio ſequentem dedit epiſtolam.

Margarita Maria Diuina fauente Clementia Romanorum Imperatrix, necnon Hungariæ & Bohemiæ Regina, nata Hiſpaniarum Infans, Archidux Auſtriæ, &c. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri & Illuſtri Domino Friderico Sac. Rom. Eccleſiæ S. Euſtachij Cardinali Lantgrauio Haſſiæ, Epiſcopo Wratislauienſi, Sac. Cæſar. Maieſtatis Dilectiſs. Noſtri Dom. Coniugis apud Sedem Apoſtolicam Oratori, Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, per Germaniam Supremo Magiſtro, necnon Nationis Germanicæ Protectori, amico & Conſanguineo noſtro Chariſſimo ſalutem, ac beneuolentiæ noſtræ affectum!

Reuerendiſſime in Chriſto Pater & Illuſtris Domine, amice & Conſanguinee Chariſſime.

QVæ Sanctitati Suæ pro maiori inſtituendo cultu Beatæ Margarithæ Hungaricæ, Ordinis S. Dominici quondam profeſſæ, diffuſiùs ſcribimus, ex copia noſtrarum literarum Reu. Voſtra Paternitas, & dilectio probè intelliget. Quo itaque efficaciori ſtylo exarata eſt commendatio illa noſtra, & qua altiori eſt inuolutum paganiſmi, & hereſeos lorditie Regnum noſtrum Hungariæ, adeòque Tutelarium ſuorum ſuffragijs indigentiùs, tantò impenſiori opera, & officio eadem, vt inſiſtat, volumus, & benignè requirimus, quatenus locis vbicunque opportunis ſatagat, & curet, quæ intentioni noſtræ piæ aſſequendæ proficua comparebunt. Quod de cultu cælitum ſuſceptum præclarum officium ſupernis reponetur bonis, idque Nos præſentaneæ benignitatis Cæſareæ promptitudine nullis non occaſionibus agnoſcemus. Datum Viennæ 22. Octobris Anno 1672.

Deforis autem

Ad Cardinalem Haſſiæ.

Præfatas litteras apud P. Generalem vidimus, & exſcripſimus

ANNO 1673. Quo hæc ſcribimus P. Hyacinthus Libellus de Tipherno poſt Sacri Palatij Magiſterij onus honorificè exercitum in laborum condignum præmium à Clemente X. Pont. Max. Februario menſe Aueniònen. Archiep. creatus, ſequenti menſe Aprili in ſuam Eccleſiam ſeceſſit.

P. Raimundus Capiſuccus nobilis Romanus de Sancta Sede Apoſtolica, ac noſtro Prædicatorum Ordine optimè meritus; vtpote eidem Sanctæ Sedi multis annis per varia, & clara officia probatus; pri-

primùm videlicet Magiſtro Sacri Palatij Fr. Vincentio Candido ſuo deceſſori Socius adlectus, exinde Sacræ Indicis Congregationis datus Secretarius, ac ſimul eodem in munere Epiſcoporum coram Summo Pontifice Examinator, demum Candido vita functo Magiſter Sacri Palatij Apoſtolici per fel. recordat. Innocentium PP. X. renunciatus; quo munere cum per decem fere annos diligenter, ac fideliter perfunctus fuiſſet, ad matrem ſuam Religionem redijt, Epiſcopalibus, & Archiepiſcopalibus Infulis, eiſque primarijs, non ſemel vltro delatis, modeſtè recuſatis, & in conuentum Sanctæ Mariæ Super Mineruam ſe recepit, primum vbique poſt Magiſtrum Generalem noſtri Ordinis locum tenere iuſſus. Ibi Theologicis voluminibus, (quæ paſſim leguntur) edendis intentus in Religioſa quiete aliquot annos non otioſus tranſegit. Se hoc anno 1673. quo hæc ſcribimus, ad priſtinum Sacri Palatij Magiſterium à Clemente Decimo euocatur, dato ſequenti Breui.

Dilecto filio Raimundo Capiſucco Ordin. Prædic. Profeſſori Sacri Pal. Apoſt. Magiſt.

CLEMENS PP. X.

Dilecti fili ſal. & Apoſtolicam benedict.

CVm officium Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici certè, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, modo vacauerit, & vacet ad præſens: Nos te, qui idem officium aliàs laudabiliter exercuiſti, ac pietate, prudentia, & Sacrarum litterarum ſcientia, alijſque virtutum ornamentis præſtas, & quem propterea iudicio in diuerſorum authorum libris, & Scripturis cenſendis plurimùm valere non dubitamus, ad officium præfatum, quod te ſumma fide, & diligentia adminiſtraturum confidimus, eligendum duximus. Te igitur eiuſdem Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtrum, cum auctoritate, facultate, honoribus, & oneribus, ac manſionibus in Palatio Noſtro Apoſtolico, portione, & emolumentis ſolitis, & conſuetis ad tui vitam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, vt te ad prædictum officium recipiant, & admittant, tibique faueant, & aſſiſtant, ac de prouiſione, & emolumentis huiuſmodi reſpondeant; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris Die prima Februarij M. DC. LXXIII. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

I. G. Sluſius

Soror Maria Virginia de Alterijs virgo Romana, Sanctiſs. D. N. Clementis Papæ X. fœliciter regnantis germana Soror in Monaſterio noſtro S. Mariæ Magdalenæ de Vrbe à teneris annis educata, virtutibus edocta, atque religioſa profeſſione enutrita, ſpiritum creatori reddidit 22. Februarij, cuius mortem in conſpectu Domini prætioſam, ac virtutes mirabiles in hunc modum Ordini vniuerſo denunciauit P. Magiſter Generalis F. Io: Thomas de Rocaberti.

Fr. Ioannes Thomas de Rocabertì Sac. Theologiæ humilis Magiſter Generalis & Seruus.

In Dei filio ſibi dilectis eiuſdem Ordinis Religioſis, Patribus, Fratribus, Sororibus, vniuerſis, ac ſingulis. Salutem & ad Mortis cleſpſydram oculos inſomnes.

AAronis Summi Sacerdotis vnica Germana Soror Maria vix diem clauſerat extremum in Cades, & ecce Iſraëliticum populum ſubitò effuſum in quærelas & murmura, quòd *aqua ad bibendum* in arido illo deſerto *Sin* cunctis deficerent. Habemus quidem, & nos quod lugubri dolore, non tamen quod impatienti murmure coram vitæ, neciſque Domino conqueramur, dum

dum hic ſub oculis noſtris diem pariter clauſit extremum vnica Summi Sacerdotis germana Soror MARIA VIRGINIA de ALTERIIS, emerita noſtri Ordinis alumna, ſolatium, & ornamentum: ſi enim exinde forſitan & nobis *aqua ad bibendum* deficiant, certè ad lacrymandum non defecerunt; quin potiùs Deo æquanimiter dicamus: *potum dediſti nobis in lachrymis, in menſura*.

Maria de Aegypto cum filijs Iſraël egreſſa vſque in ſolitudinem *Sin* læta peruenerat, *Maria* noſtra de ſeculi Aegypto cum filiabus S.P.*Dominici* in Clauſtralem S. Mariæ Magdalenæ ſolitudinem lætior ſeſe receperat, vbi & *Virginia* Virginum Sacro Parthenopi ſæpius Moderatrix præfuit. Illa (: vt refertur) accepto tympano filiabus Iſraël religiosè præcinuit: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*. Hæc ſuis filiabus exemplo religionis præiuit, vt & ipſæ *poſt eam progrederentur cum tympanis & choris*. Illa dierum plena mortalitatem exuit, *ſepulta in Cades*, quod vocabulum etymon eſt *Sanctitatis*. Hæc ætatis annum LXXVII. ſupergreſſa, die hac 22. Februarij ad Sponſum abijt immortalem, ſepulta pariter *in Sanctitate*, quam integerrima eius vita perenni monumento teſtabitur poſteritati. Vtrique nomen fuit *Maria*, vtrique frater ſupremus Pontifex, nimirum illi *Aaron*, huic verò *S. D. N. Clemens X:* cui Diuina Bonitas totidem adiungat annos, quot Aaroni poſt Sororis obitum adiecit.

Porrò, vt Mariæ noſtræ perhonorificum fuit tantum *Pontificem* habere *fratrem*, ſic Dominicanæ Religioni fuit pulcherrimum eamdem & noſtram poſſe compellare *Sororem*, illic generis, hic profeſſionis & habitus felici communione. Sed nobis quod habuiſſe iucundum fuit, amiſiſſe durum eſt, ſi tamen amittitur quòd ſolùm præmittitur. Inde gaudium erat, hinc luctus remanſit & lachrymæ, attamen *in menſura*, quam ne excedamus (*deficere* enim hæc *aqua* mœrentibus non poteſt) hoc ſaltem nobis ſolatium eſto, quòd fidenter præſumimus, illam Animam puriſſimam recta via hinc à lachrymis ad gaudia æterna tranſijſſe, vtpotè quam à primæ iuuentutis flore vſque in ſenectam velut ſpeculum totius obſeruantiæ regularis iugiter admirata eſt *Domus* illa pleniſſima *ex odore vnguenti*, nempè Monaſterium noſtrum in Monte Quirinali, celeberrimum ob exactam primæui rigoris diſciplinam, vbi quoad vixit, aſſiduæ mortificationis, pietatis, religionis, omniumque virtutum exemplar fuit ſingulare, viuumque perfectionis Magiſterium.

Nihilominùs, in ea ſi quid forſitan adhuc piacularibus flammis purgandum ſuperſit, omnium noſtrum eſt, eidem non fletuum, ſed *Suffragiorum* potiùs aquis *fraternè* ſubuenire. Proinde harum ſerie, noſtrique Officij auctoritate vobis mandamus Vniuerſis, quòd per ſingulos vbique Conuentus noſtros pro Defunctæ huius Animæ refrigerio publicæ fiant *Exſequiæ* iuxta Ordinis ritum, ac inſtitutum, vtraque Communitatum orationes, & ſacrificia, priuatim quoque ſingulares accedant preces, & piorum operum copioſæ applicationes, vt eò quantocyus euolet felix Anima, vbi nos ſecuturos in æterna requie ſuauiter exſpectet. Ita ſatagite chariſſimi in Domino filij ac filiæ; ne *contriſtari* videamur *ſicut cæteri, qui ſpem non habent*. Valete. Romæ ex Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam, die lugubri 22. Februarij 1673.

Fr. Io: Thomas de Rocaberti

Magiſter Ordinis.

P. Franciſcus Piſcopus Neapolitanus de Congregatione S. Mariæ Sanitatis deſigitur menſe Martio à P. Magiſtro Generali Commiſſarius, & Viſitator Prouinciæ Armeniæ; vt Patres noſtros illic in vinea Domini laborantes viſitet, confirmet, atque corroboret in dirigendis in viam ſalutis populis illis; qui & à S. Congregatione de Propaganda fide conſtitutus eſt Apoſtolicus Miſſionarius cum pleniſſima facultate in Armenia, adiacentibuſque locis; eodemque menſe ex Vrbe diſcedens poſt oſculatos Pontificis Max. ſacros pedes, ad Apoſtolicum ſibi demandatum miniſterium complendum properauit, vt vidimus.

Die 6. Maij emanauit decretum ex ſacra Congregatione Rituum de celebrando feſto B. Iacobi de Meuania in terra Meuaniæ à Clero, & Fratribus noſtris, atque aliorum Ordinum cum Officio, ac Miſſa de communi Confeſſor. non Pont.

Miſſa cantata de Sanctiſſima Trinitate quæ ante Beatificationem Pij Quinti ſingulis annis Ianuario menſe celebrabatur in Baſilica S. Mariæ Maioris cum interuentu multorum Cardinalium, ex Pauli V. conceſſione; hoc anno inſtante apud Pontificem Max. Clementem X. Magiſtro Generali Ordinis commutatur in Capellam Cardinalitiam celebrandam Dominica infra octauam eiuſdem Beati cum Miſſa de communi Confeſſoris Pontificis.

Eodem anno ſubortis apud Vliſſiponen. Ciuitatem quibuſdam difficultatibus inter Apoſtolicum Nuntium, & Archiepiſcopum in cauſa iuriſdictionis, quid, in fauorem Nuntij, atque Apoſtolicæ Sedis noſtri Patres Prædicatores preſtiterint, ex ſequenti Epiſtola Magiſtro Ordinis ab eodem Nuncio directa, manifeſtatur.

Reuerendiſs. Padre mio Padrone Oſſeruandiſsimo.

TRà i figli più benemeriti, e zelanti, che V. P. Reuerendiſs. hà nella Religione io hò ben rauuiſati i PP. Prouinciale, Priore, Procurator Generale, il P. Fr. Domenico di S. Tomaſo, e tutti gl'altri PP. commoranti in queſto Conuento di S. Domenico coll'occaſione d'vn emergente nato quì à giorni paſſati, oue conuenne à me d'interporre l'Auttorità di queſto Tribunale, come V. P. Reuerendiſs. ſentirà facilmente da PP. medeſimi l'vbbidienza, e'l vigore, con che eſſi aſſiſterono intrepidamente alla difeſa della Giuriſdittione Apoſtolica, & eſeguirono i miei ordini, tanto più viuamente ſpiccarono, quanto maggiori erano gl'oſtacoli, e gl'impedimenti che haueuano à fronte. E ſi come io per dar luogo alla verità, ed alla benemerenza, ne porto col preſente ordinario vn diffuſo, e diſtinto raguaglio à N. S. ed all'Eminentiſſimo Sig. Card. Altieri; così non hò voluto laſciare di darne anche parte à V. Paternità Reuerendiſſima, sì per atteſtarle nella forma più efficace la filiale raſſegnatione, e'l zelo di queſti ſuoi Religioſi, come per renderla certa del debito, che mi ſi augumenta di riguardarli quì colla maggiore affettione, e ſtima proportionata all'operationi, che con tanta lode, e merito hanno fatte per ſoſtenere le parti, e'l decoro della Santa Sede. Come Miniſtro della medeſima in queſto Regno me ne rallegro inſieme con V. P. Reuerendiſs. che è degno Capo d'huomini sì prudenti, e vigilanti, e d'vn Ordine che è ſtato mai ſempre lo ſplendore della Chieſa di Dio; con che ratifico à V. P. Reuerendiſs. la diuotione dell'animo mio, e'l deſiderio di paleſarle più propriamente coll'operationi, quand' Ella mi fauoriſca de ſuoi commandamenti, ſi come la ſupplico, ed alla P. V. Reuerendiſſima bacio diuotamente le mani. Lisbona 21. di Febraro 1675.

Di V. P. Reuerendiſſima

Deuotiſs. & oblig. Ser.
F. Arciueſc. di Sidonia.

Relatio data S. Congregationi de Propaganda fide, & Reuerendiſſimo P. Magiſtro Generali Ordinis à P. M. F. Dominio Nauarreto Miſſionario Apoſtolico in magno Imperio Chinæ, hoc an. 1673. Circa Miſſionem FF. Ordinis Prædicatorum in magnum Regnum Chinæ.

1. *Pater F. Gaſpar de la Cruz Luſitanus, omnium Chriſtianæ legis Sacerdotum fuit primus, qui huiuſce Imperij oſtium magnum ingreſſus eſt, prout & in Hiſtoria ſua fatetur R. P. F. Petrus Gonzales Auguſtinianus*, lib. 2. cap. 13. *fuitque idem ille primus conſecratus Epiſcopus Ciuitatis, quam vocant Macao, vbi primus eſt Regni portus. Et ad annum 1671. vſq; nemo alius Macaenſis Eccleſiæ fuit conſecratus Epiſcopus.*

2. *Pri-*

Digitized by Google

2. *Primus quoque ibidem Religioſorum Conuentus fuit ſub titulo tutelari Beatiſſimæ Deiparæ Virginis Sanctiſs. Roſarij extructus ab alio; eiuſdem Ordinis Prouinciæ Philippinarum.*

3. *Ab anno* 1631. *quo huius Ordinis Religioſi ex eadem Philippinarum Prouincia ad intima Sinarum Imperij ſunt admiſſi, vſque ad annum* 1663. *quo magna illa perſecutio incepit, hic Ordo viginti erexit Eccleſias, præter aliqua Oratoria in vicis, & pagis, vndecim habuerunt Reſidentias in tribus Prouincijs, Miſsionarior. numerus toto illo tempore aſcendit ad* 20. *præter alios, qui cũ ad i muam eſſent, ingredi non potuerunt.*

4. *Chriſtianorum, quos hic Ordo excolit, numerus ad decem circiter millia, & inter eos varij egregiæ probitatis, de quibus diffuſiùs in Hiſtoria, quæ præ man. bus eſt.*

5. *Ex Miſsionarijs Venerabilis P. Fr. Franciſcus de Capillas Valliſoletanus pro Chriſtianæ fidei confirmatione mortem glorioſè oppetijt: eiuſque nunc cauſa verſatur, in Sac. Rituum Congregatione. Item Ven. P. F. Dominicus Coronatus Salmantinus è duro carcere, permiſſu Iudicum, emiſſus ad Eccleſiam quandam Patrum Societatis, in ea reddidit animam, non aliunde contracto morbo & morte, quàm à miſeriis carceris; vti habetur ex teſtimonio ſex Patrum Societatis.*

6. *Patres F. Ioannes Baptiſta de Morales Aſtigitanus, Sinicæ ſuorum Miſsionis Apoſtolicus Præfectus, necnon Fr. Franciſcus Diaz Valliſoletanus, haud ſemel Magiſtratuum infidelium iuſſu, ob Chriſti confeſſionem crudeliſsimè ſunt flagellati, & tandem exilio Macaum relegati.*

7. *Illuſtriſsimus vir P. F. Ioannes Polancus è Sinica Miſsione pro eiuſdem negotijs ad Romanam Sedem ablegatus, & demùm electus Epiſcopus Nouacaceris in Philippinis, obijt Hiſpali cum eximia magnæ virtutis exiſtimatione.*

8. *P. F. Gregorius Lopez Sinenſis è priſcis Sinis, primus eiuſdem Religioſus, primuſque Sacerdos, ac tandem menſe Septembri* 1673. *ad regimen & incrementum ſuæ gentis Chriſtianorum factus, à SS. D. N. Clemente X. primus Epiſcopus titulo Baſilitanus, vir optimæ indolis, ſacriſque ſtudijs probè excultus in Collegio & Conuentu Manilienſi, ad negotia tractanda peritiſsimæ prudentiæ, inter alia egregiè patrata, tempore magnæ iſtius perſecutionis, quo cuncti Miſsionarij è China depulſi ſunt, ille vtpote indigena relictus, cùm in Metropoli Prouinciæ Fokien anno* 1666. *centum animas ad Chriſtianam fidem conuertiſſet, nouem poſteà vaſtiſsimi Regni Prouincias confortandis & inſtruendis fidelibus peragrauit bienníj ſpatio, inſuper ſacro baptiſmate bis mille animarum appoſita turba Domino. Inde ad quandam Inſulam ſeptem leucis a continenti diſtantem tranſmittens, & Chriſtianos eſt ſolatus, & denuò* 556. *baptizauit.*

9. *Iſtorum Miſsionariorum diuerſi vtiles libros de Sacræ noſtræ legis doctrina Chinenſibus characteribus publicarunt, P. F. Ioannes Garcia* Catechiſmum *multis poſteà editionibus renouatum fructu eximio, P. F. Franciſcus Baro Hiſpalenſis, librum* De modo confitendi, cum precibus & pijs exercitijs, *P. F. Dominicus Coronatus alium inſigni ſtylo, quem vocant* Scalam Cœli, *P. F. Ioannes Baptiſta de Morales, præter varia lexica ſummi laboris, commentatus eſt litanias B. V.*

10. *P. F. Dominicus de Nauarrete Hiſpanus Cœnobij Rupisfidelis, dudum in Collegio, & Vniuerſitate Manilenſi in Veſpertina Cathedra Primarius S. Theologiæ Profeſſor, & demùm ob negotia Sinicæ Miſsionis ad S. Sedem ablegatus, magnum edidit Catechiſmum in duo diuiſum volumina, duo item magna* De mirabilibus Dei Nominibus, *Aliud* Item de Excellentia noſtræ Sanctæ Legis, *in quibus omnes ferè illius nationis confutat errores, necnon Apologiam aduerſus Sinam quendam, qui duobus libellis Sanctam Legem Noſtram, eiuſque præ-*

verità, luce multiplicata, Trono di giuſtitia, e di felicità, cima de ſogli, appoggio delle ſcienze è d'ogni virtù. Signore Eminentiſſimo del mondo, Prencipe de Prencipi felici, al quale s'inchina ogni Monarca della più ſublime conditione fra Chriſtiani, & à cui ſeruano li grandi de regni Europei. Imperatore feliciſſimo come Coſrohe fra gl'aſtri militanti di Saturno; Tribunale nobile de Prencipi, Corona del Sole, refugio de Grandi Europei, li gradi del quale in ogni tempo ſono inalzati ſopra gl'altri di qualſiſia eminenza, che l'agiunto del Sommo Datore la corrobori ſempre, e li conceda, ogni alegrezza, e conſolatione, e lo conduchi ad ogni fine bramato.

All'arriuo del Superiore di Naxiuan in Aterpas molto ſi rallegrò il puro conſeglio de più famigliari; é qualificati ſogetti, che con fiati ſpiranti concetti di ſuauiſſimo odore, ſtanno attorno la noſtra Real Maeſtà nell'intendere l'inſtanze propoſte in nome de Chriſtiani Europei e degl'altri dall'Armenia Maggiore, che ſi trouano ſeparati, acciòche foſſero immediatamente ſoggetti alla noſtra giuriſditione è foſſero protetti, & aſſiſtiti dall'iſteſſo Popolo, che dimora nel paeſe Nixiuan, e Tiuel, noi ſiamo condeſceſi à queſta loro volontà, gl'abbiamo riceuti, aggregati alla noſtra nobile proprietà, confermati per noſtri ſeguaci, e deſtinato vno de Principali miniſtri della noſtra alta, é ſublime Porta à paſſare in quelle parti per riportare al noſtro conſeglio la douuta recognitione, e l'altra che appartiene all'Erario Regio, in guiſa tale, che quei Capi & Offitiali non più in auuenire pagheranno ad altri li ſoliti tributi, è rigoroſe contributioni, è non haueranno il dubio di riceuere da chi ſi ſia alcuna perturbatione, e moleſtia. Onde per tal ſucceſſo, e per la libertà riceuuta, ſi è notabilmente aumentato il lor commercio.

Queſti honoreuoli rapporti hanno per fondamento l'vnione, è l'amicitia noſtra e da ciò apprenderà ella la ſollecitudine, che habbiamo di quelle parti honoratiſſime, l'vnione infallibile dell'Altezza voſtra, e la beuanda dolciſſima della purità che promouerà ogni noſtro diſegno. Deſideriamo in tanto che l'altiſſima potenza voſtra ſi dilati e diuenga celeberrima, & auguſta, e che li giorni del voſtro Imperio Altezza, e magnificenza, ſiano fortunati, e pretioſi.

Solimano.

In fauorem Archiepiſcopi Armeniæ & illius Chriſtianitatis.

Dio Glorioſo, Dio Eccelſo.

Lvna del Cielo, del Dominio, della gloria, dell'equità, della potenza, della magnificenza, dell'honore, della fortuna, della perfettione, e della liberalità Clemente Papa IX. Soſtenimento conuenientiſſimo, Trono della fortezza d'animo, e della fortuna, di ſublime maeſtà come Aleſſandro, magnanimo come Dario, ſplendido come Gemſid, d'intelletto perſpicace come Feridum, d'ingegno ſublime come il Rè Chiaus, Signore della giuſtitia come Niſeruano, di prudenza ſingolare, è di coſtumi rariſſimi, intelligente come Ariſtotile, di mente pura come Platone, firmamento degl'aſtri, via, e corſo de'medeſimi, diadema del ſole, luna corrente, lucido Orione, Gioue felice, Stabile Saturno, compendio d'ogni ornamento d'animo, eſemplare di modeſtia ſegnelatiſſimo portatore dello ſtendardo de benefici e liberali, poſſeſſore d'auttorità reale, e di tutte le perfettioni, honorato, e riuerito da Prencipi Chriſtiani, refugio di quelli che credono in Gieſù, magnificentiſſimo come Co-

me Coſroe, corona della Maeſtà, Rè Auguſtiſſimo, e potentiſſimo, di ſublime grandezza d'animo, Teſoro di glorie immenſe, ſplendore del ſole fiammegiante, & Aurora del mondo, che li fini de li ſuoi deſiderij ſiano conformi al ſuo volere, e ſiano ſotto la prottetione di chi li concede.

Doppo la ſignificatione, è confermatione della beneuolenza antica, e doppo vn contraſegno di quell'vnione, e concordia incominciata ne tempi felici de voſtri Predeceſſori, che hora ſoggiornano nelle delitie del Paradiſo, è d'altri nobiliſſimi Prencipi d'Europa, non meno prudenti di Coſroe, e principalmente di quelli, che ſeguitano l'Imperio è la fede ſcriuete con penna d'ambra pretioſiſſima per il P. Matteo di Naxiuan à noi Rè Perſiano perſpicace come vn Cherubino, caratteri, che contengono affari d'vnione, li quali ſono così ſuiſcerati, che ben pare, che deriuino dall'intimo del voſtro cuore; e tanto ci ralegramo di queſte affettuoſe dichiarationi;che per manifeſtare la noſtra regia inclinatione à fauore di ciò, che à nome voſtro ci fù eſpreſſo dal P. Matteo ſudetto, habbiamo ſtabilito col comune parere de queſti gran Viſiri, Giudici, e nobiltà de deſiderare la voſtra corriſpondenza, & intelligenza. E riſpetto alla perſona del P. Matteo,gl'habbiamo conceduto,che poſſa quietamente viuere nella ſua lege, e che non ſia in conto alcuno perturbato in quelle materie, che ſpettano alla ſua religione, acciò che poſſa placidamente continuare le ſue orationi. Non tralaſciate in tanto di ſcriuerci frequentemente per dimoſtrarci via più la voſtra beneuolenza, e perche poſſiate dar ſegno ſicuro d'vna ſingolar diligenza, particolarmente nella rinouatione dell'vnione, e nello ſtabilimento della concordia deſcritta dall'Altezza voſtra Veneranda, giache per la ſtima che noi faciamo de voſtri comandamenti riconoſcemo l'honore ſingolariſſimo, quando vi degnarete d'impiegarci in eſſi.

Stella di pace, e di ſperanza concorde con la volontà, ſia benefica à voi Signore d'vna grande, e non ordinaria magnificenza.

Solimano.

Inconcuſſa animi conſtantia Catholicorum partes apud Regem, & Magnates ſuſtinebat in Anglia P. Philippus Thomas Houuard; itaut in eorumdem fauorem ex ſupremo regio parlamento, de libertate conſcientiæ in cunctis Anglicanæ coronæ Regnis concedenda decretum exierit, cui reluctante inferiori parlamento, P. Huuard pro ſedenda populari contradictione ex Anglia exulare coactus fuit, Bruxellam verſus. *Ex relat. ad Mag. Ord.*

ANNO 1674. P. Gregorius Lopez Baſilitanus Epiſcop. creatus Deputatus eſt à Sac. Congregatione de Propaganda Fide atque Apoſtolica Sede Vicarius Apoſtol. Nanchini aliarumque Prouinciarum Sinenſium dato Breui talis tenoris.

Pro Gregorio Lopez electo Baſilitan.

Deputatio in Vicarium Apoſtolicum Nanchini, aliarumq; Prouinciarum Sinenſium.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſt. benedict.

SVper Cathedram Principis Apoſtolorum inſcrutabili diuinæ prouidentiæ arcano collocati, mentis noſtræ aciem per vniuerſas Chriſtiani Orbis partes iugiter circumferimus, vt ſpirituali Chriſtifidelium vbicumque exiſtentium directioni, & curæ, quantum nobis ex alto conceditur, ſalubriter conſulamus. Cum itaque ſicut accepimus bo. me.

Igna-

Ignatius Coſolendi dum vixit Epiſcopus Mitellopolitan. quem fælicis recordationis Alexander PP. VII. prædeceſſor noſter Vicarium Apoſtolicum Nanchini in Sina cum nonnullarum Prouinciarum adminiſtratione deputauerat, ab humanis iam pridem deceſſerit, & ſicut Venerabiles Fratres Epiſcopi Vicarij Apoſtolici Chinæ, Tunkini & Cozincinæ nobis nuper exponi fecerunt, ipſi te qui patria Sinenſis exiſtis, ob egregium ſuum Orthodoxæ fidei, & Chriſtianæ Religionis zelum dicto Ignatio Epiſcopo in Vicariatu Apoſtolico ſubrogari plurimùm deſiderent. Nos ſupplicationibus eorundem Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, firmiterque in Domino ſperantes, te, qui profeſſionem regularem in Prouincia Sanctiſsimi Roſarij Inſularum Philippinarum Ord. Prædicatorum expreſsè emiſiſti, & quem Eccleſiæ Baſilitan. in partibus Infidelium conſiſtenti in Epiſcopum, & Paſtorem auctoritate Apoſtolica præfecimus, ſtrenuè magnoque cum animarum fructu in vinea Domini eſſe laboraturum, ac de Catholicæ Religionis zelo, doctrina, prudentia, dexteritate, integritate, charitate, alijſque virtutibus ſuis plurimùm in Domino confiſi, teque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinaliũ, negotijs Propagandæ Fidei Præpoſitorum conſilio, te Nanchini in Sina cum adminiſtratione Prouinciarum Pechini, Xantij, Xantung, Honan, Xensij, & Coreæ Vicarium Apoſtolicum, ita tamen vt cæteræ Sinarum prouinciæ memoratis Epiſcopis Vicarijs Apoſtolicis ſecundum præfati Alexandri ac record. Clementis PP. IX. Prædeceſſorum noſtrorum diſpoſitionem relinquantur, ac ea lege, vt poſtquam munus conſecrationis, iuxtà aliàs noſtras in ſimili forma Breuis litteras ſuper præfectione & prouiſione dictæ Eccleſiæ Baſilitan. de tui perſona à nobis factas emanatas receperis, & non prius tota iuriſdictio dicto Ignatio Epiſcopo Metillopolitan. ab hac Sancta Sede antea attributa in te de facto transferatur cum omnibus facultatibus iam conceſſis dicto Ignatio Epiſcopo, & alijs Vicarijs Apoſtolicis prædictis donec, & quouſque à præfatorum Cardinalium Congregatione fuerit aliter mandatum, aut diſpoſitum, dicta auctoritate, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus. Inſuper tibi facultatem tribuimus nouam cum ſupradictis Epiſcopis Vicarijs Apoſtolicis ineundi diuiſionem, quam peractam antiquiores poſſint eligere illam partem, quam ſibi gratam exiſtimauerint; de tali autem diuiſione hanc Sanctam Sedem quamprimum volumus reddi certiorem, vt eam confirmare dignetur. Cæterùm ſibi prohibemus ne particulares tuæ Religionis Fratrum Prædicatorum ritus, & cæremonias, ſed vniuerſales Eccleſiæ Romanæ, tum in officio recitando, tum in Miſſa celebranda, & in cæteris functionibus vſurpes, vt Eccleſiæ Sinenſis capita non ſolùm in doctrina, ſed etiam in ritibus, & ceremonijs eccleſiaſticis ad Chriſtianorum ædificationem vnanimes ſint, & vniformes. Non obſtant. Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, Prouincialibuſque & Synodalibus Concilijs editis Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, alijſque quibuſuis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro planè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat,

taxat,

Digitized by Google

taxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 4. Ianuar. MDCLXXIV. Pontificat. Noſtri An. 4. I. G. Sluſius.

P. Mag. Sixtus Cerchius tribunali ſanctę Inquiſitionis multis in locis pręfectus, Bergomi, quoque & Brixiæ præfuit Inquiſitor, vbi ſacri Tribunalis iura infracto animo ſuſtinens contra ſeculares miniſtros, rebus benè compoſitis, atq; ad optatum finem perductis, à Congregatione S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis honoribus, & oneribus auctus Inquiſitioni Ianuenſi datus eſt Generalis Inquiſitor, vbi in eoſdem ſcopulos incidens, æquali conſtantia atque animi magnitudine iura ſui muneris ſuſtinens edictum S. Inquiſitionis repugnantibus Ianuen. promulgauit, vnde ab eadem Sac. Congregatione meruit commendari, & ad regimen ſacri tribunalis Bononien. menſe Maio promoueri annuente Pontifice Max. Clemente X. vt vidimus.

Eodem anno ex Senatus Conſulto, atque approbante Pont. Max. Clemente X. decretum eſt ſingulis futuris annis ab eodem Senatu Populoque Romano die 5. Maij Pio V. Pontifici & Confeſs. ſacra, faciendam eſſe oblationem Argentei Calicis, cum quatuor intortitijs ceræ albæ, eidem Beato illiuſque capellæ in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam inter miſſarum ſolemnia, in recompenſationem beneficiorum ab eodem B. Pontifice viuente, in S. P. Q. R. profuſorum, inter quæ recenſentur reſtitutiones Caſtrorum à Pio IV. confiſcatorum ob inuaſionem, ac direptionem carcerum S. Officij, ac fuſtigationes, & iniurias ſimulacro Pauli IV. eiuſdem S. Tribunalis in Vrbe inſtitutoris illatas: necnon ob ſtatuas profanas, ex Vaticano auulſas, eidéq; S.P.Q.R. dono datas DD. Marchione Negrello Ferrarienſi Vrbis Senatore, Didaco Auila, atque Ioſepho Ghiſlerio Conſeruatoribus, (3. deficientes), & N. Albano Priore Capitum Regionum, oblationes prima vice facientibus, vt vidimus.

Eodem anno, ſub die 4. Auguſti, quæ Sanctiſs. P. N. Dominico ſacra eſt, in Congregatione Sacrorum Rituum ad inſtantiam Reuerendiſs. Magiſtri Generalis pro vniuerſo Prędicatorum Ordine extenſa fuit ampla facultas publicè ac ſolemniter celebrandi quotannis feſtum B. Iacobi de Meuania, cum Officio de communi Confeſſoris non Pontificis. Vnde paulò poſt, nempe altera Septembris in noſtra Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ritu ſolemniſſimo peracta fuit eiuſdem Beati feſtiuitas, annuè deinceps peragenda die 23. menſis Auguſti.

Similiter die 6. Octobris in peruigilio feſti Sanctiſs. Roſarij, annuente Clemente X. expeditum fuit eiuſdem Sacræ Congregationis Decretum, ſtatuens poſſe deueniri ad ſolemnem Canonizationem nouemdecim Martyrum Gorcomienſiũ, inter quos nominatim vnus ex noſtris recenſetur Venerabilis Dei Seruus P. Ioannes de Colonia, qui cum ceteris anno 1572. Brilæ in Hollandia glorioſam mortem ſubierat ob conſtantem Fidei catholicæ profeſſionem.

Plurimis interim Miſſionibus indefeſſam nauant operam noſtri Prædicatores inter barbaros Indiarum, tum Orientalium tum Occidentalium, inter ſchiſmaticos Ruſſiæ & Armeniæ, inter hæreticos vaſti Septentrionis, necnon in duriſſima ſeruitute ac vinculis Scytharum, ſeu Tartarorum, *egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ.*

Denique hoc anno Iubilæi M. DC. LXXV. die 3. Februarij Romæ in Manfredonienſem Archiepiſcopum conſecratur Eminentiſſimus noſter Cardinalis S. Sixti F. Vincentius Maria de Vrſinis, at-

que ad eam Eccleſiam 24. Aprilis ab Vrbe diſcedens ſeſe contulit, ſolicitudine Paſtorali ſuo ibidem gregi paternè inuigilaturus.

Hoc menſe ad preces Magiſtri Ordinis Clemens X. Pont. Max. præeunte decreto Congregationis Sacrorum Rituum conceſsit, quòd in toto Prædicatorum Ordine feſtum B. Margaritæ de Caſtello Virginis Dominicanæ anniuerſaria ſolemnitate celebretur die 13. Aprilis, cum proprijs Nocturnorum Lectionibus dudum approbatis, quibus vtcunque exprimitur, quantùm pretioſa hæc Gemma candore puritatis & gloria miraculorum vniuerſalem Eccleſiã in terris exornarit.

Aſſumpti quoque fuerunt ad Epiſcopales infulas bini ex noſtris, P. Dominicus Citus Apulus,& P. Hyacinthus Cuniglio Venetus,ille ad Teleſinam Sedem, hic verò ad Zacynthinam, vt Clerum & populum illarum Diœceſium fideliter paſcant, & in S. R. Eccleſiæ conſtanti obſequio aſſiduè confirment.

Porrò eodem hoc anno illuxit Prædicatorum Ordini ex inſperato fauſta & memorabilis dies vigeſimaſeptima Maij, quando S. D. N. in ſecreto Conſiſtorio adiunxit Eminentiſſimo Purpuratorum Patrum Collegio ſex nouos Cardinales, ac inter hos noſtrum longè ab Vrbe diſſitum & minimè cogitantem P. Philippum Thomam Howardum ex Ducibus Norfolciæ, virum non minùs Religione, ac Fidei zelo quàm Regia parentela & indole ſublimem, qui quòd in Anglia Catholicorum hactenus pręcipua columna videretur, & apud Sereniſſimam Magnæ Britanniæ Reginam primi Sacellani, & Eleemosynarij fungeretur officio, nuper edicto Parlamentario cum ceteris Romanæ obedientiæ Presbyteris excluſus Regno exulabat Bruxellis, expetens & exſpectans à Magiſtro Ordinis licentiam veniendi ad Vrbem pro lucrando Iubilæo. At eam licentiam præuenit Sanctiſs. D. N. Clementis X. benigna Prouidentia, vocando ipſum ad ſupremum vniuerſalis Eccleſiæ Senatum, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.

Peculiariter huic promotioni applauſit Romana Curia, Vrbs lætata eſt palam, exultauit gaudio fidelis natio Anglicana, ex qua præ alijs nobilis Poëta laureatus *D. Iacobus Albanus Ghibbeſius*, in Almæ Vrbis Sapientia publicus Eloquẽtiæ Profeſſor, heroico metro inſignem hanc profudit Gratulationem, apprimè dignam, quæ huic operi noſtro gratam coronidem imponat.

AD

AD EMINENTISS. ATQVE REVERENDISS. PRINCIPEM,

FR. PHILIPPVM THOMAM
HOVVARDVM

DVCIS NORFOLCIAE,

PERPETVI ANGLIAE MARESCALLI,

GERMANVM FRATREM;

E Sacro Prædicatorum Ordine

S. R. E.

CARDINALEM CREATVM.

Anno Iubil. 1675. Menſ. Maij 27.

GRATVLATIO.

MAIVS à celſa titulos haud iuſtiùs vnquàm
Maieſtate tulit, neq; tanto veris honore
Se iactauit ouans, regalia germina quàm cùm
Stirpis *Arundeliæ* Romano murice tinxit,
Atq; ſacrum Patribus lectis adſcripſit *Hovardum*.
Nempè bono par menſis erat nec degener anno,
Saturni regnum referens, & Virginis aſtrum
Sub ſpecie *Alteriæ* Stellæ. Nàm reſpuit imas
Pacto alio à Superis Aſtræa reuiſere terras,
CLEMENTIS Patris obſequio, & moderamine læta.
Rem miram vnius monſtrant hæc tempora ſecli
Angligenis, laxare parat quo maximus orbis
Arbiter, atquè idem præſes ſublimis Olympi,
Scrinia Diuorum, ac cœleſtia munera pandit,
Theſauros latè ſpargens mortalibus ægris;
Te quoq; neglectam veniſſe, *Britannia*, dudùm,
Currit ab inſigni quàm longum tempus *Alano*,
Præcipuam in partem, rubro dignata galero,
Sperares cùm tale nihil, vel credere poſſes.
Albion, ipſa facis polluto nomine mirum,

Quàm ſeiuncta loco, Latijs tàm diſſita ſacris.
Attamèn vnus homo, prauæ telluris alumnus,
Propoſiti ille tenax & ſpectatiſſimus æqui,
Heröum ſoboles, ac longo ſanguine Princeps,
Grandior at patrio cenſu virtutis auitæ,
Nec fidei deſertor iners, nec transfuga campi
Cognitus, excubias ad propugnacula ſeruans
Maiorum exemplo pro Relligione ſatelles:
Pro qua mille neces, quæcunque pericula vitæ,
Omnes fortunæ vultus, vncoſquè, rotaſquè,
Pauperiem, & vilem cultum, duroſquè labores
Conſtanti nunquàm dubitauit fronte ſubire:
Hic tibi reſtituit famam, *ſancta*què vocamen
Inſulæ Oceano in vaſto; veniamquè rogauit
Cœlicolas, rursùm vt fieres *Dos Virginis* almæ.
Scitur, Aranìdæ quantum miſeratus ab alto
Detulerit ſoli Deus ob pietatis amorem.
Totas ſæpè vrbes texit iuſtiſſimus vnus,
Nec rarò populis renouauit fœderis arcum.
O benè! diuinæ ſed quis penetralia mentis
Explicet, æternos aut poſſit voluere ſenſus?
O decus arcanæ ſortis, memorandaquè faſtis
Gloria, virtutem profugi velùt vmbra ſecuta;
Poſt tergum quæ ſedit eques! Nouus aduena terram
Dùm premit ignotam, non miti lege Senatus
Pulſus in exilium nupèr, *Norfolcius* heros,
(Cauſa tulit; CHRISTVM *Romanè* faſſus abito,
Contrà qui ſteterit, capital feciſſe putator:)
Eccè Quirinali, vel ſic, occurritur oſtro
Menapios intra fines ad litora Scaldis,
Ingratæ patriæ iuſſus præponere Romam
Principis imperio, frænat qui Tibridis arces.
Noſtri odio natale ſolum te quandò repellit,
Noſter eris: Fratres inter numerabere noſtros,
Te maior primo, procerum cùm maximus ires.
Exilium felix, Capitolj habuiſſe triumphum:
Illius inuidia reparat ſic Roma minutos.
Ocyùs hùc, eià: Auſonium & nunc indue coccum.
Scripſerat hæc Genitor: tabulas fert nuncius albas
Præcipiti curſu, *Bruxellæ* in ſede moranti.
I, *Fama*, altiſonæ notiſſima filia Clius,

Exere

Exere pennarum remos librata per auras,
Atquè his immenſum comple clangoribus orbem
Antè, ſuus tantos quàm ſentiat author honores.
Vltimus eſto ipſe; ignaro gratentur vt omnes;
Ac plauſus pompis veniant Laurentibus apti.
Talibus haud facilem dictis accommodat aurem
Ille quidèm, & faſtus odit, quos fugerat olim
Penè puer, regum altorum, prognatus ab ipſis:
Præ cunctis opibus, tectiſquè illuſtribus optans
Veſte ſub obſcura, contractæ in limite cellæ
Magni ſancta ſequi *Calaroga* iura *Magiſtri*.
Sed quid agat? Superùm fruſtrà pugnatur amori
Addictos ſi laude volunt cumulare clientes.
Mentem aperit cœli Interpres: parere neceſſe eſt.
Exemplum graue cedendi paulò antè *Gravina*
Præbuit aſſultu ſimili, dùm ferre latebras
Mallet adoratas pariter, *Guzmannia* pubes:
Multa diù luctatus, obiit præcepta parentis.
Ergò agite, egregij Fratres virtute, vel ortu;
Nobile ſtemma Ducum; claris incumbite cœptis,
Atquè augete genus præſtantis lumine vitæ.
Oebalio niteant Ledæi ſidere Diui;
Oebalio nexi cinctu ſplendete ſodales.
Vos ego, cantando ſi quicquam noſtra Camœna
Proficiet, veniensuè olim demiſit in ævum,
Alite Mœonio ſecli miracula tollam;
Nullaquè pòſt ætas meritos obducet honores.
Pars mihi laudis erit, *Clauſtrum* vertiſſe *Theatro*.

EMINENTIAE TVAE

Romæ, ex Muſæo meo,
Cal. Iun. 1675.

Humillimus ſeruus,

Iacobus Albanus Ghibbeſius,
Poët. Laur. Cæſ.

Dum

Digitized by Google

Dum hæc vltimam ſub prœlo manum expectant,ſuperueniunt ex Hungariæ Regno binæ Scripturæ, ab ipſis locorum Magiſtratibus publico ſigillo autenticatæ, quarum vtraque ſeorſim enumerat memorabilia obſequia, ibidem à duobus noſtri Ordinis Religioſis præſtita S. Romanæ Eccleſiæ in Lutheranorum & Caluiniſtarum ciuium conuerſione.

Prima earum atteſtatur, quòd in vnica Stooſſenſi Parochia ab anno 1673. vſque ad præſentem 1675. ex quingentis triginta tribus incolis quadringenti ſeptuaginta relictis erroribus amplexi fuerint Catholicam fidem, *labore, doctrina,exemplo & feruentiſſimis exhortationibus Patris F. Thomæ Feirtag*.

Altera prolixior diſtinctam exhibet Nomenclaturam mille centum & octo indigenarum vnius inferioris Oppidi Regalis Metzenſaiſenſis, qui omnes ab anno 1672. ac die 20. Maij vſque ad 24. Aprilis huius anni 1675. à tenebris lutheraniſmi ad lucem, & gremium S. Matris Eccleſiæ perducti ſunt à noſtro *P.F. Antonio de Gandis* prædicti loci Plebano.

Ambas Scripturas in originali Romam hoc menſe Iulio ex Hungaria ſecum attulit Vir fide digniſſimus A.R.P.Ioannes Baptiſta Reggianus de S.Felice Ordinis PP.Minorum Conuentualium S.Frãciſci, Commiſſarius Generalis eiuſdem Prouinciæ Hungariæ, ac prænarratorum Teſtis ocularis, qui & ſupranominatos Patres noſtros familiariter ibidem nouit, & vtrique præmemorato inſtrumento ad maius robur fidemque competiſſimæ veritatis manu propria ſubſcripſit coram Ordinis noſtri Magiſtro Generali, die 10. menſis Iulij. Proinde ob indubitatam rei certitudinem viſum eſt offerre Sacræ Congregationi propagandæ Fidei Autographum vtriuſque Relationis,fuitque benignè ſuſceptum, & ibidem ad poſteritatis memoriam in Scripturarum Archiuio repoſitum.

Hic finis eſto præſentis Summarij, omiſſis plurimis quæ properantis Scriptoris, aut calamum, aut penitiorem notitiam effugerunt. Nunquam tamen finis eſto fideliſſimorum Obſequiorum, quæ S.Sedi humilis Prædicatorum Ordo vſq; ad finem Seculorum auxiliante ſuperna gratia ſe præſtiturum ſperat, & confidit.

Soli Deo gloria.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS.

LEctor aduerte,in Elogijs Virorum Illuſtrium quos hoc libro complexus ſum nonnulla me obitèr attingere, quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorum, Arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitùs collata; demum nonnullis ſanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationẽ tribuere. Verùm hæc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam, quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum Anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſs. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Delenda.

LEgiſti Amice Lector in hoc opere, D. Thomæ Aquinatis ortum ſub anno 1220.& iterum ſub 1223.Similiter quòd Gaſpar à Cruce ſub an. 1556. aliàs 1570. atq;Hieronymus de Cruce ſub eiſdem annis, necnon Gaſpar de Sà ſub an. 1601, aliàs 1603. fuerint iugulati. Cum autem varij ſint noſtri Scriptores (imò & Acta ipſa Capit. Generalium) in aſſignãdo tempore & anno natali S. Thomæ, nec nos de ijs aliquid certum inuenire potuerimus, exactiori tuo iudicio vnum ex recenſitis annis aſſume, alium reijce. fol. autem 18. col. 2. in fin. vbi dicitur Rolandus Moneta, loco huius legas, Maynardus. Et vale.

IN-

Digitized by Google

I N D E X

Eorum, quæ in hoc Opere continentur iuxta Annorum ſeriem, quibus euenère, recenſita.

A

ABBAS Caſſinen. & Epiſc. ex Ordine ſub ān. 1355.
Abram Valdenſis contra Viclephiſtas. 1396.
Accoldus de Florentia ſcribit cōtra Saracenos. 1258.
Adam Ep. Candidæ Caſæ. 1363.
Adam de Drohobyua pro fide moritur. 1649.
Adimarus Ep. Abulen. 1271.
Adimarus de Rupe Ep. Betleemitan. 1363.
Adimarus Ep. Olchen. 1291.
Adrianus Szahouski Ep. Ennen. 1531.
Adrianus à S. Thoma. 1641.
Adrianus Venetus Ep. Iuſtinopolit. 1566.
Adrianus Valenticus in Concil. Trid. 1565.
Adriannsde Vffelde 1646. & 1648.
Adrianus Muſarec in Hollandia 1645.
Agareni eijciuntur ex Hiſpania. 1502.
S. Agnes de Monte Politiana. 1317.
Agnus Belga. 1296.
Agnes Seraphina. 1512.
Agnes de Senis 1498.
Aidenus Nuncius Apoſt. 1283.
Aimericus Mag. Ord. 1304.
Aitonus Regis Armeniæ filius Ordinem ingredi-eur. 1307. Multos ad fidem trahit, ibid.
Alanus de Rupe Sanctiſs. Roſatij reſtitutor. 1473.
B. Albertus Magnus in Concil. Lugdunen. 1274. fie Ep. Ratiſpon. 1260. dimittit Eccleſiam 1273. moritur 1280. de eo fit officium in toto Ordin. 1671. eius opera imprimuntur. 1644.
Albereus Clauarius Mag. Oed. 1300.
Albertus Caſaus. 1542.
Albertus de Brixia. 1314.
Albertus Boſon Ep. Auximan. 1342.
Albertus Boſchettus Ep. Mutinen. 1234.
Albertus Epiſc. Reginen. pro conuerſ. Lituonum. 1246.
Alberens cnm ſocio occiditur. 1233.
Albertus Sabaudns. 1265.
Albertus Teuconicus. 1365.
Albertus Plocen. Inquiſ. 1505.
Albertus Diuimius Ep. Modruſion. 1548.
Albertus Ianſenius in Hollandia. 1645.
Albertus de Lnbochia occiditur ab hæret. 1649.
Albertus de Naeis Ep. Nicopolit. 1518.
Albertus Fuſten. ſcribit contra hæret. 1472.
Aldobrandinus de Caualcantibus Epiſc. Vrbenet. 1272. Vicarius Papæ. 1273. dat Eccleſiam S. Mariæ in Minerua Ordin. ibidem moritur. 1279.
Alexander de Padua Inquiſ. Neap. 1354.
Alexander Strozins. 1383.
Alexander Capocius. 1581. & 1584.
Alexander de Franciſcis Ep. Foroliuien. 1594.
Alexander de Lugo comburitur. 1645.
Alexander de Niochim. 1235.
Alexius Butzel Inquiſ. in Huſſitas 1411.
Alexius prædicat Ruſſis & Sclauonibus. 1245.
Alexius Conuerſus pro fide occiditur. 1626.
Alexius alter apud Indos 1590.
Aloyſius Ep. Ariminen. 1252.
Aloyſius Flores in Iapone. 1620.
Aloyſius Suppa. 1551.
Aloyſins Murus occiditur. 1636.
Aloyſius de Roxiare. 1469.
Aloyſius Ep. Ariminen. 1250.
Aluarus de Moſco Ordinem ingreditur. 1538.
Aluarez Hiſpan. 1257.
Alphonſus III. Luſitan. Rex Eccleſiaſticos vexat. 1273.
Alphonſus de Cuſanza Ep. Salmantin. 1424.
Alphonſus Boaminins Ep. in Marochio. 1335.
Alphonſus de Burgo Ep. Corduben. Placentin. 500.
Alphonſus de S. Cypriano Epiſc. Libarien. 1492. 1472.
Alphonſus de Motuſar Archiep. Mexican. 1551.
Alphonſus de Almalora. 1564.
Alphonſus Ximenez occiditur. 1600.
Alphonſus de la Cerda Ep. de Hondura. 1578.
Alphonſus Guerra Ep. de la plata. 1579.
Alphonſus Hiſpanus. 1477.
Alphonſus de S. Dominico in Inſul. Philip. 1596.
Alphonſus Nauarreta decollatur. 1617.
Alphonſus de Menna occiditur. 1622.
Alphonſus Garzia occiditur pro fide. 1625.
Alphonſus à Ponte 1643.
Alphonſus de Taulera Ep. de Hondura. 1531.
Aluarus de Moſco. 1538.
S. Ambroſius Sanſedonius reſtituit ſtudia in Vrbe. 1273. Orator Reip. Senen. ad Pont. Legatus in German. 1274. fit Legat. Apoſt. ad Florentin. & Piſan. ibid.
Amator Eſpi. 1534.
Ambroſius Catharinus ſcribit contra Lucerum. 1521. Ep. Minoren. 1546. in Concil. Trident. 1547. ſcribit contra Ochinum. 1549. Archiep. Compſan. 1552.
Ambroſius Pelarges Luthernm impugnat. 1541. & 1546.
Ambroſins Butigella Ep. Auricen. 1553. vadit in Syriam. 1555.
Ambroſius Saluius Ep. Neriſonen. 1569.
Ambroſius Brandius autor *Aue Maria* mortuorū in ſeco. 1608.

I N D E X.

Ambroſius de Matre Dei. 1625.
Ambroſius de Vvoinick ab hæreticis occiditur. 1649.
Ambroſius Viola Ep. Laquedonien. 1649.
Ambroſius ò Cahil ab hæret. perimitur. 1650.
Ambroſius Aldogattus Ep. Caſalen. 1567.
Apolinaris Viennen. ab hæret. occiditur. 1570.
Armenus Populus mittit P. Lucam Oratorem ad Pont. 1402. vexatur 1597.
Andreas Iuſtinianus Inquiſ. in Græcia. 1559. alius Commiſs. S.Inquiſ. in Vrbe. 1610. ſactus Epiſc. Inſul. 1614.
Andreas Leopolien. Inquiſ. 1506.
Andreas de Peruſio pro fide occiditur. 1300.
Andreas Mendozza Ordinem ingreditur. 1534.
Andreas de Bocagnis Epiſc. Piſtorien. 1378.
Andreas de Didrachio Archiep. Raguſinus. 1389.
Andreas de Capha Inquiſ. in Tartaria. 1389.
Andreas de Maguer. 1576.
Andreas Fornarius Archiep. Teban. 1408.
Andreas de Fabris. 1534.
Andreas Roſus Inquiſ. Valentin. 1420.
Andreas Bobius pro fide necatur. 1610.
Andreas de Piſis Mag.Sac.Pal.1424.Ep.Sutr.1429.
Andreas Archiep. Coloſſen. mittitur à Concil. Baſileen. 1432. Orator pro diſſoluendo Conciliab. 1437. in Concil. Ferrarien. 1438.
Andreas Ep. Magaren. 1432.
Andreas Noorr. 1477.
Andreas Hungarus Orator Regis Hungariæ ad Pont. 1303. & 1310.
Andreas Loſimer Legatus S.Ludouici ad Imper. Tart. 1248.
Andreas Albalatius Epiſc. Valentin. 1248. fuit in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Andreas de Vdine Archiep. Crainen. 1479.
Andreas Piſcarien. 1380.
Andreas Garges Epiſc. Syren. 1607. ab hæret. ſuſpenſus 1632.
Angelus de Trano Inquiſit. Neapolit. 1295.
Angelus Negronius ſcribit in fauorem Bonifatij VIII. 1300.
Angelus de Bononia. 1323.
Angelus Acciaiolus Ep. Aquilan. 1233. Florentin. 1342. Orator Reg. Neap. 1348. Abbas & Ep. Caſſinen. 1355.
Angelus de Bario Ep. Biteᶜten. 1407.
Angelus Maltrauerſius Epiſc. Ferrarien. 1255. Archiep. Creten. 1263.
Angelus de Portaſolis Ep. Sulcitauen. & Groſſetan. 1530.
Angelus Bergomen. 1516.
Angelus Paſchalis Ep. Motilen. 1537.
Angelus Cæſarinus Ep. Caprulen. 1593.
Angelus Cocchius. 1635.
Angelus de Verona Inquiſ. 1501.
Angelus Bragadinus Ep. Vicentin. 1550.
Angelus Cataneus Diacetus Ep. Feſulan. 1566.
Angelus de Spalatro Ep. Curzulen. 1573.
Angelus de Pientia ſcribit contra ſectam Mahumetan 1596.
Angelus Orſucius, dictus Ferrer in Iaponia. 1618. occiditur. 1622.
Angliæ Fratres & Sorores multa patiuntur ab Elizabetta 1560.
Anſelmus Inquiſ. Iannen. 1253. 1259.
Anſelmus Legatus in Perſide. 1255.
Anibaldus de Anibalis Mag. Sac. Pal. 1246. fit Card. 1263. moritur 1272.
S. Antoninus Ordinem ingreditur 1405. Fit. Legatus Apoſt. 1430. fuit in Concil. Florentin. 1439. fit Archiep. Florentin. 1446. recipit Fridericum Imperatorem 1453. moritur 1459. committitur cauſa eius Canonizationis 1518. Datur ſuffragium pro eius Canonizatione à Cardd. 1520. Canonizatur. 1523.
Antonius de S. Geminiano. 1459.
Antonius de Noto Inquiſit. in Sicilia. 1293.
Antonius de Salutijs Ep. Scutaren. 1367.
Antonius Pauo ab hæret. occiditur. 1374.
Antonius Ep. Signinus. 1396.
Antonius Corrarius Ep. Emonien. 1406. Ceneten. 1409.
Antonius de Caturce Ep. Caprulan. 1413.
Antonius Ponticurona Inquiſ. Siciliæ. 1416.
Antonius Guidius Ep. Arien. 1419.
Antonius Carolenus Archiep. Amalfitan. 1449.
Antonius Thaluijſti Inquiſ. Toloſan. 1465.
Antonius Cipollonus Ep. Feſulan. 1384. Volateran. 1390.
Antonius de Neap. Archiep. Amalfitan. 1472.
Antonius de S. Philippo Collector Spolior Apoſt. 1473.
Antonius de Brixia Inquiſit. Lomb. 1486.
Antonius Gislandius Inquiſ. 1490.
Antonius de Valdeuieſo trucidatur. 1540.
Antonius Martini Inquiſit. Toloſans. 1483.
Antonius de Valdeuieſo Ep. Legionen 1444.
Antonius è Comitibus Lucurri Ep. Brugnaten. 1548.
Antonius Sagra Ep. Equen. 1561.
Antonius Gropſutus Inquiſ. 1562.
Antonius Iuſtinianus Archiep. Parien. & Naxien. 1562.
Antonius Paſtana pro fide oeciditur. 1565.
Antonius Roſcius Ep. Sulmonen. 1567.
Antonius de Roſa ab hæretic. fame conſumitur 1568.
Antonius Villiers ab hæretic. fame conſumitur. 1508.
Antónius Dulcius ab hæretic. occiditur. 1576.
Antonius Hernandez Ep. Martyrien. 1570.
Antonius de Balduccis Ep. Vican. 1576.
Antonius Heruias Ep. Vere pacis. 1579.
Antonius Temmermonus ab hæret. necatur. 1580.
Antonius ab Archidiacono in Philippin. Inſul. 1596.
Antonius de S. Stehpano Ep. in Affrica. 1604.
Antonius de Viſitationne Miſſion. Apoſt. 1605.
Antonius de Premilia apud Tartaros 1626.
Antonius Nouitius in Iapone pro fide necatur. 1618.
Antonius de S. Dominico Conueurſs moritur pro fide 1628.
Antonius Gonzalez. in Iappon. occiditur. 1636. & 1637.

Anto-

INDEX.

Antonius de Reſurrectione Ep. Angren. 1655.
Antoninus Luccius. 1656.
Antonius Gonzalez. Ep. de Caracca. 1670.
Antonius de Caſali Inquiſ. Comen. 1514.
Antoninus Tortellius diſputat. cum hæret. 1619.
Antonia de Brixia. 1507.
Aragoniæ Rex linguam abſcendit Gerunden. Ep. edictum contra hebræos promulgat 1263.
Arditius de Mediolano. 1288.
Arnulfus Ep. Humanaten. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Archangelus Blacus Ep. Tearen. 1566.
Armandus de Bello viſu Mag. Sac. Pal 1335.
Arnaldus Badetus Inquiſ. Toloſ. 1531. Scribit contra hæret. 1536.
Arnaldus Pinos. 1370.
Arnaldus Coiro. 1454.
Arnaldus Punc procurat remouère Regem Arag. à ſchiſmate 1397.
Arnaldus Conts Inquiſ. 1425.
Arnaldus de Praro Inquiſ. Toloſ. 1305.
Arnaldus Treueren. 1236.
Arnaldus Inquiſ. Tololan. 1595.
Arnaldus ex Montepeſſulano 1250.
Arnaldus Inquiſ. in Aragonia. 1263. multa operatur ibid.
Arnulphus Humanaten. Ep. 1254.
Arnaldus Coiro Inquiſ. Valentin. 1454.
Arnaldus Srouer. 1623.
Armandus à Pace in Guadalup 1643.
Arnaldus Villemſenſeur. 1644.
Appellare ad futurum Concil. interdictum 1459.
Apocryſarij Apoſtolici mittuntur Conſtantinop. 1233.
Arturus Geo pro fide necatur. 1633.
Aſturus de Piera Dæmonum ſacrificus. 1360.
Aue Maria pro mortuis inchoatur à Frat. Præd. 1608.
Auguſtinus Ep. Zagabrien. 1303.
Auguſtinus Nallius impugnat conciliab, Piſanum. 1511. fit Ep. Mercaten. 1512.
Auguſtinus Recuperatus Mag. Ord. 1539.
Auguſtinus Leenze. 1635.
Auguſtinus de Bugella. 1495.
Auguſtinus de Medicis. 1500.
Auguſtinus Saluagus Ep. Aceien. 1553. Archiep. Ianuen 1559.
Auguſtinus de Montealto ab hæretic. occiditur 1568.
Auguſtinus de Auila Archiep. S. Dominici. 1599.
Auguſtinus Galaminus Mag. Sac. Pal. 1607. Mag. Ord. 1608. Card. 1611. moritur 1639.
Auguſtinus de Magdalena ab hæreticis occiditur. 1627.
Auguſtinus Pacen. Archiep. Armeniæ. 1627.
Auguſtinus Iuſtinianus Ep. Herbinen. 1513. Sac. Bibl. 5. linguis euulgauit. 1516.
Auguſtinus Quintius Ep. Curzulen. 1604.
Azarias Fridonis Archiep. Armeniæ 1602.

B

Baitus Cumanorum Princeps conuertitur. 1222.
Baguslaus procurator canonizat. S. Stanislai Mart. 1253.
Barnabas Capograſſus Inquil. Neap. 1507. et 1510.
Barnabas de Neap. Inquiſ. 1464.
Baſilius Pica. 1604
Barnabas Mag. Ord. 1468.
Baldaſar Drezelius multa patitur ab hæret. 1588.
Baldaſar de Heredia Ep. Calaguritan. 1560.
Baldaſar Vetlinus. 1534.
Baldaſar Fott. 1612. & 1613.
Baldaſar Sorius ſcripſit contra hæret. 1510.
Baldaſar Ferdeman Ep. Miſmen. 1440.
Baldaſar Brabantinus hæret. perſequitur. 1577.
Balduinus Imperator in Concil. Lugdun. 1. 1245.
Baptiſta de Iudicibus Epiſc. Albintimilien. 1469. Archiep. Amalphitan. 1483.
Baptiſta Archiep. Armeniæ. 1404.
Bartholomæus de Bragantijs Mag. Sac. Pal. Legat. 1256. Epiſc. Vicentin. ibid. à S. Ludouico vnam de ſpinis Coron. Dom. accipit. 1259.
Bartholomæus Varelius Siculus Epiſc. Liparen. 1252. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Bartholomæus de Aquila. 1277.
Bartholomæus de Beneuuto Epiſc. Alerien. 1263. Amerin. 1264.
Bartholomæus Paruus de Piſcialis in Armeniam mittitur. 1318. traducit libros in Armenam linguam. 1320 fit Mag. Sac. Pal. 1326. Ep. Torcellan. 1328. Archiepiſc. Armeniæ 1333. In Armeniam vadit. 1335. lento igne conſumitur. 1339.
Bartholomæus de Piſis. 1344. & 1347.
Bartholomæi Fuſter oſſa comburuntur. 1351.
Bartholomæus Ianuezius hæreſiarca incarceratur. 1359.
Bartholomæus de Beneuento Ep. Turtibulen. 1367.
Bartholomæus de Bononia Inquiſ. Bonon. 1477.
Bartholomæus Texerius Mag. Ord. 1484.
Bartholomæus de Ferraria Inquiſ. Ferrarien. 1403.
Bartholomæus de Attiſſa Pœnitent. Vatican. Baſil. 1403.
Bartholomæus delle Biſcie Ep. Bononien. 1406.
Bartholomæus Caccia Ep. Placentin. 1408.
Bartholomæus de Bolltenec Mag. Sac. Pal. 1414.
Bartholomæus Lapatius Inquiſ. in Hungaria in Concil. Florent. 1439. Mag. Sac. Pal. ibid. Conſtantinop. cum Card. Leg. vadit. 1440. Cum Marco Epheſino diſputat, ibid. fit Corronen. deinde Coronen. Epiſc. ibid. multos græcos ad vniatem Eccleſ. trahit. 1441. mittitur Nuncius in Polonia. 1442. In Hungar. 1448. Fraticellos deſtruit. 1449. orat in Concil. 1459. ſcribit contra græcos. 1462. moritur. 1466.
Bartholomæus Pennades ſcribit contra hæreticos. 1444.
Bartholomæus de Senis. 1462.
Bartholomæus de Scalis Ep. Sulmonen. 1463.
Bartholomæus de Ceruerio Inquiſ. necatur. 1466.
Bartholomæus Rondaninus impugnat conciliab. Piſano. 1511.
Barthulomæus Spina contra Pomponatium. 1536. Mag. S. Pal. 1542.
Bartholomæus de las Caſſas Ep. Ciuit. Reg. 1543.

I N D E X.

Multos aſſumit ex Hiſp. Miſſionarios. 1544.
Notificat Regi Miniſtrorum ſcelera. 1547.
Bartholomæus de Mirandula in Concil.Trid.1546. Ep. Citren. 1553.
Bartholomæus Caranza reſtituit fidem catholicam in Anglia. 1553. Scribit in fauorem fidei, ibid. Operata ab eo in Anglia. 1554. & 1555. Multa patitur pro fide 1556. hæreticorum libros proſcribit, ibid.
Bartholomæus de Martyribus Archiep.Braccaren. 1559.
Bartholomæus Ferrus de Lugo Ep. Litteren. tranſit ad Interamnen. 1570.
Bartholomæus Pauia. 1574.
Bartholomæus de Ledeſma Ep. Gnaxacen. 1582.
Bartholomæus de Miranda Infulas reijcit. 1592.
Bartholomæus Premislienſis. 1610.
Barnabas de Neapoli Inquiſ. Neap. 1464.
Barnabas de Vercellis Mag. Ord. 1324.
Beatrix de Menales. 1538.
Beatrix neptis Io. Portug. Regis Ordinem ingreditur. 1520.
Beatrix de Ferraria. 1405.
Beltramus de Comuſculo Inquiſ. Mediolan. 1386.
Bembrocus Cumanorum Princeps conuertitur. 1222.
Benedictus XI. creauit tres Cardd. Ordin. 1303. 1304.
Benedictus Tomaſellus ſcripſit contra hæret. 1261.
Benedictus prædicator ad Cumanos. 1254.
Benedictus de Montepeſſulano. 1255.
Benedictus de Arſiguano ſuſcipit partes Io; Pont. 1327.
Benedictus XII. Statuta Ordin. immutare nititur. 1338.
Benedictus Vallatus Ep. Cortonen. 1364.
Benedictus de Oberch Ep. Panaden. 1468.
Benedictus Archiep. Armeniæ. 1478.
Benedictus Filicaia Vicar. Congregat. Peregrin. 1553. patitur pro fide 1556. hæret. libros proſcribit. 1557.
Benedictus Epiſc. Bergen. 1370.
Benedictus Herba Ep. Caſalen. 1470.
Benedictus Archiep. Armeniæ. 1542.
Benedictus Herculanus Inquiſ. Peruſin. 1610.
Benedictus XIII. Antipapa. 1397. decernitur derelinquendus. 1398.
Bennenutus Bungoſinus. 1330.
Berengarius Mag. Ordin. 1312. Nuncius Apoſt. 1316. Archiep. Compoſt. 1317.
Berengarius de Lerida. 1257.
Berengarius Notarij de Arclate. 1296.
Berengarius Rodes Archiep. Compoſtellan. 1318.
Bernardinus de Luca Ep. Accien. 1521.
Bernardinus de Villoa in Granatam cum ſocijs ingreditur. 1596.
Bernardinus Paulinus. 1583.
Barnabous Mediolanen. Tirannus damnatur vt hæret. 1363.
Bernardus Peregrinus Inquiſ. Arag. 1304.
Bernardus de Trauerſera per medium ſectus. 1259.
Bernardus Belga torneamenta deteſtatur. 1243.
Bernardus Polonus Ep. Halicien. 1233.
Bernardus Luſitanus. 1246.
Bernardus Inquiſ. Toloſan. 1245.
Bernardus Ermenegandus Inquiſ. Valentin. 1360.
Bernardus de Piligcercos Inquiſ Arag. 1314
Bernardus Guidouis Inquiſ. Toloſ. ſcribit contra hæret. 1315. alia eius ſcripta 1322. Ep. Lodouen; Tullen. Legat. Apoſt. 1331.
Bernardus de Crema Archiep. Halicien. 1327.
Bernardus de Terumo Ep. Aquiian. 1382.
Bernardus de Lucemburgo ſcribit contra hæretic. 1508.
Bernardus Granellus Inquiſ. Ianuen. 1493.
Bernardus Belga Archiep. Roſſanen. 1523.
Bernardus de Lucemburgo ſcribit contra Luther. 1535. 1542.
Bernardus à Cruce Inquiſ. Coimbricen. 1541.
Bernardus Mauicus Ep. Malacen. 1541.
Bernardus Bernardi Inquiſ. Toloſ. 1561.
Bernardus de Tropeia Ep. Sanctorien. 1565.
Bernardus Inquiſ. Auenionen. 1571.
Bernardus de Brixia 1587.
Bernardus del Nero Ep. Briſſianen. 1598.
Bernardus de S. Catharina occiditur. 1626.
Bernardus ò Ferail occiditur. 1651.
Bernardus Zeuiedo. 1651.
Bernardus ò Kellij occiditur. 1653.
Bertrandus S. P. Dominici ſocius. 1295.
Bertrandus Noniniouenſis. 1347.
Blanca Regina Aragoniæ. 1291.
Blaſius Conſtantinus caſtigatur à S.P.Domin. 1465.
Blaſius Catalanus. 1420.
Blaſius Epiſc. Alerien. 1362.
Bonauentura Tolomæi. 1340.
Bonaſpemius Peruſinus Maior Pœnitent. 1270.
Bonifatius ex Lauaniæ comitibus Archiep. Rauen. 1274.
Bonifatius Ferrier 1512.
Boniuſegna Serra per medium ſectus. 1248.
Bonioannes Marinus Legatus Siculorum ad Pont. 1277.
Branca Ep. Tiburtin. 1337.
Brocardus mittitur in Paleſtinam cum ſocijs 1323.
Brigitta de Hollandia. 1390.
Burgundiæ Inquiſ. primi mittuntur. 1247.
Bzobius de Brixia Mag. Sac. Pal. 1583.

C

CAlimerus de Monte Claro. 1521.
Calixtus Pont. mandat prædicari Crucem cont. Turcas. 1456.
S. Catharina Senen. Sanat. B. Raymundum cum alijs. 1374. prædicit Schiſma Eccl. 1375. recipit ſtigmata ibid. Oratrix Reip. Flor. ad Pont. cuius opera in Vrbem venit. 1377. Principes ad venerat. Vrbani inuitat. 1378. moritur. 1380. Canonizatur. 1461. cauſa eius ſtigmatum coram Sixto IV. diſp. 1488. terminatur ab Vrbano VIII. 1630.
Catharina de Raconiſio. 1547.
Catharina, Amata. 1530.
Catharina de Riccis. 1589.
Carſanaca in Vrbe comburitur. 1586.
Carceres S. Officij fabricantur Neap. 1659.

Carinus

I N D E X.

Carinus interfector S. Petri Mart. Sanctiſ. moritur 1254.
Card. Caſtilioneus declaratur hæret. & priuatur dignit. 1563.
Card. Grbennen. Pſeudopont Clemens VII. 1378.
Carolus Alanzonius ſumit habitum Ord. 1359. ex Reg. ſang. Arch. Lugdunen. 1365.
Carolus Claudus corpus. S. Mariæ Magd. Ordini dat. 1279. liberatur ex carceribus ab eadem 1283.
Carolus Laine. 1547.
Carolus de Claeis. 1663.
Carolus Hiſpaniarum Rex eligitur Imperat. opera Card. Caietani. 1519.
Cecilia Cæſarina fundatrix Monaſterij de Bononia. 1290.
Cecilia de Ferraria. 1507.
Cœleſtinus Pino ab hæret. occiditur. 1649.
Ceslaus Vratislauiam defendit. 1241.
Cham Tartarorum Imperator conuertitur. 1246.
Chriſtina Suecorum Reginaglorioſiſs. Catholicam fidem amplectitur. 1654.
Chriſtophorus de Mediolano. 1464.
Chriſtophorus Gaulez. Inquiſ. Aragon. 1482.
Chriſtophorus de Viterbio Inquiſ. 1473.
Chriſtophorus Alzanus. 1516.
Chriſtophorus de Lugo. 1563.
Chriſtophorus Pieniekch ab hæret. occiſ. 1649.
Chriſtophorus à Buiza occiditur à barbaris. 1606.
Chriſtophorus Rodriquez Archiep. Inſulæ Hiſpan. 1608.
Clara Abiſſina. 1396.
Clara Gambacurta. 1420.
Clara de Santiſſimo Sacram. 1659.
Clemens Araneos ſcribit cont. Lutherum. 1538.
Clemens Bigot ſcrib. cont. hæret. 1564.
Clemens Belgicus Ep. Chriſopolit. 1547.
Clemens Ep. in Scotia. 1547.
Claudius Giomelius ab hæret. occiditur. 1576.
Columba de Reate. 1501.
Comes Toloſanus veniam petit ab Eccleſia.
Conclauia Pontificia habentur inter Prædicat. 1447.
Confeſſor Regis Angliæ Ep. Caſtren. 1398.
Conſtantinopolis capitur à Turcis. 1453.
Conſtantinus de Fabriano. 1481.
Conradus Mag. Ord. 1462.
Conradus de Lugd. Ep. Lauſenen. 1381.
Conradus Theutonicus nepos B. Alberti Magni 1259.
Conradus Scoper Ep. Cambalien. 1405.
Conradus Maſpurgen. Inq. Gen. in Germania 1220. eijcitur ex illa ibid. Iterum mittitur in illam à Pont. 1228. hæret. inſequitur 1231. eius modus cognoſcendi hæret. 1233. pro fide trucidatur ibid.
Conradus Alberſtadien. 1286.
Conradus Heros. 1248.
Conradus Lingonien. 1260.
Conradus Ep. Auximanus. 1360.
Conradus de Pruſſia. 1426.
Conradus Nicroſius. 1532.
Conradinus interdictum Bononiæ anunciat. 1428.
Conradinus Arloſtus. 1468.
Conuentus S. Mar. Nouel. nobile hoſpitium Martini V. 1420. & Pij II. 1459.
Conuentus Baſileen. pro Concilio. 1433. Clauditur cont. Conciliabolum. 1437. & Fratres illius multa patiuntur ibid.
Conuentus S. Mariæ de Caſtello datur Ord. 1441.
Conuentus Ciuitaris Vetulæ datur Ordini. 1422.
Conuentus Conſtant. de Pera datur Ordini. 1403.
Conuentus de Viborch fundatur petente Regina Daciæ. 1393.
Conuentus primus in Ordine Toloſanus. 1215.
Concilium Lateranenſe maximum. 1215.
Concilium Conſtantien. celebratur. 1414.
Concilium Vienneuſe. 1311.
Concilium Lugdunen. I. 1245. datur rubens garus Cardd. ibid.
Concilium Lugdunen. II. 1274. operata à Prædicat. in ex ibid. in Conciliab. ibid.
Concilium Piſanum. 1409. eligitur Alex. V. ibid.
Concilium Papienſe. 1423.
Concilium Baſileenſe auſpicatur à Ioan. Stoico 1431. vertitur.
Concil. Ferrarien. 1437.
Concilium Conſtantien. 1414.
Concilium Florentinum. 1439.
Conciliabulum Piſanum. 1511. reaſſumitur Mediolani. 1512. impugnatur ibib.
Condormientium hæreſis. 1233.
Conſilius Gattus Archiep. Compſanus 1299.
Congregatio S. Officij ſtabilita in minerua 1628.
Congregatio peregrinantium proper Chriſtum 1464.
Congregatio Gallicana cont. hæreticos erigitur. 1509. & 1515.
Controuerſia agitata an Indi eſſent capaces baptiſmatis 1537.
Conuerſi tres eodem anno cum ſanctitatis opinione decedunt. 1263.
Corradus Koellin. ſcribit cont. Lutherum. 1530. & eius Epital. 1527.
Coronamentum Pontificiũ vbtiatum à Pon. 1370.
Conuertitarum monaſterium reformatur. 1516.
Coſmus Medices Mag. Dux in Etruria. 1570.
Cormacus Conuerſus ſuſpenſus patibulo. 1632.
Coſmas Morellus Inq. Colonien. 1612. 1613.
Cornelius de Snekis ſcribit cont. hæret. 1531.
Cornelius de Sambica pro fide occiditur cum alijs. 1649.
Cornelius Alborno Inquiſ Cameracen. 1546.
Cornelij hæreſiarchæ oſſa comburuntur. 1266.
Conſtantinus Medices Ep. Vrbenetan. 1254. Legat. Apoſt. 1255.
Creſcentius Ep. Alatrinus. 1263. in Concil. Lugdun. fuit 1274.
Cyprianus Beneſus ſcribit in fauorem Apoſt. Sedis. 1494. & contra Concillab. Piſanum. 1512.
Cyprianus de Roma cont. Lutherum. 1543.
Cyprianus Polonus Ep. Moronen. ſcribit contra Lutheranos. 1580.
Cyprianus Vbertus Inquiſ. 1709.
Cyprianus Mackynsk ab hæret. occiditur cum Socijs. 1649.

S. P. Do-

I N D E X.

D

S. P. Dominicus naſcitur 1170. fit Canonicus, ibid. prædicat. ibid. Romam petit. 1206. diſputat cum hæreticis. 1207. initia Ord. Præd. ibid. pugnat cum hæret. 1211. Matronæ hæret. conuertuntur ibid. prædicat. Roſarium in Gallia: petit confirmat. Ord. 1215. fit Inquiſ. Apoſt. 1215. Obtinet confirmat Ord. Prædicat. 1216. conſequitur Eccleſiam S. Xyſti in Vrbe. 1217. Conuertit Albigen. 1218. Moniales Vrbis apud S. Xiſtum in vnum colligit ibid. fit Mag. Sac. Palatij 1218. Roſarium in Vrbe prædicat ibid. fit Generalis Inquiſitor in Europa. ibid. mittit Fratres in Affricam pro Saracenorum conuerſione ibid. mittit Generalem Inquiſit. in Germaniam 1220. Congreg. Capit. General. 1220. mittit Fratres ad Saracenos 1221. excrcet officium Inquiſit: in Lombardia ibid. Moritur ibid. Canonizatur. 1234 ſtella ſuper Eccleſiam Bononien. apparet. 1383. corpus in nouam capellam transfertur. 1411 Datur Patronus Neapolit. Regni 1654. eius feſtum ibidem de præcepto cum octaua 1064. eius effigies in Suriano. 1530.
Dalmatius Moner. 1341.
Damianus Zanaglia Ep. Montis Regalis. 1388.
Damianus de Finario. 1484.
Damianus Roſcius ſcribit cont. hæret. 1581.
Damianus de Valaguer. 1609.
Damiata capitur a Saracenis & multi moriuntur pro fide. 1261.
Damianus Alingus ſcribit cont. heret. 1578.
Daniel de Crema Mag. Sac. Pal. 1565.
Daniel de Vincentia. 1505.
Dauid Archiep Caſſellen. 1237.
Dauid Foxius trucidatur. 1648.
Decretalium librum euulgat S. Raymundus. 1229.
Deſiderius Scalia Card. 1621. procedit cont. adorat. Dœmonum. 1616. moritur. 1639.
Deſiderius Pænitentiarius Commiſs. Apoſt. 1246.
Deſiderius Gallus Ep Chriſopolit. 1530.
Deſiderius de Verona. 1551.
Diana de Bononia. 1236.
Didacus de Magdaleno Inquiſ. Valentin. 1489.
Didacus Deza Inquiſ. ex Hiſpania Agarenos eijci procurat. 1502. fit Ep. Palentin. & Arch. Hiſpalen. 1504. contra Petrum M. Oxonen. 1479.
Diſtacus Heſoquius Viſit. Apoſt. 1573.
Didacus Bolmaz. in Indijs occiditur. 1586.
Didacus Coliadus mittitur in Iaponem. 1619. multa operatur pro fide. 1622.
Didacus Fernandez. 1548.
Dimitilla Plateria. 1536.
Dioniſius Minor. abiurat. 1369.
Diſputatio facta Plurij de Sacrif. miſsę. 1596. 1597.
Diſputatur coram Pio II. cum Minor. de Sanguin. Chriſti effuſo. 1463.
Dominica de Guſman. Ord. ingreditur. 1595.
Dominicus Archiep. Iadren. 1366.
Dominicus de Stellopardis Inquiſ. 1378. Commiſſar. & Prædicator Apoſt. cont. Clem. VII. Antip. 1379. Regius Cappellanus. 1381. fit Inquiſ. in vtriuſque Siciliæ Regnis. 1403.
Dominicus Ep. Nitrien. 1379.
Dominicus de Floren. Ep. Abbien. 1379. transfertur ad Sancti Pontij Tomer. ſtabiliuit pacem inter Reges ibid reformat Canonicos. 1420.
Dominicus Prior Caſſouien. prædicat Crucem in Turcas. 1481.
Dominicus Magagolla ſuſcipit partes Pont. 1428.
Dominicus Mercatius Ep. Rauellen. 1456.
Dominicus de Roſario. 1500.
Dominicus Hiſpanus trucidatur cum ſocio. 1520.
Dominicus de Corduba. 1534.
Dominicus ab Idolatris trucidatur. 1540.
Dominicus Soto in Conc. Trid. 1545. ſcribit 1546. moritur. 1560.
Dominicus de Cruce in Concil. Trid. 1546.
Dominicus Betanzos Inquiſ. Mexican. 1549.
Dominicus de Vico occiditur. 1552.
Dominicus Sergent ſcribit contra hæret. 1560.
Dominicus de S. Thoma Ep. Platen. 1562.
Dominicus de S. Maria Miſſion. 1572.
Dominicus Tepianus ſcribit contra hæret. 1582.
Dominicus de Alcala Ep de Gualazar. 1582.
Dominicus de Villo Ep. de Nicaragua. 1585.
Dominicus Regis de Feſſa filius Ordinem ingreditur. 1559.
Dominicus á Nieua Miſſion. Ap. 1610.
Dominicus Iaponus Conuerſus perimitur. 1622.
Dominicus de Senis Ep. Colon. 1262.
Dominicus Ep. Reatinus. 1254.
Dominicus Mugnoz. 1260.
Dominicus de Valetica. 1260.
Dominicus de Cæſaraugusta Ep. Syracuſan. 1296.
Dominicus Grenier Mag. Sac. Pal. 1326.
Dominicus Albien. Ep. Ennen. 1513.
Dominicus Malacouius contra hæret. 1544.
Dominicus de Annunciatione. 1550.
Dominicus Caſablanca Ep. Equen. 1558.
Dominicus Marior Archiep. Corinthien. 1575.
Dominicus Ececia. 1591.
Dominicus de Valderama Archiep. Inſ. Hiſpaniolæ 1606.
Dominicus de Ruere Ep. Aſten. 1568.
Dominicus de Santander Miſs. Apoſt. 1606.
Dominicus de Salazar Archiep. Manilien. 1579.
Dominicus de Salinas Ep. S. Iacobi de Cloro. 1597.
Dominicus Grauina. 1604.
Dominicus Marquete. 1616.
Dominicus Caſtellet pro fide occiditur. 1628.
Dominicus á Neagren occiditur. 1646.
Dominicus de Marinis Archiep. Aueniouen. 1648. moritur. 1669.
Dominicus de Slokonia cum ſocio occiditur. 1649.
Dominicus de Miedzybor ab hæretic. occiditur. 1649.
Dominicus Dillon cum ſocijs perimitur. 1649.
Dominicus Pimentellus Ep. Cordubeo. & Archiep. Hiſpalen. 1649. fit Card. 1652.
Dominicus de Roſario apud Hollandos 1650.
Dominicus Cardonus 1663.
Donatus Niger occiditur. 1650.
Donatus de Ferraria. 1386.
Donatus Otoncubaijr Ep. Aladen. 1461.
Dœmon fatetur propriam ruinam in Prædic. 1228.

Doro-

Dororhæa de Ferraria. 1507.
Duardus Trauazzos. 1671.
Dulcinus hæreſiarcha. 1287. & 1300. comburitur 1307.
Durandus de S. Portiano ſcribit contra hæreticos. 1312. Mag. Sac. Pal. 1323. Ep. Melden. 1326. ſuſcipit partes Pont. contra Bauarum. 1327.
Durandus de Aragonia. 1539.

E

Edmunda de Courtenai habitum Ord. induit. 1594.
Edmundus Prouincial. German. Orator Imperat. ad Pont. 1276.
Edmundus ò Bern occiditur ab hæret. 1652.
Edmundus de Burgo. 1632.
Edmundus Bourgouius occiditur ab hæret. 1590
Eduardus Nugnius Ep. Laodicen. 1503.
Egidius Van apud Hollandos pro fide. 1636.
Egidius Porcellus, 1265.
Egidius de Ferraria Patriar. Graden. 1295. Legat. Apoſt. 1308. Patriar. Alexandrin. 1310.
Egidius de Aubineon Inquiſ. 1518.
Egidius Binedus Abbas Ambianen. 1540.
Egidius Gauz Ep. Raren. 1544.
Egidius Fuſcheratius Mag. S. Pal. 1548. Ep. Mutinen. 1550
Egidius Marcheſinus in Concil. Trid. 1563.
Eleonora pe Burgo Hibernen. 1647.
Elias Gailus. 1370.
Elias Petit Commiſs. Apoſt. in Orien. 1376.
Elias Iudæus opera B. Pij V. conuertitur & cum filijs baptizatur. 1566.
Eligius hæret. comburitur apud Cameracũ. 1250.
Emanuel Rodriguez fuſtibus contunditur. 1651.
Emanuel de Slokouia occiditur ab hæret. 1649.
Emanuel Telles Ep. Goen. 1633.
Emanuel de Lambauo. 1631.
Encomia Honorij III. pro Ord. Præd. 1227.
Engelbertus Cultrifici ſcribit in fauorem Mendican. 1479. Alius contra Ricardum Archiep. Armacanum ſcribit. 1357.
Enguerardus Segnart Ep. Salubrien. 1464.
Epiſcoporum multitudo deploratur à Patrib. Ordinis. 1250.
Epiſcopi Ord. in Concil. Viennen. 1311.
Epiſcopi in Concil. Conſtantien. 1414.
Epiſcopi in Concil. Florentino. 1439.
Epiſcopi in Concil. Lateranen. vlt. 1511.
Epiſcopi in Concil. Trident. 1542. & ſeq.
Epiſcopi in Concil. Lugdun. prim. 1245. ſecundo 1274.
Epiſcopi in Concilio Piſano. 1409.
Epiſcopi hæretici damnantur. 1566.
Epiſcopi in Oriente mittuntur Oratores à Mag. Tauriano ad Principes Europæos. 1402.
Eufroſina Toraglia. 1466.
Eugenius Oairt Ep. Acaden. in Conc. Trid. 1563.
Euenus de Alemania Ep. Syracuſan. 1363.
Euenus Begnanon. Ep. Trecoren. 1362.
Euerardus Segnart. Ep. Salubrien. 1464.
Euerardus Ep. Cæſenaten. 1383.
Euerardus de Nurimberge. 1402.
Euſtachius Hungarus Abas. 1464. & 1571.
Euſtachius Lucatellus Ep. Regien. 1569.
Euſtachius Sicherius 1538.
Ezelinus perfidus hoſtis Eccleſiæ denunciatur hæret. 1250. multa patiuntur Prædic. ab eo. 1255.

F

Fames valida in Septentrion. 1315.
Fatius Donoraticus Ep. Sagonen. 1297.
Fabronia Carpana. 1589.
Federicus Frezzius Ep. Fulginaten. 1403.
Federicus Imper. Eccleſiam deuaſtat. 1231. Indicitur Concil. Later. in illum. 1240. prædicatur contra eundem. 1246. capit Prælatos Eccleſiæ. 1240. per Italiam eos diſpergit ibid. conqueritur cum Mag. Ord. de Fratribus quod prædicent contra ſe. 1246. occiditur à filio. 1251.
Federicus Cęſar recipitur hoſpitio Florentiæ. 1452.
Felix Ep. Caiet. ep. Stabien. 1445.
Felix Inquiſ. Poloniæ. 1519.
Felix Polonus Ep. Caphen. 1532.
Felitianus Niguarda cont. hæret. ſcribit. 1559. In Concil. Trid. 1563.
Ferrarius de Abello Mazarien. Ep. 1330.
Ferrarius Euchalamus Inquiſ. Toloſ. 1243.
Ferricus Caſanello Ep. Ebroicen. 1384.
Ferdinandus de S. Dominico Inquiſ. procedit in Iudæos. 1491.
Ferdinandus Diaz. 1250.
Ferdinan. de Tauora Ep. Funculen. 1569.
Ferdinandus Caſtillo. 1593.
Ferdinandus Vlyſiponen. 1262.
Feſtum Corporis Chriſti inſtituitur, cuius officium compoſuit S. Thom. Aq. 1264.
Flotius Violetta Sinagogas euertit. 1279. hæret. Fraticellos vrit. 1281.
Florentius Puteanus. 1594.
Finlans Limoren. Ep. 1420.
Foſſarij hæretici. 1501. eorum caput moritur. 1504. eius ſequaces caſtigantur ibid.
Franciſcus Iapponus. 1634.
Franciſcus de S. Dominico telis confoſſus. 1633.
Franciſcus de Magno, ſiue de Magiſtro Cap. Regis Sicil. 1476.
Franciſcus Portius Ep. Cerulen. 1456.
Franciſcus Ep. Liparen. 1364.
Franciſcus de Meſſana Inquiſ. Sicil. 1390.
Franciſcus de Stilo Ep. Liparen. & Pacten. 1368. recuperat Eccleſiæ ſuæ bona. 1476.
Franciſcus de Camelino. 1331.
Franciſcus Poggius Ep. Peruſin. 1312. Commiſ. Ap. 1315.
Franciſcus de Toloſa ab hæret. occiditur. 1260.
Franciſcus Ep. Cæſenaten. 1263. In Concil. Lugd. 1274.
Franciſcus Arpus Ep. Ceneten. 1300.
Franciſcus de Montefalcone hæreticus. 1352.
Franciſcus de Rethza. 1406.
Franciſcus Sala Inquiſ. in Aragon. 1408.
Franciſcus Lauſanen. Inquiſ. 1488.
Franciſcus de Cruce. 1500.
Franciſcus Cordua trucidatur. 1515.

Fran-

Franciſcus de Cæſena alter. 1514. & 1516.
Franciſcus Rhomeus fit General. 1545. eius geſta ibid in Concil. 1546. ſcribit cont. Interim Caroli V. moritur. 1552.
Franciſcus de Victoria ſcibit cont. hæret. 1548. fit Ep. Tucaman. 1578.
Franciſcus Berrius. 1576.
Franciſcus de Macedo. 1553.
Franciſcus Picarius ab hæretic. occiditur cum ſocijs. 1569.
Franciſcus de Goracio Abas. 1580.
Franciſcus Calaſſa Goen. occiditur. 1590.
Franciſcus d'Auila ſcribit conr. confeſſionem per litteras. 1604.
Franciſcus Morales apud Indos. 1605. in Nangaſacum ingreditur. 1509. occiditur. 1622.
Franciſcus Magdalenus S.Cong. Ind.Secret. 1615.
Franciſcus Tertiarius in Iapone occiditur. 1627.
Franciſcus Blancus Miſſionar. in Philippin. 1614.
Franciſcus Donatus Miſſion Ap. 1930. multos baptizat. 1633. occiditur. 1635.
Franciſcus Moran. Miſſion. in Regnum de Manche. 1637.
Franciſcus de Montenigro Miſſion. Ap. 1642.
Franciſcus Sarabia. 1648.
Franciſcus Fernandez pro fide occiditur. 1648.
Franciſcus Capiglias moritur pro Euangel.1648.
Franciſcus Maſſa Sacramenta peſte infectis miniſtrat. 1656.
Franciſcus de Paula Archiep. Manilien. 1664.
Franciſcus Varo. 1660. incarceratur. 1668.
Franciſcus Diez. miſſionar. 1666.
Franciſci Bouadillæ opera reſtituitur Inquiſit. tribunal in Portugallia. 1541.
Franciſcus Romez. Ep. Nicopolit. 1544.
Fratribus 3. Ordinis noſtri datur regula à P. Munione Gener. 1285.
Fraticelli Hæretici. 1281. Religionem inſtituere nituntur. 1284. vide Hæretici Fraticelli.
Frugerius Pennen. teſtis miracul. S. P. Dominici. 1237.
Fulco de S. Gregorio Inquiſ. Toloſ. an. 1306.

G

GAbriel Ep. Galleſinen. 1566.
Gabriel de Barchinona Inquiſ. 1461. diſputat cum minoritis de Chriſti ſanguine. 1463.
Gabriel de Barletta. 1470.
Gabriel de Leopoli cum alijs trucidatur. 1649.
Gabriel de Guzaman Abas. 1540.
Grilardus de Petra. 1510.
Garzias de Loayſa Inquiſit. Gen. Hiſpaniarum Mag. Ord. 1518.
Garzias Vulcoſius. 1263.
Garzias de Enguera Archiepiſc. Mex. 1608.
Garzias de Loayſa Mag. Ord. 1518. Card. 1530. Inquiſ. Gen. Hiſpan. 1546.
Garzias Vaion. Ep. Laodicen. 1531.
Gaius Tertiarius pro fide occiditur. 1627.
Gasbertus Orgoglius Florentinus Epiſc.Ceneten. an. 1349.
Gaſpar de Salinas à Barbaris interficitur. 1601.
Gaſpar Adamus Archiep. Antibaten. 1279.
Gaſpar de Bononia. 1444.
Gaſpar Faiol ſcribit conr. Iudæos. 1495.
Gaſpar Stephaneſcus ſcribit pro Eccleſia. 1516.
Gaſpar de Regibus Ep. Calamonen. 1553.
Gaſpar de Cruce miſſion. pro fide. 1556. & 1570.
Gaſpar de Sa à Gentilibus perimitur. 1603.
Gaſpar Inglas Inquiſ. Cæſarauguſt. 1484.& 1485.
Gaſpar Gruneuald. Inqiſ. apud. Heluet. eijcitur cum Fratribus ex Baſilea. 1492.
Gaſpar de Spiritu Sancto à barbaris enecatur & comeditur. 1621.
Gaſpar Zarſrate occiditur pro fide. 1626.
Gaſpar Boiton. 1562.
Gaufridus de Bello loco Cõfeſ.S.Ludou.Reg.1272.
Georgius Oliuetta conbuitur. 1572.
Geraldus Dillon pro fide necatur. 1645.
Geraldus Pariſien. damnatur. 1257.
Geraldus Frachettus Lemouicen. 1271.
Geraldus Ruſſorum Ep. 1253.
Geraldus Segarellus hæret. 1300
Geraldus Præfecti Pœnitent. Apoſt. 1406.
Geraldus Bugot. 1651.
Geraldus, ſeu Gheraldus de Anxora Inquiſ. 1330.
Geraldus Gibon trucidatur. 1648.
Greg. Searincius præd. hæbr. 1649.
Greg. Boldrinus Ep. Mantuan. 1567.
Greg. Seruantius interdictum Ferrariæ publicat. & fit ep. Treuican. 1598. ſcribit depot. Papæ cont. Paulum Seruitam. 1607.
Greg. Lombardellus ſcribit de Stigmat. S. Cat. 1603.
Greg. Temudus Ep. Cochimen. 1558.Gœn. 1573.
Greg. XIII. à Beatiſs. Virgo S. Roſarij à periculo vitæ eripitur. 1573.
Greg. de S. Lucia Miſſion. 1590.
Greg. Vrſinus Miſſion. in Oriente. 1626.
Greg. Donatus Mag. Sac. Pal. 1641.
Greg. Vanden. in Hollandia. 1646.
Greg. Lopez Ep. de Mechoacan. 1674.
Gualterus Grauius ſcribit cont. hæret. 1534.
Gualterius Ep. Cabulen. 1264.
Gualterus Germanus. 1265.
Gualterus Germanus. 1304.
Gualterus Vitemburnus Card. 1304.
Guarinus de Giaco Mag. Ord. 1346.
Guido Flamochettus Mag. Ord. 1451.
Guido Maramaldus Inquiſ. Neap. 1390.
Guido de Sexto format. proceſſum pro canoniz. S. Dom. 1253.
Guido Inquiſ. Mediolanen. Guilelmæ oſſa comburit 1300. inquirit cont. Hermanum Pongilupum. ibid.
Guido Longinellus occiditur cum ſocio. 1270.
Guido Ferrarien. Inquiſ. Hermanni oſſa combuſit. 1296.
Guido Lacca hæreticus comburitur. 1233.
Guido de Soliaco Ep. Bituricen. 1276.
Guillelmus Rance Ep. Saien. 1364.
Guillelm. de Militijs Patriar. Hieroſol. 1369.
Guillelmus Sudre Mag. Sag. Pal. fit Card. 1366. Ep. Oſtien. 1369. & Maſſilien. ibid. & 1387.
Guillelmus Ballam Archiep.Betlemit. & Ebroicen. Ep. 1438.

Guillel-

Digitized by Google

Guillelmus Noua Ep. Aruen. 1520.
Guillelmus Agleton. Ep. Dauen. 1520.
Guillelmus Parui Ep. Bituricen. 1522.
Guillelmus Gallus Ep. Trecen. 1539.
Guillelmus ó Conor occiditur ab hær. 1651.
Guillelmus Cloronius. 1237.
Guillelmus Germanus prædicat. Crucem. 1251.
Guillelmus Saſtius Inquiſ. Arag. 1263.
Guillelmus de Colonico Inquiſ. Arag. 1269. procedit cont. Comitem Fuxen. ibid. & eius Nepotem. 1270.
Guillelmus Anicienſis. 1270.
Guillelmus Matiſconen. cont. mendicantes. 1257. damnatur eius liber & comburitur ibid.
Guillelmus Parui Ep. Silnanecten. 1530. & Trecen. 1519. Bituricen. 1522.
Guillelmus Occumius Ep. Duplien. 1297.
Guillelmus Araniou Ep. Ilerden. 1380. recognoſcit proceſſum Beguinorum. 1317.
Gulielmus Courtet occiditur in Iappone. 1637.
Gulielmus Elxa Capellan. Reg. Roman. prædicat. cont. Coronam Friderici filium. 1251.
Gulielmus Brunus ab hæret. occiditur. 1576.
Gulielmus Brelianus ſcribit cont. hæret. & veneno perit. 1576.
Gulielmus Coſta Inquiſ. 1319. procedit. cont. Bonatum. 1320. Olerium comburit. 1334.
Gulielmus Arnaldi Inquiſ. Toloſ. matronam comburit. 1234.
Gulielmus de Monte Catano Vrgelitan. Ep. Pontificis. Nunt. 1295.
Gulielmus Durandos Ep. Mimaten. 1296.
Gulielmus Militis Inquiſ. Carcaſſon. 1301.
Gulielmus Mareſfledius fit Card. 1303.
Gulielmus de Pariſio Inq. in Gall. 1307. inquirit in Templarios 1308.
Gulielmus de Morerij Inquiſ. Toloſ. 1307.
Gulielmus Gauantus Mag. Sac. Pal. 1312.
Gulielmus de Labora Ep. Carducen. 1317.
Gulielmi Gillabat hæret. oſſa comburuntur. 1351.
Guliemus Lemouicenſis Archiep Beneuent. 1361.
Gundiſaluus de Amarante. 1259.
Gundiſaluus Amouin Ep. Hierap. 1518.

H

Hæbrei puerum immolant in Paraſceue. 1475. & 1495.
Hæbrei eiciuntur ex Gallia. 1321.
eiciuntur ex Hiſpania. 1491
Hæbrei eiciuntur ex Hiſpania. 1492. ſupra. 170. mil. familiæ. 1492. inde fit Catholicorum da datur Regib. Hiſp. ab Innoc. VIII. 1492. confirmatum ab Alex. VI. 1492.
Hæbrei in Hiſpania puniuntur. 1405.
Hæbreis datur Prædicator in Vrbe. 1584.
Hæbreis datur ſpecialis locus in Vrbe à Pio V.
Helena de Hungaria. 1270.
Helena Toraglia. 1593.
Helias Guiberti Inquiſ. Aquitaniæ 1493.
Helias Toloſanus Mag. Ord. 1367.
Hermannus Riſſnich Hæreſiarca. 1499.
Henricus Rex Angliæ expilator bon. Eccl. 1535. moritur impœnitens. 1547.
Henricus Brabantinus. 1256.
Henricus Roman. Rex venit in Vrbem. 1311. coronatur. 1312.
Henricus de Traiecto ſcribit de pot. Pap [illegible]
Henricus Filangerius Ep. Baren. 1252.
Herenrici à Vigliena libri comburuntur. 14[illegible]
Henricus Ep. Culmen. multos conuertit. 1255.
Henricus de Hieronymo Ep. Cochimen. 1567.
Henricus de Taſcora Ep. Cochimen. 1573. Archiep. Goen. veneno perimitur. 1582.
Henrici Colonien. mirabilis viſio. 1249.
Henricus Sardiniæ Rex moritur in carceribus. 1272.
Henricus Kaltiſſen Inquiſ. in German. 1424. Mag. S. Pal. 1440. Archiep. Nidroſien. 1452.
Henricus Suſo. 1364.
Henricus Lunguardus Ep. Policaſtren. 1471.
Henricus IV. Galliæ Rex abiurat. hæreſim. 1593.
Hæretici Albigen. perſequuntur à S. P. Domin. & filijs ab an. 1206. & ſequen. Manichæi in Italia. 1224. apud Florentiam profligantur. 1234. cont. illos pugnauit S. Petrus Mart. ibidem & 1235. ab eiſd. occiditur. 1252. Catrari. 12[illegible]. Foſſarij. 1501. eorum caput comprimitur. 150[illegible]. Condormientes. 1233. Valdenſes. 1207. Stradigenſes. 1234. Nicolaitæ. 1235. Sodomitæ. 1236. Fragellantes. 1274. Circumcelliones. 1249. & 1251. Enzabati. 1251. Fraticelli. 1281. Religionem fundare nituntur. 1294. extinguuntur. 1341. reſurgunt, & deſtruuntur. 1411 iterum reuiuiſcunt. 1442. iterum. 1449. & 1450. & 1466. Pſeudoapoſtoli. 1287. Dulciniani. 1257. & 1300. arma cour. Cathol. ſumunt. 1306. Beguardi & Beguini. 1311. Lollardi. 1315. & 1368. Sodalitatis Pauperr. 1372. Simplicis animi. 1442. Homines intelligentiæ. 1411. Vſſitæ. 1414. Damnantur. 1416. & 1456. Catholicos perſequuntur ibid. Hæretici contra Virginitatem B. Virginis Mariæ. 1395. Illuminati. 1578.
Hæreticorum damna Eccleſiæ & Ordini illata. 1530.
Hæretici trucidantur ab exercitu Pontificio in Gallia. 1569. Viclephiſtæ damnantur. 1382. & 1383. Vicleph. comburitur. 1416.
Hereſiarcha Iacobus Iuſt damnatur. 1351. De Monteſalcone Hæret. 1352.
Hæreticorum turres demoliuntur. 1254.
Hæretici inuadunt conu. Nouarien. 1310.
Hedmundus Moſca moritur. 1250.
Herbordus Bergomen. Epiſc. in Concil. Lugd. 2. 1274.
Hermannus S. Hiacinti Socius. 1231.
Hermannus Heſtedins Inquiſ. in German. 1375.
Hermannus Zithardus ſcribit pro fide. 1427.
Hermannus Riſſuich hæreſiar. comburitur. 1512.
Hetueus Mag. Ord. 1318.
S. Hiacintus conuertit Pruſſos. 1227. tranſit ad Tattaros &c. Baptizat Danielem Rutenorum Principem. 1229. Proficit inter gentes, 1232. In Halicia multa operatur. 1233. Fugit cum imagine B. Virginis. 1241. Moritur. 1257. Canonizatur. 1594.

Digitized by Google

Hiacintus Eſchiuel trucidatur ab Inſid. 1634.
Hiacintus racouien.exilio punitur ab hæret. 1581.
Hiacintus Petronius Mag. S. Pal. Ep. Melphien. 1622.
Hiacintus Orſanel moritur pro fide. 1622.
Hiacintus Alemanni in Hollan. 1634.
Hiacintus Japponus in Philip. Inſ. vadit. 1635.
Hiacintus Vaez pro fide moritur. 1638.
Hiacintus Ceulus Ep. S. Marci. 1648.
Hiacintus de Rhoatino occiditur ab hær. 1649.
Hiacinta ab hæret. occiditur. 1649.
Hiacintus Libellus Secret. Cong.Ind. 1655. Mag. Sac. Pal. 1663. Archiep. Auenionen. 1673.
Hiacintus Tarnſius Ep. Venuſin. 1654. Archiep. Miræ. 1672.
Hiacintus Suſcius ſcribit cont. hæret. 1593.
Hieronymus de Praga comburitur. 1416.
Hier. Xauierrus Mag. Ord. 1601. Fit Card. 1607. Moritur ibid.
Hier. Sauonarola dat Florentinis libertatem. 1494. Prædicit illis amiſſionem libertatis. 1495. Prædicit receſſum Imperatoris. 1496. Conſpirationes in illum. 1497. Suſpenditur cum Socio. 1498. Eius libri non prohibentur. 1556.
Hier. de Verona. 1505.
Hier. Fornarius Ep. Bellicaſtren. 1533.
Hier. Monopolit. ſcribit cont. Hæret. 1542.
Hier. Inquiſ. Craconien. 1543.
Hier. Oleaſter in Concil. Trid. 1545. Inquiſ. in Luſit. 1562. Hæret. punit. 1574.
Hier. de Loayſa Archiep. Limen. 1545.
Hier. Muzarellus Mag. Sac. Pal. 1550. Archiep. Compſan. 1553.
Hier. de Nicheſola Ep. Theanen. 1557. Veronen. 1561.
Hier. de Cruce Lancea transfigitur. 1556.
Hier. de Portugl. Ordinem ingreditur. 1557.
Hier. Politus Ep. Treuican. 1564.
Hier. Ep. Niochen. 1564.
Hier. Vielmus Ep. Emonien. 1570.
Hier. Volta Inquiſ. Rhegien. 1579.
Hier. Armenius Inquiſ. Tiberium caſtigat. 1580.
Hier. de Couto Miſſ. in Ind. 1582.
Hier. Bernetius fit Card. 1586.
Hier. Maſcarennes à barb. occiditur. 1602.
Hier. Almonacirius. 1604.
Hier. Martel. 1610.
Hier. Zambeccarius Inquiſ. fuſtigatur & fit Epiſc. Aliſan. 1618.
Hier. de Paſſione occiditur ab hæret. 1636.
Hier. Polinus ſcribit cont. hæret. Anglican. 1586.
Hier. de Fulgineo. 1393.
Hipolitus Maria Becaria Mag. Ord. 1589. eius geſta ibid. moritur 1600.
Honoria de Burgo pro fide. 1653. Altera pro virginit. ibid.
Honufrius Palam occiditur ab Inſid. 1625.
Hoſtia ab hæret. perforata emittit ſanguinē. 1353.
Hugo Mac ab hæret. occiſus. 1654.
Hugo Segnin fit Card. & Archiep. Lugdun. 1288. Oſtien. 1294. moritur. 1298.
Hugo de Buzzeo Archiep. Beneuent. 1463.
Hugo de S. Theodorico ordinem ingreditur. 1227. Mittitur Conſtantinop. Apocris Apoſt. 1233. Archiep. Lugdunen. & fit Card. in Concil. Lugdun. 1245. probat Carmelitarum inſtitutum. 1248. Bibliorum Concordantias euulgat. 1250. mittitur Legatus in Germaniam. 1251. moritur in Vrbeueteri. 1262.
Hugo de Boniolis Inquiſ. Toloſ. 1284.
Hugo Amelij Inquiſ. Toloſ. 1279.
Humbertus Delphinus Princeps Viennen. Ordinem ingreditur. 1348. & 1345. Patriarcha Alexandrin. 1331. Rhemen. & Pariſin. Archiep. 1354.
Huguccionus Ep. Spoletanus. 1297.
Hungariæ Prouincia diuiditur. 1394.

I.

B. Iacobus Salamonius. 1314.
B. Iacobus de Meuania. 1272.
Iacobus Prior Spoletan. Nunt. Ap. 1278.
Iacob. Ep. Sulmonen. 1263.
Iacob. Carpena Archiep. Tranen. 1370. Nunt. Ap. 1380.
Iacob. Petri de Piſis Archiep. Turitan. 1379.
Iacob. Creſcentius ordinem ingred. 1223. Inquirit circa creat. Ep. Ruthenorum. 1232.
Iacob. de Caſtro Arquato. 1235.
Iacob. Caiazza Orator ad Bonif. VIII. 1303.
Iacob. Boncambius S. R. E. Vicecancellar. 1243. Ep. Bononien. 1244. Gregorium Pont. Hoſpitio recepit ibid pacem firmat inter Bononien. & Imolen. 1248.
Iacobus de Vrbeueteri Ep. Sulmonen. 1263. in Concil. Lugdun. II. 1274.
Iacob. Egidij Mag. Sac. Pal. 1452.
Iacob. de Viterbio Ep. Ferentin. 1276.
Iacob. de Caſerta S. Thomæ diſcip. 1270.
Iacob. Nunt. Ap. in Aragon. 1281.
Iacob. Caſtellonus Ep. Florentin. 1286.
Iacob. de Voragine Archiep. Ianuen. 1292.
Iacob. Buſce Ep. Marſorum. 1295.
Iacob. de Bononia Ep. Mantuan. 1304.
Iacob. de Cremona Inquiſ. Terdonen. 1339.
Iacob. de Clauaro diſputat cum hæret. 1420.
Iacob. de Aquino ſcripſit cont. Guliel. de S. Amore. 1362.
Iacob. Petrus de Pigalordis Ep. Argolicen. 1368.
Iacob. Altouitus Ep. Feſulan. 1390.
Iacob. de Raguſio Ep. Tribunen. 1413.
Iacob. de Reate Pœnitent. Ap. 1406.
Iacob. de Peruſio Ep. Narnien. 1407.
Iacob. Arigon. Ep. Lauden. 1407. Mag. Sac. Pal. 1395.
Iacob. de Suſato cont. Huſſitas. 1421. ſcribit in illos. 1425. & 1427. Idem quoque ſcribit pro Eccleſia an. 1410.
Iacob. de S. Ioanne Inquiſ. 1457.
Iacob. de Brixia diſputat de ſanguine Chriſti. 1463.
Iacobus Grimalius. 1453.
Iacobus Manſus Inquiſ. Siciliæ. 1489.
Iacob. Rheda Inquiſ. Sicil. 1489.
Iacob. Sperger Inquiſ. Germaniæ. 1471.
Iacob. de Sexto. 1493.
Iacob. Inquiſ. Atrebaten. 1513.

Ia-

I N D E X.

Iacob. de S. Petro trucidatur. 1516.
Iacob. Inquiſ. Cracouien. 1541.
Iacob. Hungarus ſcribit cont. hær. 1563.
Iacob. Poure ſcribit cont. hæret. 1564. fit Abas. 1573. Ep. Cabillon. 1578.
Iacob. Naclantius Ep. Clugien. 1544 ſcribit cont. hæret. 1568.
Iacob. de Sigeſtro Ep. Brugnaten. 1547.
Iacob. Tonger ab hær occiditur. 1578.
Iacob. Faber occiditur ab hær. 1591.
Iacob. Höchſtraranus Inquiſ. Moguntin. ſcribit cont. Luth. 1519.
Iacob. Lopatice Inquiſ. Toloſ. 1608.
Iacob Cotta Nouenæ inſtitutor. 1618.
Iacob. à S. Maria in Iapone 1634.
Iacob. de Bouuers in Hollandia. 1638.
Iacob. Goar. 1619.
Iacob. Rellij pro fide trucidatur. 1646.
Iacob. Moran Conuerſus pro fide moritur. 1650.
Iacob. de Calatadiud Ep. Sanctarinen. 1521.
Iacob. Petri de Piſis Archiep. Turitan. 1379.
Iacob. Gipſon Confeſſor Regis Scotiæ. 1477.
Ianuen. excommunicantur. 1288.
Ignatius Dantes Ep. Alatrin. 1582.
Ignatius de Purificatione. 1552.
Ignatia Palomera. 1484.
Imana. 1360.
Imperator de Monotapa conuertitur, & baptizatur cum vxore ac filijs. 1652.
Ioanna de Ferraria. 1511.
Io: de Turrecremata mittitur ad Concil. Baſileen. 1432. Mag. Sac. Pal. 1434. reuelat. S. Brigittæ recognoſcit. 1434. Legatus ad Imperat. 1437. fit Card. 1439. ſcribit cont. Antipapam. 1440. Protector fidei ibid. ſcribit ſuper decreta Concilij Florent. 1457. Iterum ſcribit. 1458. Inducit Florentinos ad bellum in Turcas. 1459. Inſtruit hæret. in fide. 1460. fit Epiſc. Legionen. ibid. Sabinen. 1464. ſcribit cont. Vſitas. 1467. moritur. 1468. eius teſtamentum glorioſum ibidem.
Io. Lombardus Ep. Placentin. 1364.
Io. de Gebenna Ep. Tiburtin. 1337.
Io. Angelicus Archiep. Florentin. recuſat. 1456.
Io. de Podionucis Mag. Ord. in Vltramon. prou. laborat pro pace Eccleſiæ. 1407.
Io. Ep. Citren. 1410.
Io. Braſcatoris Inquiſ. Vratislauien. 1429.
Io. de Poliaco damnatur. 1455.
Io: Dominicus multos peccat. conuertit Venetijs. 1393. reformat Ordinem. 1400. Orator Reip. Florent ad Pont. 1405 & iterum. 1407. iterum ad Cardd. in conclaui. 1406. creatur Card. 1408. confirmat Concilij conuocationem. 1415. geſta ipſius in Concilio ibid. deponit Card. dignitatem ibid. fit Præſes Concilij ibid. Legat. in Hungariam. 1418. moritur ibid.
Io: de Dacia. 1458.
Io. de Piſtorio Ep. Aquilan. 1377.
Io. Boltheſam Ep. Roffen. 1389.
Io. de Vico Patriar. Antiochen. 1391.
Io. de Monteſono ſcribit cont. ſchiſma Eccleſiæ. 1378. fit collector ſpolior. Apoſt. in Sicilia. 1393.
Io. de Bertoldis Ep. Fanen. 1304.
Io: Daderlei Cappellan. Pont. 1395.
Io: à Dirrachio Ep. 1397.
Io. Sarazin hæreticos fugat. 1432.
Io. Archiep. Sultanien. 1397.
Io. de Francoſordia. 1598.
Io. Comes Inquiſ. 1457.
Io: Argentoraten Biſuntin. Epiſc. Eligitur. 1222. predicat Crucem. ibid.
Io: Salernitan. fundator S. M. Nnuell. 1226.
B. Io. Hungarus Inquiſ. in Pannonia. 1250.
Io. Bapt. de Tolomeis. 1320.
Io Piguentos. 1301.
B. Io. Vicentinus pacem firmat inter Imperat. & Ciuit. Lombard. 1232. & inter Florentin. & [illegible] nen. & inter alios. 1233. & 1239. fit Commiſſ. Apoſt. in hæret. 1247.
Io. de Polo Archiepiſc. Piſan. 1299. ad Nicoſien. translat. 1310.
Io. Omacha Inquiſ. in Hollandia. 1250.
Io. de Prato Normannus Inquiſ. Carcaſſonen. 1312. recuſat Eccleſiam Ebroicen. ibid.
Io. de Tambaco Mag. Sac. Pal. 1366.
Io. Inquiſ. Toloſan. pro fide necatus. 1271.
Io. de Vercellis Mag. Ord. 1273. abſoluit Ianuen. à Cenſuris. 1271. In Concil. Lugdunen. 1274. mittitur Legatus. 1277. & iterum 1278. creatus Patriar. Hieroſolimit. ibid. mittitur Nunt. ad Bononien. ibidem moritur. 1283.
Io: Theutonicus Mag. Ord 1241. prædicat cont. Frid. Imper. 1242. Pellicem percutit ibid. fit Capellanus, & Pœnitentiar. Papæ ibid ſupplicat Pont. ne Fratres ad Eccleſias promoueat. 1250.
Io: de Nouo Caſtro Ep. Tullen. fit Card. à Clem. Septimo Pſeudop. 1383. Benedictum XIII. Pſeudopont. coronauit. ibid.
Io. Parmenſis hæreticus adiudicatur, & eius liber comburitur. 1258.
Io. Berlanthonius Orator Regis Angliæ ad Nicolaum III. 1278.
Io. de Brabantia cont. hæret. 1274.
Io. Columna Archiep. Meſſanen. Vicarius D. Papæ in Vrbe. 1263.
Io. Iordanus de Sabellis Ep. Patauin. 1295. transfertur ad Bononien. Eccleſ. 1298.
Io. Barchelli. 1304.
Io. Taſcherius Inquiſ. Bonon: 1305.
Io. Cantacuzenus conuertitur. 1375.
Io. Martinez Confeſſor Regis Hiſpan. 1668.
Io. de S. Iuſta. 1419.
Io. Pariſien. ſcribit de auct. Papæ. 1300.
Io. Ep. Chelmen. procurat vnionem Eccl. Græcæ cum Latina. 1436.
Io. Stokes procurat damnat. lib. hæret. 1386.
Io. Borttleshemius Rhoſenſis Ep. conſurg. in Vicleph ian. hær. 1402.
Io. Grodlant cont. Vicleph. 1402.
Io. Pauletus Inquiſ. 1414.
Io. Sacriſta Inquiſ. 1414.
Io. Nider in Concil. Baſileen. 1415. Legatus Concilij. 1431. ſcribit cont Boemos 1435. Reſiſtit Conciliab. Baſileen. 1437.

I N D E X.

Io. de Pottaſolis Ep. Sulcitanen. Groſſeranus. 1330.
Io. de Caſanoua Mag. Sac. Pal. 1418. habet commendam. 1420. Ep. Bonſanus. 1424. moritur. 1436.
Io. Muten. Ep. Maioricen. 1416.
Io. de Podionucis Mag. Gen. 1414. Concil. Conſtantien. interfuit, ibid. fit Ep. Caranen. 1417. Nunt. Apoſt. 1420. Prorex in Sicilia. 1421.
Io. Opatonicen. contra hæret. in Polon. 1420.
Io. Ep. Sultanien. 1424.
Io. Cracouien. Inquiſ. 1427.
Io. Capreolus in Concil. Baſileen. 1434.
Io. Texerius Mag. Ord. in Concil. Baſileen. 1431.
Io. de Polendet. 1435.
Io. Polonus Ep. Nouæcaceres. 1671.
Io. de Podiouentoſo. 1281.
Io. Inquiſ. in Polonia. 1305.
Io. Lotgerius inquirit in Templarios. 1308.
Io. Hiſpanus Orat. Regis Hiſp. ad Pont. Ep. Salmantin. 1308.
Io. Friburgen. Ep. Oſſunen. in Hungaria. 1314.
Io. Sanguinacius relegatur. 1316.
Io. Bremlaer ſcribit in hæret. 1449.
Io. Cherna conuertitur. 1228.
Io. de Auerſa Inquiſ. 1329.
Io. Germanus Archiep. Moguntin. 1331
Io. XXII. reuocat ſententiam de Animab. purgat. 1332.
Io. Inquiſ. Vratislauien. 1337. occiditur. 1342.
Io. Sutorcia. 1337.
Io. Suenckefeldius Inquiſ. German. 1341.
Io. Gallus Archiep. Arelaten 1341.
Io. Morlandinus Inquiſ. Toloſ. 1344. Mag. Sacri Pal. 1348. Mag. Ord. 1349. Card. 1350.
Io. de Brolio. 1344.
Io. de Lemoyſi Mag. Sac. Pal. 1345.
Io. Teſelicen. Ep. 1345.
Io. de Villanoua confeſſor Reg. Franciæ. 1350.
Io. Taulerus ſcribit contra hæret. 1354.
Io. Gomir Inquiſ. Arag. 1356.
Io. Archiep. Raguſin 1363.
Io. Carnuten. Ep. Ruſſionen. 1366.
Io. Scandelandus Ep. Vormatien. 1366. moritur. 1367.
Io. Scandelandus alter Inquiſ. Colonien. 1450.
Io. Ep. Hortanus. 1366.
Io. Comes Monſfortius. 1364.
Io. Turrianus Archiep. Ianuen. 1368.
Io. Salomanius Ep. Nazaren. 1368.
Io. de Tambaco Mag. Sac. Pal. 1366. moritur. 1369.
Io. Fardinas Archiep. Coloſſen. 1370.
Io. de Aldobrandinis Ep. Eugubin. 1370.
Io. de Colmis Ep. Vergen. 1370.
Io. Gallus Gen. Inquiſ. apud Barbaros. 1374.
Io. de Neapoli. 1462.
Io. de Piſtorio. 1462.
Io. Archiep. Armeniæ. 1462.
Io. Gactus Inquiſ. 1462. Ep. Cephaledien. 1472. Abbas. 1469. Regius Orat. ad Pont. 1471.
Io. Simon Ep. Nazouanen. 1464.
Io. Vacat Inquiſ. Gen. Galliæ. 1465.
Io. Boxoducen. Inquiſ. in Hollandia. 1472.
Io. Blaſius Ep. Betleemitan. 1476.
Io. Auguſtinus. 1476.
Io. de Toloſa Inquiſ. Carcaſſon. 1477.
Io. Kramoynchel Inquiſ. in Veſpalia. 1478.
Io. Micon. 1445.
Io. de Montenigro in Concil. Ferrarien. 1438. in Florent. 1439.
Io. Rochezana hæret. apud Boemos vt Papa. 1454.
Io. Leonis Ep. ſcribit. 1440.
Io. Gritſch cont. Conciliab. Baſileen. 1452.
Io. de Feſulis. 1456.
Io. de Poliaco damnatur. 1455.
Io. de Nola Ep. Guardien. 1469.
Io. de Bomalia Inquiſ. Brabantin. 1477.
Io. Ep. Dionyſien. 1478.
Io. Galclus. 1480.
Io. de S. Martino Inquiſ. 1482.
Io. de Argentina Inquiſ. Saxoniæ 1488.
Io. de Epilla Inquiſ. Valentin. 1489.
Io. Colart Gen. Inquiſ. Galliæ. 1493.
Io. de Piſtorio. 1497.
Io. Fabri Ep. Tullen. 1494.
Io. Dedlei Capell. Apoſt. 1495.
Io. Nannius Mag. Sac. Pal. 1499. moritur. 1502.
Io. de S. Dominico. 1500.
Io. Coſſat Inquiſ. Gen. in Britannia. 1500.
Io. Tezzelius Inquiſ. German. ſcribit cont. Luter. 1517.
Io. de Ferraria S. Pal. Mag. 1502.
Io. Bapt. Cataneus. 1504.
Io. Aquilanus prædicator. 1505.
Io. Claree Mag. Ord. 1507.
Io. Enguera Inquiſ. & Ep. 1507.
Io. Pereda reformat Ciſtercien. 1512.
Io. Paul Inquiſ. in Arag. 1413.
Io. Maria Canigianus Abbas. 1514.
Io. Garges iugulatur. 1515.
Io. Ep. Beiten. fit Arboren. 1517.
Io. Lamberti Ep. Vorien. 1518.
Io. Lichimez contra Lutherum. 1519.
Io. à Nunburg contra Lutherum. 1519.
Io. Faber orationem habet in morte Imper. 1519.
Io. Latexetor Ep. Citren. 1519.
Io. Pariſiottus Ep. Hierapolit. 1519.
Io. de Aro Miſſionar. Apoſt. 1522.
Io. Polonus Inquiſ. Vratislauien. 1531.
Io. à Sarauia Ep. Canarien. 1531.
Io. de Fenario Mag. Ord. 1532. moritur. 1538.
Io. Marſiagus ſcribit contra hæret. 1532.
Io. Placentinus ſcribit contra Luther. 1535.
Io. Huldarici corrigit error. Theophil. 1537.
Io. de Toledo fit Card 1538. inſtat pro Congreg. S. Officij. 1552. Vrget vt S. Officium reſtituatur Neap. 1548. Archiep. Compoſtell. 1550.
Io. Gallus fit Abbas Fontis calidi. 1538.
Io. Paſſelius ſcribit contra Luther. 1539.
Io. Ruguar Ep. Naturen. 1542.
Io. Bapt. Ep. Hipponen & Vticen. 1542.
Io. Bunderius ſcribit contra Luther. 1543. Iterum 1551. Iterum 1553. Iterum 1557. & opus poſthum. 1574.
Io. Hiſpanus Ep. Ciuit de Circo. 1554.
Io. Paſſelius corrigit et. hæret. in D. Aug. 1549.

Io.

I N D E X.

Io. Slotanus ſcribit contra Luther. 1550. Iterum 1553. Iterum 1557.
Io. Alberti Ep. Tripolen. 1550.
Io. Mieonus. 1551.
Io. Valerius in Concil. Trid. 1551.
Io. Bapt. Luſitan. Ep. Inſulæ S. Th. 1554.
Io. Prior Nurimberg. diſputat cum hæret. 1556.
Io. Eſeonfeld Inquiſ. Pragen. contra Boemos inquirit, & occiditur. 1559.
Io. Henuiger Ep. Lexouien. 1560. factum contra hær. ibid.
Io. à Ludenna in Concil. Trid. orat. 1562.
Io. Gallo Burgen. in Concil. Trid. orat. 1563.
Io. Guiencourt ſcribit contra Luther. 1564.
Io. Viguerius ſcribit cont. hæret. 1565.
Io. Brabantinus purgat hæret. libros. 1566.
Io. Matthæus Valdinas Ep. Acernen. 1566.
Io. Maria Tapparellus Ep. Saluuen. 1563.
Io. Franciſcus Cuet. 1671.
Io. Picardus ab hæret. trucidatur. 1563.
Io. Tagen ab hæret. iugulatur. 1568.
Io. Malcauſerius ab hæret. occiditur. 1569.
Io. Bole cum ſocio interficitur ab hær. 1569.
Io. Nouitius ab hæret. perimitur. 1569.
Io. Torta ab hæret. ſagittis confoſſus. 1569.
Io. Iunij ab hæret. occiditur. 1570.
Io. Miraballus ab hæret. occiſus. 1570.
Io. Gabaſſus ab hæret. iugulatur. 1570.
Io. Argempſonius ceditur ab hæret. 1570.
Io. Madeyera Miſſionar. 1570.
Io. ab hæret. ſuſpenditur. 1571.
Io. Izquedo Epiſc. Dertuſen. 1574. moritur. 1598.
Io. Bapt Lancins Cong. Ind. Secret. 1574.
Io. Cobo in China Miſſion. 1575. in Philip. 1587.
Io. de S. Petro in China Miſſion. 1575.
Io. Treninus. 1576.
Io. de Montaluo Ep. Cartagen. 1578.
Io. Codericius ab hæret. cæditur. 1579.
Io. Bapt. Legras Ep. Trieaſtrin. 1582.
Io. Muzauillo Ep. de Venezuola. 1581.
Io. de Sarauia occiditur ab hæret. 1585.
Io. de Illanes occiditur ab hæret. 1585.
Io. de S. Thoma veneno perimitur. 1585.
Io. de Pinco inquiſ. in Indijs. 1586.
Io. de Hormazza in Philippin. miſſion. 1587.
Io. de Caſtro præfectus Miſſion. in Philippin. 1587.
Io. Breton in Angliam mittitur Catholicam Religionem reſtauraturus. 1587.
Io. Braiſin. ab hæret. occiſus. 1591.
Io. de pietate à Gentilibus occiditur. 1592.
Io. Cabos trucidatur in Indijs. 1592.
Io. Paulus Nazarius ſcribit contra hæret. 1592.
Io. Regot ſcribit contra hæret. & Bordanum hæret. conuertit. 1595.
Io. de Drada Ep. Cartaginen. 1596.
Io. Maria Guenzellus Mag. Sac. Pal. 1598. Epiſc. Polimnianen. 1607.
Io. Gregorius de Padilla Ep. Ciuit. Ducal 1598.
Io. Trauazzos à Barbaris occiditur 1599.
Io. Maldonatus occiditur ab idololatris. 1600.
Io. Conſtanzo Miſſionar. 1601.
Io. è Corduba apud Indos. 1604.
Io. à Vega à Barbaris occiſus. 1605.
Io à Verniano contra hæret. 1607.
Io. de Caſtro in Inſul. Philip. 1609.
Io. Romirez Ep. de Guatimala. 1610.
Io. de Pietate Ep. de Macao. 1604. multa pro fide. 1611.
Io. Eſpilla Archiep. Acher. & Mater. 1511.
Io. de S. Dominico in Iapone. 1618. incarceratur, & moritur. 1619.
Io. Bapt. de la Fortezza à barbaris occiditur. 1621.
Io. Bapt. de Malaca occiditur, & manducatur. 1615. à Barbaris.
Io. Menigand. 1625.
Io. Garzia patitur. 1662. moritur 1665.
Io. Chriſoſtomus Viola prædicator hebræor. 1626.
Io. Mannyn patitur 1638.
Io. Borquettus viſitat miſſionarios in Hollandia. 1640.
Io. de S. Iacobo miſſ. in California. 1642.
Io. Dominus Nazarius hæbreos conuertit. 1642.
Io. Flaucerbij lapid. obruitur ab hær. 1645.
In Choro Io. Arias ſanctiſſimè moritur. 1646.
Io. Dauides cum ſocijs pro fide laborat. 1546.
Io. Gillatorij Hibernus. 1648.
Io. de Camenecia Prior cum ſuis Fratribus ab hæret. peremptus. 1649.
Io. Bapt. de Marinis Mag. Ord. 1650.
Io. Bapt. Carée. 1953.
Io. Thomas de Roccaberti. Mag. Ord. 1670.
Ioachinus Turrianus Mag. Ord. 1487. Inquiſ. Venet. 1475.
Innocentius IV. Ordinem vnicè diligit & dat illi priuil. 1254.
Innocentius V. monet Imperat. Orient. de data fide. 1576.
Innocentius Orienta ab hær. occiditur. 1654.
Inquiſitores contra Albigen. tempore S. P. Dominici 1216. mittuntur in diuerſas partes 1220. deſtruunt domos hæret. mittuntur in Lombardiam 1254. in Hungariam 1529. in Pannoniam 1530. per Italiam ibid. in Siciliam 1224. in Neap. Regnum ibid. Inquiſitores in diuerſis orbis partibus 1470. & 1474.
S. Inquiſit. tribunal erigitur Romæ 1442. Conſultores illius ibid. creat Inquiſit. in orbe: ceſſauit in Ordine facultas inſtituendi Inquiſitores ibid.
Inſula noua inuenta ab Holland. 1626.
Ioanna Alphonſi Regis Portug. filia. 1490.
Ioannes de Ferraria. 1511.
Iordanus Mag. Ord. 1222.
Iordanus de Montecucco Inquiſit. Epiſc. Bobien 1324.
Iordanus Anſalouius in Philip. Inſul. 1635.
Iordanus à Beiar. 1575.
Iornicus contra hæret. 1607.
Ioſeph de S. Hiacinto comburitur. 1613. & 1622.
Ioſeph Gonzales Archiep. Compoſtellan. 1613.
Ioſeph Maria Ciantes Ep. Marſicen. 1640.
Ioſeph Moranus pro fide occiditur. 1643.
Ioſeph Maria Bonaldus Archiep. Antibaren. 1646.
Ioſeph Maria Auila Epiſc. Campanien. 1649.
Ioſeph Nauario de S. Maria occiditur. 1665.
Ioſeph Borgouthnon Inquiſit. Carcaſs. 1607.

INDEX.

Ioſeph de Ibreis contra hæret. 1607.
Iſidorus Inſulanus ſcribit pro Eccleſ. 1516.
Iſuardus Tacconus Patriarcha Antiochen. 1311.
Iubilæum primum in Eccleſia. 1300.
Iuo Gallus Epiſc. Nazaren. 1290.
Iulia de Creſcimbenis. 1534.
Iulianus Epiſc. Giropeten. 1364.
Iulianus Mairui Epiſc. Sulcitanen. 1461.
Iulianus Garges Epiſc. Carolen. 1511.
Iulianus Stanitanus Epiſc. Magaren. 1561.
Iulianus Treſnouau ſcribit cont. hæret. 1584.

L

LAſtantius Beretta Miſſionar. in Boemia. 1637.
Lambertus Prior Bononien. 1250.
Lanfranctinus Iauuen. 1237.
Lapus Legatus Apoſt. ad Regem Pruſſiæ. 1308.
Latinus Vrſinus Card. 1278. Legatus ibid. Bononiam in deditionem accipit pro Eccleſia. Legatus in Tuſcia 1280. caſtigat Iudæos ibid. Pacem inter Florentin. firmat ibid. condit leges adminiſtrandæ Reipub. ibid. Parmen. Magiſtratum excommunicat 1286. Iudex inter Regem Luſitan. & Eccleſiaſt. 1289. ipſo procurante eligitur S. Cœleſtinus Papa 1294. moritur ibid.
Lamiæ puniuntur 1404. extirpantur apud Neap. 1507.
Laurentia de Lorinis. 1564.
Laurentius Mendez. 1259.
Laurentius Archiep. Acheruntin. in Concil. Lugdunen. 2. 1274.
Laurentius de Libra Fracta. 1456.
Laurentius Blundus Archiep. Compſan. 1589.
Laurentius Venerius Epiſc. Moronen. 1411.
Laurentius de Valdini ſcribit contra hæret. 1428.
Laurentius Pinon. Ep. Antiſiodoren 1434.
Laurentius de Caſtro Florentino Ep. in Achaia. 1458.
Laurentius de Librafracta. 1457.
Laurentius Valla hæret. 1448.
Laurentius Tudertinus Nunt. Ap.
Laurentius Franconus ab hæret. comburitur. 1568.
Laurentius Zambronius. 1571.
Laurentius o Ferail ſuſpenditur ab hæret.
Lazarus de Recanelis Ep. Vrbinaten. 1478.
Leander Peſſon Miſſion. 1585.
Lector Pragen. ab hæret. occiditur. 1454.
Leo Papa X. celebrat Lateranen. Concilium. 1515. Cardd. creat. 1517.
Leo pro fide decollatur. 1608.
Leo Ep. Aletien. 1440.
Leodatus de Agatopoli. 1238.
Leonardus Ep Lesbien. pro fide occiditur. 1458.
Leonardus de Valle Inquiſ. ſcribit contr. hæret. 1454.
Leonardus Statij de Datis Mag. Sac. Pal. 1407. Mag. Ord. 1414. in Concil. Conſtantien. 1416. operata ab eo moritur. 1425.
Leonardus de Neap. Inquiſ. 1382. defenſor Vrb. 6. 1389.
Leonardus de Chio mittitur Conſtantinop. pro unione Eccleſ. 1448.
Leonardus de Marinis Ep. Laodicen. 1550. Nunt. in Hiſpan. 1554. Commendatur à Collegio Cardd. 1555. fit Archiep. Lancianen. 1560. mittitur à Patre 6. Concil. Trid. ad Pium Pont. 1562. à Pio IV. ad Maximilian. Imper. 1564. transfertur ad Ep. Alben. 1566.
Leonardus Falaſius ab hæret. occiditur. 1570.
Leonardus Polonus pro fide decertat 1571. & 1615.
Leonora de Euangeliſta. 1668.
Literæ Apoſt. pro reueren. nomin. Ieſu. 1274.
In Lotaringia inquiſitores primi. 1247.
Lottus hæreticus 1451.
Lucas Spigarolus Ep. Sibinicen. 1573.
Lucas de Spiritu Sancto in Iapone. 1634.
Lucas Mannellus Ep. Auximan. 1345. Fanen. 1360.
Lucas de Cruce. 1672.
Lucas Garzias. 1651.
Luchina. 1487.
Lucretia de Lauda. 1545.
S. Ludouicus Galliæ Rex ſub cura Prædicat. enutritur. 1226.
S. Ludouicus Bertrandus mirabilia in Indijs operatur. 1563. Idola frangit. 1565. venenum propinatum elaudit ibid. migrat in cœlum. 1581. ſolemni ritu canonizatur. 1671.
Ludouicus Aluarus Ep. Aconen. 1397.
Ludouicus Vallifoletanus Regis Caſtel. Orator ad Concil. Conſtant. 1414. petit diuiſ. Prou. Hiſp. 1417.
Ludouicus Longus Ep. Motonen. 1466.
Ludouicus Cancellus. 1514. occiditur. 1545.
Ludouicus de Viualdis Ep. Alben. 1519.
Ludouicus Rochettus Inquiſ. Toloſ. 1540.
Ludouicus Correio in Indijs pro fide. 1642.
Ludouicus Bauarus inuehitur cont. Pont. 1324. noſtri eum impugnant ibid. Eccleſiam perſequitur. 1327. prædicant Fratres cont. illum. 1328. multa propterea patiuntur. 1330. Pilas cum Antipapa ingreditur noſtrum Archiep. ibidem perſequitur. 1335. tandem moritur apud Bonconuentum.
Ludouicus de Victoria miſſion. 1522. Nunt. Ap. 1558.
Ludouicus Venetus Ep. Auren. 1538.
Ludouicus Comboner Ep. Aueneten. 1538.
Ludouicus de Granara. 1588.
Ludouicus à Fonſeca occiditur ab Idolat. 1600.
Ludouicus Coſtes cont. hæret. 1607.
Ludouicus Iſtella Mag. Sac. Pal. 1608.
Ludouicus de Soto multa ſcribit. 1610.
Ludouicus de Andrada in Ind. or. 1616. multa millia Idolatrar. conuert. 1625.
Ludouicus Agliaga Gen Inquiſ. Hiſp. & mag. Archimandrita. 1619.
Ludouicus Flores in Iapone comburitur. 1622.
Ludouicus Xarch pro fide comburitur. 1627.
Ludouicus de Spiritu Sancto ſagittis confoſſus. 1663.
Ludouicus Muro occiditur ab Idolat. 1638.
Ludouicus Oliſlarges in Hollandia. 1640.
Ludouicus de Paſſione occiditur pro fide. 1640.
Luinus Brunſtorp. Ep. Dioniſien. 1476.
Lupus Cardoſo Miſſionar. 1570.

Lu-

Lupus Barientos comburit lib. Henrici à Villena. 1456.
Lutherus virus ſuum effundit 1517. quare ibid. eius geſta ibid. citatur ad compar. in Vrbe 1518. damnatur 1520. mors illius peſſima. 1546.
In Luſitania Eccleſiaſtica Immunitas violata. 1245.

M

Maccarius Ludia Ep. Laodicen. 1499.
Magdalena de Plagis. 1669.
Magdalena Terſiaria in Iapone occiditur. 1636.
Magiſterium Sac. Pal. datur S. P. Dominico. 1218.
Magdalius Capograſſos. 1508.
Magnus Ep. Humanaten. 1364.
Malachias cont. hæret. ſcribit. 1306.
Maneius de Cruce pro fide combuſtus. 1630.
Marcus Roncionus Ep. Vrbinaten. 1342.
Marcus de Nouaria Ep. Emonien. 1343.
Marcus Ardinghellus Ep. Camerinen. 1361.
Marcus Maronus Promag. Sac. Pal. 1484. Inquiſ. Neap. 1488.
Marcus de Tropeia in Concil. Trid. 1546.
Marcus Veidas cont. Luther. 1519.
Marcus Cataneus Archiep. Rhodien. 1530.
Marcus Armenus Archiep. Armeniæ. 1607.
Marcus Antonius de Dominis hæreſiarca citatur in Vrbe 1616. eius errores impugnantur à P. Nicolao Couſerean ibid. detruditur in Arcem S. Angeli de Vrbe, condemnatur vt hæret. moritur, comburitur eius ſtatua. 1624.
Marcus Amb. Capellus præfectus Miſſionarior. in Hollandia. 1631. Ep. Antequaren. Ipren. & Antuerpien. 1647.
Marcianus de Busko pro fide necatur. 1649.
Margarita de Caſtello. 1320.
Margarita de Hungaria. 1270.
B. Maria de Quercu datur Ordini. 1477.
Maria de Popilio. 1575.
Maria de S. Ioſeph. 1658.
Maria Bagneria. 1576.
Maria Spezzalalta. 1393.
Margarita de Hungaria. 1671.
Margarita de Sabaudia. 1413. 1464.
Maria Neptis Io: II. Portug. Reg. 1520.
Maria Franciſca de Vrſinis. 1584.
Maria Virginia de Aleſijs. 1673.
Maria Magdalena Copina. 1472.
S. Mariæ Magdalenæ corpus inuenitur. 1279. liberat ex carceribus Carolum Claudum Salernitanum Principem. 1283.
Marina Tertiaria in Iapone pro fide morit. 1636.
Margarita Delphina. 1589.
Manfredus Inquiſ. in German. 1427.
Manfredus de Vercellis. 1419.
Manfredus comburit Geraldum Segarellum. 1300.
Malachias cont. hæret. 1306.
Manſuetus Ep. Ebronen. 1470.
Marcus de Verona Ep. Foſſæ Clodiæ. 1578.
Marcheſinus de Monopoli Inquiſ. Sicil. 1351.
Marcolinus Foroliuien. 1396.
Margarita Hibetna trucidata. 1647.
Margarita Fontana. 1513.
Martinus Strempus Maior Pœnit. 1277. Archiep. Gneſnen. ibid. ſcribit contra Græcos. ibid.
Martinus de Tuſcia Legatus Collegij Card. 1277.
Martinus Luſitanus. 12. 63.
Martinus Porceus Ep. Atrebaten. 1408.
Martinus Chiari Ep. Nexiouanen. 1419.
Martinus V. eligitur. 1417.
Martinus de Aliende. 1647.
Martinus Trilles Inquiſ. 1411.
Martinus Macon ſcribit cont. hæret. 1564.
Martinus Faber ab hæret. occid. 1577.
Martinus Real. 1650.
Martialis Auribellus Mag. Ord. 1453.
Martinus de Fabris. 1534.
Martinus Spora. 1537.
Martinus de Mendozza Ep. Dertuſen. 1560.
Martinus Lutherus vide Martinus Luter item expeditur bulla condem. hæreſum illius 1520. libri eius comburuntur ibid. inſurgunt Prædicat. in eum ibid. & 1521. excommunicantur ſequaces &c. ibid.
Martinus Vaſquez Ep. Portus Diuitis. 1599.
Martinus de Sanctis trucidatur à barbaris. 1606.
Martha, & Magdalena Tertiat. pro fide in Iap. necantur. 1627.
Martyres apud Antiochiam. 1268.
Alij in Hungaria 1262.
Alij multi in Dalmatia. 1261.
Matthæus de Vicedominis. 1337.
Matthæus Vrſinus doctor Pariſin. S. P. Q. R. orator. 1326. fit Card.
Matthæus de Pontiano Inquiſ. in Sicil. 1320. 1344. fit Card. 1327.
Matthæus Canerius. 1471.
Matthæus Galdinus. 1575.
Matthæus Eraſmus Arch. Armeniæ 1608. mittitur ad Perſarum Regem. 1606.
Matthæus Lulmus impug. Conciliab. Piſanū 1511. fit Ep. Laodicen. 1512.
Matthæus Orti 2. ſcribit cont. hæret. & Iudæos. 1485.
Matthæus Archiep. Armeniæ 1438
Matthæus de Adria Inq. 1330.
Matthias Conuerſus 1518.
Matthias Bandellus Ep. Agennen. 1550.
Mathildes in pauperes non miſericors parit 360. filios 1275.
Mauritius de Hungaria. 1336.
Mauritius de Colangilis Ep. Niner. 1381.
Mauritius de Hungaria. 1589.
Mauri ex Hiſpan. eijciuntur. 1491.
Maynardus Ep. Linonum maximus de Conſtantinop. 1398.
Melchior Cano Ep. Canarien. 1552.
Melchior Conuerſus à barbaris occiſus. 1599.
Melchior Moſſicen. Inquiſ. in Pol. diſp. cum hæret. 1558. multa in eos operatur 1589. decreta cont. Epp. & Theol. reuocari facit 1560. execratur libertatem conſcientiæ 1561. cont. hæret. ſcribit 1590. cont. Ochinum. 1590.
Mendocus Rex Liticen. conuertitur: reuertitur ad hæreſim & cont. cathol. militat. 1254.
Michael ò Klerij. 1651.
Michael de Pelagallo. 1384.

Michael de Cœſena cont. Pont. 1329. ſequitur Bauarum. 1330.

Michael de Mauriano. 1451.

Michael Pages. 1436.

Michael Kiouien. procutat vnionem Eccl. græcæ cum lat. 14,6.

Michael de Morillo Inq. 1482.

Michael de Epilla. 1457.

Michael Commiſſ. in Burgund. cont. hær. t488.

Michael de Monteruio Inq. Valent. 1489.

Michael Inq. Auſtriæ. 1493.

Michael de Medijs Ep. Aſten. 1494.

Michael Belga Ep. Cameraeen. 1480.

Michael Feuiz Inq. 1441.

Michael Fabra confeſſ. Reg. Arag. 123t.

Michael Imper. Otient. emittit prot. fidei. 1276.

Michael Fortinus Ep. Lancianen. 1535.

Michael Franciſci Inſulanus. t502.

Michael Raguel Ep. Cochimen. 1631. moritur. 16;4.

Michael Ghiſlerius Inq. Nouo com. cont. hæret. procedit 1549. multa patitur 1550. & 51. vadit ad Griſones ibid. fit Card. 1557. Vide B. Pius V.

Michael Veus ſcribit cont. hær. 1532.

Michael Bonellus fit Card. 1566. S. R. E. Camer. 1568. Camerariatum vendit in ſubſid. cont. Turcas 1570. Collegium inter Grigones erigit. 1580. fit Papalis Vicarius 1585. Ep. Albanen. 1589. moritur. 1598.

Michael Sarberius ab hæret. occiſus 1569.

Michael Benanides miſſion. 1575. pergit in Philippin. inſul. cum ſocijs 1587. fit Ep. nouæ Segob. 1595. Archiep. Manilen. 1602.

Michael Inq. cont. hæret. 1585.

Michael Ferrer cont. hærer. 1589.

Michael Ophonius apud Holland. 1625.

Michael Malaſpina inſeruit peſte laboran. 163t.

Michael de Oſaraza occiditur in Iapone. 1637.

Michael Mazarinus Mag. Sac. Pal. Archiep. Aquen. Card. 1647. Prorex Cataloniæ 1648. moritur ib.

Michael Zamorren. 1564.

Milerus Magrath ab hæret. occiſus. 1650.

In Minerua feſtum ſolemne Sanctiſſimæ Annunt. cum capella pontificia inchoatur à Greg. XIII. 1574.

Miſſionarij tres in Friſia. 1642.

Miſſionarij Apoſt. primi ad Indos miſſi. 1503.

Alij ad eoſdem Indos. 1506. mittuntur à Caietano. 1512.

Miſſionarij in Inſulas Philippin. 1576.

Monaci Armeni Sciſmatici conuertuntur. 1318. vniuntur cum noſtris ibid.

Moneta Ordinem ingreditur. 1222. fit Inquiſ. Mediolanen. 1224. ſcribit in her. ibid.

Moniales Ord. S. Franciſci apud Pragam reformantur. 1238.

Moniales Benedictinæ Peruſij vniuntur cum noſtris. 1392.

Monaſterium Rhotomagenſe viſitatur & reformatur. 1230.

Moniales Vrbis in vnum collectæ apud S. Sixtum. 1218.

Moniales in Lombardia viſitantur, & reformantur. 1227.

Moniales Antiochenæ ſibi naſum præſcindunt. 1268.

Mulier pulcra deturpatur, & reſtituitur pulchritudini. 1239.

Morandus de Signia Ep. Fanen. in Concil. Lugd. 2. 1274.

Moralis Viennen. ſcribit cont. hæret. 1564.

Munio Mag. Ord. 1285. dat regulam 3. Ord. deponitur. 1291. fit Ep. Palentin. 1294. moritur. 1299.

Munnotius eligitur Antipapa. 1425.

N

Natalis Deſlandes Trecoren. Ep. 1645.

Neapolitani S.P. Dominicum in Patronum Regni eligunt. 1654. Item S. Thomam Aquinatem. 1603.

Nicolaus de Anapis Patriar. Hieroſol. 1281.

Nicolaus Dux Boſnæ conuertitur à Præd. 1233.

Nicolaus Hungarus occiditur. 1241.

Nicolaus Inqu. in Brabant. oſſa Cornelij hæretic. combutit. 1266.

Nicolaus Boccaſinus Mag. Ord. 1296. Legat. ad Reg. Galliæ & Angliæ. 1297. fit Card. 1298 Ep. Oſtien. 1300. Legatus in Polon. ibid. in Hungariam. 1301. Eligitur Pont. Max. 1303. Vide Benedictum XI.

Nicolaus de Lanncia Inquiſ. 1434. hæret. punit. 14,6.

Nicolaus de Prato Ep. Spoletan. 1299. Card. 1303. Legat. ibid. & in Hungariam. 1304. eius opera eligitur Clemens V. ibid. pacem procurat inter Piſtorien. & Lucen. 1306. Coronat Henricum Romanorum Regem. 1311. moritur 1321.

Nicolaus Farinula Card. 1305. mittitur Legatus, 1313. fuit author canonizat. S. Thomæ Aquin. 1322. moritur 1323.

Nicolaus de S. Martino Ep. Maceraten. 1349. & Recan. 1357.

Nicolaus Roſellius Card. Inq; multos comburit. 1351. fit Card. 1356.

Nicolaus de Rauenna. 1598.

Nicolaus Goranus. 1303. & 1304.

Nicolaus Sciomberg Procur. Ord. 1508. fit Card. 1535. Archiep. Capuan. moritur.

Nicolaus Znegnenſis Inq. in Pol. comburit Iudæum hoſtiæ contempt. 1508.

Nicolaus Melchioris Cirenen. Ep. 1518.

Nicolaus Fridonis Archiep. Armeniæ. 1 60.

Nicolaus Sauxati ab hærer. occiditur. 1570.

Nicolaus Couſeteau ſcribit cont. hæret. 1614. Iterum 1618. moritur. 1623.

Nicolaus de Monte occid. ab hæret. 1590.

Nicolaus de Roſario ſagittis confoſſus. 1592.

Nicolaus Rodulphius Mag. Sac. Pal. 1622. Mag. Ord. 1629. eius geſta ibid. deponitur. 1644. declaratur innocens. 1646. fit Præſes Ord. 1649. moritur 1650.

Nicolaus Ianſenius apud Hollandos miſſ. t625.

Nicolaus Ricardus Mag. S. Pal. 1629. moritur 1639

Nicolaus de Mare præfectus Miſſion. cum Socijs occiditur. 1640. 1642.

Digitized by Google

Nicolaus Petri Konski ab hæret. occiditur. 1649.
Nouenæ Eccleſiaſticæ inſtitutio, & ritus. 1618.
Numiſmata primo benedicuntur à B. Pio V. 1566.

O

ODdo de Sala Archiep. Piſan. 1312. Caſſinen. Abas & Ep. 1322. moritur 1323.
Officium quo vtuntur Præd. fuit confirmat. à Clement. IV. 1267. Illud recitabat Angliæ Rex. 1396
Ordelafus Eccleſiæ hoſtis à Prædic. perſequitur. 1355. & 1358.
Ordo S. Pauli primi Eremitæ confirm. 1309.
Orationes diuinitus datæ pro Prædic. 1222.
Oſanna de Mantua. 1505.
Oſanna de Cattaro. 1565.
Otto Bauariæ Dux repentino interitu ſublatus. 1253.
Otto de Maliſaxo Epiſc. Minden. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Ottonellus Ep. Clugien. 1314.

P.

PAganus de Leco Inq. interficitur ab hæret. 1277.
Paganus Mediolanen. hæret. 1288.
Paparonus de Paparonibus Ep Fulginaten. 1265. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Parochus ruralis obſtinatus hæret. vritur.
Paſchaſius de Montepudico Archiep. Burg. 1497.
Paula de Spiritu Sancto. 1669.
Paula de Ferraria. 1509.
Paulinus Bernardinus cont. Luter. 1576.
Paulus Hungarus mittitur ad prædicān. à S.P.Dominico, erigit Conuentus. 1221. & 1234.
Paulus Guattarrus multos conuertit. 1330.
Paulus de Aquila Inquiſ. in Reg. Neap. 1273. videt S. Thomam in celis.
Paulus Cuſanus. 1503.
Paulus Polonus Polnanien. Ep. in Concil. Lugd. 2. 1274.
Paulus de Franchenſtein cont. Felicem Antipapam 1441.
Paulus de Poſanio Ep. Ebronen. 1394.
Paulus de Cracouia Ep. Laodicen. 1464.
Paulus de Mileto. 1470.
Paulus de Monelia Mag. Sac. Pal. Inquiſ. Ianuen. 1481. cenſurat propoſition. hæret. 1482. procedit in Iudaizantes 1498. fit Ep. Chien. 1499.
Paulus Legionen. 1531.
Paulus Bortecla Mag. Ord. 1530.
Paulus Sarbinius Poſnanien. Inquiſ. 1544.
Paulus Comſtabilis Mag.S.Pal. 1573.
Paulus Griſaldus ſcribit contr. hæret. 1583.
Paulus Picus Secret. Cong. Indic. 1591.
Paulus Nazarius cum hæret. diſputat. 1597.
Paulus Conuerſus à Barbaris occiditur. 1598.
Paulus cum alijs Fratribus in Armania occiditur. 1586.
Paulus Chriſtianus diſputat cum Rabi Gerunden. 1282. caſtigat Bonaſtrue. 1265.
Paulus Lacumbulanus cont. hæret. 1611.
Paulus de S. Maria Conuerſus. 1598.
Paulus de Maſquetia occiditur. 1601.
Paulus Maria Citadinus mittitur in Armeniam Archiep. 1621.
Paulus Piromallus Archiep. Armeniæ 1654. ſcribit in fauorem Catholicæ fidei 1656.
Paulinus Bernardinus ſcribit 1576.
Peſtis in Vrbe. 1656.
Pelagius Caſallabus 1257.
Peregrinus de Pactis. 1316. & 17.
Patres Poloni tres germani fratres eadē hora poſt ſumptam euchariſtiā moriuntur repente 1272.
Pax de Vedano Inquiſ. Mediol. procedit cont. Vicecomitu. Mediolan. 1319. fit Prouincial. Lombardiæ 1331. Ep.Tergeſtin. ib. defert proceſſum Matthæi ad Pont. 1337.
Pelagius Caſtellanus. 1275. in Septent. 1515.
S. Petrus mart. fit Inquiſ. Mediolanen. 1232. inſurgit in Cattharos ibid. contra Manicheos. 1234. & 35. occiditur ab hæret. 1277.
Petrus de Ilpermis Mag. S. Pal. 1378. Ep. Marſicen. 1379.
Petrus Scaligerus Ep. Veronen. 1290.
Petrus Hieremias. 1444.
Petrus de Maricalmo Inquiſ. 1452.
Petrus de Venetijs Archiep. Corciren. 1458.
Petrus de Anagnia Ep. Steplonen. 1356.
Petrus Cutialis Nunt. Apoſt. 1382.
Petrus Cardanus. 1421.
Petrus Scala Penitentiar. Apoſt. Ep. Adrien.& Peron. 1291.
Petrus Mazza Inquiſ. ſcribit cont. Arnaldum de Villa noua. 1400.
Petrus de Confluentia. 1432.
Petrus de Tarantaſia ordinem ingred. Vicarius Ord. 1264. Ep. Lugdunen. 1271. Tarantoſien. 1272. Maior pœnitent. & Ep. Oſtien. 1273. in Concil.Lugd.1274. eligitur Pont. 1276. moritur ibid.
Petrus Sillanus Inquiſ. Carcaſſonen. 1233.
Petrus Fulconis ſum. Pœnitentr. renuntiat, & vadit in terram ſanctam. 1272.
Petrus Cellanus Inquiſ. Toloſ. 1234.
Petrus Hernandez. 1259.
Petrus Secndra. 1244.
Petrus Bernard. Ep. Agaten.Concil.Lugd.interfuit 1274.
Petrus Conſaluus. 1245.
Petrus Cerea Gallus. 1245.
Petrus Ruffenſis Inq. occiditur. 1250.
Petrus de Monte Peſſulano. 1254.
Petrus de Terracina Ep. Caietan. 1252.
Petrus Anſiri Inquiſ. Toloſ. 1277.
Petrus Durandus hæreticus comburitur. 1321.
Petrus Olerius maioricen.comburitur. 1320.
Petrus de Sezzatia diſputat cum monaco ſaraceno. 1263.
Petrus Angelellus Ep. Lucanus 1272. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Petrus Saracinus Ep. Interamnen. 1276.
Petrus Padien. 1255.
Petrus Luſitanus. 1263.
Petrus Peraldus Archiep. Lugdunen. 1272.
Petrus Diuionen. 1255.
Petrus de Almanone Ep. Siſtaricen. 1291.

Petrus Muleronus. 1295.
Petrus Corbarius orator ad Frid. Imp. 1296.
Petrus de Bobiano Placentinus Ep. Bobien. 1296.
Petrus Barchinonenſis. 1297.
P. Pauola Maior Pœnitent. Ep. Caminen. 1298.
Petrus de Podio. 1298.
Petrus Monticellus Ep. Comaclen. 1304.
Petrus de Venetijs Ep. Emonien: 1310.
Petrus Scaramat. Vic. Cong. Affricanæ. 1312.
Petrus Ferrer. 1312.
Petrus Fontana Ep. Lucan. 1318.
Petrus de Palude ſcribit cont. Bauarum 1325. mouet Regem Galliæ cont. Sultanum & Ioannem Pont. 1330.
Petrus Ep. Boſnen. 1315.
Petrus de Pireto Mag. S. Pal. 1328. Ep. Mirapicen. 1335.
Petrus Ep. Fundanus. 1336.
Petrus Guidonis Inquiſ. Toloſ. 1341.
Petrus de Palma Mag. Ord. 1343.
Petrus Graſſinus Ep. Anagnin. 1348. ex Soren. translat.
Petrus Giſius Ep. Albintimilien. 1350. Archiep. Brunduſin. 1350.
Petrus Polonus Inquiſ. 1350.
Petrus Cracouien. Inquiſ. 1362.
Petrus Lopez Ep Lucen. 1367.
Petrus de Villiens Ep. Ninernen 1361. Viuarien. 1373. Trecen. 1375.
Petrus de Mulceone Inquiſ. Toloſ. 1291.
Petrus Rex Caſtillæ veneno perimit vxorem Blancam. 1361. egit penitentiam. 1364.
Petrus Ranzanus Ep. Lucerin. 1478.
Petrus Niger ſcribit cont. Iudæos. 1467.
Petrus Sillanus. 1257.
Petrus de Aſculo Ep. Auximan. 1379.
Petrus de Patna hæret. comburitur. 1373.
Petrus de Lipari Confeſſ. Regum Siciliæ. 1390.
Petrus Inq. Poloniæ. 1404.
Petrus de Luna Pſeudopont. 1401. habet Sequaces ibid. aſſumit ſibi Mag. S. Pal. S. Vincentium Ferrerium 1405. monitur. 1424.
Petrus Cantoris Inquiſ. Pol. 1404.
Petrus Inquiſ. Arag. 1415.
Petrus de Neap. Archiep. Nazaren. 1330.
Petrus Floreus. 1419.
Petrus de Ripatranſona Archiep. Corintien. Benedicti Pſeudopont. inſectator. 1422.
Petrus Murta Inq. 1425.
Petrus de Finiamo Ep. Siluanecten. 1434.
Petrus Brunus Inq. 1434.
Petrus Anton. Petrucius Ep Signien. 1445.
Petrus de Maſtrettis Inq. Neap. 1448. & 65.
Petrus de Bergomo. 1470.
Petrus Ant. de Iadra Confeſſ. Regis Hung. 1477.
Petrus Martyr Oxonen. hæret. abiurat. 1479.
Petrus Quare Ep. Arauxicen. orator Regis. 1484.
Petrus Ranzanus Legatus. 1480. habet orationem funebrem pro Rege Hungariæ ibid.
Petrus Belloradus Inquiſ. Meſſanen. Archiep. 1501.
Petrus de Corduba miſſ. in Ind. 1513. Epiſc. Reonen. 1521.
Petrus de Mendozza ordinem ingreditur. 1520.
Petrus Bertanus Nunt. Apoſt. ad Imper. 1535. Ep. Fanen. 1537. Card. 1551.
Petrus Coellius Orator Reg. Portugall. 1539.
Petrus de Sochazou Inquiſ. in Polon 1541.
Petrus Rænche Ep. Naturen. 1546.
Petrus de Caſtro in Concil. Trid. 1546.
Petrus Martyr de Brixia Mag. S. Pal. 1546.
Petrus de Soto ſcribit in Lutherum. 1548. Vniuerſitatis dilingæ Regens. 1549. multa operatur cont. hæret. 1550.
Petrus Dori ſcribit cont. Calninum. 1551.
Petrus de Bozo Ep. Stagnen. 1551.
Petrus Iannetinus Mag. S. Pal. 1553.
Petri Mart: errores confutantur. 1555.
Petrus Spechius diſputat cum hæret. 1557.
Petrus Britannus Nunt. Ap. 1558.
Petrus Xaque Ep. Niochen. 1560.
Petrus de Agredo Ep. de Venezuola. 1561.
Petrus de Angulo Ep. Verepacis. 1561.
Petrus de Soto moritur in Concil. Trid. 1563.
Petrus Canu ſcribit cont. hæret. 1564.
Petrus Diuole ſcribit cont. hæret. 1564. & 68.
Petrus Godebille ſcribit cont. hæret. 1564.
Petrus Dore ſcribit cont. hæret. 1564.
Petrus Ropis ſcribit cont. hæret. 1564.
Petrus de la Penna Ep. Quiten. 1565.
Petrus Meretus ab hæret. iugulatus. 1568.
Petrus Guillottus in flumen ab hæret. proijcitur. 1569.
Petrus Martyr. Ep. Elnen. 1569.
Petrus Meuion ab hær occiditur. 1571.
Petrus Laine Inquiſ. 1575.
Petrus de Magdalena apud Indos. 1580.
Petrus de Riuis veneno perimitur. 1582.
Petrus Coſta ſcribit cont. hæret. 1583.
Petrus Vſuſmaris miſſ. in Ind. 1583. trucidatur. 1597.
Petrus de Prauia. 1589.
Petrus Turpin cont. hæret. 1590.
Petrus Buxius occiſus ab hæret. 1591.
Petrus Maris Ep. Ciuit. de Cloro. 1595.
Petrus ó Higin ſuſpenſus ab hæret. 1641.
Petrus Benites. 1650.
Petrus Giraldellus Inq. Toloſ. 1633.
Petrus Morenus cum ſocijs occiditur. 1604.
Petrus Pichius hebr. in Vrbe prædicator ſcribit. 1604.
Petrus Pezzoa pro fide occiditur. 1605.
Petrus de Zuniga in Iapona. 1620.
Petrus Vaſquez pro fide in Iapon. 1628.
Petrus de Loayſa. 1626.
Petrus de S. Maria in Iapon. pro fide. 1627.
Petrus Mart. Francionus. 1631.
Petrus Pelican cum ſocijs in Guadalupen. Inſula. 1636.
Petrus Gay Ep. Sauonen. 1472.
Petrus de Cariate Inquiſ. Mediol. 1478.
Petrus Fontana in Inſul. de Guadalupa Miſſion. 1636.
Petrus Hogin ab hæret. ſuſpenſus 1641.
Petrus Bezins in Hollanda Miſſion. 1646.
Petrus de Tappia Archiep. Hiſpalen. 1651.
Petrus Maria Paſſerin. Vic. General. 1669.

Pe-

I N D E X.

Petrus de Anſa Miſſion. Ap. 1666.

Petrus de la Forcada Miſſion. 1667.

Perronilla de Caſtro 1601.

Petrus de Cadireta Inquiſ. cont. Ep. Vicen. 1275.

Philippus Paludanus in Anglia cont. hæret. 1641.

Philippus de Vrriere Ep. Barbaſten. 1573.

Philippus Meneſius Viſitator alior. Ord. 1572.

Philippus III. Rex Hiſp. dat locum in Trib. S. Inq. 1604. dat donaria Eccleſijs noſtris Indiarum 1543.

Philippus Geaza Ep. Iſernien. Tiburtin. 1367. Card. 1378. moritur 1388.

Philippus Valeſius moritur. 1350.

Philippus ex Regio ſangnine. 1340.

Philippus Bonihominis. 1305.

Pius Mirandulanus Ord. ingred. 1494.

Pœnitentiarius Ap. datur apud S. Domin. de Suriano. 1658.

Prior Mediolanen. abſoluit Guidonem Monfortium. 1275.

Prior Pariſin. creat Inquiſ. 1273.

Puella Pulcherrima hęretica comburitur. 1340.

Pontius de S. Egidio Inquiſ. 1269. condemnat Arnaldum.

Pontius de Planetis veneno perimitur. 1242.

Pontius Garinus Toloſanus Inquiſ. 1249.

Pontius de Parnaco Inquiſ. Toloſ. 1274.

Prior Spoletanus Nuntius ad Regem Hiſp. 1278.

Prior Mineruæ diſpenſat in Matrimonio. 1282.

Prouincialis Poloniæ colligit ſubſidia pro Imperio Conſtantinop. 1246.

Prouincialis Hungariæ mittit prædicatores in adiacentes prouincias pro infidelium conuerſione 1250.

Prouincia Romana diuiditur. 1294.

Pyrrus Sanbiaſius Orator ad Innocentium Pont. 1355.

B. Pius V. Pont. eligitur 1566. eius geſta miranda ibid. & ſequen. Numiſmata benedicit omnium primus 1566. S. Thomam Aq. inter Eccleſiæ Doctores aſcribit 1567. Hæreticus ad eius conſpectũ conuertitur 1571. hæreticus de eodem obloqutus ſtatim moritur ibid. victor contra Turcas ibid. moritur 1672. inter Beatos refertur. 1672.

Policarpus Polonus pro fide occiditur cum ſocijs. 1649.

FF. Prædicat. prædicant. Sac. bellum 1222. Collectæ dicendæ in miſſis pro eiſdem prædican. ibid. Baitum Cumonorum principem cum Cumonorum Duce baptizant ibid. Perſequtionem à Mahumetanis patiubus ibid. In Germania cont. hæreticos decertant 1224. laborant in conuerſione Agarenorum ibid. in eorum fauorem Frider. Imperator condit Conſtitutionem ibid. Nouis priuilegijs honorantur ab Honorio IV. 1225. habent Cathedras Pariſijs 1236. mittuntur in Hungariam à Greg. IX. 1228. & contra Albigen. 1229. & in Germaniam ibid. & per totam Ital. 1230. Inſurgunt contra Sodomitas in Germania 1232. fiunt Inquiſitores apud Tarraconam ibid. Recipiens illos hoſpitio ditatur 1221. Porca aſſata, & manducata clamat de ventre comedentis in fauorem Prædicatorum 1231. Miluus illos per viam ducit 1232. conuertit Agarenos in Regno Neapolit. 1233. in Narbona multa patiuntur 1235. & Toloſæ ibid. prædicant Crucem in Alemania 1235. eijciuntur ex Toloſa 1236. In Cumonorum terram ingrediuntur, & trucidantur 1236. Mittuntur ad Tartaros 1245. ad Nectorianos, Iacobitos Armenos, & Græcos 1144. Inſtituuntur Inquiſitores in Hiſpania 1243. Flandriæ Comitem abſoluunt à cenſuris 1244. Mittuntur à Concilio Lugdunen. ad Tartaros 1245. Mittuntur ad prędicandum Iacobitis, Neſtorianis, Georgianis. Armenis, Græcis, Maronitis, & Mololinis 1244. Iugulantur à Comite Toloſ. qui capita ſua ad Toloſanum ſuum conuentum detulerunt 1242. Item alij Inquiſitores apud Auenionetum iugulati ibid. à Tartaris nonaginta diuerſo mortis genere perimuntur 1241. à Piſanis multa patiuntur 1246. prædicant depoſitionem Friderici II. ab Imperio 1245. prædicantes contra Frider. Imperatorem multas moleſtias patiuntur 1247. Cruceſignatos Friſiæ, & Noruegiæ ad transfretandum in Terram Sanctã congregant. 1250. mittuntur ad Cumanos 1253. Item ad omnes barbaros nationes ibid. habent ſpecialia priuilegia ab Innoc. Pont. ibidem & inſuper galerum rubrorũ, & alia ad inſtar Cardd. 1253. erudiunt Agarenos in fide mittuntur ad Prutenos ibid. mittuntur in Armeniam 1266. Recipiuntur apud Tunctum, & ibi prædicant 1270. iterum ad Cumanos mittuntur 1288. mittuntur in omnes orientales regiones cum pluribus priuilegijs 1253. mittuntur in omnes Orbis partes ibid. Perſequtiones patiuntur. dicunt litanias, & exaudiuntur 1254. mittuntur in Traciam 1254. Prædicantibus in Terra Sancta concedit Alex IV. indulgentiam 1256. mittuntur in Regna Granatę, Murciæ, & Beticæ, ad prędicandum Agarenis ibid. Plurimũ Vexantur à Rege Angliæ propter defenſatam Eccleſiam. 1299. mittuntur in Perſidem. 1330. Numerus eorum ad Benedictum Pont. delatus; 1337. A Ludouico Bauaro multa mala patiuntur. 1335. Benedicti XII. auctoritatem defenſant ibid. & tamen ab eo moleſtias multas patiuntur ibidem. mittuntur in Tartariam. 1338. inſurgunt cont. Ordelafum hoſtem Eccleſiæ. 1357. & 58. & cont. Lutherum. 1521. & 46. diſputant cum Caluiniſtis. 1566. Occiduntur in Anglia & Gallia. 1556. In Liuonia patiuntur mul. 1577. in Hollandia multi occiduntur. 1578.

Prædicatores in Rupella trucidantur ab hæret. 1567. & in toto Regno Galliæ vexantur ibid. eorum Conuentus ibid. diripiuntur, & Fratres occiduntur. 1568. & ſequen. apud Nouiomagum publicè diſputant cum hæreticis. 1566. in Rupella. 13. ex eis trucidati ſunt. 1567. ſclopis occiduntur duo ibid. In Picardia Normandia, & Atoumen Conuentu ab hæreticis trucidantur. 1569. Innumeri in Gallia ab hæret. peremptí. 1568. in Regnum Granatæ multi ingrediuntur. 1596. eijciuntur ex Anglia. 1604. Trucidantur

à barbaris. 1605. In Æthiopiam ingrediuntur vbi fructum afferunt. 1608. In Regnis Satzuma Figen.& Nangaſac prædicant cum fructu. 1609. eiciuntur ex Iapone. 1614. multi in Indijs Orientalib. 1627. multi igne conſumpti in Iapone. 1628. inſeruiunt peſte affectis. 1630. tranſeunt ad Philippinas inſulas. 1636. Miſſionarij apud Imperium Materan. 1637. in Hollandia. 1037. In Orien. & Occiden. Indijs laborant pro conuerſ. infidelium. 1637. in Hollandia multi. 1638. in Capit. Gen. 1644. recenſiti ſunt ſupra ſexcentum Fratres Hiberni vel occiſi, vel exilio relegati. 1644. multi occiduntur in Ruſſia. 1648. Iterum 1672.
Puella pulcherrima hæretica comburitur. 1340.

R

RAymundus Martinus multos conuertit. 1268. ſcripſit cont. Alcoranum. 1283.
Raymundus de Rota Ep. Acconen. 1461.
Raymundus de Summaripa Ep. Lauden. 1289.
Raymundus de Ponte Commiſſ. Ap. 1308.
S. Raymundus Ordinem ingreditur. fit Mag. Ord. Summus Pœnitentiar. 1229. Librum decretalium è vulgat. ibid. è Confeſſarius Gregorij Noni Auditor cauſarũ Sacri Pal. 1230. Magiſterio Ord. ceſſit 1240. Excõmunicat Comitem Toloſanum 1244. agit cũ S. Thoma vt ſcribat cont. Gentiles moritur. 1275. canonizatur. 1601.
Raymundus de Fulgario Ep. Toloſan. 1230. tranſfert Fratres ex antiquo in nouus conuentum Tololæ ibid.
Raymundus Corſauinus Ep. Maiorinen. 1272.
Raymundus Gallus Ep. Graſſen. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
Raymundus de Fillio Inquiſ. Toloſ. 1354. Epiſc. Vaſaten. ibid.
B. Raymundus de Capua Mag. Ord. 1380. Nunt. Apoſt. 1392.
Raymundus Keoghij ſuſpenditur ab hæret. 1642.
Raymundus de Medullione Ep. Vapincen. 1281. Generali cap. interfuit. 1294. Archiep. Ebreduneu. 1289.
Raymundus Archiep. Armachan. 1286.
Raymundus Bequlnus Mag. S. Pal. 1321. Epiſc. Nemarſ. 1329.
Raymundus de Tullio Ep. Conſeranen. 1443.
Raymundus de Bellouiſu. 1341.
Raymundus Durandi Mag S. Pal. 1341.
Raymundus de Fillio Inq. Catcaſſon. 1424. & antea Toloſan. 1414.
Raymundus Mnrlanen. ab hærer. trucidatur. 1568.
Raymundus de Plano ab hæret. occiditur. 1570.
Raymundus Tirauilla ab hær. interficitur. 1577.
Raymundus de Canneria ab hæret. ingulatur. 1577.
Raymundus Hurtadus. 1626.
Raymundus Breton in Ind. 1636. 37. & 46.
Raymundus Keoga ab hær. occiditur. 1640.
Raymundus de Barchinona. 1651.
Raymundus ò Keoghij pro fide ſuſpenditur. 1653.
Raymundus de S. Cypriano. 1653.
Raymundus Capiſuccus Secret. Cong. Ind. 1650. Mag. S. Pal. 1654. dimiſſo officio in Mineruam reuertitur. 1663. Reaſſumitur ad magiſterium. 1673.
Raymundus Benetus. 1657.
Raymundus Goſſin Inquiſ. Toloſ. 1517.
Raho Ordinem ingreditur. 1222.
Raynerius Viterbien. Nunt. Ap. 1288.
Raynerius S. R. E. Viceccancellar. 1241. & 1249.
Raynerius Peccius Calerit. Ep. 1275.
Raynerius Sacconus Inq. in Lomb. 1254.
Raynerius Pirpuanus Inq. 1293.
Raynonus cum lectore Lucano mittuntur cum Legatis Ap. ad Imper. Paleol. pro ſuſcipienda fidei profeſſione iuxta decreta Concil. Lugdunen. 2. 1274.
Raphaella de Faentia. 1547.
Raphael de Caſtro Veteran. ſcribit pro Vrbano VI. 1385.
Raphel de Camelco Ep. Nebicn. 1393.
Raphael de Pornaſio Inq. Ianuen. 1495.
Reformantur Moniales S. Franciſci de Praga. 1238.
Reginaldus de Leontino Archiep. Meſſan. 1273. in Concil. Lugdun. 2. 1274.
B. Reginaldus de S. Egidio donatur habitu Ord. à B. Virg. 1219.
Reginaldus Archiep. Armacan. 1240.
Reginaldus de Piperno. 1280.
Reginaldus de Carnoto Inq. Toloſ 1254.
Reginaldus de Genoua in Concil. Trid. 1551.
Reginaldus de Nizaragua Ep. ciuiſ. Imper. 1508.
Reginaldus Lucarinus Mag. Sac. Pal. 1642. Epiſc. Ciuit. Plebij. 1643.
Regem Lituaniæ inungit P. Ludouicus de mandato Papæ 1252.
Regis Tunetani pronepos baptizatur 1256. Rex Gongi baptizatur. 1491.
Renatus Piouet occiditur ab hæret. 1567.
Ricardius Ouedon ab hæret. occiditur. 1650.
Ricardus Barij pro fide occiditur. 1647.
Ricardus de Montecrucis vertit Alchoran. 1309.
Ricardus Anglicus. 1333.
Ricardus Archiep. Armacanus ſcribit cont. mendicantes, & cougitur retractare. 1357.
Robertus Holcot. 1344. & 1349.
Robertus de Cingulo Inq. in Lomb. 1326.
Robertus à Cruce. 1641.
Robertus Neapolitan. 1393.
Robertus Saxo. 1280.
Robertus de S. Valentino Inq. in Sicil. 1307.
Robertus Kiluarbius Cantuarien. Archiep. Angliæ Regem coronat 1275. Concil. Lugdunen. 2. interfuit 1274. fit Card. Ep. Portuen. 1278. moritur 1280.
Robertus Inq. in Belgio. 1250.
Robertus Bonimpertus Ep. Mantuan. 1466.
Robertus de Noia Archiep. Parien. & Naxien. 1504.
Robertus Culuanus ab hæret. occiſus. 1591.
Robertus de Bellouiſu occiditur. 1571.
Robertus Muttures ab hæret. occiſus. 1600.
Robertus Ebroicen. ab hæret. trucidatus. 1571.
Rocchus Mameror ſcribit cont. hæret. 1564.
Rodulphus Florentin. 1259.
Rodulpho Borgundioni commendatur Eccleſ. Patriarch.

triarch. Conſtantinop. 1304.
Romanus Vrſinus ab honoribus & dignit. Eccleſ. alienus. 1264.
Romaus Liuianus. 1263.
Rolandus Burgo. 1614.
Rolandus de Cremona Inquiſ. 1234. contra Ezelinum 1244. Inquiſit. Mediolanen. 1252. hæret. inſequitur 1256. moritur. 1259.
S. Roſa canonizatur. 1671.
Roſarium B. V. inſtituitur à S. P. Dominico 1215. Recitatur publice in Eccleſiis 623. Roſarium perpetuum 1638. ſemel in menſe 1638. eius feſtum in memoriam naualis victoriæ. 1590.
Rugerius Caleagnus Inq. in Etruria Ep. Caſtren. fuit in Concil. Lugd. primo & ſecundo. 1274.
Ruffinus Placentinus Epiſc. Montis Marrani 1291. Calſten. 1295.

S

P. Sadoc mittitur ad conuerſionem infidelium 1221. martyrio coronatur cum multis Fratribus. 1260.
Saluus Caſſeta Mag Ordin. 1481. Legatus ad Imperat. 1482.
Salnus Ep. Recanaten. 1289.
Sancius Bcſatam Inquiſit. Arag. ſcribit cont hæret. Arneldum. 1413.
Sanctes de Florentia. 1461.
Sanctes de Reate pœnitent. Ap. 1390.
Sanctes cum Simone filio. 1289.
Sanctes Pagninus. 1541.
Sanctes Arena ſcribit cont. Lutherum. 1574. De ſanguine Chriſti error Barchinone ſubortus damnatur. 1350.
Script. cont. Lutherum 1546.
Schiſma in Eccleſia 1378. & in Ordine. 1380.
Sebaſtianus de Cantu pro fide occid. 1586. & 89.
Sebaſtianus Michaelis Inq. 1601.
Sebaſtianus Pons ſcribit cont. hæret. 1619.
Sebaſtianus de Brixia. 1496.
Sebaſtianus de Orta. 1500.
Sebaſtianus le Cauella Archiep. Naxien. & Parien. in Concil. Trid 1547.
Sebaſtianus Meuneti ab hæret. occiditur. 1577.
Sebaſtianus Cataneus Ep. Chiemen. 1592.
Sebaſtianus de Oquedo. 1651.
Seraphinus Caballus Mag Ord. 1571.
Seraphinus Blancus conſpirationem in Henricum 4. Gall. Regem detegit, fit Ep. Engoliſmen. 1593.
Seraphinus de Callio Inq. 1603.
Seraphinus Soldanus. 1467.
Seraphinus Capponius de Porrecta. 1612.
Seraphinus Siccus Mag. Ord. 1612.
S. Seruatius ſeruat Fratres à morte. 1330.
Seruatius Teutonicus. 1248.
Seruatius Ingling. cum hæret. 1611.
Setulus Ep. Brugnaten. in Concil. Lugd. 2. 1274.
Seculares multi pro fide moriuntur. 1621. & 22.
Seuerinus Cracouien. ſcripſit cont. hæret. 1610.
Sibillina de Papia. 1367.
Sigiſmundus Vogel Capellan. Imper. 1470.
Silueſter de Prierio cont. Conciliab. Piſanũ. 1511. Mag. Sac. Pal. 1512. citauit Lutherum ad comparen. 1518. damnat illum eius ſtatua igne conſumpta 1520. ſcribit cont. illum ibid. dolet de hoc Lutherus ibid. fit Nunt. Apoſt. 1521. Iterum ſcribit. 1522.
Simon de Pietate à barbaris occiſus. 1598.
Simon de Matre Dei occiditur & comeditur. 1625.
Simon de Amatore Inq. Sicil. 1391.
Simon de Blundo Abbas. 1446.
Simon Lingonien. Mag. Ord. 1352. Legatus Ap. 1355. Ep. Nanneten. 1366.
Simon de Puteo Inquiſ. in Sicilia 1375. Collector Spol. Ap. ibid. Ep. Cataneu. 1378. ſuſtinet partæ Bonifatij cont. Pſeudo pont. 1391. in carcere conijcitur 1395. eductus petit Pont. 1396.
Simon Vinſor. Inq. 1501.
Simon de Plagis miſſion. 1580.
Simon de Montanis pro fide occiditur. 1581.
Simon de Pietate à barbaris occiſus. 1598.
Simon Saltarellus Ep. Parmen. 1317. Archiep. Piſan. 1323. prædicat bellum cont. hoſtes Eccleſiæ. 1332. perſequitur à Bauann. 1335.
Simon Saltarell. nepos Ep. Comaclen. 1385. Tergeſt. 1396.
Siſinius hæret. comburitur. 1457.
Sixtus Poncellus ſcribit cont. hæret. 1570.
Sixtus Carchius Iuquiſ. 1674.
Sixtus Fabri Mag. S. Pal. 1580. Mag. Ord. 1583. deponitur. 1689.
Sacietas Sanctiſs. Sacramenti fundatur primo in Minerua. 1540.
Saxoniæ nefandum ſcelus eradicatur ex Germania.
Spiritus Roterico Inq. Toloſ. 1553.
Stan ſlaus de Cracouia Inq. 1365.
Staniſlaus Ep. Petinen. 1343.
Steno Danus Capitaneum reuocat ad vitam vt confitentur peccata. 1482.
Stigmatum S. Catharinæ Senen. primum decretum 1478. ſecundum 1630.
Stephane de Soncino 1458. & 1505.
Stdphanardus de Vicomercato orat. 1291.
Stephanus Chaan. Ep. Foliantn. 1458.
Stephanus Luſignanus ex Regibus Cypri Ordinem ingeditur. 1583. prædicat ibid.
Stephanus Petit ab hæret. occiditur. 1640.
Stephanus Polonus Inq. Cracouien. 1405.
Stephanus Biſuntin. Mag. Ord. 1292.
Stephanus Taſca ex Balbreoregien. 1295.
Stephanus Paris Ep. Abellonen. ſcribit cont. Lutherum. 1554.
Stephanus Dulcius Archiepiſc. Auenionen. 1609. Prolegatus ibid. Recipit ſolemni hoſpitio Ludouicum Galliæ Regem. 1622.
Stephanus de Auernac.
Stephanus Archiep. Arboren.
Stephanus Archiep. Turiſan.
Stephanus de Paris Ep. Abellonen. Suffrag. Prothomagen. 1551. ſcribit hæret. 1554. & 1560.
Stephanus Vſuſmaris Mag. Ord. 1553.
Striges caſtigantur in Sicilia 1467. in Germania 1487. in Saxonia. 1488.

T.

T Ancredus Germanus 1233. multos conuertit. 1241.

Digitized by Google

INDEX.

Taddæus Oduttanus Hib. 1603.
Taddeus Keorgius. 1671.
Taddæus Ep. Caphen. 1344.
Taddeus o Caholij cum ſocijs. 1652.
Taddeus Moriartj ab hæret. necatur. 1654.
Taclauaret. 1340.
Teclaimanot 1336. Terentius Albertus Obrien Prouincial. Hib. 1644.
Talmud comburitur. 1553.
Templarij proceſſib. vexantur 1307. agitur de eorum abolitione 1308. capiuntur in toto orbe ibid. damnantur in Concil. Viennen. 1311. cauſa huius ibid.
Theodorus de Pietate miſſ. in Angl. 1240.
Theodoricus Acconen. Ep. 1404.
Teophilus de Tropeia Commiſſ. S. Officij 1542.
S. Thomas de Aquino Ordinē ingreditur 1238. vadit ad Concil. Lugdunen. 1268. ſcribit officium Corporis Chriſti 1264. moritur 1274. Fundū trāſfertur cadauer 1349. Ordini reſtituitur 1368. ſtabilitur eius cathedra in Rom. Sapien. à Leone X. 1513. Cardinalitia Capella die illius mortis 1569. Inter SS. Doctores Eccleſiæ ponitur Doctor Angel. 1567. fit Patronus Neap. Regni. 1603.
Thomas de Firmo Mag. Ord. 1401.
Thomas à S. Hiacinto occiditur. 1636.
Thomas Tomaſinus Ep. Emonien. 1401. Polen. 1420. Tragurien. 1424.
Thomas Antonij de Senis. 1415.
Thomas Braduardinus ſcrib. contr. hæret. 1427.
Thomas de Treuta quatro Præd. 1445.
Thomas de Turrecremata Gen. Inq. Hiſp. 1483. alios inſtituit Inq. 1384. multa decreta eunlgat 1485. Iudaizantes caſtigat 1488. agit cum Rege de eijciendis hæbreis ex Hiſp. ex cauſa huius 1491. eo ſuadente eyciuntur, & Mauri 1491. & 92. renunciat dignit. ſummi Inquiſ. 1497. moritur 1498.
Thomas Hermeſchel Inq. in Alemania. 1488.
Thomas Hero Gen. Inq. in Gallia. 1482.
Thomas Donatus Patriarca Venetus 1492. reformat. Cler. 1497.
Thomas Lom. reformat in Caſtilla Ciſtercien. 1512.
Thomas de Vio Caiet. Vic. Ord. 1507. Mag. Ord. 1508. eius geſta ibid. Inq. creat in diuerſis partibus 1509. 1511. vrget pro Concil. Lateranen. cont. Piſan. ibid. acta in illo 1512. fit Archiep. Panormit. ibid. legat. de Latere ad Imperat. & Regem Daciæ ibid. concludit electionem Caroli V. Imperat. fit Ep. Caiet. ibid. damnat Luterum 1520. Legatus in Hungar. 1522. moritur. 1534.
Thomas de S. Martino fundat Vniuerſ. ſtudiorum in Indijs 1550. Ep. de Palta. 1552.
Thomas Radinus ſcribit cont. Luther. & Melancton. 1522.
Thomas Badia Mag. S. Pal. 1522. mittitur ad colloquium Vormat. 1540. approbat inſtitutum Soc. Ieſu ibid. fit Card. 1542. Legat. de Lat. ad Concil. Trid. ibid. moritur. 1547.
Thomas Stilla Ep. Salpen. 1544 orat. in Conc. 1547.
Thomas Caſella Ep. S. Leonis 1542. Bertinorien. 1543. Opiden. 1548.
Thomas Caſilla fit Ep. Chiopen. 1551.
Thomas de S. Ioanne miſſ. 1560.
Thomas Ep. Teſſalonicen. 1562.
Thomas Iacomellus Inq. Tauren. 1564. Tolon. 1565
Thomas Clemens ſcribit cont. hæret. 1564.
Thomas de Caieta Inquiſ. Inſul. Melit. 1564.
Thomas Scotus Commiſſ. S. Inquiſ. 1557.
Thomas Manrigez Mag. Sac. Pal. 1565. expurgat opera S. Tho. ibid. fit Theol. capit. Vaticanæ Baſil. ibid.
Thomas de Viglieuano Ep. Interamnen. 1566.
Thomas de Cardonas Ep. Verepacis. 1574.
Thomas Eliſius ſcribit cont. hæret. 1575.
Thomas Layxa ſcribit cont. hæret. 1581.
Thomas de Lemos diſputat coram Clem. VIII. 1604. moritur 1629.
Thomas Pallauicini Cong. Indicis ſecret. 1613.
Thomas de Zumarica comburitur. 1622.
Thomas Maior dictus de Spiritu Sancto in Iapone combuitur. 1622.
Thomas de Barlenga Ep. de Panama. 1534.
Thomas de Roſario occiditur. 1626.
Thomas de S. Hiacinto Nouitius occiditur in Iapon. 1628.
Thomas alter de S. Hiacinto Conuer. pro fide occiditur. 1628.
Thomas d'Aualos fabricat Carceres pro S. Officio Neap. 1639.
Thomas Camotus Inquiſ. Taurinen. 1671. Cong. Ind. Secret. 1672.
Thomas de Leontino Patriar. Hieroſolymit. 1272.
Thomas Fuſconi de Berta Ep. Senen. 1353.
Thomas de Muggio. 1299.
Thomas Cantipatrau. Ep. Laſotius in Concil. Lugd. 1274.
Thomas Sillanus. 1257.
Thomas Ioſſe fit Card. 1305. fit Legatus ad Imper. 1310.
Thomas Valen. Angelus. 1332.
Thomas Stulez ſcribit pro Eccleſ. 1350.
Thomas Chiauchen. Archiep. Armeniæ. 1357.
Thomas Carnicetius. 1473.
Thomas de Claraſco Inq. fit Card. à Clem. VII. 1384.
Thomas de Raguſio Ep. Mercanen. 1532.
Thomas de Barlenga Ep. Caſtellæ Aureæ. 1534.
Thomas Scottus fit Commiſſ. S. Officij. 1557.
Thomas Iacomellus ſcribit cont. hæret. 1562.
Thomas Turcus Mag. Ord. 1644.
Thomas Tomaſſonus Ep. Vmbriaticen. 1652.
Thomas de Cabes. 1654.
Thomas Bermingam. 1655.
Timotheus Bottonus viſitat Silueſtr. de mandato Sixti V. 1587.
Timotheus Bortiglius Miſſion. 1659.
Timotheus Riccius Roſarium B. Virg. publicè recitat. Vide. Roſarium.
Tobias ab hæret. excoriatus. 1649.
Torneamentorum infelix exitus. 1243.
Tramus Monaldeſcus Ep. Suanen. 1318.

V

Valerianus de Marſo Ep. Margariten. 1543.
Valentinus de Bruma Inq. in Hungar. 1488.

Va-

I N D E X.

Valterus Ep. Taruiſin. Nunt. Ap. 1248.
Valterus Inq. in Germ. 1372.
Volandus de Argentina: 1237.
Vbertus Locatus Ep. Bulneoregien. 1568.
Venceslaus de Podhayeze cum ſocijs occiditur ab hæret. 1649.
Venceslaus Polonus. 1347.
Ventura de Verona multitudinem max. ſecum Romam ducit. 1335. innocens inuenitur ibid. Auenione diſcedit, & prædicat Crucem. 1343.
Venturinus de Bergomo. 1331.
Veronica de Ferraria. 1511.
Vercellinus de Vercellis diſputat de ſanguine Chriſti cum Minorit. 1463.
Vgolinus Ep. Sutrin. 1348.
Alter Vgolinus. 1410.
Vgolinus de Camerino Mag. S. Pal. 1379. ſcribit in fauorem Vrbani P. 1381.
Vgo Seguin. Card. Archiep. Lugdunen. 1288.
Vicleph. hæret. Vide Hæretici Vicheph.
Victor Superantius damnatur. 1552.
Victorius Riccius Miſſionar. 1659.
Vido Regiolanus. 1394. & 1419.
Vigoroſus Gallus. 1254.
Villelmus Petri de Godiuo Mag. S. Pal. Card. 1312. Ep. Sabinen. 1317. moritur. 1336.
S. Vincentius Ferrerius Ordinem ingreditur 1367. conuertit Iudæos 1391. Vadit ad Regem Granatæ 1408. multos conuertit 1409. Innumeros hæbreos conuertit 1412. cont. Petrum de Luna inſurgit 1414. monet Mag. Ord. de fructu quem faciebat ſuis prædicationib. 1403. in Concil. Conſtantien. 1416. moritur 1419. canonizatur 1455. eius officium in Eccleſia 1667.
Vincent. Michael miſſion. in Guadalupa. 1641.
Vincent. de Peſottis Inq. 1468.
Vincent. Vguzbiante Ep. Ennen. 1467.
Vincent. Piſtoia. 1466.
Vincent. Vlyſiponen. Inq. 1394. & 1397.
Vincent. Bandellus Mag. Ord. 150. facit inſeruire peſte infirmis 1503.
Vincent. Merlinus. 1500.
Vincent. Theodorici ſcribit cont. hæret. 1514.
Vincent. Scalona Ep. Polacen. 1520.
Vincent. de Valleuirdi 1534. Ep. Cuſchen. 1537.
Vincent. Giaccari ſcribit contra Lutherum. 1537.
Vincent. de Bernardinis Ep. Coronen. 1572.
Vincent. Iuſtinian. fit Mag. Ord. 1558. eius geſta ibid. In Concil. Trid. 1562. fit Card. 1570. moritur. 1582.
Vincent. de Quintiano ſcribit cont. Luther. 1577.
Vincent. Herculanus Ep. Peruſin. 1579 Inq. ibid.
Vincent. Fonſeca Archiep. Goen. 1583.
Vincent. Bonardus ſecret. Cong. Ind. 1553. Ep. Hieracen. 1589.
Vincent. De Monteſanto Ep. Aprutin. 1592.
Vincent. Traina. 1598.
Vincent. Martinell. Ep. Conuerſanen. 1626.
Vincent. à Cruce occiditur. 1637.
Vincent. Maculanus Mag. Sac. Pal. 1639. Card. 1641. Archiep. Beneuentan. ibid. renuit purpuram induere ibid. moritur. 1667.
Vincent. Geraldus moritur in Carcere anno. 1651.
Vincent. Candidus Mag. S. Pag. 1643. moritur. 1654.
Vincent. Maria Silua Ep. Policaſtron. 1671.
Vincentius Maria Vrſinus Dux Grauinæ Ordinem erigreditur & fit Card. 1672. recuſat dignitatem ſuſcipere, & mittitur Mag. Ordinis Bononiam à Pont. cum Breui Apoſtolico, vt dignitatem ſuſciperet; tandem inuitus eam ſuſcipit. 1672.
Viſio mirabilis ſed diabolica. 1263.
Vitus laborat in conuerſione Lituanorum ſitque eorum primus Ep. 1248.
Vitalis de Beccanis Inq. Toloſ. 1535.
Vota Fratrum & ſororum 3. Ord. ſunt ſolemnia.
Vrbanus IV. conſecratur in Eccl. Graden. 1261.

X.

BXuronus mittitur in terram ſanctam. 1222. & 1223.
Ximenes Inquiſ. in Aragon. 1380.

Y.

YVo Maieuc Ep. Rhedonen. 1513. glorioſe moritur. 1541.

Z.

ZEnobius Acciaiolus Biblioth. Vaticanus. 1518.

F I N I S.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Ssss a b c.

Omnes ſunt Duerniones præter a Terniones.

ROMAE, Typis & Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſſij, Anno Iubilæo. 1675.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google